
Alma
Roma

10-11- 12
1923
1924
1925

AVN
PER.T
ALM.ROM
1923-
1925

PER. IT.
ALM. ROM.
1923–1925

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

BIBLIOTHECA
DOMUS GENERALIS
OBLATORUM B. M. V. I.


C. DEL VECCHIO.

NN. X - FASC. I MENSE IANUARIO MCMXXIII

PER. IT.
ALM. ROM.
1923-1925

ALMA ROMA

QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET



C. DEL VECCHIO.

BIBLIO-DOMUS GENERALIS-OBLATORUM B.M.V.I. BIBLIOTHECA

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

PER. IT.
ALM. ROM.
1923–1925

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

BIBLIO-DOMUS GENERALIS
BIBLIOTHECA
OBLATORUM B.M.V.I.

C.DEL VECCHIO.

ALMA ROMA

PER. IT.
ALM. ROM.
1923–1925



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

DOMUS GENERALIS
BIBLIOTHECA
PUBLICATORUM B.M.V.

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

☞ ***Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.*** ☜

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo, lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Ann. X Romae, Mense Ianuario MCMXXIII Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

"ALMA ROMA,,
IN ANNUM MCMXXIII

Faustis equidem auspiciis decimum vitae nostrae annum ingredimur. Quum enim, natalibus Christi diebus redeuntibus, sortem habuerimus omina nostra ad pedes PII XI Supremi Pontificis profitendi, Pater Sanctissimus ea nobis vicissim pro sua benignitate reddens, studium et sollicitudinem suam in Latinum opus hoc nostrum amantissime iterum ostendit, utque in incoepto alacres persisteremus enixe commendavit. Si prius igitur omnibus posthabitis difficultatibus, promptiori spiritu singulis annis ad ulteriorem viam accessimus, quanto magis hodie id fiet, quum sciamus multum a nobis exspectari ab Eo, cui altissimum atque divinum munus concreditum est universae Christianae Ecclesiae moderandae, quae suum habuit per orbem, et unicum, sermonem latinum, et qui latinitatis scientiam recens quoque ad priscum splendorem revocavit? Huic igitur fidei in nobis positae, quoad vires sufficiant, nunquam deerimus; quemadmodum eos, qui in societatem nostram ultro nomen suum iam dedere, non defuturos confidimus; quin etiam curaturos, ut alii agmen nostrum in dies augeant, atque tempus admoveant, quo in unitate sermonis, unio doctrinae, mentium animorumque tandem constituatur. Haec enim desiderantur ubique: nonne, inter cetera indicia, conatus illos videtis novas linguas fingendi? Inutiles hercle! conatus: non enim linguae singulorum artificio finguntur; ex adverso, usu atque natura rerum, morum, ipsiusque caeli, sponte manant; manant autem quasi rivi ex unico fonte; qui ut in Oriente olim et in Graecis, recentioribus nobis populis Romae est, cultus omnis et humanitatis centro et origine. Haec igitur Matris vox, amoris et religionis vinculo gentes omnes alere perseveret; officiumque nostrum sit eam longe lateque quam maxime diffundere.

Quod ad perficiendum, nos in eo satagemus ut re ostendamus, hanc vocem, sermonem hunc, amplissimum semper, nobilem, divitem, flexibilem aptissimumque ad omnia, vel hodiernae vitae exprimenda adhiberi posse: itaque in nostris paginis res omnis generis latine expressae tractabuntur, a litteris ad bonas artes, a civilibus ad

oeconomicas socialesque quaestiones, ad historias, carmina, latinas interpretationes, fabulas, ludicra. Neque caput illud negligemus iunioribus accommodatum, in quod novum aliquod inducendi mens est, quod inopinum scitumque profecto erit, atque tum nunciabimus quum ita composuerimus, ut re efficere possimus. Identidem ea persequemur quae *Communia vitae* inscripsimus, collectionem nempe phrasium et formularum ad latina colloquia instituenda; aut verius, hoc anno, ad latine facilius scribendum: argumentum enim *de epistolis* aggrediemur. Haec quoque deinde in fasciculum redigemus, quemadmodum de superioribus fecimus: his enim diebus libellus alter, scilicet *de officiis,* in vulgus prodibit.

***

Restat ut consociationis nostrae regulas repetamus.

Pretium subnotationis ALMAE ROMAE commentarii in annum MCMXXIII erit:

Pro Italia	lib.	12 —
» Gallia, Helvetia, Belgica	franc.	15 —
» Hispania	peset.	15 —
» Batavia	floren.	7,50
» Anglia	shell.	12,50
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	doll.	3 —

Pro ceteris nationibus erit summa *Gallicos francos 15* exaequans. Qui autem per pecuniam alius civitatis pretium mittat, idem aequabit cum permutationis pretio die transmissionis vigente; et *qui acceptilationis testimonium desideret, pro eodem addat publici cursus pretium.* Qui denique *subnotatione,* prouti vulgo dicitur, *cumulativa* frui velit *cum Italico commentario* PALESTRA DEL CLERO, qui Rhodigii bis in mense prodit, addat libell. 14 si in Italia est; libell. 17 si apud exteras gentes. Haec omnia per publicum cursum, sive per syngraphum apud aliquam Nummariam Mensam in Urbe exigenda *recto tramite* mittenda erunt ad IOSEPHUM FORNARI, Equitem torquatum, ALMAE ROMAE commentarii moderatorem atque administratorem, *Romam, 12 - Via del Governo Vecchio, 96.*

Praeterea hae consociationis antiquae leges immutatae sunto:

1. *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2. *Qui* ALMAE ROMAE *specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* - (quod nullo impendio facere poterat; quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea ad mittentem restituuntur) - *tamquam socius valide reputabitur.*

Monemus autem socios, et veteres et recentiores, apud Administratorem nostrum aequirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas scenis apud ephebea facile agendas FRIDIANUM et FRANCISCULI PRANDIUM, singulas pretio libell. 2; ambas pretio libell. 3; tum opusculum quod inscribitur COMMUNIA VITAE, *fasc. I,* continens phrases et formulas latinas de salutationibus, de valetudine, de morbis et medicamentis, pretio libell. 2,60; tum denique Herminii Iacobelli librum, cui titulus: IN CAMPO LATINITATIS NOVI FLORES, recentiorum rerum lexicon parvum et perutile, pretio lib. 4 si tegumento solutum; lib. 5 si xylina structura aureoque vel argenteo titulo eleganter ita contextum, ut memoriae ergo atque donationis praemiique gratia optime offerri possit. *Iis vero qui extra Urbem omnes hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium,* iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.

Post quae, Socii et Lectores humanissimi, valete, novusque annus bonorum ac faustitatum omnium plenus vobis, nobisque, et incoeptui nostro adveniat!

ALMA ROMA.

AD PACIS REGNUM AUSPICANDUM

Roma rursus loquuta est: Christianae reipublicae pastor et princeps augustum suum verbum universo orbi novissime edixit; idque verbum non utique summam duorum Pontificum, qui Ei praecesserunt, tantum personat, immo vero opus persequitur a primo Beato Petro ad Pium XI nunquam intermissum. Summorum enim Pontificum successio non quidem regum successio est, quippe eorum imperium a politico officio quam longissime abest: est ex adverso munus divinum, quod per saecula evolvitur, et eousque evolvetur donec humanae redemptionis plenitudinem fuerit consequutum. Cuius imperii una lex est: progressio nempe in luce amoris atque veritatis.

Non itaque mirum si qui hoc regnum ignorant, vel historiae eventus argumentis rationalisticae, prouti vulgo dicunt, doctrinae iudicant, Pii XI vocem per encyclicas litteras manantem curiositate illa praestolabantur, qua prospectus aliquis novi cuiusvis gubernii apud civitates expectatur. Atqui Pii XI silentium Romani Pontificatus principia milliaria esse per se monebat; monebat novi Pontificis adventum nihil aliud esse nisi perpetuitatis gradum ulterius procedentis ad principia illa evolvenda et efficienda; nisi fragmentum operis illius, quod per Christi in terris Vicarium apud varias nationes, apud universum humanum genus toto orbe diffusum, est constituendum. Quum autem signum quasi suum faceret: *Pax Christi in Regno Christi,* nihil aliud pariter Pius XI professus est, quam perpetuitatem illam supremi muneris Romano Pontifici Romanaeque Ecclesiae divinitus commissi.

Quod si Benedicti Pp. XV ad principes et populos paterna provocatio, ut pacem concorditer componerent, amplissimum civilis et politicae sapientiae monumentum est merito habitum, quod in immani illo bello prodierit, verba haec Pii Pp. XI pacem Christi in Regno Christi invocantis amplissimum identidem apostolicae, civilis atque politicae sapientiae est monumentum, quod exactum fuerit hisce pacis diebus, aut melius, hoc tempore, in quo politica Europae sapientia insudat et alget ad pacis victoriam consequendam, quemadmodum haud feliciter dictum est: pacis enim victoria, cupiditatum et studiorum certamen facile subaudit, quod incruentum licet, non vehemens minus in conventibus illis producitur, qui nihil re profecerunt, imo interdum flammas incendere visi sunt novorum bellorum, exactis magis formidabilium. Pax ideo nondum reapse arrisit; contentionesque mutuae ad pacis victoriam adipiscendam, aperte satis deferunt odii ultionisque intimas cogitationes in victoribus item atque victis residere, quum amoris sensus, et christianae fraternitatis, et mutui auxilii ad bonum humanae familiae procurandum eorum animis inesse deberent. Tum Pontifex latissimo illo visu, qui ab excelsa apostolica eius sede per orbem quaquaversus diffunditur, haec miserabilia conspiciens et contemplatus, gentes universas alloquitur, paterno animo malorum causas populos discruciantium revocat, impedimenta ostendit a quibus verae pacis reditus arcetur, ad eaque tollenda affert remedium, quod unicum nunquam non fuit et erit, regnum Christi, et ad illud tandem in unitate instaurandum bonam omnium hominum voluntatem invocat.

Profecto Christiana fides una hanc unitatem praestare valet; homines enim et populi concordiam suam in ordine atque in pace firmare suaeque germanitatis testimonium, in communi opere ad fines et supremos humani generis quaestus assequendos, perhibere tantum possunt, quum

mente et animo sese applicent immutabili illi veritati moralibusque summis legibus, quae nulli hominum voluntati sint obnoxiae. Atqui immutabile hoc verum, supremae hae leges in Christi evangelio sunt, in Eiusque in terris Vicario perennis de iis est praeceptio et ad humani generis conformatio.

Christi igitur regnum adveniat, et vera hominibus pax tandem adveniet; pax Christi!

ROMANUS.

DE CONTRAHENDIS PER COLUMBANOS MENTIBUS OPERIS IN SUMMAM

Aeneadae (quorum duobus sunt inscripta nomina mensibus), cultus et humanitatis sedem, post Asiae dirutum bello Troiano imperium, in Europa restituere. Cui generi successor, missione *Columbanus,* satus barbaris, Cruce tiro signatus, ultra Oceanum, (dum Carolus Quintus Hesperiis, Victoria Indis imperat), terrarum orbe potitus, deductis in omnes partes coloniis, stipendia est bello emeritus Maximo. Venit ergo tempus, quo sapientiae vasa, si qua merces tantorum est effectorum in Aegypto operum, aurea Columbani colligant, et vespertino saeculis hereditaria, mane postero venturis, relinquant testamento.

Iamque provida genus hoc senectute concretas, exortis apud gentes verborum ac rerum, densavit *Encyclopaediis* notitias. At disciplinarum tamen isti thesauri, quum sigillatim universa, neque vero sub specie universi, sed peculiari gentis suae proferant aspectu, generalitate illa perenni cuius scientiam fieri negant sapientes expertem, et hac animorum etiam omnes communitate carent, corporum quam transmissu celeri vectores vapor et aether efficiunt. Ceterum quae tricis rationum abstrusa minutis, quum legentes fere omnes intellegere maxima ex parte non possint, expedire, ut iis etiam perspicua fiant, oportet, qui complurium non sunt artium magistri.

Quibus autem temporibus reficiendi somno generis hominum, quiescendique solent initia fieri; sicut hieme foliis arbores, ita gentes libris spoliantur. Itaque post hoc exanimantis aevum laboris, paucis ea sunt centenis reformanda capitibus, quae tot per dena codicum sparguntur centena millia, prolixe fluxis compluribus enunciata linguis.

Quae tandem utinam *Provincia* illa consideret *de Conferendis Mentis Operis,* cui Henricum Bergson praesidem, et ab epistulis de Halecki, praestantissimos ingenio viros, Nationum praefecit Societas. His enim ducibus unitae totius orbis mentes, opera possint, et Columbani dies aevi, mansuris describere commentariis.

Tornoduri in Gallia.

I. TASSET.

NUPER NATA NOMINA LATINE REDDITA

Iosephus Fornari Iacobo Tasseto v. cl. s. p. d.

Quae in superiore *Almae Romae* nostrae fasciculo ad Hermannum M. Iacobellium scripsisti de nominibus ab eo propositis latine reddendis, ea non sine animi voluptate legi, imo de latino sermone facilitatem et dexteritatem tuam sum iterum admiratus. Quamquam aliqua dissensio inter ea quae dixisti et cogitata mea in argumento est, quam pro tua humanitate non gravaberis hîc a me libenter exponi.

Et ante omnia, iuxta ordinem tuum, de italica voce *automobilismo* latine exprimenda. Tu *vehicula* mavis simpliciter dicta, quae machinae motorem aliquem intus includant. Atqui imprimis animadvertendum est, ni fallor, te in concretam rem vertisse, quae in abstractu proposita erat. Scio equidem Latinorum curam ut abstracta, sive, ut Priscianus ait, incorporalia nomina vitarent; at scio identidem, quum necessitas ea exprimendi urgeret, pluribus modis usos fuisse, in quibus is frequens, supplendi per neutrum alicuius adiectivi, substantive acceptum; idque singulari ac plurali numero. Quod si ambiguitas ulla intercederet, tum circumscriptionem adiectivi cum verbo *res* praeferebant. Hisce positis, puto abstractam vocem *automobilismo* latine ita reddi posse: *De automobilibus, De rebus automobilibus.*

Neve quis malo vocis exemplo offendatur: vox enim *automobilia* apprime est et graeco et latino fonte manans, nec ideo aspernenda; eoque magis quod Ulpianus, Labeo, Paulus et post eos Iuris consulti omnes nobis in hoc succurrant, qui docent *res mobiles* et *bona mobilia* - quae scilicet solo non contineantur et moveri transferrique possint - esse duplicis generis: animalia, quae et se moventia appellantur, et *quae anima carent* (Cfr. *Dig.*, VI, 1, 1; XXI, 1, 1 et XLI, 2, 3). Quum itaque et res inter mobilia recenseantur, machina quoque recenseri in iis posse, imo deberi nemo negabit; quod si graeca vox *auto* nomini illi adiectivo addiderimus, profecto indicabimus ipsas machinas intima et propria virtute moveri. Erunt igitur et *vehicula* tua *automobilia; automobilia* inquam, scilicet hoc qualitatis vocabulo adiecto; *vehiculum* enim verbum absolute sumptum, generale nomen est, sub quo omnia instrumenta continentur quibus aliquid vehitur, sive in proprietate ea habueris, sive meritoria. Identidem *automobilis carrus, rheda, automobile plaustrum* (nunc vulgo *camion*) et similia, inter quae et *automobile tractorium.*

Verum et de hac voce tibi aliquid obiiciam. Tu enim per eam, nisi in errorem sum raptus, machinam significas, quae currus in via ferreis axibus constrata agit. Alius profecto huius vocabuli sensus in latinitate est consecratus. Verbum enim apud Vitruvium recensitum invenimus (X, 1), tamquam machinae genus, per quod onera machinis pertrahuntur, aut in altitudinem sublata collocantur. Ex adverso *tractorius* adiectiva vox est semper, quum quid significetur ad trahendum pertinens; et apprime *tractoriae machinae* dictae apud Latinos sunt, quibus gravia onera traherentur. Quae igitur machina curruum seriem in via ferrea aut alibi agit, *tractoriam* utique appellemus; necesse vero erit addere num vapore, num electride, num interna alia virtute agitetur; et semper *motor carrus* erit.

Sed ulterius procedamus. Tu *ciclista* Italicum verbum nostrum latine expressum decernis per *birotum* si virum; si mulièrem, *birotam.* Ego autem ne hîc quidem tibi assentior. Quum enim Maurus Riccius elegantissima illa, ad quae te referebas, epigrammata scripsit, *birotam* induxit tamquam vocem pure latinam, rhedam aut similem vectoriam machinam duabus rotis constantem subaudiens; ut in *Cod. Theod.*, VIII, 5, 8: « hhedae mille pondo tantummodo superponi; *birotae* ducenta »; et inferius, quum de mulis vehiculis iungendis dicitur: « birotis trinas sufficere iudicantur ». Et ob hanc causam noster adiectivum *velocissimam* apposuit, ut a communi duarum rotarum vehiculo huiusmodi birotam distingueret. Reapse *birotus* tamquam adiectiva vox unice apud Latinos adhibetur, ut apud Nonium (II, 139): « Cisium, *vehiculi biroti* genus ». Ut igitur machinam cum homine ad arbitrium nobis confundere licebit? Ego virum

aut foeminam velocissima birota utentem *cyclistam* dicere non dubitaverim: vocis enim radicem graecam iam in Latium inductam (cf. *cyclas ădis* - vestis circularis, orbicularis; *cyclicus* - circulator, orbicularis) invenimus; pariterque vocis exitum in *ista*, ad indicandum hominem et mulierem, qui aliquo instrumento utantur aut aliquam artem exerceant (cfr. *tympanista, symmysta,* etc). Nec dissimilibus rationibus, quam Riccius *birotam velocissimam* appellavit, ego uno verbo, iamdiu - si mens me non fallit - a Rosati invecto, *bicyclulam* dixerim.

Alias denique animadversiones in cetera habebam; quas tamen, ne fastidiosissimus hodie fiam, ad alium numerum demandabo. Vale.

EX POLONIA[1]

IV.

Exactis impotentibus extraneis imperatoribus, Poloni vetus reipublicae nomen renovarunt. Iuvat memorare ingentes hostium copias a parva Polonorum manu nuper profligatas, eorumque animos intueri, non fractos calamitatibus, retinuisse in rebus asperis dignitatem, a qua nullis unquam conditionibus se dimoveri paterentur. At si uno veluti tempore, novus saeculorum ordo renascitur, nondum redierunt simul et Saturnia regna. Attamen, si qui ad reipublicae gubernacula sedent, excellenti illa prudentia in primis laudantur, qua futura solent praesentire et quodammodo divinare, et nostra respublica felix novorum saeculorum fautrix erit appellanda. Patriae enim servire videntur non sibi, qui dominantur, et omnes lautioris suae fortunae illecebras officio posthabere student. Omnes insuper oratores legibus ferendis, ex populi voluntate delecti, illuc omnino contendunt, ut magnam in suos utilitatem refundant, atque ea quae sunt omnibus commoda gerere unice consueverunt. Impotentem sic exterorum hostium civiumque rebellium audaciam se se fracturos esse confidunt. In his, ceteris circa populis admirantibus, Episcopus delectus est cum triginta et amplius sacerdotibus, qui, ingenio et caritate in patriam insignes, patriae integritatem ac prosperitatem defendunt. Ipsis enim nihil potius est quam ut sui libertatem in religione colenda obtineant, ne quis christiani Nominis pacem perturbet. Et ipse recentioris Reipublicae supremus moderator, vicinos populos in regni excidium identidem coniurantes metu coercere, et viam ad maiora suae reipublicae munire visus est...

Dum haec de Poloniae rebus exscribo, teterrimus nuncius improviso me deterruit. Secundus Reipublicae Polonorum praeses, ignivoma ballistula insidiose perculsus, in suorum amplexu miserrime occubuit. Res maxime dolenda, quaeque fortassis atrocitate hominum rerumque novitate nimis periculosa et novum imperium in mille coniuratorum angustias perpellet. Quod Deus avertat!

Ipsa vero tertii Praesidis electio adeo prospera fuit et tranquillis civium animis perfecta, ut adferat non modo spem, sed certam quamdam fiduciam de reipublicae firmitate et felicitate. Hic enim ingenium nactus vehemens, iuventutem suam in rebus publicis exercuit, quibus et sub externorum imperio interfuit.

Rerum publicarum peritissimus, magna cum laude et incredibili animorum concordia imperium suscepit. Seditione subito perempta, universis ordinibus adclamantibus in pacatam rempublicam regendam triumphans invehitur.

[1] Cfr. fasc. sup.

Qui Polonorum divitias camporumque fertilitatem norunt, feliciora omnino tempora eis adfutura esse praenuntiant. Hoc unum exoptandum, ne sibi haec bona invideant. Namque omnis regio amplissima et in agris colendis commode facile omnibus victum obtinet. Haec optime magna frugum parens dicenda. Sunt et sylvae, *stabula alta* ferarum, et arbores altissimae: prata amplissima, quae novis semper nitescunt coloribus, sunt et pinguia pascua passimque soluti

Per campos pascuntur equi...

Quid dicam de betarum cultu? Betae olim insipidae, ac fabrorum prandia ac nimis exprobandae, nunc in meliorem *frugem* crescunt, in agricolarum abundantiam coluntur, et nullo quasi labore omnes fortunant. Ab ipsis enim, ex facili recentiorum ingenio, *saccharum,* quod dicitur, extrahitur, magnum equidem divitiarum in dominos principium, quae in civium emolumentum, veluti amnis adsiduus, emanant.

Adsunt et alii prosperitatis fontes. Namque subterraneum solum est, plurimis de causis, citra omnium opinionem, ditissimum. Magnae ibi sunt *zinci* fodinae, salis, carbonis lapidei, et petrolei... Ex fodinis enim, quae in Silesiae agro mira arte atque industria, temporis progressu, sunt excavatae, pretiosissima carbonis lapidei quantitas in dies eruitur ad magnum reipublicae incrementum.

Qui olim, sub externo dominatu, praesertim si sacerdos, postularet ut fodinam hanc inviseret, quae laude, amplitudine rerum hominumque numero omnes excellit, haud penetrare illuc poterat, quin de se omne dubium expelleret. Re enim vera ea est vastitate, ut omnem superet exspectationem. Est urbs verax subterranea, cum via ex ferreis axibus constrata, cum vehiculis aptissimis huc illuc materiem deferentibus. Sunt mille et amplius operarii, qui, sepulti veluti in cavernis, integram hebdomadam in laboribus transigunt.

Plurima haec Dei bona in immensum populi incrementum manantia, futuram reipublicae abundantiam proxime promittunt. Qui vero rebus publicis praesunt, uno quasi consilio, in eamdem populi rationem amice conspirant. Uno verbo, in Polonorum imperio,

Spiritus intus alit, latosque infusa per artus,
Mens agitat molem, et magno se corpore miscet.

Hoc unum optandum, ne ad gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accedant, et maxima ac miserrima naufragia fiant. Ad hanc inter cives concordiam Polonis potissimum desudandum arbitror. Utinam omni studio praestantiores cives optimatum curam et prudentiam prosequantur, et qui in republica administranda illuc solum spectent, ut gens polona « opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta » nihil sibi ad felicitatem deesse reputet! Valete.

IOAN.

COMMUNIA VITAE

Priusquam novum caput aggrediar ex integro tractandum, placet hodie nonnulla verba indicare, quae ex graeco fonte deducta in hodiernos sermones invecta sunt, quum tamen suam exprimendi rationem apud Latinos haberent. Ea, *alphabetico* - ut hîc ad maiorem intelligentiam graeco vocabulo utar - ordine digesta, italica voce indicabo; plana tamen et aperta exteris gentibus erunt, apud quas paucas subierunt immutationes:

Accademia. - Litterarum sedes.
Acropoli. - Arx.

Alfabeto. - Litterae, Elementa.

Amnistia. - Impunitas, Praeteritarum rerum oblivio, Venia et oblivio.

Anfibio. - Anceps bestia; In utraque sede vivens.

Anonimo. - Sine nomine scriptus.

Antipodi - Qui adversis vestigiis stant contra nostra vestigia; Qui adversa nobis urgent vestigia.

Apologia. - Defensio.

Apoteosi. - Consecratio.

Aristocratici. - Optimates.

Aristocrazia. - Optimatium dominatus; Civitas quae optimatium arbitrio regitur.

Armonia. - Concentus, Consensus, Convenientia.

Ateo. - Qui Deum esse negat.

Assioma. - Enunciatum, Effatum, Decretum.

Atomo. - Corpusculum.

(Ad proximum numerum).

I. F.

CARMEN SAECULARE [1]

Euge Verbani lacus inter oras
Tot bonis felix regio Canobi!
Saeculo exacto quater, hîc patrata
Mira revertunt.

Iam frequens adstat populus Patroni
Aede Victoris, pia iamque libans
Per vias pagi plateamque ductae
Gaudia pompae.

Desilit sensim tholo ab aedis arca
Divite ornatu pretiosa, Costam
Obserans, princeps decus incolarum
Prodigialem.

Clerus accedit, gravis ore Pastor
Osseam Costam rubeo decorus
Pallio in palmis recipit linitis
Nobile pondus.

Turba Confratrum simul et Sororum
Vestibus coetus redimita sacri,
Sospitis divi aere signa tollens
Ordine constat.

Circuens agmen graditur; triumphant
Semitae aulaeis; rutilant fenestrae
Compita et lychnis; iterantur hymni
Vota precesque.

Interim tinnit sonitus nolarum,
Cui statim montis sociatur echo;
Tibiae argutae moduli tubaeque
Corda relaxant.

Pompa init tandem popularis aedem:
Costa cum mappis roseis cruore
Ecce in altari: pia plebs adorat
Poplite flexo.

Rite mox Sacrum celebrat sacerdos,
Quod Patres nostri pepigere Templo,
Suave cui Sanctae Pietatis ex tunc
Nomen inhaesit.

Pignus oh divum! socialis ordo
Nutat instinctis odio popellis;
Tu simul dites inopesque iunge
Vinculo amoris.

Omnia in Christo renoventur, inde et
Floreant mores: cito tunc redibit
Alma pax: faxit Deus, o beata,
Te auspice, Costa!

Mediolani.

CAESAR MAMBRETTI.

[1] Scripsi IV nuper remeante saeculo ex quo Canobii, in pago ad lacus Verbani litus, singulare Ss. Pietatis prodigium caelitus refulsit: rudiore nempe supra Christi patientis pergamena, eiusque Matris et Ioannis Evangelistae imaginem referente, sanguinis guttulae effatim sunt effusae, atque ossea Costa ex latere Christi fodicato sese improviso proripuit.

ANNALES

Lausoniensis conventus.

Lausoniensis conventus de pacis foedere inter Turcas atque Graecos constituendo si, in laboribus suis pergens, multa agitavit, non quidem multa expedivit, hinc Turcis inde Russis, quorum etiam legati in conventu sunt, impedimenta obiicientibus, praesertim de fretorum libertate in Thracico Bosphoro et Propontide. Disputatum quoque est, quamquam hîc etiam sine decretorio successu, de captivorum permutatione, de agendi ratione circa exteros cives in Turcarum imperio commorantes, et de minorum gentium cum Turcis viventium protectione.

Dum vero Lausonii consulitur, paterna Pii XI P. M. charitas Armeniorum orphanorum patrocinium re suscipit, puellasque parentibus atrociter orbatas apud se vocat, easque, quadringentarum et quinquaginta numero, in Pontificiis aedibus ad Castrum Gandulfi munifice collocat.

***

Londinensis oeconomicus coetus.

Neque meliorem exitum coetus est sortitus, qui Londini convenit, ut oeconomicas quaestiones dirimeret, eas scilicet quae tum ad belli damna reficienda spectarent, tum ad mutuam debitorum remissionem Vix vero alius post alium legati mentem suam aperuere, ulterius procedere impossibile apparuit; itaque omnia ad secundam Ianuarii mensis diem an. MCMXXIII sunt dilata.

***

Varsaviensis conventio de armis deponendis.

Ex adverso conventio a Polonis Varsavia in urbe congregata, ut finitimi populi inter se de deponendis armis pacisce-rentur, satis prospere cessit. Firmata enim uno animo pactio est, qua singuli ipsi populi promisere ad certum tempus minime facturos ut quisque vicinum suum armis aggrediatur.

***

Polonorum reipublicae praeses nefarie interemptus.

Verum, paucis post diebus, Polonica gens gravem luctum perpessa est: novus enim reipublicae praeses Narutowich proditorie a pictore quodam petitur, et manuballistae ictibus nefarie interimitur. Iustis funebribus infelici viro persolutis, die vigesima mensis Decembris populi legatorum suffragio in eius locum suffectus est Nicolaus Woyciechowski.

***

Graecae et Hibernicae res.

Post infandum publicorum administrorum iudicium, de quo in superiore recensione nostra mentionem fecimus, factiosi Graeci illi proditionis Andream, regalem principem, accusare non dubitarunt. Eum militari quovis munere destitutum, in perpetuum exilium damnavere. Is apud Anglos se recepit.

In Hibernia die VI mensis Decembris constitutio de Hibernico libero statu suam auctoritatem assumpsit, suprema civitatis gubernatione, regio decreto, Healis, publicis ferendis legibus apud Anglicum coetum iam Hibernorum legato, concredita. Sic ei et Hibernorum populo fortunet Deus!

Kal. Ianuariis MCMXXII.

POPLICOLA.

Non valde gaudere debemus quando laudamur, nec contristari quando vituperamur; quia nec depravare iniuriam, nec coronare potest laus.

S. AUGUSTIN. *in Epist.*

ROMA SACRA

SSmi D. N. Pii Pp. XI litterae encyclicae *Ubi arcano* de pace Christi in regno Christi quaerenda.

Die XXIII superioris mensis Decembris MCMXXII in orbem universum editae sunt litterae encyclicae, quas Pius Pp. XI in consistorio d. XI eiusdem mensis nunciaverat de pace Christi in regno Christi quaerenda, tamquam regni sui compendio atque signo.

Initium hae ducunt ab eventibus, tum tristibus cum laetabilibus, quae litteris ipsis moram attulere; quibus enumeratis, in mentem omnium Pater sanctissimus revocat, « nec hominibus singulis, nec populis, post illam belli calamitatem, adhuc pacem veri nominis esse quaesitam; actuosamque et fructuosam tranquillitatem, quam omnes expetunt, adhuc desiderari. Sed huius mali accurate primum attendenda est magnitudo et gravitas, tum causae et semina perscrutanda, si quis velit - ut Pontifex vult - opportunam ei medicinam admovere ».

* * *

Atqui « mirum quam apte ad hanc aetatem quadrant illae voces prophetarum: *Exspectavimus pacem, et non erat bonum: tempus medelae, et ecce turbatio.*[1] *Tempus curationis, et ecce turbatio.*[2] *Exspectavimus lucem, et ecce tenebrae: ... iudicium, et non est; salutem et elongata est a nobis*[3] ». Etenim, positis dudum per Europam armis, tamen sciunt omnes « Oriente proximo novorum pericula bellorum ingruere; ibidemque per immensos terrarum tractus ... omnia plena horrorum esse et miseriarum, quum ingens calamitosorum quotidie multitudo, senum praesertim mulierumque et puerorum, fame, pestilentia, vastationibus intereat: quacumque autem nuper belligeratum est, veteres nondum quievisse simultates easque exerceri vel dissimulanter in politicis, vel tecte in rei nummariae varietatibus, vel patenter in quotidianis periodicisque scriptionibus; vel in ipsos invadere fines earum rerum, quae suapte natura nihil habent acerbae contentionis, ut sunt artium studia et litterarum. Hinc inimicitiae offensionesque rerum publicarum mutuae populos respirare non sinunt; nec solum victi cum victoribus populis, sed etiam qui vicerunt, ipsi inimice inter se agunt, quum alteri se a maioris oppressos et exhaustos, alteri se minorum odiis insidiisque appetitos conquerantur. Incommoda autem confecti belli omnes omnino sentiunt civitates; maxima quidem eae quae subactae sunt; sed non exigua vel illae quae bello abstinuerunt. Eademque, ob medicinae moram, in dies intolerabiliora fiunt; praesertim quum ea quae ab hominibus politicis pluries usque adhuc instituta sunt consilia et conata rebus medendi causa, nullum atque etiam opinione deteriorem exitum habuerint. Quare, ingravescente formidine ne calamitosiora posthac oriantur bella, necessitas quaedam omnibus civitatibus nascitur in bellico apparatu vivendi: ex quo cum exhauriuntur aeraria, tum generis robur consumitur, tum etiam et doctrinae studia et religionis consuetudo et morum disciplina perturbatur ».

Ad externas autem populorum inimicitias adiunguntur, quod peius est, intestina discidia, quibus et status civitatum et ipsa societas civilis periclitatur. Et « primo loco ponenda est illa ordinum inter ipsos dimicatio, quae quasi ulcus mortiferum iam inveteravit in sinu nationum, operas, artificia, commercia, omnia denique privatae publicaeque prosperitatis elementa vulnerans. Atque huiusmodi labem usque reddit perniciosiorem accrescens bonorum externorum hinc aviditas, illinc tenacitas, et commune utrique parti habendi studium et imperandi. Inde operum vel voluntariae vel coactae cessationes saepe gignuntur: inde etiam populares motus coërcitionesque publicae magna cum molestia omnium et detrimento. Deinde in re publica fere solent partes, non, pro opinionum varietate, commune bonum sincere spectantes, inter se contendere; verum propriis servientes utilitatibus in perniciem ceterorum. Ergo cernere licet ut coniurationes increbrescant, ut insidiae, ut latrocinia in cives in ipsosque magistratus, ut terrores ac minae, ut apertae seditiones, ut alia id genus eveniant, quae quidem eo sunt graviora, quo amplius rem publicam populus, ut in his reipublicae formis, participat. Quas formas etsi Ecclesiae doctrina - ut cetera quae iure et ratione sunt instituta - non reiicit, tamen inter omnes liquet eas factionum improbitati facile patere.

« Iamvero valde dolendum est huiusmodi luem alte ad ipsas humanae societatis radices penetrasse, id est ad convictum domesticum, cuius quidem eversionem iam pridem inchoatam, multum promovit immensa belli clades, patres filiosque familias procul dissipando, morumque corruptelas multis modis augendo. Ita neque in honore solet esse patria potestas, neque in pretio consanguinitas, heri famulique hostium loco inter se habent, ipsa coniugii fides nimio saepius violatur, et sancta coniugum officia erga Deum civilemque societatem negliguntur ».

Quae quidem mala unde humana consortio societasque domestica aegrotat, in homines singulos consentaneum est redundare: itaque et inquieti maxime animi, morosi, difficiles; et obediendi fastidium; et impatientia laboris; et feminarum puellarumque levitas, in vestimentis choreisque praesertim verecundiae fines late pertransiens; et inopum odia luxuriosore cultu concitata; aerumnosorum denique numerus, ex quo agmini seditiosorum perpetue ingentesque accessiones fiunt. Non igitur mirum si eo devenimus, ut multis partibus ipsa quae sit christianis digna vivendi consuetudo desideretur, et humana societas ad barbarorum feritatem regredi videatur. His denique omnibus malis addenda sunt, quasi in cumulum, damna proprie facta in genere rerum spiritualium et supernaturalium, quibuscum animarum vita coniungitur: nempe, praeter late fusam christianorum officiorum eam oblivionem, templa in profanos usus bello conversa, nec adhuc sacris reddita, plura seminaria clausa, sacerdotum fere ubique extenuata copia, usque ad sacrarum missionum stationes ...

* * *

Unde vero tantae iacturae causae exstitere? Profecto *Omnia haec mala ab intus procedunt.*[1] Etenim sollemni utique pacto inter belligerantes convenit pax; « sed illa consignata est publicis tabulis, non in animis inscripta hominum; vivunt ibi etiamnunc bellici spiritus atque inde civilem in convictum perniciose quotidie magis redundant. Diutius enim usque quaque violentiae ius exsultavit, atque in hominibus eos natura insitos, quos christianae caritatis lex perfecerat, benignitatis misericordiaeque sensus paullatim obstupefecit; eosdemque haec pacis reconciliatio, specie facta, non re, minime redintegravit. Ita apud longe plurimos diuturna invidendi consuetudo vim naturae iam obtinet; et coeca illa lex dominatur, quam Paulus Apostolus in membris suis legi mentis repugnantem ingemiscebat. Frequentius igitur evenire solet, ut homo homini non, ex Christi praecepto, frater, sed extraneus videatur et hostis; dignitatis ipsiusque personae humanae ratio paene habeatur nulla, vis dumtaxat valeat et numerus; alteri alteros opprimere contendant ob eam causam, ut bonorum huius vitae quantum possint potiantur. Scilicet nihil pervulgatius est inter homines quam bona sempiterna, quae Christus Dominus per Ecclesiam suam continenter proponit omnibus adipiscenda, negligere, et fluxarum rerum et caducarum adeptionem insatiabiliter appetere. Atque hoc habent bona externa ut, si immoderate appetantur, omne genus malorum pariant, depravationem morum imprimis et discordias. Etenim, ut per se vilia sunt et abiecta, animum

[1] Ier. VIII, 15.
[2] Ier. XIV, 19.
[3] Is. LIX, 9, 11.

[1] Marc., VII, 23.

sane non possunt explere hominis, quem a Deo factum destinatumque ad Dei fruendam gloriam necesse est sollicitum semper et inquietum vivere, donec in sinu Dei conquiescat.

« Praeterea, quum eadem sint augustis plane finibus circumscripta, quo plures fuerint qui ea participent, eo minus singuli accipient; contra, ea quae sunt spiritus, etsi inter plures dispertita, tamen, omnes locupletando, non ideo deminuuntur. Ex quo efficitur, ut terrenae res, quia nec omnibus aeque satisfacere nec plene exsaturare ullum possunt, idcirco et discidiorum evadant causae et aegritudinum, vereque *vanitas vanitatum et afflictio spiritus,*[1] quemadmodum eas sapientissimus omnium Salomon expertus appellavit. Id quod societati hominum accidit non secus ac singulis. *Unde bella et lites in vobis?* inquit Iacobus Apostolus, *nonne hinc, ex concupiscentiis vestris?* ».[2]

Scilicet *ex concupiscentia carnis*, idest voluptatum cupiditatibus; *ex concupiscentia oculorum*, idest habendi cupiditate; *ex superbia vitae*, idest studio ceteris omnibus dominandi. Atque huic quidem intemperantiae cupiditatum, specie scilicet se boni publici et caritatis patriae obtegenti, tribuendae profecto sunt et quae inter nationes solent inimicitiae simultatesque exsistere.

« Verum, quod pax abfuerit hodieque, cum tot sanatione malorum, desideretur, id altius etiam, quam adhuc fecimus, repetendum est. Iam enim multo ante quam Europa bello flagraret, vitio hominum civitatumque, praecipua tantarum calamitatum effectrix causa invalescebat, quam ipsa conflictus immanitas submovere de medio ac tollere certe debebat, si quidem omnes intellexissent quid maximis eiusmodi eventis significaretur. Illud Scripturarum quis ignorat? *Qui dereliquerunt Dominum consumentur;*[3] nec nota minus Iesu, Redemptoris hominum et magistri, ea gravissime dicta: *Sine me nihil potestis facere,*[1] itemque: *Qui non colligit mecum, dispergit.*[2]

« Quae Dei iudicia quum omni tempore ad effectum adducta sint, nunc maxime sub omnium oculis efficiuntur. Quod enim homines a Deo et Iesu Christo misere desciverunt, idcirco de pristina rerum felicitate in hanc malorum colluviem demersi sunt, et hac ipsa de causa cadit plerumque irritum quidquid ii moliuntur ut damna reparent, et quantum ex tot ruinis reliqui est, tueantur. Itaque Deo et Iesu Christo a legibus et re publica submoto, iam non a Deo derivata, sed ab hominibus auctoritate, factum est, ut, - praeterquam quod legibus verae solidaeque sanctiones interceptae sunt summaque iusti principia, quae vel ethnici philosophi, ut Cicero, tantummodo lege Dei aeterna contineri perspiciebant - ipsa praeterea auctoritatis fundamenta convellerentur, principe sublata causa, cur aliis ius esset imperandi, aliis autem officium parendi. Ex quo totam oportuit concuti societatem humanam, nullo iam solido fultam columine et praesidio, factionibus de imperio certantibus, ut suis, non patriae, commodis prospicerent ».

Quae inter praesidia habendum imprimis est familiae fundamentum ex matrimonio, quod Christus *sacramentum magnum* fecerat, nunc vero inter civiles pactiones reiectum est, cum domestici ordinis ac domesticae pacis, imo familiae communionis stabilitatisque eversione. Ab institutione pariter iuventutis Deum et Christum eius segregari visum est; ex quo necessario est consequutum, « ut religio non tam a scholis abesset, quam in scholis tacite vel etiam aperte oppugnaretur, et pueri sibi persuaderent, nihil aut certe parum ista omnia ad bene vivendum valere, de quibus aut nullus haberetur sermo aut verba utique plena contemptionis fierent. Ita vero, Deo eiusque lege e disciplina studiorum exsulantibus, iam non intelligitur quo pacto adolescentulorum

[1] *Eccle.* I, 2, 14.
[2] Iac. IV, 1.
[3] Is., I, 28.

[1] Io., XV, 5.
[2] Luc., XI, 23.

animi ad malum devitandum atque ad aetatem honeste sancteque agendam institui possint; et simul, quemadmodum domestico et civili convictui copia suppetat hominum, qui sint bene morati, ordinis pacisque amatores et ad communem idonei utilesque prosperitatem ».

* * *

Malorum causis, quibus hominum premitur societas ita revocatis, Pontifex apta societati sanandae remedia in medium adducit.

« Primum igitur omnium - ait - necesse est animos pacari hominum. Neque enim valde profutura sit ea exterior pacis species, qua, quasi comitate quadam, eorum inter se consuetudo regitur atque informatur, sed tali opus est pace, quae pervadat tranquilletque animos, eosque ad fraternam erga ceteros benevolentiam inclinet et componat. Eiusmodi autem non est nisi pax Christi: *Et pax Christi exsultet in cordibus vestris;*[1] nec alia et dissimilis esse queat pax, quam dat ipse suis[2] quum, Deus ut est, vel in medullas intueatur[3] inque animis regnet. Bene suam, ceterum, Dominus Iesus appellare hanc potuit pacem, qui primus hominibus edixerit: *Omnes vos fratres estis;*[4] et legem promulgaverit mutuae inter universos omnes caritatis et patientiae, suo ipsius sanguine veluti obsignatam: *Hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut ego dilexi vos*[5] - *Alter alterius onera portate et sic adimplebitis legem Christi.*[6]

« Inde profecto consequitur, germanam Christi pacem non posse ab iustitiae norma deflectere, tum quia est Deus ipse qui *iudicat iustitiam,*[7] tum quia *opus iustitiae pax;*[8] verum nequit eadem tantummodo dura et quasi ferrea constare iustitia, sed temperari utique debet haud minore caritate, quae quidem virtus nata apta est ad homines cum hominibus placandos. Itaque huiusmodi pacem Christus humano generi comparavit, immo etiam, ut tam nervose Paulus, *Ipse est pax nostra,* quia quum divinae satisfaceret iustitiae in carne sua per crucem, interfecit *inimicitias in semetipso, ... faciens pacem*[1] et omnes atque omnia Deo in se reconciliavit; atque in ipsa redemptione non tam Paulus iustitiae, ut demum est, quam divinum reconciliationis et caritatis opus considerat atque agnoscit: *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi;*[2] *sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret.*[3] Ad rem aptissime, ut solet, scribit Angelicus Doctor, veram germanamque pacem ad caritatem potius quam ad iustitiam pertinere, quum haec quaecumque pacem impediant removeat, ut iniuriam, ut damna, pax vero sit proprie ac peculiariter caritatis actus ».[4]

Ad pacem igitur Christi, « quae, a caritate profecta, penitus in animo insidet, ea iure accommodantur quae de regno Dei, qui sane per caritatem animos possidet, habet Paulus: *Non est regnum Dei esca et potus;*[5] idest pax Christi non caducis bonis, sed spiritualibus sempiternisque alitur, quarum excellentiam ac praestantiam Christus ipse, quum patefecit mundo, tum hominibus suadere non cessavit ». Nec quidem qui pace eiusmodi frui velit, is bona huius vitae repudiare debet; quin etiam his, ex ipsa Christi promissione, affluet: *Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adiicentur vobis;*[6] sed pax Dei debet esse, quae exsuperet omnem sensum,[7] et hac prorsus de causa caecis imperat cupiditatibus, et dissensiones discordiasque devitat, quas lidibo habendi necessario gignit.

[1] *Col.*, III, 15.
[2] Io., XIV, 27.
[3] I *Reg.*, XVI, 7.
[4] Matth., XXIII, 8.
[5] Io., XV, 12.
[6] *Gal.*, VI, 2.
[7] *Ps.* IX, 5.
[8] Is., XXXII, 17.

[1] *Eph.*, II, 14 ss.
[2] II *Cor.*, V, 19.
[3] Io., III, 16.
[4] 2a 2ae, q. 29, III ad 3um.
[5] *Rom.*, XIV, 17.
[6] Matth., VI, 38; Luc., XII, 31.
[7] *Phil.*, IV, 7.

Refrenatis autem virtute cupiditatibus, redditoque honore suo iis quae sunt spiritus, illud sponte sequetur commodi, ut christiana pax, quum integritatem morum afferat, tum humanae personae dignitatem illustret; quin etiam et ordinem, legem imperiumque salva esse iubeat. Si quis enim animadvertat, « quae Christi consilia atque instituta essent de humanae dignitate personae, de morum innocentia, de obediendi officio, de societatis hominum ordinatione divina, de sacramento matrimonii deque familiae christianae sanctitudine, haec, inquimus, et talia dogmata quae de caelo in terras detulisset, ipsum Ecclesiae dumtaxat suae tradidisse et quidem cum pollicitatione solemni opis praesentiaeque nunquam defuturae, eidem mandasse ut universis gentibus usque ad finem saeculorum, magistra fallendi nescia, nuntiare non desisteret, is profecto intelliget, quid et quantum afferre remedii ad res mundi pacificandas Ecclesia catholica et possit et debeat »,

Nam « quia una divinitus constituta est harum veritatum praeceptorumque interpres et custos, in ipsa unice vera et inexhausta quaedam facultas inest, ut quum a communi vita domesticaque societate et civili *materialismi* maculam, quae tanta ibi iam fecerat damna, prohibeat, christianamque disciplinam de spiritu, seu de animis hominum immortalibus, philosophia multo potiorem, eodem insinuet: tam ut omnes inter ipsos ordines civium ac plebem universam altioris quodam benevolentiae sensu et *quadam quasi fraternitate* [1] coniungat, ac singulorum quoque dignitatem hominum, iure vindicatam, ad Deum ipsum extollat; tum denique curet, ut, publicis privatisque moribus emendatis, sanctiusque institutis, omnia Dei qui *intuetur cor,* [2] plene subiecta, eiusdem et doctrinis et legibus penitus informentur atque ita omnibus sacri conscientia officii imbutis animis hominum, sive privatorum sive principum, ipsisque ordinibus publicis civilis societatis, *sit omnia et in omnibus Christus* ». [1]

Quamobrem « quum unius Ecclesiae sit, ex veritate qua pollet et virtute Christi, hominum recte conformare animos, ea sola potest veram Christi pacem non modo in praesens conciliare, sed etiam confirmare in posterum tempus, nova, quae ingruere diximus, bellorum pericula propulsando. Una enim, divino mandato iussuque, docet Ecclesia ad aeternam Dei legem omnia debere homines exigere, quaecumque ipsi agant, publice aeque ac privatim, singuli pariter ac societate coniuncti. Quae autem ad salutem multorum pertinent, apparet longe maioris esse momenti.

« Quum igitur et civitates et respublicae sanctum et solemne habuerint, vel in domesticis vel in externis rationibus, doctrinis praescriptisque Iesu Christi obsequi, tum demum et apud se pace fruentur bona et mutua utentur fiducia, controversiasque, si quae forte suboriantur, pacifice diriment. Quod si in hoc genere aliquid ad hunc diem tentatum est, id aut nullum, aut exiguum sane successum habuit, maxime in iis rebus quibus inter se acerbius populi conflictantur. Etenim nullum est institutum hominum quod universis imponere gentibus queat communium quemdam Codicem legum, his consonum temporibus, cuius generis habuit, aetate media, vera illa nationum societas, quae christianorum populorum communitas fuit. In qua, etsi re saepius omnino violabatur ius, ipsius tamen iuris sanctitas manebat in causa vigens, tuta veluti norma ad quam nationes ipsae iudicarentur ».

At « divinum est institutum, quod iuris gentium sanctitatem custodire potest; institutum scilicet et ad nationes omnes pertinens et nationibus supereminens omnibus maxima quidem praeditum auctoritate ac plenitudine magisterii venerandum, Ecclesia Christi: quae una ad tantum idonea munus apparet tum ex

[1] S. August., *De moribus Ecclesiae Catholicae,* I, 30.
[2] *Reg.* XVI, 7.

[1] *Coloss.* III, 1.

divino mandato, tum ex natura ipsa et constitutione sua, tum denique e tanta saeculorum maiestate, ne belli quidem tempestatibus oppressa, sed potius mirabiliter aucta. Sequitur igitur ut pax veri nominis, nimirum optatissima pax Christi exsistere nulla possit, nisi Christi doctrinae, praecepta, exempla fideliter teneantur ab omnibus, in publicis privatisque vivendi rationibus; atque ita, hominum recte instituta communitate, Ecclesia tandem, divino suo munere fungens, Dei ipsius, quotquot sunt iura, tum in singulos homines, tum in hominum societatem tueatur ».

* * *

His quidem contineri docet Pontifex, quod brevi dicit *Regnum Christi,* idque regnum haberi in mentibus singulorum hominum, in societate domestica, in societate civili; itaque nullam esse Christi pacem nisi in regno Christi; nec vero posse se contendere efficacius ad pacem constabiliendam, quam Christi regnum instaurando.

Ad quem finem consequendum Christi in terris Vicarius, dum bonorum omnium auxilium se exspectare profitetur, imprimis Venerabiles Antistites fratres suos appellat, eorumque pietatem laudat atque excitat tum ad promovenda et provehenda, tum ad amplificanda et perficienda opera, quae animos vel sanis doctrinis instruant vel virtutibus ac sanctitate imbuant, quorum plura enumerat et in summa demum complectitur institutorum, consiliorum et operum quae nomine *actionis catholicae,* sibi carissimae, perhibentur. Verba porro paternae dilectionis plena erga regularem Clerum habet, quem pium, sollertem doctumque invocat. Hic vero novum malum caveat. Quot enim hodie sunt, « qui catholicas doctrinas profiteantur in iis quae spectant vel ad civilis societatis auctoritatem debitumque obsequium eidem habendum, vel ad ius proprietatis, vel ad agricolarum et opificum iura et officia, vel ad necessitudines civitatum inter ipsas aut inter opifices et dominos, vel ad rationes mutuas inter ecclesiasticam potestatem civilemque, vel ad Sanctae Sedis iura Romanique Pontificis atque ad Episcoporum privilegia vel ad ipsa denique iura Christi Conditoris, Redemptoris ac Domini in homines singulos populosque universos? Iidem vero sermonibus, scriptis, omnique vivendi ratione haud aliter se gerunt ac si doctrinae praeceptaque toties a Summis Pontificibus, a Leone XIII praesertim, Pio X ac Benedicto XV, promulgata, aut nativum robur amisissent aut penitus obsolevissent ». In quo genus quoddam modernismi moralis, iuridici ac socialis est agnoscendum; quod quidem, una cum modernismo illo dogmatico, impense Pontifex reprobat.

Praeterea Supremus Pastor ad eos convertit oculos, qui vel Christum penitus ignorantes, vel non eius integram germanamque doctrinam praescriptamve unitatem retinentes, necdum *sunt de hoc ovili,* ad quod tamen divinitus destinantur. « Faxit Deus - ita Ille ad Episcopos iterum conversus – ut quod Nos vobiscum, venerabiles fratres, vestroque cum coetu Christifidelium concordibus votis precibusque imploramus, hanc suavissimam divini Cordis certamque vaticinationem quamprimum videamus optatissimo eventu comprobatam.

« Huius autem – pergit - religiosae unitatis veluti auspicium quoddam affulsisse visum est quum illud accidit... praeclare factum, hoc quidem extremo tempore, omnibus inexpectatum, nonnullis etiam fortasse iniucundum, Nobis certe vobisque iucundissimum: principes plerosque viros ac nationum rectores paene omnium, uno veluti instinctu pacis permotos, cum hac Apostolica Sede seu veterem revocare amicitiam, seu primum pacisci concordiam quasi certatim voluisse. Quod equidem Nos iure gaudemus, neque id propter amplificatam solum Ecclesiae auctoritatem, sed ob auctum etiam eiusdem beneficentiae splendorem, subiectamque omnibus experientiam virtutis sane mirificae, qua haec una Dei Ecclesia valet ad prosperitatem omnem, civilem etiam ac terrenam, hominum societati

comparandam. Quamquam enim ea, divino iussu, recta spiritualibus nec perituris bonis intendit, tamen, ut omnia sunt apta inter se ac nexa cohaerent, prosperitati etiam terrenae tum singulorum hominum, tum ipsius humanae societatis sic favet, ut plus favere minime posset, si iisdem omnino provehendis instituta esse videretur. Quod si terrenis hisce negotiis mereque politicis moderandis, sine ratione, se immiscere nefas putat Ecclesia, eodem tamen iure suo contendit ne quid inde causae praetendat civilis potestas, sive altioribus illis bonis, quibus salus hominum sempiterna continetur, quoquo modo obsistendi, sive damnum perniciemve iniquis legibus iussisque intentandi, sive divinam Ecclesiae constitutionem labefactandi, sive denique sacra Dei ipsius iura in civili hominum communitate conculcandi ».

Eodem igitur prorsus proposito, iisdem etiam verbis usus, quibus Benedictus XV, in extrema illa sua Allocutione die 21 Novembris superioris anni habita, quae fuit de rationibus mutuis Ecclesiam inter et civilem societatem ordinandis, sancte professus est, et Ipse profitetur ac denuo confirmat: « in pactiones huiusmodi Nos minime passuros ut quidquam irrepat quod sit ab Ecclesiae alienum dignitate aut libertate; quam quidem salvam esse atque incolumem vehementer interest, hoc maxime tempore, ad ipsam civilis convictus prosperitatem ».

* * *

Quae quum ita sint, « quo animi dolore – ingemit Pater – in tot nationum numero, quae cum hac Apostolica Sede amicitiae vinculis continentur, Italiam deesse videamus, vix opus est dicere; Italiam inquimus, patriam Nobis carissimam, a Deo ipso, qui rerum omnium temporumque cursum atque ordinem sua providentia gubernat, delectam in qua Vicarii sui in terris sedem collocaret, ut haec alma urbs, domicilium quondam imperii amplissimi, sed tamen certis quibusdam circumscriptis terminis, iam totius orbis terrarum caput evaderet. Quippe quae divini Principatus sedes, omnium gentium nationumque fines sua natura transcendentis, populos omnes nationesque complectatur. At vero tum huius principatus et origo et divina natura, tum universitatis Christifidelium in toto orbe degentium ius sacrosanctum postulat, nulli ut idem sacer Principatus humanae potestati, nullis legibus (licet hae Romani Pontificis libertatem quibusdam praesidiis seu cautionibus communire polliceantur) obnoxius esse videatur, at sui penitus iuris ac potestatis et sit et manifesto appareat. Verum illa libertatis praesidia, quibus divina ipsa providentia, humanarum rerum gubernatrix atque arbitra, non solum sine detrimento, sed magno cum Italiae emolumento, Romani Pontificis auctoritatem communiverat; praesidia illa quae tot saeculis divino eiusdem libertatis tutandae consilio apte responderant, quorum nec divina hodiedum Providentia indicavit neque hominum consilia quidquam simile invenerunt quod eadem praesidia congruenter compensaret; praesidia illa hostili vi protrita atque etiamnunc violata absonam eam Romano Pontifici vitae condicionem effecerunt quae omnium Christifidelium per orbem universum animos gravi perpetuaque tristitia perfundat ». Is igitur, Decessorum suorum heres ut consiliorum ita et officiorum, eademque praeditus auctoritate, cuius solius est de re tanti momenti decernere, non equidem inani quadam terreni regni cupiditate adductus, verum de humano exitu cogitans, memor severissimae rationis, quam divino Iudici redditurus est, pro Sui sanctitate officii, quas iidem eius Decessores ad iura Apostolicae Sedis dignitatemque defendendam expostulationes fecerunt, easdem ipse hoc loco renovat.

« Ceterum - ait - nihil erit unquam Italiae ab Apostolica Sede metuendum detrimenti; siquidem Pontifex Romanus, quicumque demum ille fuerit, is profecto semper erit qui illud Prophetae ex animo usurpet: *Ego cogito cogitationes pacis et non afflictionis,*[1] pacis, inquimus, verae ac propterea minime a iustitia seiunctae, ut iure possit subdi: *Iustitia et pax osculatae sunt.*[1] Dei autem omnipotentis miserentisque erit efficere ut haec laetissima dies tandem eluceat; bonorum omnium fecundissima tum regno Christo instaurando, tum Italiae rebus universique orbis componendis: ne vero id frustra fiat, omnes qui recte sentiunt, dent operam diligenter ».

Quae suavissima pacis munera quo citius hominibus tribuantur, Christifideles omnes Pius Pp. XI adhortatur, ut una cum Eo sanctis precibus insistant, per hos praesertim dies Natalis Christi Domini *Regis Pacifici;* eiusque pacis quasi pignus vult esse Apostolicam Benedictionem, quam universo orbi in finem amantissime impertit.

[1] Ier., xxix, 11.

[1] *Ps.* lxxxiv, 11.

VACUI TEMPORIS HORA

Novus ecce **annus** cum kalendis Ianuariis ingreditur. Num vero cogitastis unquam, quando et quanam ratione hac die novus annus initium duxerit? Constat enim, non aliter atque Graecos, maiores nostros ex veris aequinoctio annos numerasse. Serius tamen, idest anno ante Christum natum cliii, Romani anni originem constituerunt una cum die, qua consules magistratum inirent; quumque id fieret primo mensis die Iano dicati, inde accidit ut novus annus kalendis Ianuariis inciperet.

Quamquam huiusmodi mos, subsequentibus saeculis, immutationes est passus. Merovingiis enim imperantibus kalendae Martiae anno caput faciebant; Carolingiorum tempore dies Christi natali sacra, et Capetorum Paschatis dies. Anno tandem mdlxiii, Carolo IX regnante, kalendae Ianuariae in honorem suum redditae sunt. Ubique ne? Minime gentium. Apud Anglos nempe Idibus Martiis honor idem est attributus, dumque hi anno mdccli communi usui acquiescunt, Galli publicarum rerum eversionem exspectant, quo anni initium ad vigesimam Septembris diem transferant.

Ecquid? An putas nostris saltem diebus unum et idem populos omnes de re sentire? Falleris. Hebraei enim ex prima *Tisri* die, quae superioris mensis Septembris die xxiii intercidit, annum suum mmmmmdclxxxiii hodie numerant, Mahumethanis die xxiv mens. Augusti mcmxxii primum suum *Muharram* anni mcccxli a Mahumethi aegyra celebrarunt; Christiani autem Copti primum *Mascarem* anni mcmxv die decima prima mensis Augusti eiusdem anni mcmxxii.

In extremis quoque Orientis regionibus anni caput in kalendas Ianuarias non incidit, immo vero in primam primae lunae diem, ita ut nunc primis, nunc postremis Ianuarii mensis intercidat; in Siamensi autem imperio in kalendas Apriles, quamquam iam ab anno mdccclxxxviii mensium ac dierum ordine non a nostro valde dissimili illic utantur; duodecim enim sunt menses, triginta atque triginta diebus et uno constantes, Februarius identidem duobus diebus suis claudicat, profecto quum annus non supervenit intercalaris.

Ceterum per orbem universum quo die annus sumit initium, bona omina et strenas alter alteri offerre solet; de quibus dicerem, nisi longius quam ut debet, evaderet sermo: hunc itaque ad proximum ineuntem annum, quem spero me et vos, o lectores mei fidelissimi, sospites et incolumes inventurum, delego. Quum autem nec in potestate mea sit dono aliquo vos gratificari, unumquemque vestrum participem votorum volo, quae, pro sua humanitate, eleganti hoc epigrammate Alafridus Bartoli, doctor latinis litteris tradendis in Melitensi athenaeo, ad annum mcmxxiii feliciter auspicandum, mihi dicavit:

Te sine, cui cupio, Iano redeunte, salutem:
quidquid aves, votis ut potiare tuis.
Ingenium studiumque bonas de more per artes
diligit excultum Musa latina tuum:
quodque inde insolitum romane mittitur omen,
quae fuerit memori sitque futura scio

Roma tibi, accipias animo ut videaris inisse
annum romane, fortiter ergo, novum,
roboris antiqui specimen dum rite resumptos
Italicis fasces orbis uterque stupet!

***

Et ad Bernerium transeamus. Eos hodie nobis describit, **qui publicis in plateis assatas vendunt castaneas,** scena tam adhuc praesenti, ut non longe a mea domo ipsi mihi singulis vesperis eam videre liceat:

Castaneas, quas vulgus in Urbe, et ubique [locorum
Concoquit hyberno tempore, Musa canit.
Cauponae ante foras mos est hanc vendere [mercem;
Ferrea stat triplici machina recta pede:
Haec ignem claudit, parvae fornacis ad in- [star;
Assiduo modicus manat ab igne calor.
Huic super imposita est quoque ferrea, lata, [rotunda
Lamina contiguis plena foraminibus.
Virgae non impar ferrum producitur uno
Ex latere, ut pondus ferre sit apta manus.
Castaneas medio vi ferri in cortice sectas
Hic ponit vendens ore, manuque niger.
Interea cortex paullatim assatur ab igne;
Est pars, quae ferrum tangit, adusta magis.
Protinus erecta sartagine venditor effert
Castaneas, variant motibus hisce locum.
Confusas miscet subtus supraque revolvens;
Quaelibet ascendit, quaelibet inde redit.
At res mira quidem, et virtus admiranda mi- [nistri:
Castanea his nunquam motibus illa cadit.
Cistula, quae vacua est, assatas excipit, inde
Ut gentem alliciat venditor, ista canit:
– « Ori iucundas, o cives, sumite mundas,
Dum vos invito, vos properate cito.
Has ego perfectas promitto, has tradere le- [ctas;
Qui semel accedit, protinus inde redit.
Has ego mercator calidas tibi trado, viator;
Mons parit Albanus, porrigit octo manus ».
His ergo illecebris vulgaria carmina dicens,
Emptores, populo praetereunte, vocat.
Quadrantis pretio mercator ementibus offert
Castaneas, numerans, ut docet arbitrium.
Interea edictum de more emanat, et illud
Praefigit numerum, poena fit aequa dolo.
Sed deceptus adhuc est a vendentibus emptor:
Ius nempe hi renuunt tradere cuique suum.
Exploratores fraudum violenter ementi
Castaneas numerant; sic patet ergo dolus.
Supplicium est fraudis plures persolvere num- [mos;
Sic, dum auget, minuit lucra dolosa manus.
Ergo discamus nunquam nos fraudibus uti:
Est qui alios prodit, proditor ipse sui.

***

Iocosa

In via.

Mendicus quidam petulanter a viatore obolum quaeritat, qui eum ita redarguit:

— Non te pudet vilem hanc artem exercere, quum is videaris qui ad proficua opera incumbere possis?

Cui alter superbe:

— Atqui nummos a te petivi; non equidem consulta!

Tuccius in eo est ut cum aequali, qui trochum ipsi furatus est, manus conserat:

— Ehus tu! – clamat – nisi trochum mihi statim reddideris, eum in os tibi impingam!

***

Aenigmata

I.

Terrigenas agito, mortem fero, depopulorque
Pervigilans inhio, palleo, deficio.

II.

Olfacio, clamo, moneo quoscumque fidelis,
Captivum tueor, liberiusve sequor.


Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Scipio;* II) *Statua.*

IOSFOR.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

☞ ***Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.*** ☜

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. – Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo, lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Ann. X Romae, Mense Februario MCMXXIII Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PIO XI P. M.

ANNUM EMENSO PRIMUM
EX QUO IN CATHEDRAM PETRI ASCENDIT

D. VI M. FEBR. MCMXXIII

Annus est ex quo, PIE, *christiano*
praesides Orbi, graviter procellis
cuncta dum tellus quatitur, ruinis
plena cruentis.

Tu sed in celsa solidaque Rupe
stas, ubi Petri stat avita Sedes,
quam nec humanus, stygius nec ullus
subruet hostis.

Inde Tu quassum miseratus Orbem,
saucium prompta reficis medela;
pauperem, pauper licet ipse, gaudes
aere iuvare.

Tu fame pressos alis, induisque
vestibus nudos: stipe fretus ampla,
quam Tibi iugem plaga quaeque mundi
laeta ministrat.

Vim Tuae dicant, PIE, *caritatis*
Russiae matres puerique! Dicant,
de suis pulsae domibus, catervae
Armeniorum!

Dicat, horrendis agitata nuper
motibus terrae, regio Chilena!
Munerum sed quis seriem Tuorum
explicet omnem?

Nec studes tantum removere damna
corporum; morbis animi, malorum
omnium fonti, simul apparasti
pharmaca certa.

Huc enim spectant, Fidei Magister,
Litterae quas Tu Cyclicas dedisti,
Pax ut, exstinctis odiis, in Orbem
alma rediret.

Huius et Pacis bene quam notasti
indolem sacram! mala qua cupido,
causa bellorum, resecetur omnis,
stirpe revulsa;

qua voluntatem regat una nostram
sancta Lex Christi, domitura cordis
turbidos motus, placidoque Christus
regnet in Orbe.

Christe, quo nato cecinere Pacem
Caelites, audi UNDECIMI PIORUM
vota! Fac longos Pater et serenos
vivat in annos!

FRANC. X. REUSS.

QUIBUS PRINCIPIIS NITI DEBEAT VERA NATIONUM SOCIETAS

Quamquam vocabuli fortunam, qua maior forte non fuit, hodierna facta produnt, paucis tamen innotescit et nomen et rem iam fuisse a Leone XIII P. M. exposita et explanata.

Iam enim ab ipso exhibetur *societas civitatum* conceptu quidem pleniori, altiori ac sublimiori, quemadmodum libertas et germanitas, quae hodie tantum celebrantur, nonnisi per gratiam et charitatem divinam praestantur. In epistola quippe ad Episcopos Brasiliae, d. v mens. Maii MDCCCLXXXVIII, de abolenda penitus servitute, ostendit Summus Pontifex quomodo doctrina Christi et Apostolorum, simulque virtutes evangelicae humanum genus paullatim superius evexerint veramque induxerint germanitatem omnium hominum ad eumdem finem vocatorum et divinae naturae participum, atque inde *societas civitatum* exstructa fuerit: « Quum decursu rerum et temporum – ait ille – perseverante opera Ecclesiae, societas civitatum *ad similitudinem familiae* coaluerit, christiana et libera ».[1]

Benedictus XV, qui Regis pacifici voluit in omnibus providam charitatem imitari, conceptum societatis nationum optimo iure vindicavit, licet ab ipso vocabulo abstinuerit, in adhortatione, quam direxit ad summos populorum belligerantium moderatores, die 1 mens. Augusti MCMXVII.

Pius XI, in Litteris encyclicis, quorum argumentum est « Pax Christi in regno Christi », exponit egregie, qua ratione fuerit « aetate media *vera illa nationum societas,* quae christianorum populorum communitas fuit. In qua, etsi re saepius omnino violabatur ius, ipsius tamen iuris sanctitas manebat in causa vigens, tuta veluti norma ad quam nationes ipsae iudicarentur ».

Ut autem quod Summus Ecclesiae Pastor incepit, ipse perficiat, haec nostra vota ipsi proferimus:

Attingis RAPTIM *Tu culmina sacra, sed annos*
O possis, Domino dante, videre Petri!

Compertum habemus et vocabulum ipsum, « societatem civitatum » seu « nationum » esse nostrum, utpote a Leone XIII invectum et a Pio XI confirmatum, et quidquid perfectionis in ipso involvitur, fuisse ab Ecclesia agnitum et vindicatum, et in Ecclesia opere completum.

Vera quidem fuit societas illa praesertim medii aevi « christianitas », ut asserit Summus Pontifex Pius XI, imo absoluta fuisset societas, si monitis Pontificum et Conciliorum melius obtemperasset.

Consilium non est meum historicam rei evolutionem pertractandi,[2] nec exa-

[1] LEONIS XIII, *Act.*, t. VIII, p. 174.

[2] De quo argumento consuli potest P. YVES DE LA BRIÈRE S. I., *La Société des Nations,* Paris, 1918. Notatum etiam volo inveniri iam solutionis principia apud FRANCISCUM VICTORIA, O. P., qui de iure gentium egregie disseruit et a quo GROTIUS et posteri scriptores multa saepius mutuati sunt.

men aut iudicium instituendi eius quae nunc est, quamque omnes norunt, societatis nationum, an scilicet nomen ipsum mereatur et rem nominis habeat, quamquam libenter profiteor illam plura beneficia humano generi attulisse, pro quibus aequum est gratias ipsi rependere.

At altiori lumine quaestionem inspiciens, iuxta scilicet doctrinam Summorum Pontificum et D. Thomae Aquinatis, recolam principia, quibus omnis vera suoque vocabulo digna societas nationum niti debeat, quibusve praetermissis, aut imperfecte aut in vanum et incassum laborent qui aedificant civitatem.

I.

Primum quidem principium loco fundamenti statuendum est illud quod suadet Leo XIII, videlicet societatem gentium niti debere *communione fraterna,* qua debent omnes homines, non solum quatenus individua membra, sed etiam quatenus ad diversas stirpes aut nationes pertinent, sibi invicem copulari ac se mutuo diligere. Teste enim laudato Pontifice, *societas civitatum ad similitudinem familiae* coalescere debet atque in eadem unitate fundari. Viget quippe in omnibus una eademque essentia, quae, licet gradus superadditarum perfectionum suscipiat, invariata circa substantiam semper et ubique persistit; unusque est intra naturae limites finis, per eadem media consequendus, scilicet per eamdem legem naturalem, *eiusque praecepta in omnium cordibus insculpta,* ut verbis utar Pii IX;[1] unusque supra naturam finis, nempe divina beatitudo, ad quam iisdem mediis, scilicet gratia sanctificante ac virtutibus infusis, tendimus, idem omnibus naturae et gratiae auctor, qui vult ab omnibus vocari Pater;[2] idem omnium Salvator et Redemptor, qui, veluti os ex ossibus caroque ex carne, non confunditur, testante Paulo, *fratres eos vocare,*[1] imo qui voluit cum ipsis idem ita fieri ut dixerit: « Quamdiu fecistis *uni ex his fratribus minimis, mihi fecistis* »;[2] idem praeceptum omnibus imposuit, quod vocat praeceptum *novum,* ut se *diligant invicem;*[3] omnibusque proponit et optat mirabilem illam unionem, qua divinae personae Trinitatis inter se copulantur, de qua dicit S. Bernardus: « Inter omnes unitates arcem tenet unitas Trinitatis, in qua tres personae sunt una substantia ».[4] Tria itaque optat Christus: et ut omnes *unum* sint, et ut unio sit *divinae unionis instar* in Trinitate, et ut sint *consummati in unum.*[5]

Si Christi verba audirent homines, eo ipso constitueretur vera nationum societas, qua iam una foret familia, iamque illa vigeret fraterna communio, prout exponit Apostolus: *Ubi non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber; sed omnia et in omnibus Christus.*[6]

II.

Verum, si homines, tametsi ad diversas gentes pertineant, debent se mutuo amore prosequi, licetne ipsas gentes ut inimicas

[1] Encycl. ad Episc. Italiae, d. x m. Aug. MDCCCLXIII; DENZINGER, 1677.

[2] MATTH., VI, 9; XXII, 9.

[1] *Hebr.*, II, 11.

[2] MATTH., XXV, 40.

[3] IOAN., XIII, 34, XV, 12, 17.

[4] Cfr. BERNARD., *De Consid.*, lib. V, c. VIII, 9; *P. L.*, CLXXXII, 790-800.

[5] IOAN., XVII, 19-23.

[6] *Colos.*, III. Quod suo modo exprimebat ille scriptor in Russia celeberrimus, Wladimirus Solowiew, nondum catholicus, quem tamen multi existimant in fide catholica obiisse: *Jésus-Christ avait réglé et adouci la souveraineté. Il voulut régler et adoucir les rapports des citoyens entre eux et des nations avec les nations, en déclarant que tous les hommes étaient frères.* Ch. et J. LOISEAU, *Le Correspondant,* décembre 1922, p. 980.

aspernari et odio habere, ipsisque ceu inimicis mala optare et inferre?

Magna sane hîc discretione opus est.

Possunt quippe considerari gentes ut societates diversae ad finem quemdam communem conspirantes, qui est universum humani generis bonum promovere, iuxta leges et praescripta nunquam violanda, quae mirifice exponit Leo XIII in encyclica *Immortale Dei,* 1 Nov. MDCCCLXXXV « de civitatum constitutione christiana » Sub hoc respectu, gentes non possunt se odio habere nec sibi invicem nocere, sed potius debent se mutuo iuvare, quippe quae unum finem prospiciunt et ab eodem conditore auctoritatem suam derivant, ut idem Pontifex docet: « Civili hominum communitati necessariam esse auctoritatem qua regatur, quae non secus ac societas a natura proptereaque a Deo ipso oriatur auctore ».[1]

At rursus possunt attendi gentes prout formam regiminis specialem sibi vindicant finemque singularem prosequuntur, scilicet promovere bonum alicuius populi per apta media, quae huius populi indoli magis congruant. Quamdiu gens aliqua, in eligendis mediis quae proprium commodum iuvant, nullatenus laedit finem humani generis communem, proprio iure utitur, tametsi alias gentes prosperitate aut industria praecellat, nec ceteris licet eo praetextu illam inimicitia aut bello lacessere.

Verum, quia diversorum populorum bona et commoda sunt interdum non solum dissimilia, sed plane opposita, hinc conflictus oriri possunt, quatenus id quod uni prodest alios gravet. Principium porro hîc omnino servandum a natura ipsa ingeritur, scilicet nunquam impetere iustitiam, aut ius gentium laedere, quum sint haec inconcussa fundamenta quibus omnis societas nititur, quibusque *nulla necessitas* potest unquam inferre praeiudicium.

[1] LEONIS XIII *Act.*, vol. V, p. 120.

Quapropter, si qua natio, propriis commodis nimis inhaerens, praefatas leges conculcaverit, iam fiet erga ceteras gentes rea, iamque licebit odio habere, non quidem individua aut stirpem ipsam, quae a Deo oriuntur auctore, sed quod in illa natione malum fuerit, nempe vel illum institutionum complexum, vel illam agendi rationem, quae ius gentium et finem omnium communem labefactaverit. Huc omninosp ectant quae tradit Doctor Angelicus: « Et ideo licet odio habere peccatum in fratre (seu etiam in aliqua gente) et omne illud quod pertinet ad defectum divinae iustitiae, sed ipsam naturam fratris (vel gentis) non potest aliquis habere odio sine peccato. Hoc autem ipsum quod in fratre (seu gente) odimus culpam et defectum boni, pertinet ad fratris (seu gentis) amorem; eiusdem rationis est quod velimus bonum alicuius et quod oderimus malum ipsius ».[1]

Itaque doctrina catholica in id tandem resumitur « communionem fraternam et hominis cum homine et gentis cum gente intercedere ».[2]

(Sequitur).

EDUARDUS HUGON, O. P.

[1] S, THOMAS, IIª IIª . q. XXXIV, a. 3.

[2] LEONIS XIII, encycl. ad Episcop. Brasil., *Acta,* t. VIII, p. 175.

NOSTRAE RES

Andreas Haberl Alexandro Aureli s. d.

Me impellit animus, ut, quid lectis novis in *Alma Roma* de studio linguae Latinae animadversionibus coeperim cogitare, breviter eloquar.

Equidem fateor multa a te commemorata esse impedimenta sermonis latini *Esperanto* imprimis et futurae vitae utilitatem. Sed maxime huic sermoni officit turpis illa, quae a te omissa est, sermonis latini ignoratio. Huic malo invenienda medicina est. Novimus in Rhaetiae montibus paucos etiam nunc esse vicos sermonem retinentes proprium, quem illi a Latino profectum *Ladinum* appellant. Qui sermo, quantum Latino sit par, etsi iucundum mihi esset cognitu, tamen non nimis curo. Illud tantum dico: fieri igitur posse, ut pauci homines propriae contineantur vinculo linguae.

Proinde aliquando finem faciamus desiderandi consulendique: suam cuique relinquamus perdiscendi viam, praesertim quum alius alia, et alio uti vehiculo malit: nos adulti, inquam, amoris Latini facem adolescentibus praeferamus. Frustra enim nos exspectabimus linguam latinam ab adolescentibus, si hi a nobis post magnificas eiusdem laudes sonorasque hortationes, in vita nihil nisi barbarum accipiant.

Miramur interdum, quantos, qui *Esperanto* excolunt, referant fructus, quae lingua certe Ecclesiae Catholicae adversariis gratior erit, quam latina. Sed discamus aliquando ab illis, quid nos ad rem latinam augendam faciendum statuamus. Illi loquuntur inter sese, illi interdum congregantur ut apta propagandi sermonis sui ineant consilia. Iam auditum est ad studium excitandum usumque provehendum linguae latinae conventum celebrari vel minimum?

Deinde « Esperantistae » implent fictitio illo sermone libros, commentarios, ephemerides. Quid nos Latinum habemus simile? *Praeco Latinus* commentarius a generoso homine conditus quondam Philadelphiae, in urbe Americae, post octo annorum vitam suffocatus inedia est. *Almam Romam* - antea *Vocem Urbis* - fuisse novimus et maioris molis et frequentioris editionis. *Almae Romae* emptores, quos sint, ego non video; numerari posse suspicor.. Quanti autem studii rei nostrae illud esse statuemus, quod *Alma Roma* bis terve in anno pretium subnotationis precari cogitur, quasi vero, qui commentarios latinos administrent, Croesi opibus praediti, fasciculis gratis transmittendis mercari debeant a lectoribus acceptandi voluntatem! *Almam Romam,* si quando videris maiorum ephemeridum forma rerumque huius vitae varietate ornatam singulis diebus (dominicis exceptis) aut saltem singulis hebdomadis a multitudine magno deposci studio; iam intelliges Latiniorem et nescio an etiam magis catholicam efflorescere aetatem.

Interea nos Fornario nostro crebris scriptionibus persuadeamus *Almae Romae* spatium augustum esse lectoribusque non verbis, sed ipsa copia et novitate argumentorum, huius linguae ante oculos ponamus vigorem.

— « Sed quorsum tu Ladinorum supra fecisti mentionem? ». - Ut te et omnes latine doctos hortarer, ut ipsi esse inciperetis gens aliqua vel tribus Latina. Latinae sapientiae hospitium maximum sit per me Romae, sed singuli homines quavis deiecta barbarie pure loquantur et latine. Non opus erit, mea sententia, novo aedificio, quo coetus congregetur Latinus: sed hominibus est opus, qui in privatis publicisque domibus tandem omnibus latinis litteris imbutis se amplius barbara intelligere pernegent, qui toto tempore de rebus omnibus latine loquantur, qui filios, si quos susceperint, ex unguiculis non prius sonare barbarum, sed latinum doceant; qui epistolis eorum, quos sciant latine scribere potuisse, nullam dent responsionem, qui, quod Divum Augustinum de rodentibus aliorum hominum famam in mensa scripsisse ferunt, vetari scilicet eis eam mensam, de barbararum sculpant amatoribus linguarum. Sic nascetur genus hominum non *Ladinum* aut *Esperantum,* sed *Latinum;* sic erunt pueri, qui simul

in templa catholica venerint, interprete nullo intelligant linguam matris; qui religionem catholicam non ex rivis cognoscant, sed ex fontibus. Sic existent homines, ad quos, qui vivum sermonem latinum haurire velint, mittantur, ad quos linguae latinae causa ibimus, ut ad Gallicium accuratius percipiendum in Galliam proficiscimur, ut Anglicum comparamus in Anglia. Hoc exemplo toti cupidorum greges magis abripientur, quam sexcentis methodorum expositionibus et infructuosis lamentationibus ruinarum.

Sic brevi nascentur etiam uberiores linguae latinae litterae novorumque vocabulorum familiae ad novas res significandas accommodatae, et fortasse ea, quam ante duos annos postulavi, *encyclopaedia*. Vale.

Steyla, Ibid. Ianuariis MCMXXIII.

Quanti intersit ut in Seminariis Latinitatis studium impensius colatur

Inter latini studiosos sermonis, studiosiores semper existimavi atque iudico adulescentes illos esse debere praesertim, qui feruntur in sortem Domini vocati. Ipsi nunc in spem Ecclesiae educantur, quae latino sermone, veluti prope suo, uti solet, ipsoque gentes alloquitur multitudine innumerabiles et pia mater alit alimento vitalis doctrinae suae, iura statuit iisdemque mysteria proponit, sacramenta ministrat.

Eodemque sermone alumnis suis, contubernalibus atque hospitibus philosophicas, theologicas atque dogmaticas disciplinas exhibet addiscendas, quibus in sacricolarum dein numerum adlectis quotidianae psalmodiae codicem et sacrorum librum pervolutandos assignat. Patrum doctorumque volumina, clariora Ipsius luminaria, sacrarum scripturarum divina oracula, diurna versanda manu, versanda nocturna, iisdem tradit atque commendat.

Hinc ipsis latinae linguae latebras omnes intus et in cute, ut dicitur, teneris ab unguiculis scrutandi necessitas. Iure proinde meritoque decernit sapientissimus Pontifex Pius XI Apost. Epist. d. kalendis Augusti MCMXXII ad Emum Purpuratum Patrem Seminariis et studiorum Universitatibus praepositum Caietanum Bisletum de clericorum institutione: « Clerum – edicebat – latinae linguae perstudiosum esse oportere. Si enim in quopiam homine laico, qui quidem sit tinctus litteris, latinae linguae, quam dicere catholicam vere possumus, ignoratio quemdam amoris erga Ecclesiam languorem indicat; quanto magis *omnes clericos, quotquot sunt,* decet eiusdem linguae satis gnaros esse atque peritos? ».

Neque studium quodcumque futile, superficieque tenus, sed profusum illud, accuratissimumque Legiferi Patris verbo requiritur. Addit enim « In litterarum ludis maximi momenti... accuratissime sermone latino volumus alumnos institui ».

Eousque tandem ut iidem sacrorumque ministri interpretationi Ecclesiae Doctorum operam navantes, sensum verborum vimque propriam facili negotio assequantur, et quod maxime commendat, perspicuum unusquisque sibi dicendi genus acquirat accuratamque disserendi rationem, quae plerumque in his maxime desiderantur, qui maiorum nostrorum linguam primoribus labris salutarunt atque dein, ab ephebis semel quum excessissent, neque eorum magistros unquam salutavere, neque eorum exemplaria amplius perlegerunt. Talibus nunc, tantisque datis documentis, exsurgat quis nescio nostratum et effutiat latinitatis studium esse puerile, ac tempus oleumque eos perdere, qui ad idem studium incumbunt!...

HERM. M. IACOBELLI.

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS [1]

Ut ebur, ita etiam **marmor** a poëtis ad coloris comparationes adhibitum est. Sunt autem, ut apud aurum, duo disiungenda genera. Alterius, splendorem quod respicit, exemplar inveni apud Theocritum (IV, 37): *Τῶν δὲ τ' ὀδόντων λευκοτέραν αὐγὰν Πάριας ὑπέφαινε λίθοιο*; et apud Horatium (c. I, 19, 6): *Urit me Glycerae nitor splendentis Pario marmore purius.* Alterius unum modo afferre possum, Ovidium (*Am.*, I, 7, 5, 2):

Astitit illa amens albo et sine sanguine vultu,
caeduntur Pariis qualia saxa iugis;

ubi pentametro illud *albo vultu* definitur. Quod autem Washietlius hac imagine etiam adiectivum amens illustrari putat, equidem probare haud velim. Quamquam non ignoro Ovidium homines magno stupore affectos et amentes lapidibus comparare, ut est (*Met.*, III, 419): *Haeret, ut e Pario formatum marmore signum;* quem locum primum affero, quia Narcissus non simpliciter immotus, ut lapis fuisse dicitur, sed ut statua e marmore formata; itaque hac imagine poëta lepidus etiam pulcritudinem adulescentis aliquatenus indicare studuit.

Quae vero leguntur, (*Her.*, X, 50) *Quamque lapis sedes tam lapis ipsa fuit* et (*Met.*, V, 509): *Mater ad auditas stupuit ceu saxea voces,* non nisi stuporem respiciunt.

Graecorum hanc imaginem Theognis habet (568): *Κείσομαι ὥστε λίδος ἄφθογγος.*

Eadem lapidum vis ad duritiem animi illustrandam usurpatur Meg. (44): *Μόχθων τοὺς ἐπὶ γαῖαν ἀλώμενος ἠδὲ θάλασσαν μοχθίζει πέτρης ὄγ' ἔχων νόον ἠὲ σιδήρου κάρτερον ἐν στήθεσσιν.*

Horatius (*E.*, III, 7, 21): *Scopulis surdior Icari;* Vergilius (*Aen.*, VI, 471): *Nec magis incepto vultum sermone movetur, quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.* Ovidius (*Met.*, XIII, 713): *Durior et saxo quod adhuc vivum radice tenetur.*

Gravior etiam fit imago, si saxum ab undis circumsonatum describitur, ut est (*O.*, 61, 8):

Ἴσχον γὰρ πυργηδὸν ἀρηρότες, ἠΰτε πέτρη
ἠλίβατος μεγάλη, πολιῆς ἁλὸς ἐγγὺς ἐοῦσα,
ἥτε μένει λιγέων ἀνέμων λαιψηρὰ κέλευθα
κυματά τε τροφόεντα, τάτε προσερεύγεται αὐτήν.

Vergilius (*Aen.*, VII, 586):

Ille velut pelagi rupes immota resistit,
ut pelagi rupes magno veniente fragore,
quae sese multis circum latrantibus undis
mole tenet scopuli nequicquam et spumea circum
saxa fremunt laterique illisa refunditur alga.

Et (X, 693):

Ille velut rupes, vastum quae prodit in aequor
obvia ventorum furiis, expostaque ponto
vim cunctam atque minas perfert caelique marisque,
ipsa immota manens.

Ovidius (*Res am.*, 692):

Ut lapis aequoreis undique pulsus aquis.

Et (*Met.*, IX, 40):

Haud secus ac moles magno quam murmure fluctus
oppugnant, manet illa suoque est pondere tuta.

Praeterea (XI, 330):

Quae pater haud aliter, quam cautes murmura ponti
accipit.

Et (XIII, 801):

His immobilior scopulis.

Hanc imaginem Euphorio quoque, si quid video, adhibuit in eo libro, quem contra Theodoridam scripsit. Est enim (fr. 3): *ζὰψ δὲ ποτὶ σπιλάδεσσιν νεῶν ὀλέτειρα κακύνει*; ubi Meineckius pro *κακύνει* verbum requirit quale est *καχλάζειν*.

Saxa cadentia exhibentur in *Aeneide* (9, 710):

Talis in Euboico Baiarum litore quondam
saxea pila cadit.

[1] Cfr. fasc. m. Novembris MCMXXII.

Et (XII, 684):

Ac veluti montis saxum de vertice praeceps
cum ruit avulsum vento seu turbidus imber
proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas.

Etiam lapidis fit usus in comparationibus, ut temporis quae sit, etiam in res durissimas, vis et potentia illustretur.

Tibullus (I, 4, 18):

Longa dies molli saxa peredit aqua.

Propertius (III, 20, 16):

Teritur parvo saepe liquore silex;

Et (V, 5, 19):

Exorabat opus verbis ceu blanda pererrat
saxosamque terit sedula lympha viam.

Ovidius (*Am.*, 1, 475):

Quid magis est saxo durum, quid mollius unda?
Dura tamen molli saxa cavantur aqua.

Ibidem (III, 91):

Silices tenuantur ab usu;

(c. P., I., 1, 70):

Aequorei scopulos ut cavat unda salis:

Ibid. (II, 7, 39):

Utque caducis percussu crebro saxa cavantur aquis.

Ibid. (IV, 10, 5):

Gutta cavat lapidem.

Sucini vitream perspicuitatem leviter attingit Callimachus (*Hym. in Dem.*, 29): *Τὸ δ' ὥστ' ἀλέκτρινον ὕδωρ ἐξ ἀμαρᾶν ἀνέθυε.*

Gemmas quibus poëtae nostrates in imaginibus lubentissime utuntur fingendis, ab uno Vergilio commemorantur (*Aen.*, X, 134):

Qualis gemma micat fulvumque dividit aurum,
aut collo decus aut capiti.

Denique qui etiam apud nos frequens est usus duritiem cuiusdam rei adamanti comparandi iam apud Theocritum invenitur (II, 34): *Τὺ δ' Ἄρτεμι καὶ τὸν ἀναιδῆ κινήσαις ἀδάμαντα.* Et (III, 39): *Καί μέ μ' ἴσως ποτίδοι, ἐπεὶ οὐκ ἀδαμαντίνα ἐστίν.*

ALEXANDER AURELI.

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.

De *Gustu* speciatim hodie loqui statuimus, quo luculentius, ipsa natura pulchri, quam in hisce notis persequuti sumus, innotescat; facultas enim apprehensiva et obiectum perceptibile « correlativa » sunt, proindeque ad invicem claritatem mutuantur. Imo tractatio *Gustus* non solum necessaria est ad pulchri doctrinam clarius cognoscendam, verum etiam essentialis quibusdam videtur, ac si de ipso formali et unico aestheticae obiecto agatur. Hinc aesthetica disciplina perperam definitur: *Doctrina, scientia, philosophia Boni Gustus,* sola consideratione habita ad perceptivam pulchri virtutem. Ita Kantius et Subiectivistae, ducti logica necessitudine falsae ipsorum rationis.

Graeci et Latini scriptores Plato, Aristoteles, Longinus, Cicero, Horatius, Quinctilianus... (ut apud eruditos compertum est) suis operibus, aere perennioribus, ostenderunt, sui gustus eximiam indolem, sed de gustu, tamquam de particulari animi habitu ad percipiendum et iudicandum pulchrum, minime disseruere. Aliquod gustus indicium quidam putarunt inveniri apud Ciceronem de *Elocutione* disserentem,[1] et in verbis Quinctiliani loquentis de *Iudicio.*[2] Ceterum significatio metaphorica gustus, pro facultate nempe intellectiva, non fuit omnino ignota antiquitati. Ipse S. Thomas obiter de gustu sano et corrupto in iudicando corporaliter et spiritualiter loquitur.[1] Ludovicus Areostus loquens de Augusto imperatore ait:

L'aver avuto in poesia buon gusto.[2]

Attamen saeculo XVII de natura activitatis pulchri apprehensivi multum disceptatum est: nomen *gustus* vel *boni gustus* novam potestatem sibi adscivit, atque adhibitum fuit ad significandam potentiam pulchri iudicatricem, distinctam quodammodo a ratione. Hinc innumeri tractatus, sed vel ipsa gustus notio apud quamplurimos et implicata difficultatibus et incerta manebat: unde quidam gustum appellare maluerunt: *nescio quid; je ne sais quoi; el no se què; il non so che...*[3]

Etiam nostra aetate doctrina gustus et obscuritate et difficultate involuta videtur; qua de re admodum caute procedendum.

Gustus proprie denotat sensum organicum, qui versatur circa alimentorum proprietates et sapores, atque *gustus physicus* audit: metaphorice vero denotat facultatem, quae versatur circa veritatem, bonitatem et pulchritudinem, atque *gustus intellectualis, moralis, aestheticus (sensus communis, moralis, aestheticus)* habetur. Mirabilis interest analogia inter naturam, proprietates, operationes, effectus... physici et spiritualis gustus, quam hîc exponere nimis esset.[4]

Datur vero *Gustus authenticus universalis,* eumque appellamus distinctam illam et humanae naturae insitam animi proclivitatem, omnibus hominibus communem, percipiendi rationem pulchri, eamque secernendi a quavis contraria aut affini notione.

Circa eius existentiam nemo est qui rationabiliter dubitet: ipsae vero « Scepticorum » cavillationes gustum existere magis magisque confirmant.

Quod vero invicte demonstrat aesthetici gustus existentiam est ipsa species et notio pulchri, quae communis ac veluti innata apud omnes populos viget semperque viguit.

Praeterea sicut ingenita cupiditas cognoscendi testis indubius est facultatis intellectivae et ipsius veritatis; sicut iugis amor boni testis indubius est facultatis volitivae et bonitatis, ita vehemens desiderium pulchri et iucunditas, quam omnes experimur in contemplatione eximiarum rerum, testis indubius est aesthetici gustus et pulchritudinis.

Proclivitas igitur percipiendi pulchrum, idipsum secernendi a suis contrariis existit, et *Gustus aestheticus universalis* merito dici potest; eaque plurimum differt a gustu *reflexo,* de quo suo tempore dicemus.

In determinanda vero natura istius humanae proclivitatis difficultas est et labor. Proinde ad quaestionis solutionem necessarium omnino est prae oculis habere inconcussa principia sanae psychologiae.

Omnes enim operationes vitales in homine a sola anima primo profluunt in eaque radicantur: anima enim est forma substantialis et unica corporis organici dans *primum esse, esse unum, vivens, sensitivum, intellectivum...*

Sed homo, ad exercendas proprias operationes, propriis donatur facultatibus, quae vocantur principia proxima actio-

[1] « Omnes enim *tacito quodam sensu,* sine ulla arte, aut ratione, quae sint in artibus, ac rationibus recta ac prava, diiudicant: idque quum faciunt in picturis et in signis, et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum, vocumque iudicio, quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum quemquam furditus natura voluit esse expertem ». *De Oratore,* lib. III.

[2] « Iudicium... nec magis arte traditur quam gustus aut odor. Ideoque nos quid in quaque re sequendum cavendumque sit, docebimus, ut ad ea iudicium dirigatur. Praecipuum igitur, ne, quod effici non potest, aggrediamur, ut contraria vitemus et communia, ne quid in eloquendo corruptum obscurumque sit, referatur oportet ad sensus, qui non docentur » *Instit. orator.,* lib. V, c. 5, *De iudicio et consilio.*

[1] *S. Theol.,* Ia, Iae, q. 1, a. 7, c. et q. 2, I. ad. I.

[2] *Orlando Furioso,* XXXV, 25.

[3] Cfr. pro historia Gustus B. CROCE, *Estetica,* etc., pag. 195.

[4] Cfr. DESCURET, *La teoria morale del Gusto,* etc., traduzione di C. V. Garimberti, pag. 9. Milano 1865. – CONTI, *Il bello nel vero,* etc., vol. II, cap. XXVII, n. 4.

num, et sunt sensus externi, sensus interni, facultas intellectiva et volitiva.

Omnis cognitionis operatio *perceptio* dici potest: actio animae percipiens qualitates sensibiles rerum materialium dicitur *sensatio;* percipiens intimam naturam obiectorum dicitur *mens.* Mens intuens prima principia dicitur *intelligentia;* mens discurrens de una in aliam veritatem, discernendo verum a falso, dicitur *ratio;* discernens bonum a malo dicitur *conscientia;* discernens pulchrum a deformi dicitur *gustus aestheticus.*

Sensus, vero, etsi proprias et distinctas habeant perceptiones, hae tamen essentia sua ad operationem specificam animae humanae propriam, nempe ad intellectionem, ordinantur. Quapropter omnis humana cognitio a sensibus incipit et a mente perficitur. Itaque ad intellectivam apprehensionem pulchri, tum sensus externi, tum interni concurrunt. Quo delicatiores sunt externi sensus, eo perfectius qualitates sensibiles rerum sensui intimo referunt, et ideo idoneae magis sunt ut gustui aesthetico inserviant. Hinc, e converso, qui labefactatos habet sensus, nequit pulchra diiudicare: ex. gr. surdus varietates vocum et concentus gustare non potest. Pariter sensus interni ad perceptionem pulchri deserviunt: sed phantasia inter ipsos potiorem tenet locum.

Nulla tamen sensuum operatio vera et perfecta pulchri apprehensio dici potest, sed potius dispositio materiei, circa quam mens versari debet, appellanda est. Mentis autem operatio in apprehendendo pulchro est *contemplatio*, de qua, ne longiores hodie fiamus, alias dicemus.

G. Lepore.

In conferendo beneficio et in referenda gratia hoc maxime officii est, ut quisque opis indigeat, ita ei potissimum opitulari.

Cic., *De off.*, II.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Ad H. M. Iacobelli.

Litteras, Iacobelli, tuas ad « Almae Romae » socios atque lectores rubrica superposita insignitis, crede mihi, peculiari perlegi gaudio. Utinam latinitatis quisque peritissimus impensam negotio huiusmodi navaret operam! Tunc gutturi tandem faverent, vel inviti quidem Latinam tot linguarum foecundissimam matrem imparitatis ad disciplinarum recentes lucubrationes explicandas falso calumniantes.

Donec vero hi,

quos penes arbitrium est et ius et norma loquendi,

desideratissimas suas palam prodant sententias, quidni humilibus in hac re copiam facere tironibus conatus in medium producendi, et aliquid sensuum fortasse suorum aliis modeste aperiendi?

Ne igitur, vir humanissime, litteras in aqua scripsisse dicaris, hodie de primo eorum, quae in illis proposuisti, vocabulo, nempe de *automobilismo* ego quidem quoad potero disseram.

Primum igitur animo exquirere coepi an idem illud verbum *automobilismus* in idioma Ciceronianum caderet. Et protinus triplex est sub oculos obiecta difficultas, quae postea curiosius enodata velut umbra simul disparuit.

Gaudebantne iure patrio apud Latinos vocabula in *ismus* desinentia?

En offendiculum, quo iam initio praepeditus in suscepta via constiti. Id statim a Forcellinio, latinorum facile lexicographorum principe, quaesivi, qui mihi non magno labore plus triginta obtulit voces, quarum pleraeque, fateor, non ad auream nec ad argenteam quidem aetatem, sed ad aeneam pertinere perspexi, quin tamen

omnes primis illis temporibus penitus exsularent.

Quum alias, invenire accidit *idiotismum* apud Senecam, *syllogismum* apud Plinium et Quintilianum, *barbarismum* apud Martialem, *soloecismum* apud Iuvenalem; quinimmo *ostracismum* apud Nepotem et apud ipsum patrem ac praecelsum Magistrum Ciceronem *dialogismum.*

Dicet quispiam easdem Graecas esse voces, ideoque et graece semper scribendas. Cur nobis, quum Tullius aliique laudati scriptores optimi debere ita fieri non sint arbitrati, quum, contra, alibi id reapse praestaret Cicero in illa λακωνισμός dictione?

Vocabula ergo in *ismus* desinentia, quamvis a graeco pene omnia petita, quod equidem latinitatis indoli nullo obstat modo, a latina lingua non sunt aliena.

Ea dixeram ante omnia vocabula a Graeco esse petita, sed nihilominus animadvertere iuvat nec *paganismum,* exempli causa, nec *dogmatismum,* quamvis a Graeca deducta radice, me Graeca terminatione in huius idiomatis lexicis adhuc invenire potuisse; quo mihi satis persuadeo ea et id genus alia ad latinitatis provinciam dumtaxat pertinere.

Hac itidem postrema allata ratione, altera manet etiam soluta difficultas, quam quis forte obiciendam censeret: tantum scilicet verba latina immediate a Graeco mutuata hanc in *ismus* terminationem admittere, quo quidem tandem *automobilismus* excluderetur.

Veniamus ad tertiam denique difficultatem, quae multorum animis fortassis occurrerit.

Verbum, de quo agitur, nempe *automobilismus,* hybridum est seu ex duplici voce, altera Graeca, Latina altera conflatum; quod naturae linguarum adversari videtur.

Illud fuisse ab omnibus, ut puto, linguis neo-latinis benigne receptum, earum indoli non adeo repugnare satis probe commonstrat. Sed indolem filiarum matrem ferre quis deneget? Praeterea Latina lingua et Graeca tamquam germanae semper invicem amice coniurare noverunt, neque in id demum non coniurasse per quaedam vocabula inter alia quae mihi praesto sunt comperietur.

Epirediо, exempli causa, Iuvenalis usus est et habet *epitogium* Quintilianus. *Hydromel* apud Plinium invenies et adiectiva *pseudoliquidum, pseudoflavum, pseudocalidum* apud Marcellum Empiricum: nec Romanus Orator ab appellando quemdam abstinuit *Pseudocatonem.* Quaerenti id genus plura in Lexico Forcelliniano a Vincentio de Vit aucto et emendato absque dubio occurrent.

Quod si quibusdam satius esse videbitur, reiecto in novas linguas inducto *automobilismi* vocabulo, aliud latine magis sapiens, eandemque sonans ideam adoptare a recto nominum compositorum Latino tramite mea quidem sententia non deerrabit, qui Latinum idioma loquens aut scribens *spontimobilismi* nomen usurpabit. Namque vox *spontis* quamvis primitus « significat voluntatem, libentiam » ut ait Forcellinius, atque ideo voluntario motui applicanda ad internum quoque rerum materialium motum saepissime est translata.

Tum *automobilismus* cum *spontimobilismus* tractionis ac locomotionis audit dumtaxat singulare systema, quod per currum *automobilem* [1] suos effectus sortitur. At si verbum tamen latius patens, quod ad motum videlicet non localem machinarum etiam sese extendat, adhiberi placuerit, *automatismi* nomen effingere opus est, ex Graeca voce *automaton* iam aliunde latinitatis iure gaudente.

[1] Id nominis quum alias tum legimus etiam in libello Ch. Dumaine, cui titulus *Conversations Latines.*

Iisdem fere supra allatis rationibus et veluti corollario quodam forte non imprudens aut temere ageret, si quis et *cyclismum,* et *magnetismum* et *electrismum* in sermone latino adhiberet.

Velim tamen postremum hoc ne quisquam adeo late deducat, ut quamlibet neolatinarum linguarum vocem in *ismus* desinentem leviter, mutata solum earum terminatione, latinae linguae tribuat. Nam praeterquamquod ex illis quaedam vocabula in lexicis latinis habebunt respondentia, eundemque sensum afferentia, in hoc potissimum negotio haudquaquam obivisci oportet illud Horatii praeceptum:

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
continget, dabiturque licentia sumpta pudenter;
et nova fictaque nuper habebunt verba fidem si
Graeco fonte cadant parce detorta,

Vici, in Hispaniae provincia Barcinonensi.

E. Iové, C. M. F.

COMMUNIA VITAE[1]

Autentico. - Verus, Certus, Sincerus, Certae fidei, Fide dignus.

Autografo - Mea (tua, sua, ipsius) manu scriptus.

Catalogo. - Index.

Carattere - Scribendi genus. - Mores, Ingenium.

Catastrofe. - Commutatio (Conversio) rerum, Vicissitudo fortunae. - *In scaenis:* Exitus.

Clima. - Natura caeli, Caelum.

Cosmopolita. - Mundanus; Mundi civis et incola.

Crisi. - Discrimen.

Criterio. - Iudicandi nota.

Cronaca. - Annales, Commentarii (annorum, dierum).

Cronologia. - Temporum descriptio (Ratio, Ordo).

Demagogo. - Plebis dux, Turbator vulgi (Civis turbulentus).

Democratico. - Homo popularis.

Democrazia. - Civitas popularis, Imperium populi (populare), Libera respublica.

Diatriba. - Disputatio.

Dogma. - Praeceptum, Decretum.

Dramma. - Fabula, Ludus scaenicus.

Eclisse. - Solis defectio (defectus).

Eco. - Vocis imago.

Enciclopedia. - Orbis ille doctrinae, quam Graeci ἔγκυκλον παιδείαν vocant.

Encomio. - Laudatio, Laudes, Praeconium.

Entusiasmo. - Ardor; Inflammatio animi; Incitatio mentis.

Episodio. - Digressio ab re.

Estetica. - Pulchritudo, Pulchri ars, Pulchri sensus, Elegantia.

Etimologia - Nominum interpretatio.

Frase. - Locutio, Verba coniuncta (*De litteris:* Flosculi).

Inno. - Carmen.

Idea, Ideale. - Notio, Visio, Species, Forma, Species optima (eximia), Specimen.

Melodia. - Cantus, Canticum, Modulatio.

Metodo. - Ratio, Via, Via et ratio.

Monarca, Monarchia. - Rex, Dominus, Imperium singulare, Unius dominatus, Regium imperium, Regalis respublica.

Monologo. - Sermo intimus, Meditatio, Secum loqui.

Oclocrasia. - Multitudinis dominatus (imperium).

Ode. - Carmen lyricum.

Oligarchia. - Paucorum imperium.

Orfano. - Orbus, Parentibus orbatus.

Organo. - Pars, Instrumentum (*Si de homine:* Minister).

Organismo. - Corpus, Natura.

Ortografia. - Recte scribendi scientia.

Panegirico. - Laudatio.

Plastica. - Ars fingendi.

Polo - Vertex (axis) caeli.

Politico. - Civilis, *aut circumscriptio cum vocabulo* Respublica.

Simbolo. - Signum.

Simmetria. - Congruentia et aequalitas, Convenientia partium.

Sistema. - Ratio, Disciplina.

Tecnica. - Ratio, Ars (*Voce tecnica:* Artis vocabulum).

Tema - Locus, Res proposita, Propositum, Quod propositum est, Quod quaerimus (Ponere de quo quis disputet).

Teogonia, - Deorum origo (generatio).

Teoria. - Cogitatio, Ratio, Ratio et disciplina, Disciplinae formula, Ars, Artis praecepta.

Tropo. - Verborum translatio (immutatio).

Zona. - Orbis pars (*Zona temperata:* Orbis medius).

[1] Cfr. fasc. sup.

PRO IUNIORIBUS[1]

c) Hannibal in Italiam profectus, egregias facit victorias.

Vere anni CCXVIII traditis Hasdrubali fratri minoribus exercitibus, quibus ille Africam et Hispaniam tueretur, Hannibal Hiberum flumen, imperii Carthaginiensis finem, transiit, Nonnullis praeliis factis cum illis gentibus quae ex eo flumine ad septem triones versus incolebant, non longe a mari interno Pyrenaeos montes transcendit. Ad flumen Rhodanum per exploratores certior factus est advenire exercitum Romanorum. Hi enim quum, audaciam et rationem Hannibalis necopinantes, bellum facere decrevissent, duos conscripserant exercitus consulares, ex quibus unum, Ti. Sempronio Longo duce, ex Sicilia transmitterent in Africam, alter, P. Cornelio Scipione duce, navigaret ad Massilienses, qui Romanorum amici erant, inde in Hispaniam. Exercitus autem consularis binas habebat legiones quaternorum millium militum et totidem sociorum pedites et bina fere equitum millia, ut totus exercitus viginti fere millibus militum constaret. Scipio igitur, quum improvisum Hannibalis iter Massiliam nuntiatum esset, praemisit, qui adverso flumine Rhodano irent, equites. Sed Hannibal ratibus flumen iam traiecerat. Paucae equitum Numidarum turmae in dextra fluminis ripa leve praelium, Romanis secundum, commiserunt. Quum Scipio ad eum locum ubi hostes transierant cum exercitu pervenisset, Hannibal, ne iam hîc dimicandum esset, iam nonnullorum dierum itinera in ripa sinistra adverso flumine processerat. Tum Scipio eum exercitum, qui in Hispaniam conscriptus erat, tradidit Gnaeo fratri; ipse per Pisas contendit in regionem Padanam, ubi cum iis copiis, quae ad sedandum novum Boiorum motum comparatae erant, Hannibali occurreret.

Hic interea in eadem ripa Rhodani processerat usque ad eum locum ubi Isara in Rhodanum influit. Inde ad orientem se convertit per fines Allobrogum, quibuscum ei erat amicitia, et laboriosissimo quindecim dierum itinere, continuis fere infestorum montanorum incursionibus impeditus, superavit montes Alpium,qui iam recentibus tegebantur nivibus. Nec satis constat utrum Hannibal per minorem Sancti Bernardi montem processerit, - hoc Polybius tradit, - an ierit per Cenomanos, per montem *Genèvre* vel per montem Cenisium, quod placere videtur Livio. Cum militum millibus viginti sex et paucis elephantis vergente autumno in fines Insubrum amicorum pervenit.

Eodem anno praelium commisit ad flumen Ticinum, et decertavit ad Trebiam. Interea enim P. Cornelius Scipio tetigerat

[1] Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXI.

Placentiam, unde, quum Padum transisset, adverso flumine contra Hannibalem profectus est. Iam etiam Ticinum transierat, quum eius equitatus, qui primum agmen erat, in equitatum incidit Poenorum, quem ducebat Hannibal. Acri praelio equestri, quod secutum est, Scipionis equites victi sunt, ipse vulneratus est. Exercitus autem Romanorum trans Padum se recepit in primorum Apennini montium praesidia, quae in dextra, aut, sicut Livius tradit, in sinistra Trebiae ripa erant. Hîc Scipio exercitum collegae exspectabat.

(*Sequetur*).

ANNALES

Parisiensis coetus de bellicis damnis reficiendis - Germaniae per Gallos occupatio.

Postquam Londinensis oeconomicus coetus infelicem habuit exitum, quem in superiore recensione nostra adnotavimus, consociatarum nationum legati Parisiis convenerunt, ut argumentum de reficiendis per Germaniam damnis resumerent, et praesertim perpenderent, utrum quaesita de debitorum solutione mora Germanis concedi posset. Res vero non aliter quam Londini successit: hinc enim Galli moram negarunt nisi certa pignora offerrentur; Angli inde quattuor annorum cunctationem sine ulla tutela proposuere, utque sociorum credita imminuentur; Gallia in Anglorum civitatis favorem magnam illam aureae pecuniae summam omnino cederet, quae mutuationum bellicarum in fiduciam Londini iamdiu deposuerat. Profecto utriusque partis proposita longe nimis inter se dissidebant, quam ut ad compositionem adducerentur. Itaque conventu et hoc frustra peracto, quaestio de solutionis mora ad peritorum coetum est commissa.

Qui quidem coetus quum paucos post dies declarasset a Germania non factum esse satis circa carbonis debitum Galliae dato tempore solvendum, Galli quod minati pluries fuerant statim tum exequuntur: regionem scilicet ad Ruhr flumen, ubi plures carbonis fodinae numerantur, suis militibus occupant: Essen urbem primum, deinde Buer, Bochum, Dortmund aliaque loca, ubi extractos carbones et ipsas fodinas sequestro ponere liceret. Obsistunt Germani opifices, qui ex condicto ab operibus suis recedunt; cuniculares accedunt ferriviis addicti ipsique fodinarum domini earumque laboribus praepositi. Itaque adversariorum rigor augetur, qui et in homines et in nummarias mensas manus suas ingerunt.

Dum scribimus, nemini praevidere fas est quorsum heu! res evasurae sint... Interim Foederatae Civitates Americae Septentrionalis suas copias a Rheni provincia retrahunt.

***

Lausanensis conventus.

Quaestio, quam agitatam adhuc in Lausanensi conventu de pace inter Turcas Graecosque componenda, reliquimus circa minorum gentium cum Turcis viventium protectionem, post longas disceptationes ad finem tandem feliciter pervenit; itemque accidit de civilium obsidum restitutione, deque captivorum permutatione, quorum qui Graeci maiores numero quam Turcae erunt, pacis foedere firmato in patriam tantum redibunt. Ex adverso de Turcarum debitorum solutione est acriter disceptatum, nec adhuc quidquam conclusum, Turcicis legatis contendentibus ea inter Turcas novasque civitates esse dividenda, Mesopotamiam, Albaniam, Syriam, Palaestinam. Vehemens dissensio de finibus quoque ad Asiatici Turcici Imperii meridiem orta est: Turcae Mossul urbem sibi volunt; Angli eam Curdis addictam concupiunt.

Nunc et de exterorum civium in Turcorum imperio disputatur.

***

Regalia funera.

Panormi, ubi cum uxore et liberis natu minoribus se receperat, die XI elapsi mensis Ianuarii necopinato vita functus est Constantinus, quondam Graeciae rex, huius nominis primus. Princeps fuit, cuius animum patriae amor indesinenter incendit, quamquam inde sacrificia atque dolores, potius quam fortunam et gaudia cepit. Ex Danensi stirpe Slesvig-Holstein genitus, natus erat Athenis die I mens. Iulii MDCCCLXVIII a Guilelmo Georgio I et Olga, Russorum magna Ducissa; patrique, nefarie Salonici interempto, successit die V Martii MCMXIII. Europaeo bello exorto, quum accusaretur nimis Germanis favere - eius uxor Sophia, Borussicae familiae Hohenzollern princeps est foemina - a consociatis contra Germanos populis iussus est regnum deponere Graeciamque deserere, quod reapse fecit die XVIII mens. Iunii MCMXVII, ei succedente filio altero genito Alexandro. Hic vero quum an. MCMXXII fato concessisset, Constantinus populi scito in patrium solium restitutus est. Ex recentibus belli Graecos inter atque Turcas adversis eventibus iterum regnum abdicare coactus fuerat in favorem filii natu maximi Georgii I, et exsul a patria abire, d. XXVII mens. Septembris MCMXXII.

***

Varia.

— Seditio in Lithuania proximis diebus nunciata est. Cives dicunt patriae libertatis cupidos imperii summa potitos esse et Gallica praesidia, in urbe Memel posita, in captivitatem redegisse.

— Traditum est pariter Turcas cum Afganistana civitate societatis feriisse foedus, recognito ab hac Turcis dominio supremo.

Kalendis Februariis MCMXXIII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Socius quidam noster humanis verbis mihi suadet, ut acerbe invehar in inhumanum illud novum luctae spectaculum, quod *boxe* Anglica voce nuncupatur, quodque nunc tot iuvenes attrahit, non equidem ad animi sensus perficiendos. Ei utraque manu plaudo, et una cum eo libenter exsecror et horreo, nos ad barbarorum tempus rediisse, quando lucta et pugilatus non ad exercenda viriliter corpora agebantur, sed nescio quanam crudeli de causa, singulari hercle! peritiae sub specie, ut nunc quoque dicitur, alter in alterum pugnis ita saeviebat, ut prope ad mortem adduceret. Tum haec **lucta mixta** appellabatur, quae tandem prohibita est usque ad dimidium superioris saeculi, quum iterum apparuit in Gallia, indeque per universum orbem rursus manavit. Itaque ne novum quidem est hodiernum spectaculum, sed reditus, inquam, ad feritatis saecula; neque novum ipsum nomen; siquidem *boxe* illud vocabulum nihil aliud sonat quam **lucta pugnis pugnata.** Reliqua luctae genera, quae apud Graecos veteresque Romanos invaluere, **lucta erecta** et **lucta volutatoria** fuerunt, quarum in altera pugiles erecti certabant et dexteritas in eo ponebatur ut adversarium luctator sterneret, in altera pugiles inter sese vinciebantur cruribus quoque agentes, et in ipsa humo vim suam experie-

bantur: victus enim manebat qui solum humeris tangeret. Haec, quae *luctae graeco-romanae* vulgare nomen accepit, per saecula perseveravit non solum ad populum oblectandum, verum etiam tamquam salutaris membrorum exercitatio: si igitur luctae spectaculum servandum est, ominari liceat fore ut ipsum intra hos tantum fines contineatur.

***

Ut autem ex mea parte auctoritatem aliquam ad illud conferam, Bernerii nostri testimonium adducam, qui et **luctae** hunc **ludum** amoenissimis versibus suis celebravit, quos, data occasione, ex pluribus iocosis carminibus, quae adhuc remanent, consulto hodie deprompsi, et sunt qui sequuntur:

Ut plebis celebret festivos Musa labores
Huius luctantis fortia facta canit.
His locus eligitur ludis, magis aptus, et illum
Gens circum efformans, multiplicata replet.
Disposita in gyrum sunt plura sedilia, clau-
[dunt
Ista locum, ne illum Gens penetrare queat.
Vulgares homines circum stant retro, sed ante
Qui reliquis praestant nobilitate, sedent.
Area, quae media est, cribrata impletur arena,
Ne solida offendat membra cadentis humus.
In prospectu atrii victori debita pendent
Praemia, et haec omnes, sed triplicata vi-
[dent.
Serica et in longum producta est fascia; a-
[rundo
Sustinet: hinc pendent pileus et caligae.
En tuba rauca sonans populo certaminis ho-
[ram
Nunciat. Accurrit protinus ille frequens.
Dein magnum luctae certamen inire volentes
Accedunt: notus quilibet esse solet.
Tunc in paginulis quidam horum nomina si-
[gnat,
Inde has claudit, quae fictilis urna prope est.
Extrahit has binas servato iure Minister,
Tradit praeconi: hic vociferando legit.
Vix horum auditur nomen, qui ad bella vo-
[cantur,
Quum sese ad pugnam promptus uterque
[paret.
Brachia, colla, humeros confestim, et pectora
[nudant:
Implicat in nodum dextra, ligatque comas.
In communem ergo audacter descendit are-
[nam
Alter, et intrepidus protinus hostis adest.
Tunc bene dispositis et plenis robore mem-
[bris
Spectator plaudit, notaque facta canit.
Se sibi luctantes opponunt ergo vicissim,
Atque ori obiiciunt os, manibusque manus.
Contrahit hic collum, quin sese curvat in ar-
[cum,
Uniat ut vires, fortis et esse queat.
At genua ille super palmam dum figit utram-
[que,
Se immotum statuit, consociumque ciet.
Ambo oculis vigiles, manibusque ad cuncta
[paratis
Insidias tentant, insidiasque timent.
Hunc simulant, alium exercent sed brachia
[motum,
Quippe student hostis membra tenere dolo.
Hic pede crura quatit socii, ictibus ille resi-
[stit,
Et vim vi pellens, firmior est pedibus.
Inde manum manus arreptat; sunt proxima
[membris
Membra, et iunguntur pectora pectoribus.
Robur ii in nervos, hostem prosternere tentat
Hostis, et assiduo est nulla labore quies.
Hic circum trahitur, flectuntur crura, videtur
Iam labens, titubant membra, pedesque
[simul.
Sibilat en populus, trepidantis corpore lap-
[sum
Exspectat; prope humum pendet, ut inde
[ruat.
At nisu crura hic validans, et viribus auctus
Casum declinat liber, et insidias.
Fervidus amborum manat de corpore sudor,
Atque frequens halitus pectus utrique quatit.
Ut vires autem removent, utrique Minister
Vinum offert: ambo terque quaterque bi-
[bunt.
Ad pugnam redeunt, paleam dat quilibet ori,
Exeat ut lento tramite ab ore halitus.
Post varios manuum lusus coniuncta vicissim
Membra novis iterum sunt agitata modis.
Alter in alterius lapsum studet, impete facto
Vinciit hic artus hostis utraque manu.
Crus celer inde illi circumdat crure retorto,
Eius, se flectens, membra propinquat humi.
Dein furiis furias et vires viribus addens
Se iacit in socium: iunctus uterque cadit.
Is tamen est victus, qui subtus sternitur. Ergo
Victori plaudens dat tuba laeta sonum.
Surgunt luctantes, ori dant oscula pacis,
Ne vera in fictis ardeat ira iocis.
Succedunt alii servato hoc ordine pugnae,
Hostem quî possit sternere quisque suum.
Pagina, quae victae servabat nomina Gentis
Frangitur, haec quippe ad bella redire ne-
[quit.
Victores luctam renovant; sunt denique victi
Iterum alii atque alii, praelia qui repetunt.
Tres tandem remanent, quos nullus terruit
[hostis:
Mercedem his ergo praemia trina parant.
Pileus est huius, qui primus decidit; alter,
Quas texunt caligas serica fila, capit.
Nunquam proiectus, quod pendet grande bra-
[bium,
Ultimus acquirit: gaudet amica cohors.
Ergo, tubae ad sonitum, conclamant undique
[Gentes:
Concussis manibus plaudere quisque cupit.
Victoris nomen repetunt, sectantur euntem
Plaudentes pueri, dum redit ille domum.
Sic ludi finis. Ludo nos plura docemur;
Vera etenim nobis dat documenta iocus.
Tot patimur vili nos pro mercede labores;
Sintque graves nimium, dicimus esse leves.
Desipimus miseri! Lucra haec tam sordida
[amamus:
Vera, aeterna Dei munera despicimus.

Iocosa

Tuccius Magistro:

— Num, magister doctissime, obiurgandus et puniendus est homo de eo quod non fecit?

— Minime quidem, Tucci mi.

— Ah! sum itaque securus.

— Curnam haec?

— Quia pensum externa die a te mihi datum minime absolvi!

Magister Tuccio:

— Quid fit de auro, si diu illud libero aëri expositum reliquerimus?

— Pro certo teneo futurum ut a fure aliquo rapiatur!

***

Aenigmata

I.

Visere, lector amande, velis nymphasque deas-
[que?
A ridet speculo lympharum blandus, amoe-
[nus.
O patet in numeris, terraque, marique libris-
[que.
U sacer est divis per murmura fontis aqua-
[rum.

II.

Assolet *anterior* semper deposcere causas.
Utilis atque *alter,* vel lutulentus, erit.
Si *caput* inde mihi, lector, tu demere velles,
Exoritur facies horrida quadrupedis.
Denique si dira et segni cruciare podagra,
Nequidquam tentes; non tibi *totus* erit.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Fames;* II) *Canis.*

IOSFOR.

Novissime prodiit

IOSEPHI FORNARI fasciculus alter, cui titulus:

Communia vitae

(Voces animalium – De officiis)

constans pag. 48. – Ven. lib. 3 apud *Almae Romae* commentarii Administrationem (Romae, 12 – Via Governo Vecchio, n. 96).

LEO IV

19

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA.

Octavius praebet Pontifici epistolam raptissime descriptam, nec ipsam obsignatam. Tum Pontifex elata voce legit:

« Tibi, Pater, cunctis sit Romanis sa-
[lus!
Deus vocavit magna me clementia:
Ad Ipsum, Pater, festinanter redeo!
Tuis cumulasti probe me muneribus,
Meosque socios perfidi consilii ...
Te quaerebamus, Pater, nos confo-
[dere,
Vos, et Romani, in servitutem tradere.
Afros vocavi, suscitavi milites,
Inter Romanos Afros trusi plurimos,
Magnis nos abrepti Romae divitiis ...
Ter Te sum nisus mactare gladio,
Ter me repulsit manus sed divinitus ...
Multis profundis tactus at vulneribus,
Nova divina circumfusus gratia,
Te moriturus, Te salvere volui,
Meoque incendium excitatum brachio,
Mea velim vita gloriose extinguere.
In hostes ultro curro confertissimos,
Mori decorum pugnans pro Pontifice;
Meum sic facinus mundabo sanguine.
Mei memento saltem coram Domino ».

OCT. Nec amplius dixit; noster ut Scevola
In suos strenuus sacratus irruit ...
Et mille gladiis percussus lanceis,
Cuncta auspicatus Romae fausta occu-
[buit.

THEOD. Sic morte pulcra reparavit crimina,
Quae in Urbem gesserat et multa et
[turpiter!

LEO. Absit iudicium! Deo sit iudicium!

OMNES: Suo qui nunc modo iudicavit gravi.

LEO. Deus sic ostendit, timendis casibus,
Suum Pontificem saepe circumdari,
Eumque subdolis cingi fallaciis,
Rapi feliciter semper incolumem,
Quamquam sunt plurimi spissique la-
[quei.

SCENA ULTIMA.

MULTI MILITES, *pulvere cooperti et sudore, introgrediuntur canentes:*

Urbis superbae soboles,
Pulsavit hostes perfidos;
Sitim foventes auream,
Mittit bibendum flumine!
Evoè! Evoè! Evoè!
Mittit bibendum flumine.
Honor datur Pontifici,
Petri docentis aemulo,
Qui fortis armis agmina
Tot Barbarorum dissipat.
Evoè! Evoè! Evoè!

LEO. Hostes sunt victi, dilabuntur pavidi!
Et ille vicit nupera qui gratia,
Confossus gladio gloriosus cecidit,
Pro Christo militans, moriens pro patria.
Deo dum gratias nos agemus maximas,
Dedit qui nobis celebrem victoriam,
Preces addemus multas in subsidium
Eorum Romae nuper qui tutamini
Mortem conspersi subiverunt meritis.
Hos Roma laudibus prosequatur pre-
[cibus
Deus coronet omnes cum caelitibus. [1]

OCTAVIUS *progressus in scenam dicit:*
Quoniam Roma liberata ab hostibus
Fuit Pontificis sancti consilio,
Ei detur plausus, spectatores optimi.
Quid autem nobis vos dicetis pueris,
Qui per aetatem strenue pugnavimus?
Ut usque sani nos crescamus, alacres,
Deo fideles, salus atque patriae.
Placet?... Et nobis vestrum plausum date!


FINIS.

[1] Exit cum militibus.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 150.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus

Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

Sedes filiae in Italia praeter 200

Sedes filiae apud exteras gentes:

In Gallia. - Parigi, Lione.

In Hispania. - Madrid, Barcellona, Tarragona, Montblanch, Borias Blancas, S. Coloma de Queralt, Valls.

In Helvetia. - Lugano, Chiasso.

In civitate libera Flumana. - Fiume.

In Aegypto. - Alessandria, Cairo, Porto Said, Mansourah, Mit Gamr, Tautah, Beni Mazar, Beni Souef, Fayoum, Magagha.

In Turcarum imperio. - Costantinopoli.

In Asia minore. Smirne, Adalia.

In Syria. - Aleppo, Beyrouth, Damasco, Tripoli.

In Palaestina. - Gerusalemme, Caiffa, Giaffa.

In insula Melita. - Malta.

In Aegeo mari. - Rodi.

☞ ***Omnia pertractantur quae propria Mensae Nummariae sunt.*** ☜

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

IOSEPHI FORNARI **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda. - Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* - Lib. 2,60. — Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* - Lib. 3,00.

IOSEPHI FORNARI **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. - Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

HERMINII IACOBELLI **In campo latinitatis novi flores.** - Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo, lib. 5.

I. B. FRANCESIA **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. - Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Ann. X Romae, Mense Martio MCMXXIII Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

MONITA.

Ut in superiore numero nunciavimus, fasciculus alter phrasium et formularum ad colloquia latina instituenda a nobis editus est, cui titulus:

COMMUNIA VITAE.

Voces animalium - De officiis.

Pretium huius fasciculi est libell. 3 Romae; extra Urbem addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.

Monemus quoque lectores nostros nonnullas ALMAE ROMAE **collectiones** nos recens componere integras valuisse, quas venales constituimus pretio libellarum 200 pro Italia; duplicato pretio, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus quam Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphem (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12 - Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium posuimus, non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependere possimus.

A. R.

QUIBUS PRINCIPIIS NITI DEBEAT VERA NATIONUM SOCIETAS [1]

III.

Is esse debet supremus Societatis Nationum scopus, germanitatem illam tueri et integram custodire.

Ad quem finem obtinendum, duo praestanda videntur, nempe ut singulae gentes per propria media, iuxta uniuscuiusque indolem, prosequi, et sese evolvere motu intrinseco, absque coactione, valeant, et concordia inter omnes nationes ita vigeat, ne unquam iustitia naturalis aut ius gentium violentur. Hac ratione induci poterit pax summa, quae vocatur ab Augustino « tranquillitas ordinis ».[2] Animadvertas quam pulchra et plena et egregia sit definitio haec ab Hipponensi Doctore tradita. Pax non est tranquillitas tantum, eo quod possit haberi tranquillitas apparens, fucata aut coacta, vel prava, sicut etiam sunt mala mentis gaudia; nec est ordo tantum, eo quod possit ordo perturbari, violari, sperni; sed pax est simul

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Cf. AUGUSTIN., *De Civitate Dei*, lib. XIV, c. XIII; *P. L.*, XLI, 640.

tranquillitas et ordo, scilicet tranquillitas in ordine, et ordo in tranquillitate, seu melius, tranquillitas ordinis.

Iamvero quid sit ordo exponit Augustinus, ibidem: « parium - nempe - dispariumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio ». Importat igitur ordo multitudinem, inaequalitatem ac diversitatem, parium dispariumque rerum; et simul unitatem, ut scilicet res illae diversae in unum coeant, unaquaeque in propria destinatione consistat, et omnes ad aliquid commune conspirent: « sua cuique loca tribuens dispositio ». Et haec unitas est principium ordinis.

Ut igitur vera constituatur societas nationum, oportet tueri simul et iura diversorum ac dissimilium populorum, et unitatem, quae ordinem custodiat, et impediat ne oriantur conflictus.

Imprimis agnosci et attendi debent gradus, inaequalitas, quae ex ipsis rerum naturis resultant: sicut homo supponit Deum, familia subaudit hominem individuum, et patria post familiam, et humanitas universa post patriam venit. Hic ergo in dilectione servandus erit ordo, ut ante omnia et super omnia diligatur Deus, deinde pater et mater, et ceteri qui intra familiae limites continentur; deinde patria, demum humanitas universa; tametsi, sub alio respectu, quemadmodum pars propter totum, ita familia operetur et patiatur propter patriam, et patriae omnes in bonum totius humanitatis, oportet. Fas non est societati nationum ordinem invertere, qui a naturae auctore oritur, aut quod Deus coniunxit separare.

IV.

Inde aliud fluit principium: sicuti homines singuli, dum membra fiunt familiae vel patriae, non ideo amittunt esse individuum et personam propriam, ita necesse est ut in societate nationum singulae gentes, etiam quae parvae et exiguae dicuntur, nedum absorbeantur, imo cum sua propria indole sese evolvant. Quum enim progressus sit in vita et vitam varietas iuvet, diversae illae nationes, seu diversi nationum « typi » (*les types nationaux*) ad prosperitatem totius conspirant. Quapropter parvas gentes ac typos illos supprimere aut absorbere, esset sterilitatem inducere, ac violentiam, quae vindictam minatur. Quo sensu scribebat Benedictus XV. die 20 Iulii 1915: *Les nations ne périssent pas. Humiliées et opprimées, elles portent en frémissant le joug qui leur est imposé et préparent leur revanche.*[1]

At, si singulae gentes ius habent conservandi « esse individuum » ac vitam propriam, ipsis quoque ius esto retinendi formam regiminis, quam sibi libere elegerint, vel aliam, pro temporum opportunitate, assumendi. Quod egregie exponit Leo XIII, in encyclica *Immortale Dei*. « Ius autem imperii - inquit - per se non est cum ulla reipublicae forma copulatum: aliam sibi vel aliam assumere potest, modo utilitatis bonique communis reapse efficientem ».[2]

Una Christi Ecclesia formam habet immutabilem voluntate Conditoris, qui erat, qui est, qui venturus est, nam *Iesus Christus heri, hodie et in saecula.*[3] At ceterae societates civiles recte possunt aliam sibi formam, vel aliam assumere.

Abusus ergo rea fieret societas nationum, si decerneret unam dumtaxat in posterum fore regiminis formam, ceterasque esse prorsus illicitas et eliminandas. Quemadmodum ius proprietatis privatae debet in singulis hominibus inviolatum consistere, ita quoque debet in singulis populis integrum remanere ius propriam

[1] *Acta Apostolicae Sedis*, t. VII, p. 365.

[2] Leonis Papa XIII, *Opera*, vol. V, pp. 120, 121. Cf. *Lettre encyclique aux Archevêques, Evêques, au clergé et à tous les catholiques de France*, 16 Fév. 1892.

[3] *Ad Hebr.*, XIII, 8.

regiminis formam eligendi, secus non essent proprii iuris, nec rationem societatis absolutae retinerent.

In hypothesi tamen qua gens quaedam abusa esset forma in se legitima contra finem generalem et bonum omnium commune, iam ad societatem nationum spectaret efficaces adhibere sanctiones, iuxta inconcussa fundamenta iuris naturalis et iuris gentium.

V.

Iterum valet concentus populorum statuta condere de pace servanda, de armis paullatim supprimendis, pacta tot communire praesidiis, ut bellorum pericula minuantur, et lites ac dissidia per arbitratum componantur. Verum potestne societas nationum hunc rerum ordinem stabilire, ut bellum nullo casu nullave ratione unquam fiat?

Licet res in se inspecta optanda foret, non tamen possibilis evaderet. Imprimis quippe ius belli gerendi iustis de causis pertinet ad integram constitutionem reipublicae perfectae, et id poscit ordo naturalis, ut scite animadvertunt Doctor Hipponensis et Doctor Angelicus: « Ordo naturalis paci accommodatus - ait Augustinus - hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque consilium penes principes sit ».[1]

Quare, si nulla gens in posterum retineret auctoritatem suscipiendi belli iustis de causis, nulla iam remaneret respublica completa, perfecta; sed unica societas absoluta in terrarum orbe foret societas gentium, ac ceterae iam proprio iuri cederent.

At posuntne huic iuri renuntiare, nisi certo ipsis constet ordinem nunquam violatum iri in futurum?

Si reponatur, omnes dissidiorum causas ita deinceps esse eliminandas, ut nunquam iustitia laedatur, aut per arbitros tum componendas, ut locus unquam esse nequeat bello, iam inducitur chimaera, seu potius oblivioni datur dogma originalis peccati.

Hoc est itaque principium semper recolendum, quod tamen minime attendunt plures viri, qui societati nationum exstruendae operam navant, humanitatem nostram eam non esse quam ipsi fingunt, absque naevo, macula, vitio, propensione ad malum, sed, e regione, humanitatem lapsam, infirmam, quae liberum arbitrium habet viribus attenuatum et inclinatum, ut loquitur Concilium Tridentinum.[1]

Exponit Apostolus magna eloquentiae vi tantam in genere humano esse peccati servitutem, ut nequeat liberari et bonum facere nisi per gratiam Christi « Velle adfacet mihi, perficere autem bonum non invenio .. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum ».[2] Concludit pariter S. Augustinus *decem mandata* non posse hominem adimplere, nisi gratia adiutum.[3] Doctrina iam catholica est, licet non definita, quam exponit Angelicus,[4] imparem esse hominem servando decalogo et diu vitandis peccatis absque gratia Mediatoris.

Si autem nequit homo, qua individuus, legem naturalem absque divino auxilio adimplere, quomodo valebunt nationes ipsae, tali subsidio destitutae, praecepta decalogi custodire, ius gentium tueri, atque fidem pactorum et iuramentorum ita servare, ut praecaveantur omnes belli casus? Quocirca praedixit Christus bella fore usque in finem saeculorum, imo inter signa quae consummationem omnium prae-

[1] S. Augustin., *Contr. Faust.*, lib. XXII, c. LXXV; *P. L.*, XLIII, 448.

[1] Sess. VI, cap. 1. - Quod fuse exponimus in nostro libro *De gratia*, q. II, Paris, Lethielleux.

[2] *Ad Rom.*, VII, 14-25.

[3] S. Augustin., *Serm. XLVIII*, c. IX, etc.; *P. L.*, XXXVIII, 1160.

[4] *Sum. Theol.*, Ia, IIae, 109, a. 4 et a. 8.

nuntiabunt, ponit *bella,* pestilentias et fames. [1]

Hinc iterum concluditur gentes ipsas indigere virtute Salvatoris atque ope et efficacia religionis, nec remedium afferri posse, nisi constituatur iterum « christianitas », vera societas nationum, et stabiliatur pax Christi in regno Christi, ut monet Summus Pontifex Pius XI.

(Sequitur).

EDUARDUS HUGON, O. P.

[1] MATTH., XXIV.

S. ALFONSUS M. DE LIGORIO

musices non minus quam carminum auctor

Sanctus Alfonsus M. De Ligorio musicen non minus quam poësim egregie callebat; itaque suos versus apto etiam cantu exornare solitus erat. Ex huiusmodi cantilenis complures, certa et constanti traditione, ad nos usque pervenerunt: quod profecto dicendum est de modis, quibus in Italia nonnulla eius poëmata cani adhuc solent. Hae cantilenae omnino faciles sunt ac populares; et in iis commentandis huc spectaverat Alfonsus, ut lubricis et profanis cantionibus, quae passim in usu erant, pia opponeret carmina, quae a populo concinerentur.

Verum, praeter huiusmodi cantilenas populares, composuit etiam Alfonsus in alterum eorum carminum, quae de Passione Dominica scripsit, opus musicum mira arte elaboratum, quod apud peritos in summa est existimatione. In eo cantu, recitat primum vox singularis *Apostrophen ad Pilatum,* Christumque describit Calvarium petentem. Tum sequitur *Dialogus* seu *Bicinium inter Christum et animam.* Vocibus autem additur sonus fidium et cymbali ab Alfonso similiter notatus.

Hoc opus, quum, ante aliquot decennia, Londini primum in lucem fuisset editum, iterum typis mandatum est Vindobonae anno MDCCCXCV. Utraque autem editio refert codicem scriptum, cui, Londini in Museo Britannico asservato, hic est titulus: « *Duetto tra l'anima e Gesù Cristo, con violino, del Rmo P. D. Alfonso di Liguori, Rettor Maggiore del SSmo Redentore. A. 1760* ». Scriptura quidem Londinensis e manu s. Alfonsi non prodiit; at duas habet in textu immutationes, propria Alfonsi manu adiectas.

Hoc celebre bicinium commemorabat iam, sub initium elapsi saeculi XIX, fidus Alfonsi biographus Antonius Tannoia, qui quum dixisset Alfonsum etiam senem, musicam et poësim non intermisisse, haec subdit: « Inter eius cantus, Dialogum habemus inter animam et Christum dira quaeque passum: quem decantari iussit inter catechesim et concionem, quo tempore exercitia spiritualia tradebat Neapoli, in ecclesia S. Trinitatis a peregrinis nuncupata ».

En carmen de quo agimus, quod ipse integrum latine reddere contendi:

APOSTROPHE AD PILATUM.

Pilate, quem tu, iudicum nequissimus,
Es innocentem saepe fassus, siccine
Iesum, bilinguis impudensque, pessimi
Latronis instar, in crucem iubes agi?
Quid profuit, cruente, flagris caedere,
Quem mox atroci destinabas funeri?
Minor fuisset culpa, culpae nescium
Neci dedisse, turba quum ferociens
Ferale primum *Tolle! Tolle!* sustulit?

At iste quo spectat tumultus militum?
Quo plebis, hinc plaudentis, inde flebilis,
Confusa vox, acri subinde buccinae
Clangore tecta? Fertur heu! sententia,
Iniquitas qua damnat Innocentiam.
Iam cerne (res indigna!) cerne sanguine
Iesum madentem, dum solutis viribus,
Procedit incerto gradu, vestigiis
Signans cruentis, quam perambulat, viam.
Trabalis illi crux flagellis saucium
Collum premit, premuntque serta spinea
Frontem, supremi quam verentur Caelitum.
Divine Rex! hac te corona ludicra,
Hac te cruenta cinxit una Caritas!

DIALOGUS
INTER ANIMAM ET CHRISTUM.

A. - Quo, Christe, pergis?
CH. - Scandere
Pro te laboro Golgotham.

A. - Ergo meorum criminum
Poenam luendam suscipis;
At me videbis alteram,
Mori paratam, victimam.

CH. - Consiste, vimque cogita
Amoris erga te mei;
Ac me vicissim dilige,
Quum funeratum videris.

Consiste, meque mutuo
Amoris auge praemio:
Dona cor ipsum, perpeti
Mihi sacrandum foedere.

A. - Tu grata, Rex amabilis,
Et aequa poscis munera;
Cor ergo, meque, foedere
Tibi perenni consecro.

F. X. REUSS.

CRUCIS SIGNUM

multis iam ante Christum saeculis tamquam vitae nota habitum

Quae sum hîc traditurus, iuvenis ego a Mariano Armellinio accepi, clarissimo illo Ioannis Baptistae De Rossi discipulo, qui nimis heu! maturo fato concessit; felix quamquam, cui contigit supremum spiritum in schola improviso edere, quum sacrae antiquitatis Urbani Pontificii Collegii de Propaganda Fide alumnis doctrinam tradens, verborum vim exponeret, quae passim in Christianorum antiquis sepulcris leguntur: « A terra ad Martyres ». Profecto in eius adventu Martyres eum susceperunt!

Ille igitur nos admonebat ne admirationem susciperemus, quum diceret crucis signum multis iam ante Christum saeculis, haud explorata satis traditione, redemptionis, vitae atque beatitudinis notam fuisse. Indubium est enim apud populos veteris Aegypti, tot mysteriis implicitae, vitae signum, quod *Ank* nuncuparunt, crucis formam praeseferre. Quod quidem signum vocatum est etiam « clavis Nili fluminis », et flumen ipsum a vita dictum, atque numinum praecipua nota. Serapidis autem templo deleto, eius et in petris signum idem, tamquam immortalitati servatum, recognitum est. Thebis deinceps, ac Memphi, sphingis immobili custodia tecta, crux veluti aenigma futuris solvendum saeculis, in obeliscis, in hypogaeis, in Pharaonum feretris exstitit.

Nemo igitur oppugnet antiquitatis populos, ignota - inquam - ex traditione, salutis atque felicitatis sensum cruci tribuisse. Sic in ultimo Oriente Brahmae discipuli *soastika* illud vocabant signum, quod nos vulgo *crucem gammatam,* vel *Gazae crucem* appellamus.

Quod si ex torridis Asiae regionibus ad rigidas poli terras ascenderimus, ibi quoque crucis signum virtutem suam peculiarem indicans inveniemus. Aderat venerabile indicium in septentrionali quoque mythologia suamque vim servabat, sacrumque veluti stigma omnibus imponebatur, quae divinis templis inserviendis adhiberentur.

Quid plura? Ignota sane historica impellente causa, cuius tamen effectus censura perquam rigida, quam vulgo *artem*

criticam nuncupamus, probavit, crucis forma in Americanis ipsis terris reperta est, quum Cortesii atque Pizzarri legiones eas occuparunt. Quod quidem adfirmare possumus viri auctoritate innixi, quem hodierni philosophi omnes magni faciunt, Alexandri Humboldt, qui scripsit haud ferme inter fictas fabellas cruces illas referendas esse, quae Cozumel et Yucatan invasores tanto stupore perculerunt.

Atqui plures scriptores, quum recens inquirerent quanam de causa inter barbaras utriusque Americae tribus crux reperta fuerit, id commerciis cum Hiberniis antiquitus commutatis tribuerunt, quae saeculo decimo Groënlandiam terram invisere. Difficultatis vero nodus non ita solvitur. Profecto haud inficiamur, Groënlandenses vel, si melius arrideat, Nestorianos Sinensis Imperii fideles, procella forte in Californiam peninsulam iactatos, crucem ad Americas afferre potuisse; at signum illud diu ante eam aetatem inter *aztechas* litteras proculdubio conspiciebatur. Exstabat enim sacras inter picturas et primi peccati, et diluvii, et babelicae confusionis memoria; eccur igitur christianae fidei nota novis etiam in terris Christum non praecurrit, velut in antiquis ante venerat? Quid enim mirandum magis atque insignius, quam crucem in *Pentateuchon* sacris libris decimoquinto ante Christum saeculo reperire, eamque a David, psalmorum vate, descriptam audire, et ab Ezechiele propheta significatam mille ante Incarnationem annis? Propheta « Iustum » repraesentat insueto morientem supplicio hebraicis legibus prorsus ignoto, quibus vix octoginta post et octigentos annos additum est a Romanis.

Aeschylus ipse, Eleusinis sacris initiatus, mythologicam traditionem revocare videtur, quae narrabat Prometheum Caucaso in monte super cruce expositum; idque ut plane significaret, numen ad alterius numinis iram placandam pati.

Quid iam? Plato etiam, Nili fluminis in templis frequens discipulus, tam fideli traditione « Sanctum » flagellis percussum, ac deinde crucifixum exhibet, ut vel Iacobum Rousseau exclamare coegerit: « Iesum Christum ad unguem scriptor describit! »

Quare, usque dum quispiam contraria probaverit, sacrum crucis signum iure habendum est veluti pignus divinae sponsionis in Eden elicitae, hominibus quodammodo revelatum, qui ipsum pariter fidelissime sacrum veluti pignus custodierunt, ad diem usque, in qua crux est tamquam divinae redemptionis simulacrum elata.

X.

PARASCEVE ERAT...

Sanguis eius super nos
et super filios nostros.
(Matth., XXVII, 25).

Quid, Solyma, exclamas horrendo abrepta furore?
Quod tantum, o demens, excidit ore nefas?
Tu divinum optas Christi manare cruorem,
Teque super fundi progeniemque tuam.
Compos eris voti. Descendet sanguinis imber,
Et te supremum merget in exitium.
Aspice: iam nubes glomeratur pulveris atri,
Proceditque minax litore ab occiduo.
Turbine de medio iam tela micantia cerno:
Terribili sonitu iam strepuere tubae.
Te vallo atque armis acies cinxere latinae:
Arietibus crebris moenia pulsa labant.
Interea furis, et conflas civilia bella,
Et te dilaceras viribus ipsa tuis.
Te macie obductam rabies agit improba ventris,
Quam sequitur morborum omnium acerba cohors.
Urbs antiqua, potens, multos dominata per annos,
E celso tandem culmine victa ruis.
Fumat humo, flammis superantibus, inclyta sedes
Quae fuerat veri numinis, alma Sion.
Sic tu persolvis sceleratas denique poenas,
Inque tuum redeunt impia vota caput.

A. Basili.

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.[1]

II.

Peculiaris actio mentis ad pulchrum, *contemplationem* vocari diximus, quae a S. Thoma definitur: « Perspicax et liber contuitus animi in percipiendis ».[2] Aliis verbis *contuitus* vel *intuitus* hic mentis est pulchritudinem immediate apprehendere et in eius apprehensione conquiescere. Pulchrum enim est obiectum formae « claritate » elucens, ideoque per immediatam sui ostensionem facile intellectum movet ad contemplationem, eumque defixum tenet in obiecti admiratione et voluptate.

Haec mentis operatio primum differt a cognitione ad scientiam pertinente, seu « discursiva »; quae de principio cognito procedit in cognitionem alterius, quod erat ignotum. Hinc in cognitione « intuitiva » mens quiescere dicitur: ex adverso, cognitio discursiva motui comparatur, quia ex notis ad ignota progreditur.

Haec de contemplatione tenenda:

a) Contemplatio reipsa pertinet ad intellectum, sed principium et terminum habet in affectu, scilicet in delectatione et amore: « Dicendum quod vita contemplativa, licet essentialiter consistat in intellectu, principium tamen habet in affectu, in quantum videlicet aliquis ex charitate (amore) ad... contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio, inde est quod etiam terminus et finis vitae contemplativae habet *esse* in effectu, dum scilicet aliquis in visione rei amatae delectatur, et ipsa delectatio rei amplius excitat amorem ».[4]

b) In ipsa contemplativa virtute necessario invenitur pulchritudo: haec consistit in integritate, in debita proportione et claritate, quae tria penitus in intellectu sunt. « Et ideo in vita contemplativa, quae consistit in actu rationis, per se et essentialiter invenitur pulchritudo, unde et Sap. VIII, 2 de contemplatione sapientiae dicitur: *Amator factus sum formae illius.*[2]

c) Omnes virtutes morales reddunt hominem aptum ad contemplationem, praecipue temperantia, quae reprimit concupiscentias maxime lumen rationis obscurantes, et castitas, quae delectationes corporeas, mentem attrahentes ad sensibilia, fugit.[3]

d) Primo et potissimum divinae veritatis et pulchritudinis contemplatio ad vitam contemplativam spectat, quia huiusmodi contemplatio est finis totius humanae vitae: disposite vero, et quasi secundo, divinorum effectuum seu veritatum et pulchrorum contingentium contemplatio.[4]

e) Quamvis unico actu contemplatio perficiatur, per varias tamen animi operationes ad eam homines perveniunt, ut visione, auditione, lectione, meditatione, cogitatione, consideratione...[5]

f) Ipsa admiratio, quae est species timoris consequens apprehensionem alicuius rei excedentis nostram facultatem, est actus consequens contemplationem sublimis obiecti.[6]

Contemplatio igitur ex parte quadam in effectu consistit. Phantasia autem mirabili modo contemplationi cooperatur. Praestantia enim et vivacitas phantasiae

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *S. Theol.* IIª IIæ q. CLXXX, a. 3 ad 1. - Haec definitio quam refert S. Thomas, est Richardi de S. Victore. - Cfr. *De contempl.*, lib. I, cap. IV in princ.

[1] S. Thomas, *ibidem*, a. 7, ad 1.

[2] *Ibidem*, a. 2, ad 3.

[3] S. Thomas, *ibidem*, a. 2, c.

[4] *Ibidem*, a. 4, c.

[5] *Ibidem*, a. 3, c.

[6] *Ibidem*, a. 3, ad 3.

in recipiendis, retinendis, reproducendis, ordinandis in semetipsa rerum sensibilium imaginibus, ipsis obiectis absentibus, efficit ut mens prompte, libere et clare, idest « intuitive », proprietates perfectionesque illarum rerum essentiales contempletur, admiretur, seu rationem pulchritudinis in eis apprehendat. Ex altera parte ipsa praestantia et vivacitas phantasiae ope suae repraesentationis, vim nervosam (fluxum vel effluvium nervosum) excitat, properat motus cordis, viscera commovet, animum omnesque vitales spiritus inflammat; inde emotiones, affectus, aestus; hinc raptus et exstases, quas aliquando patiuntur eximii amatores, iudices et pulchrorum operum artifices. Et vicissim affectus phantasiam inflammant, eamque ad agendum velociorem reddunt.

Igitur externorum sensuum praestantia phantasiae deservit, praestantia phantasiae directe operationi intellectus affectuumque motioni suam operam confert. Propter haec et alia nobilissima munia phantasia fertilis, viva, aeque librata, summis laudibus prae sensibilibus facultatibus merito ad caelum tollitur. Ex adverso qui segni aut ignava, qui nimis vivaci et effrena phantasia donantur, ii male dispositi sunt ad pulchrum gustandum.

Hisce positis, iam ad aesthetici gustus definitionem proferendam eiusque elementa enucleanda procedere possumus.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORE.

Magis cogitare debetis quid vobis desit, quam quid vobis adsit: quod habes, cave ne perdas; quod nondum habes, supplica ut habeas: in quantum sis minor est considerandum, non in quantum sis maior. Si enim cogitas quantum praecessisti alterum, time tumorem; si vero cogitas quantum tibi deest, ingemiscis, curvaris et humilis eris, tutius ambulabis, non praecipitaberis, non laberis.

S. BERNARD, *sup. Cant., serm. LIX.*

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Iacobus Tasset Iosepho Fornari doctori salutem dico.

Res novas verbis usitatis ego, tu novis, e concordi studio, licet diverso, aggredimur dicere. Nomina nuper inventa – licet enim, semperque licebit – perge producere. Transferendos in omnes ego sensus, adhibere qua ratione ac via possimus verba de more electa, innumerabilibus amotis ostendam artium vocabulis.

Mensuras enim dierum atque noctium Caesar *ex aqua* mavult, quam officinarum *clepsydra* dictione significare. Nomina quo tandem pacto possemus, ex omnibus linguis, nova et vetera in sermonem nostrum, pari numero ac opus sit, congerere, quum quatuor haec anglica: *mister, esquire, sir, gentleman,* sententiarum certis distincta locis, gallica *monsieur* una dictione cogemur reddere? Verborum millia decem denis centenis millibus signandarum rerum sufficiant oportet. Ideoque quid cuiusque rei sit insigne quaerimus, et quo tandem verbo, potissimum sit ea nota demonstranda.

Nominis alieni vim vel in ipsius perscrutemur articulis: ut incorporalis illa *automobilismo,* quae dicitur, notitia *per vires suas* (auto) *agendi vehiculi* (mobil) *ratio* (ismo) est. Sed ad rem subiiciendam oculis novam, novo quid opus est verbo, quum nominis usitati novus abundet usus? Currus enim pedestris gestationes, rotis citas cohortes, milites a rotis qui praefecto suo sint, et facta pedibus ac rotis itinera, perennis videt animus, mutationis expers. Et sicut coniunctae syllabae inter se, verba nihilo secius composita sensus efficiunt quoscumque voles.

A remis agendis ut sumam exempla: scapha remis vel scalmis est per transtra *singulis* aut *binis* instructa. Quod *single-banked, two-banked* Britanni, *à pointe* autem, *à couple* Galli dicunt. Ipsi *la godille* piscium partis instar posterioris, *intorto motu* vocant remum agendum. Sic: naviculam Venetus gubernator cubiculatam sinuosa remi motione propellit. Verum etiam *la pagaie* manibus solis sublevatur, quum scalmi careat fultura. Hyperborei carabos suos fulcri remis expertibus agitant.

Artificum autem stilos, caulium calamorumque figura, ad scribendum, delineandum, formandum atque fingendum utiles, pluribus quam pro rei necessitate nominibus vulgaris consuetudo appellat. Equidem: *ébauchoir, crayon, porte-plume, porte-crayon, porte-mine. Fictoris* est enim *stilus ligneus,* quo ceram mollem artifex format et fingit. Item *stilus metallicus* vena constat mollis (ut est plumbago) metalli, quae ligneo est inclusa caule. Vis delineare? stilum circumcide, et eius acue metallum. Generis eiusdem *stili* est *pigmentarius.* Colorem puer imagini stilis pigmentariis induit. *Rostrati* alii sunt, inter quos *iuges.* Non scalpit iam scriba calamum, neque pennam, quum vitreum habeat plenum atramento stilum, aureo stillantem rostro. Adde capulorum genera duo, quo metallicum stilum teneas, et quo metallum nudum. Gemelli veneunt etiam stili, caules sive capuli, catena iuncti, quorum alter metallum capit, alter humorem.

Quae quum ergo sint tuo, eruditorumque aliorum iudicio a me subiecta, qui probabilis nullus sermone vel patrio sum scriptor, nec orator: multo meliora proponent meliore nati Minerva. Cogitata temporis nostri si quis elocutus verbis erit ab origine semper et usque latinis, hi novi demum sunt flores, quos in campo latinitatis diligens arbiter serat Herminius Iacobelli. Vale.

NUPER NATA NOMINA LATINE REDDITA

Iosephus Fornari Iacobo Tasseto v. cl. s. p. d.

Redeo ad te, o rerum dulcissime, ut ea, quae in ceteras voces a te propositas de nuper natis nominibus animadvertenda habuerim, expleam.

Res igitur, quae, a vestro vocabulo *quincaillerie* nomine in Italiam inducto, *chincaglierie* vulgo apud nos audiunt, tu *metallica* latine exprimere mavis. At *metallum,* ut explicat Forcellinius, materiam illam duram Latini semper nuncuparunt, quae ex terrae visceribus effoditur, ut aurum, argentum, ferrum, aes, plumbum, gemmas et sim.; ne dicam de vocabulo *metalla,* ad ipsam fodinam indicandam, unde metallum aliquod traheretur. Atqui ista *chincaglierie* non ex metallis tantum conficiuntur. Quod si mihi opposueris, interdum et cretam puteolanam inter metalla esse relatam, addam et ex alia quoque materie, ut vitrum, *minuta* haec nostra fabricari. Aedepol! vocem iam protuli, per quam *chincaglierie* latine exprimi deberi credo, Res enim minutae, sive *minuta,* generale apud Latinos nomen erat, quo scruta omnis generis vocabantur. In mentem revoca Ciceronem (*Cluent.,* 64): « In auctione quadam vidisse in rebus minutis aduncam et tortuosam venire serrulam ».

Linoleum, non meabilem texturam illam recens inventam, cui nomen apprime latinum imposuerunt, in *stragulum ex corchoro capsulari* vertere tibi placet. Nescio equidem an textura ipsa ex herba illa humili, altitudine palmum non excedente, quae in hortis et aquosis locis nascitur, fructu tenero, foliis pusillis, rotundis, in terram iacentibus (PLIN., *Hist. nat.,* XXV, 13, 92), deducatur; quemadmodum ignoro adiectivum illud *capsularis,* quod ex lexicis frustra quaesivi; scio ex adverso *stragu-*

lum de vestibus omnibus dici, quae sternuntur praesertim lecto, vel tricliniari vel cubiculari, docente Varrone (IV, *L. L.*, 35): « Quidquid insternebant (super culcitram), a sternendo, stragulum appellabant »: et prae mentis oculis habens illa Ciceronis (*Tuscul.*, V, 21): « Collocari iussit hominem in aureo lecto, strato pulcherrimo, *textili stragulo* magnificis operibus picto ». Atqui nunquam audivi *linoleum* illud ad lecti tegumen adhiberi! .... Neque ad tapeti tantum usum fabricatur. Itaque non dubitabo, ubi necessitas intercedat, rem suo nomine significare, additis verbis « ex linoleo ». Ita « peristroma ex linoleo; ornatus ex linoleo, etc. ».

Et venio ad *Lotteria*, quam in vocem latine exprimendam periphasim adhibes: « Ubi *sortes* ducuntur ». Cur non dixeris tantum *sortes?* Cicero tibi succurrit, qui in libro *De divinatione I* (c. 34 sub fin.) haec habet: « Quum oraculum ab Iove Dodonaeo petivissent, legatique *illud in quo inerant sortes collocavissent,* simia *et sortes ipsas et cetera quae erant ad sortem parata* disturbavit, et aliud alio dissipavit ». Quod si eas quae *sortes convivales* appellabantur consideraveris, videbis, ni fallor, ab hodierna nostra *lotteria* tantum distare, ut... unum et idem fiant. An repetamus? In mensa, lusus causa, soliti erant Romani tabellas inaequalissimarum rerum, obsignatas et clausas proponi offerentibus pretium, et etiam interdum gratuito convivis distribui in cochlearibus quandoque inscriptas. Possessor deinde quisque suam tabellam resignabat, et alius quidem rem pretiosam parvo admodum sibi deberi, alius aliquo pretio rem nihili reportasse reperiebat. Itaque Lampridius de Elagabalo narrat (Cap. XXI, ad fin.): « Sortes sane convivales scriptas in cochlearibus habuit tales, ut alius (nempe convivae sors) exhiberet decem camelos, alius decem muscas, alius decem libras auri, alius decem plumbi, alius decem struthiones, alius decem ova pullina, ut vere sortes essent, et fata tentarentur ». Ceterum de eiusmodi sortibus tu optime nosti esse integrum Martialis librum XIV, in quo epigrammata 1, 19, 40, 144, 177 de variis sortium praemiis mentionem faciunt.

Nec denique argumentum deseram quin addam et donorum, quae sortes tribuant, nomen latinum. Ea *apophoreta* dicam, vocabulo a Martiali (ibid.) desumpto.

Restat ut de *bomboniera* sermonem faciam, quam quidem *thecam dulciariam,* – vel, si tibi magis placet, *dulciarium* – ad ultimum demandavi, ut te, amice suavissime, dulci ore relinquerem: hîc enim saltem tibi assentior. Vale.

P. S. – Haec scripseram, quum litterae tuae, superius relatae, ad me pervenerunt. Candide fateor, me plane percipere non posse utrum ego magis, an tu, novis verbis nova verba indicare maluerimus. Ceterum optime ais, ambos concordi studio ad latinitatem provehendam intendere; itaque facile in unam sententiam pedibus ibimus. Quod ad nomina attinet, quae iuxta rerum adiuncta a vulgari populorum lingua propriis uniuscuisque vocabulis nunc exprimuntur, tantam difficultatem non video: suffecerit, puto, eadem adiuncta per adiectiva, generali substantivo nomini applicita, reddere. – Et iterum, iterumque vale.

I. F.

FLORALIA

Ad Ver magnis itineribus adventans occurramus, et de floribus argumentum persequentes, quae **hyacinthum** spectant hodie in primis adnotemus.

Hyacinthus in omnes prope colores tum naturae, tum artis felici conspiratione facilis Vertumnus, modo candidus monstrat nigra vaccinia eximie posse exalbescere, ut alba ligustra alieno candore victa penitus cadant; modo cinereus floreum Phoenicem se probat, qui cineres animat; modo ex albo rubens humani vultus formosam temperiem pulcre transformat in florem; modo caelo concolor Archimedem ludit, dum caelum angustius contrahit; modo colores alios mille non fictos et breves, sed veros et constantes vario e statu trahit, ut admirationis filiam, fugitivam Iridem, provocet et superet; modo polyanthes numeroso se flosculo convertit, ut unus flos hortus sit.

Folia illi oblonga, porri foliis plerumque angustiora, et breviora, carinata, levia et splendentia: caulis teres, enodis, glaber, fungosus, digito saepe minimo gracilior, interdum quoque digitalem ad crassitudinem proficiens, alias florea turri superbus, alias onere felici languidus: flores a tubulatis angustius in calathi formam repandi, lilii divisura per oras reflexi, a medio plerumque, nonnunquam etiam ab imo caule ad summum, nunc in latus, nunc per ambitum, modo densata, modo rara serie digesti: semen in triangularibus valvulis exiguum, rotundum, nigrum: bulbosa radix intus candida, et, quemadmodum etiam tota herba, lento succo glutinosa.

Indici hyacinthi, sive *asphodeli* ad nos translata tuberosa radix, ex qua ille cum vita tuberosi nomen accepit, oblongum botryodis odorati hyacinthi bulbum imitatur: carnis et subnascentis calli duritiem superat: nimium sui prodiga, et raritatis gloriae officiens, innumeros toto corpore parit haeredes. Ineunte vere, folia emittit in terram convexa, prolixa, digitum lata, in cacumen deficientia, viridi laevose nitida: caulem impellit fere bicubitalem, duriusculum, laevem, geniculatum, brevia e geniculis folia fundentem, minimo nunquam digito crassiorem, numerosis floribus cacumen onerantibus uberrime spicatum. Hi, succo pleni, degenere a patriis Indis lacteo vultu oculis, odoratissimo spiritu naribus suavissimi, aurei mali floribus aequales, ab ima parte particulatim sese explicantes, aestivis mensibus ad hiemem usque vernant.

***

Post hyacinthum, **paeonia.**

Vetustissimum et saluberrimum inventum, montanae opacitatis filia, hortorum urbano splendore donata, atque Hispano praeconio « montium rosa », Paeonia, minore florum in populo speciosissima superbit; quae confertissima foliorum congerie peramplum explet ac perficit orbem absolutissimae formositatis; utque iudicibus oculis triumphet, triumphali tum saturatae, tum dilutae purpurae splendescit ornatu. Si ardentius purpuret, flore sensim exalbescente et caduco, fere intra dies octo deflorescit, bipalmi nititur caule carnoso et brachiato in folia ramosa, rarius fimbriata, vegeto colore splendida, inferius caesia et lanuginosa.

Radice gignitur praecrassa, torosa, foris subrufa, intus candida, oblongos et carnosos in balanos divisa. Sin laevius et suavius rubeat flos, paullatim e roseo pudore niveumin pallorem elanguescit, nativoque scapo pertinaciter adhaerescens immoritur, folioso cadavere primum nigrescente, tum emarcido, siccitate denique notabilem in modum contracto. Folia illi dilutiora et angustioribus laciniis concisa: radix praeterea contorta, crassa, dilutior, longioribus et gracilioribus nodis glandulosa.

***

A montana rosa denique ad sylvarum rosam transeamus; haec est **Lychnis Byzantina.**

Lychnis miniato, sive coccineo flore multiplici, in oblongam, luteo colore nonnihil aspersam, densis, promissis et capil-

laceis fimbris comatam radicem gracilescit: in trium quatuorve palmorum caulem extollitur recto statu nitentem, striatum, geniculatum, bina ab nodulorum toris folia longula, e latiore basi in mucronem fastigiata, superne laevia, subter hirsuta pandentem, geniculatim in ramulos frusticantem. In flores ita lepide luxuriat: ex oblongis confertim in orbem circumactis atque striatis calyculis caulis vertici umbellam primum obtendit: ex illis deinde praegnantibus involucris floream pileam densissima serie circinatam parit: florem bellio breviorem non admodum diversis, per ambitum bifidis, confertisque barbulis contexit.

ANONYMUS.

PRO IUNIORIBUS [1]

Interea enim audacissimo Hannibalis itinere nuntiato, Senatus Ti. Sempronium Longum ex Sicilia in regionem Padanam miserat. Hic partibus exercitus, quae separatim magnis itineribus per Italiam profiscebantur, contractis, in urbem Ariminum, a nullo impeditus, cum Scipione sese coniunxit. Hannibal autem transmisso Pado Romanos ad pugnam lacessit.

Nam dum Magonem fratrem cum delectis militibus in sicco rivi cuiusdam alveo collocat in insidiis, equites Numidas trans Trebiam, quae tum creverat, misit. Ti. Sempronius levi de hostium equitatu victoria adductus, levis armaturae milites et, quum hi premerentur, totum exercitum flumen traiecit. Sed in altera ripa Romani ab Hannibalis exercitu ad pugnam parato exspectantur, validiore equitatu, aucto etiam elephantis, circumveniuntur, Magonis manu ex insidiis erumpente, a tergo petuntur.

Romani, ea pugna prorsus devicti sunt: pauci Placentiam et Cremonam, urbes munitas, pervenerunt, et, quod tota Gallia Cisalpina ab Romanis deficiebat, Hannibal in Gallia in hiberna concessit et magnopere auxit exercitum.

Deinde, anno CCXVII pugnavit ad lacum Trasimenum. Eum in annum Romani C. Flaminium hominem popularem et Cn. Servilium consules creaverant. Illum exercitu praesidio esse iusserunt Hetruriae, hic exercitum constituit ad urbem Ariminum. Hannibal quum primo vere Appenninum transisset, incredibili labore quatriduo per aquam profectus est in valle Arni fluminis tum super ripas effusi, quo in itinere ipse inflammatione aliqua altero oculo capitur. Id enim agebat Hannibal, ut Flaminium, priusquam collegae advenisset exercitus, pugna lacesseret, et, quod ad meridiem versus proficiscens agros uberrimos vastabat, hoc consequutus est, ut Flaminius subsequeretur. Praeterit ipse urbem Cortonam, et ad lacum Trasimenum pervenit. Hîc via est iuxta lacum ad orientem versus, versus septentriones planitia patet angusta, clausa collibus. In his Hannibal clam etiam per nebulam copias constituit. Ex his collibus Poeni, dum Flaminius sequitur nihil opinans et incautus, in eam viam decurrentes, totum fere exercitum Romanorum conficiunt.

Romani, tanta clade audita, ingenti perturbantur terrore. Ad extrema parati Q. Fabium Maximum dictatorem dicunt. Sed victor ad opulentae urbis oppugnationem se infirmiorem arbitratus, non Romam contendit, sed trans medium Appenninum per Umbriam et Picenum profectus est ad oram maris Adriatici. Inde, quum pedites Libyes captis Romanorum armis instruxisset, ad meridiem se convertit in Apuliam, et rursus Apenninum transgressus, per Samnium in Campaniam. Sed tamen in iis itineribus frustra conatus est ad se perducere gentes Sabellas, quae fidelissime stabant cum Romanis: iam enim, quum averso animo viderent hostem alienigenam ad se venisse, se tamquam unam nationem Italicam habere coeperant.

Romanorum dictator hostem certo intervallo sequitur, pugnam devitat. Sed quum Hannibal a Campania rursus per Samnium in Apuliam signa converteret, Fabius praeoccupavit angustias Casilinenses, ubi Volturno flumine et despectu coartabatur. Sed ille dolo viam patefecit. Itaque Fabius, cui Cunctatori nomen inditum est, ut ducendo bellum novas Romanorum clades excludebat, sic hostem nec frangebat, nec impediebat, quominus in Apulia hibernaret.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

[1] Cfr. fasc. sup.

COMMUNIA VITAE

GRATULATIO [1]

Colloquii personae sunt:

FERDINANDUS, *Adolescens plena atque rubente facie, magis ludorum quam litterarum studiosus.*

ADULFUS, *Adolescens macie confectus, ludorum et ipse cupidus.*

MICHAËL, *Adolescens pacatus et sciendi desiderio praeditus.*

ALFONSUS, *Adolescens litterarum studiosus et aliorum derisor.*

ANGELUS, *Adolescens rerum cognitor, maiore aetate, atque ideo dignitate apud alios pollens; idem in poëtis latinis versatus.*

FERDINANDUS, ADULFUS, MICHAËL, ALFONSUS. *alacriter ingrediuntur:*

FERD. (*animose*) Heus, sodales, bene nos!

ALF. Quid fit, Ferdinande? Namque videris gaudii plenus.

FERD. Rogas? O lepidum diem! o necopinatum eventum!

AD. Ne mireris, Alfonse: istaec remissionis est dies.

MICH. Equidem; mos est Ferdinando magna affici laetitia omnibus remissionis diebus.

FERD. Quidni magnopere laetari dum molesti dormire pergunt libri?

ALF. (*ironice*) Ah, teneo!

AD. Si verum dicam, otia quoque me iuvant, meamque valetudinem non parum fovent.

ALF. (*ut supra*) Attamen invalido Ferdinando detrimento sunt: ad eum oculos adiicite:

Pallor in ore cedet, macies in corpore toto.

OMNES. Ah! Ah! Ah! (*Cachinnos tollunt*).

FERD. (*valde iratus*) Siccine me derides?

MICH. Bona pace feras, mi homo: Alfonsus iocatur.

FERD. Sed nefas est ita impudenter de alio iocari.

AD. (*seorsum*) Ædepol! Formido male!

ALF. (*demisse ad Ferdinandum accedens*) Ignoscas, obsecro, amice: tuum movere stomachum in animo non erat.

MICH. Illud apagite, (*ad Ferdinandum versus*) ne laetitia tua, Ferdinande, vertatur in luctum.

FERD. Optime Michaël, tibi morigerum me esse volo: omnia a me oblivioni dabuntur.

AD. (*subito interpellans*) Ecquando ludum aggrediemur?

FERD. Quod ad me attinet, quamprimum: sed quonam in ludo ducemus tempus?

[1] Colloquium hoc in scenam prodiit per humanarum litterarum alumnos Collegii Vicensis in Hispania, quum R. P. Nicolaus Garcia, supremus Moderator Congr. I. C. M., renunciatus est v Id. Oct. MCMXXII. Hîc ita est accommodatum, ut in aliis quoque ephebeis pro opportunitate agi queat.

ALF. (*comiter atque benigne*) Tibi optio, Ferdinande!

FERD. Atqui vos non latet, me admodum oblectari pila.

AD. Ergo, eo pilas ut afferam. (*Discedenti occurrit* ANGELUS). Sed ecce, adest socius noster Angelus.

Ingreditur ANGELUS.

ANG. Salvete, sodales.

AD. Salvus sis, Angele.

MICH. Gratane nuncia?

ANG. Et quidem gratissima, ut opinor.

MICH. Profecto tu semper omnia nosti. Age! nobis, ut soles, aperias animum.

ANG. Prius vos quadam interrogatione volo.

ALF. Quidquid lubeat, amice.

ANG. Quisnam in vobis est quin viderit domi quosdam venerabiles viros aetate, ut plurimum, provecta, atque nonnullos etiam capillis perfusos canis?

ALF. (*indicem erectum porrigens*) Qui caecus sit, digitum erigat.

AD. Vidi ego plures meismet oculis.

FERD. Non aliter ego.

MICH. (*ad Angelum*) Et quorsum, rogo, tam venerabilis coetus?

ANG. Quorsum spectent hi, quot numero, qui sint undeque venerint meas nuper pervenit ad aures.

ALF. (*magnam ostendens laetitiam*) Babae! quam cumulate mihi gratum facies, si haec omnia perpetim expones.

MICH. Ordiaris, et mitte ambages.

AD. (*ad Michaëlem vividus atque impatiens*) Sed nunc tempus est ludendi; saltitandi aviditate immoror. (*Ad Ferdinandum versus*) Si quem iuvabit pila ludere, ille mihi commodet.

FERD. Tibi adhaereo, Adulfe: vos ignoscite, socii.

AD. Angele, pace tua sit ius, liceatque nobis lusum adire.

ANG. (*suaviter*) Bene currite!

ALF. (*malitiose*) Ne pedem offendatis!

(*Sequetur*). E. IOVÈ.

ANNALES

Germaniae per Gallos et Belgas occupatio.

Gallis, ob carbonis debitum sibi non solutum, Ruhris Germanicae regionis loca occupantibus, Belgae accesserunt, qui suas copias Wesel et Emmerich in urbes miserunt. Quum autem Germani acriter in dies obsisterent neque tantum fodinarum ab operibus ex condicto secederent, sed renuerent effossum carbonem ferriviis transportare, Galli impedierunt quominus primum carbo, deinde quaevis metallorum genera aut ex metallis fabrefacta in alias Germaniae regiones inveherentur; quin etiam et Germanicis libera administris itinera negarunt, nullum momentum eorum protestationibus tribuentes. Praeterea una vel altera sub specie necessitatis invasiones suas ulterius produxerunt, et in Badensi provincia Offenburg et Appenweiler urbibus potiti sunt, atque, iuxta Rheni fluminis oras, Koenigswinter et Caub territoriis. Ad ferrivias denique agendas opificum quatuor millia et quingentos ex Gallia vocarunt.

Facile patet quaestionem in dies circumplicari, eoque magis quod hinc Galli quamlibet mediationem respuant; Germani inde in tenacibus propositis suis perseverent.

***

Inter Lithuanos et Polonos discrimen.

Nescimus an huiusmodi eventus influxerint in Lithuanorum illum motum, quem in superiore recensione nostra nunciavimus, quique in apertum Lithuanos inter et Polonos discrimen manavit, nec adhuc componi valuit, quamquam primis Februarii mensis diebus nunciatum fuerat bona utrinque voluntate Lithuanos Memel urbem dereliquisse et intra limites regionis suae esse reversos. Discrimen est de « zona neutra » inter utramque civitatem pro tempore relicta, quam altera ab altera accusat fuisse violatam. Certum apparet Lithuanos ad Memel urbem tendere; Polonos nolle eam a sua ditione abstrahi.

***

Lausanensis conventus.

Lausanensis conventus de pace Turcas inter et Graecos componenda eundem sortitus est exitum, cui iamdiu assuevimus: namque post tantos labores, quum ad foederis conclusionem ventum est, negavit Turcicus legatus ei subscribere. Ne omnia in vanum cederent, Italorum, Anglorum Gallorumque legati conati sunt imperiosis Turcarum postulatis accedere. Itaque proposuerunt Mossoul urbis possessionem ad peculiarem disceptationem demandari, infra annum habendam, relicto interim ut nunc est rerum statu; pariterque mutuas pensationes inter partes recto tramite vicissim esse tractandas atque deficiente concordia ab arbitris ab utraque parte electis definiendas; simulque oeconomicas quaestiones alias, de quibus dissensio intercederet, singillatim intra sex menses diligenter perpendendas. Frustra omnia! Ismet ille princeps fassus est sibi ab Agorensi coetu nullam accommodationis potestatem esse concessam, ideoque ... is Angoram profectus est, ceterique legati in suam cuiusque civitatem.

Paucis post diebus ex improviso Turcicus Smyrnae navarchus exteras naves omnes iubet abire; recusant illae et guberniorum suorum nomine vim vi repulsuras sese minitantur; claudit alter portus accessum ... Res hoc ritu componitur, ut una singularum nationum navis in Smyrnaeis aquis possit permanere. Quorsum vero evadet Turcarum animus tam dementer elatus?

***

Italorum in Tripolitania progressus.

Notum est Afros, ex recenti bello, cuius Itali erant participes, occasionem nacti, gradatim in Tripolitana Italorum colonia loca plura occupasse; nunc vero Itali ad ea recuperanda intenderunt; quod quidem felici exitu in dies exsequuntur.

Kalendis Martiis MCMXXIII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Qui fit, lectores humanissimi, quod appropinquante vere sopor insolitus nostros occupet artus; quod somni tantam necessitatem ultro sentiamus? Fateor me omnino ignorare, gratiamque ei referam qui rem mihi enodet, dum omnes ego mea vice admonebo **quo ritu sit dormiendum.** Plerique enim homines eo statu lecto incumbunt, non quidem somno virium plane restitutori favorabili; quin etiam gestibus motisque valetudini apprime noxiis.

Qui igitur sanitatem docent – (*hygienistae*, graeco vocabulo hodie appellantur) – rationem quiescendi castigatam et salutarem commendant, praecipue circa modum aptandi brachia. Optimus prorsus est habitus iuxta dexterum latus iaciendi, laevo brachio omnino sibi ipsi relicto, dextero autem ita recurvo, ut manu caput sustineat. Caveas ne pectori brachia applices: compressus enim, quem in cor exercent, incuborum est causa, nimisque et inutiliter vitae hoc maximum organum defatigant. Peius, si iuxta tergum cubaveris, manibus sub capite decussatis; namque status hic sanguinis circuitionem im-

pedit, quaeque inde evenire possunt incommoda provocat...

Debitas itaque hasce cautiones, debitamque diligentiam in somnis adhibete atque arctius diuque in quiete dormientes ver accipiatis!

***

Interim ad Bernerium transeamus, e cuius iocosis carminibus unum hodie deprompsi cum proximis diebus magis congruens. **Mos** describitur **puerorum feria quinta et sexta Maioris quae dicitur Hebdomadis, dum aera campana silent;** qui quidem mos in nostris pagis adhuc viget. Quamquam malitiosus ille lusus cives - neque tantum illis diebus - obtundendi, ab urbibus non adhuc migravit:

Christiadum pietas sacris cum rite diebus
Humanae recolit grande salutis opus.
Nempe Redemptoris memorat lacrimabile fu- [nus,
Tormenta et dirae multiplicata necis.
Moeror corda gravat, tristis natura laborat;
Crescit ubique dolor, cunctaque fletus habet.
Non sonus auditur, quo nos ad templa voca- [mur,
Et prope qui tempus Vesperis esse monet.
Prae moerore silent; supplent quae lignea, [causant
Instrumenta sonum: his Vesperis hora datur.
Est tabula ad geminos palmos producta, sed [unum
Per palmum lata est, quae leve pondus [habet.
Hanc puer impugnat dextra, exstat quippe [foramen,
Aptatur facilis cui bene clausa manus.
Inde citus properans agitat versatile lignum:
Ferrea sic edunt pondera mota sonum.
Saepius hunc sequitur puerorum coetus eun- [tem,
Ut socium iuncto turba fragore iuvet.
Mallei ad instar habet quisquis portatile li- [gnum;
Imponens humeris hoc prope colla gerit.
Incedunt pueri: en fortasse domum esse lo- [candam
Fixa super tabulam pagina scripta docet.
Impugnant iunctis manibus vibratile lignum,
Atque simul sistunt protinus ante fores.
Utraque tunc celeres extollunt brachia: vires
Dat motus, quo fit fortior ipsa manus.
Motum quum faciunt humerisque iuvantibus [ictum
Vibrant, et replicant, ocyus inde abeunt.
Tunc sibi dant plausus pueri, maioraque ten- [tant;
Scilicet audaces exitus iste facit.
Ipsas ergo domos, quas occupat incola civis,
Percutit interdum, sed fugitiva cohors.
Saepe luit meritas nimia haec audacia poenas:
Nempe hos contra ictus, ultio saepe latet.
Incola dum pueros repetitis ictibus audit
Clamantes, abdit se, insidiasque parat.
Exspectat cautus pueros, nam ianua clausa [est,
Et super imposita est clausa fenestra domus.
Paullatim hanc aperit, manus inde citissima [plenum
Vas sordentis aquae proiicit in pueros.
Hos, lapso imbre, lavat, qui auras clamoribus [implent,
Et iam deceptos nil fuga sera iuvat.
Ergo citi excutiunt vestes, dimittere guttas
Curant, nam madidum quemlibet esse putet.
Territa non ideo est, ictus nec turba retardat,
Incoeptum pueri quippe sequuntur iter.
Vespere dum psallunt Confratres templaque [cunctis
Lata patent, nugis hîc quoque causa datur.
Dum sacras canit, et claudit pia turba que- [relas
Dans voce extremas languidiore notas,
Impugnant virgas Confratres, quilibet unam,
Ut mox concutiat scamna propinqua manus.
Accurrunt pueri, quo hîc ictus ictibus addant:
Extrema hoc templi in parte paratur opus.
Ipsis in gradibus trabs magna extenditur. [Adstat
Exspectans signum, quod datur, ergo cohors.

Dextram agitat quisque, impatiens designat [et ictum,
Pileum humi ponit, robore membra replet.
Vix audit strepitum virgarum, quum, impete [facto,
Subiectum in lignum malleus ecce ruit.
Non hîc deficiunt vires, nec membra fatigat
Ipse labor, nulla est percutiendo quies.
Custodes templi accurrunt, puerique iubentur
Sistere, sed iussos non removere valent.
Impugnat tandem baculum vibratque minister;
Sic pueros saevis ictibus ille fugat.
Eheu hominum pravi mores! his ergo diebus
Immiscet sacris plebs malesana iocos?
Dum pietas lugere docet lacrimasque mini- [strat
Cordibus ipse dolor, gaudia vulgus amat?
Saepe at ludentes, caeli facit ultio flentes;
Qui lugendo sapit, gaudia flendo capit.

***

Iocosa

Tuccius in schola.

Magister: - Si in terram pilam ieceritis, currit, quia rotunda est...

Tuccius, Magistri orationem interrumpens: - Atqui et nos currimus, neque tamen sumus rotundi!...

Magister hominis sensus discipulis explicavit, Tucciumque interrogat ut sibi persuasum habeat illum intellexisse:

— Heus! igitur: cui sensui oculi tui inserviunt?

— Visui.

— Nasus?

— Odoratui.

— Tuaeque aures?

— Auditui atque tactui.

— Barde, ut vis aures tactui inservire?

— Nolo equidem ego: sed tu meas aures ad tactus ministerium adhibes, dum eas mihi vellis!

***

Aenigmata

I.

Humani princeps generis *pars prima;* Qui- [ritum
Altera pars quondam vile numisma fuit.
Additur haec illi? Visu mirabile! prodit
Insignis specie duritieque lapis.

II.

Nescio mutari: recte seu lecta retrorsus,
Non cesso fauces urere saeva tuas.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Lacus, Locus, Lucus;* II) *Cur-sus, Ursus, Cursus.*

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

I. B. FRANCESIAE *De Ioanne Bosco commentarium.* - Augustae Taurinorum edidit Societas Editrix Internationalis, *Corso Regina Margherita, 174.*

Can. Prof. FRANCISCI QUATTRONII *In Ferdinandum Peccium Chrysànthema* a. d. XV Kal. Maias MDCCCCXXII ab eius obitu semel anniversarium. - Rhegii Iulii, ex typogr. Francisci Morello Equitis, MDCCCCXXII.

I. CACACE - *Otia Neapolitana,* carminum fasciculus.

C. G. POZZETTI - *Macrino D'Alba.* - Albae, ex typ. « cooperativa », 1922. - (Ven. lib. 2).

AD FONTEM BELLAQUEI

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

PROLOGUS.[1]

Non est qui nesciat, elapso saeculo,
Imperitaret Gallis quum Napoleo,
Plura gessisse fortiter Pontificem,
Pium, qui merito salutant Septimum.
Hic captus Urbe, de nocte, clanculum,
Savonam truditur primum in custodia;
In Galliam dein, laborans febribus,
In ipso mortis asperae periculo,
Huc illuc ducitur citra prudentiam.
In Castro clausus Fontis at Bellaquei,
Labores passus multos est, ludibria,
Imperatoris odio et superbia.
Hic imperator, clarus tot victoriis,
Latis triumphis super tot exercitus,
Omnes qui principes supergressus est,
Indigne tricis, salebrosis, subdolis,
Premit Pontificem, vexat insidiis,
Mitis nunc vultu, tristis nunc alloquio,
Ut mutet Pii dummodo consilium.
Stetit sed ille fortis atque immobilis,
Ut esset orbis roboris prodigium.
Timens sed tandem, sua pertinacia,
Ne totam Galliae nationem perderet,
Est parum passus indulgere Caesari...
Mentis at subito correptus stimulis,
Datam retractat illico sententiam.
Quid autem venerit, spectatores optimi,
Qui tempestatem pepulit divinitus,
Videbitis vos, si vacivis auribus
Actionem brevem totam sequemini.
Scio quod vultis vos mirati dicere:
« Romanam linguam nesciit Napoleo,
Fuit qui gallice semper usus loqui ».
Fuit qui gallus, antea sed Italus!...
Ceterum dicitur vulgo per compita:
« Romae si vivis, romane vivito! »
Nos sic Pontificem loquentem fingimus;
Latine et cuncti colloquuntur famuli;
Ut illi, magnus loquitur Napoleo!
At noster gerit qui personam Principis
Studet, novitque linguam perfectissime,
Marcus qua inclaruit Tullius Cicero:
Eum Ciceronem cognomento dicimus.
Concordes ergo mecum omnes plaudite
Poëtae, scripsit qui recentem fabulam,
Totam depromptam notis ex historiae.

[1] *Prologus erit unus e pueris.*

ACTIONIS PERSONAE.

PIUS VII, P. M.
NAPOLEO.
PACCA BARTHOLOMAEUS, *Cardinalis.*
CALLISTUS, *Cancellarius.*
ISIDORUS, *Antistes.*
PUERI, MILITES *et* PATRES CARDINALES.

Theatrum fit in magno Conclavi.

SCENA I.

ISIDORUS *et* CALLISTUS; *mox* PIUS VII *et* NAPOLEO.

IS. Tun'ergo?
CALL. Vidi! Magnis actus furiis
Pium vexabat aequo nimius Napoleo,
Probrosus, audax et inexorabilis.
IS. Et ipse?
CALL. Et ipse, placidus et molliter
Placare nititur regis ferociam.
Heu! aetas tristior nobis, nequissima
Novis in terris praeparatur proxime!
Hic imperator, hostium qui copias
Solet sua modo praesentia vincere,
Ipsosque saepe duros duces superat,
Ut iuncos teneros ad nutum subigit,
Indigne robur tolerat Pontificis,
Qui dulcis, mitis, frangit immodestiam
Eius, potenter turbat cor et implicat.
Quis scit quae saevior tempestas ingruat?
Adsunt in illo conclavi repositi
Tribus horis, cunctis remotis arbitris...

(Ad proximum numerum).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Aprili MCMXXIII Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

QUIBUS PRINCIPIIS NITI DEBEAT VERA NATIONUM SOCIETAS [1]

VI.

Contendunt plures societatis gentium fautores unam religionem nostro aevo accommodatam, esse patriae, vel communis humanitatis amorem; quae religio, aiunt, ex sese valere potest ad omnes cives in pace et omnes homines in unitate continendos.

At illi verba vacua, absque sensu, proferunt. Patriae quidem studium commendat Ecclesia, idque in Apostolo Paulo miramur, qui gentem suam adeo vehementer diligebat, ut optaret anathema esse pro fratribus suis secundum carnem. [2] Laudatur quam maxime amor ille in S. Ioanna ab Arcu, cui nuperrime caelitum honores collati sunt. Imo docet S. Thomas bonum patriae, si referatur in Deum, posse fieri martyrii causam: « Quia bonum humanum potest effici divinum, ut si referatur in Deum, ideo potest esse quodcumque bonum humanum martyrii causa, secundum quod in Deum refertur ». [3]

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Rom.*, IX, 1-3.

[3] IIa IIae, q. 124, a 5, ad 3.

At, sicut patria et humanitas esse nequeunt numen supremum, ita patriae aut humanitatis cultus nullatenus, seu nullo sensu dici possunt religio. Intelligitur quippe religio respectu Numinis conditoris omnium, a quo et homo, et patria, et humanitas, inspirationem et vitam et omnia desumunt. Magis vero pendet societas a Deo quam homo individuus, et idcirco maiori officio ad religionem erga Deum verum tenetur, eo quod maiora beneficia a Deo recipiat. Quod iterum egregie exponit Leo XIII, in laudata encyclica *Immortale Dei:* « Hac ratione constitutam civitatem, - inquit, - perspicuum est, omnino debere plurimis maximisque officiis, quae ipsam iungant Deo, religione publica satisfacere. - Natura et ratio, quae iubet singulos sancte religioseque Deum colere, quod in eius potestate sumus, et quod ab eo profecti, ad eumdem reverti debemus, eadem lege adstringit civilem communitatem. Homines enim communi societate iuncti nihilo sunt minus in Dei potestate, quam singuli; neque minorem, quam singuli, gratiam Deo societas debet, quo auctore coaluit, cuius nutu conservatur, cuius beneficio innumerabilem bonorum, quibus affluit, copiam accepit. Quapropter sicut nemini licet sua adversus Deum officia negligere, officiumque est maximum amplecti et animo et moribus reli-

gionem, nec quam quisque maluerit, sed quam Deus iusserit, quamque certis minimeque dubitandis indiciis unam ex omnibus veram esse constiterit: eodem modo civitates non possunt, citra scelus, gerere se tamquam si Deus omnino non esset, aut curam religionis velut alienam nihilque profuturam abiicere, aut adsciscere de pluribus generibus indifferenter quod libeat: atque omnino debent eum in colendo numine morem usurpare modumque, quo coli se Deus ipse demonstraverit se velle ».[1]

VII.

Ex quibus principiis necessario concluditur societatem, eo quod sit societas publica, omnium civitatum nomine et auctoritate congregata, obstringi maximo erga Deum officio, cui debet religione publica satisfacere, eum quidem adhibendo modum, quo, ut dicit Leo XIII, coli se Deus ipse demonstravit velle.

Iam vero indiciis non dubitandis, ut idem Pontifex loquitur, seu certis certae veritatis argumentis, demonstravit Deus coli se velle in Ecclesia. « Nam, - prosequitur Summus Pontifex, - unigenitus Dei Filius societatem in terris constituit, quae Ecclesia dicitur, cui excelsum divinumque munus in omnes saeculorum aetates continuandum transmisit, quod a Patre acceperat: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*[2] — *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* ».[3]

Ipsi Ecclesiae commissum est triplex munus, quod Christo Domino competit; scilicet *sacrum magisterium,* ad docendum omnia quae salutem et ordinem supernaturalem spectant; *sacrumque ministerium,* ad sanctificandas animas per cultum et sacramenta; ac *sacrum regimen,* ad pascendum agnos et oves. Hac ratione constitutam, cum illo egregie compacto corpore, illoque inferiorum et superiorum ordine, et illa mira « hierarchia », seu ministrorum et pastorum serie, quibus praeest Romanus Pontifex, Ecclesiam esse factum historicum liquet omnino, quod moderatores societatis gentium latere non potest. Nequit igitur societas illa nationum ab Ecclesia praescindere aut abstrahere; sed, sicut ipsa potest ab Ecclesia multa suscipere, ita debet Ecclesiae opitulari, eius incolumitatem tuendo, actionemque fovendo, ut valeat Ecclesia munus suum triplex, nempe ad animas in via salutis aeternae docendas, sanctificandas et regendas, plena libertate obire.

VIII.

Et inde propellitur error quorumdam perniciosissimus, qui, quemadmodum propugnant societatem gentium, ut omnis conflictus causa inter diversos populos removeatur, sic concipiunt societatem quamdam Ecclesiarum, in qua constitueretur *panchristianismus,* ut aiunt, suppressis vel reticitis omnibus discrepantiis dogmaticis aut moralibus, quibus diversae christianorum sectae ad invicem distant.[1] Verum huiusmodi unitatem tueri foret Ecclesiae catholicae « suicidium »; nam eo ipso Ecclesia seipsam, nempe hierarchiam, constitutionem vitamque propriam negaret ac pessum daret. Societas quidem nationum admittenda est, eo quod singulae gentes, invicem liberae, prosequentes interdum commoda dissimilia et opposita, possint inter se pugnare, et idcirco possit supra omnes institui quaedam societas, quae singularum incolumitatem servans, bonum etiam commune prospiciat et conflictuum causas removeat. At Ecclesia una est voluntate Dei. Non est quippe Christi Ecclesia collectio Ecclesiarum seu societatum foederatarum, sed singulae Ecclesiae particulares nullam vitam vivunt nisi quam ab Ecclesia universa hauriunt, nec modum aut actionem exserunt nisi in Ecclesia universa, veluti in centro ac principio, a quo seiungi nequeant, nisi esse et vivere desinant.

Quocirca, nedum sit cogitandum de instituenda Ecclesiarum societate, imo optandum, orandum et curandum est, ut omnes ad unam Ecclesiam, extra quam nulla salus, redeant, et fiat *unum ovile et unus Pastor,* largiente Illo ipso, qui *omnes homines vult salvos fieri et ad cognitionem veritatis venire.*[1] Hisce concludemus cum praecitato Soowiew: *Le pape comme tel est immédiatement le père de tous les évêques et par eux de tous les prêtres. Il est ainsi le père des pères.*[2]

IX.

Aliud demum principium est prae oculis habendum, ne fiat adeptu impossibilis finis, quem societas nationum sibi praefigit. Nam vinculum quod ad hominem cum homine et gentem cum gente conciliandum ipsa attendit, est tantum soliditas humana, quae, tametsi aliquid valeat, non tamen intrinsecas vires ad opera vitae suppeditat; vinculum autem omnia in Ecclesia membra coniungens est soliditas supernaturalis, scilicet charitas, quae naturae vires superius evehit novasque addit, quibus possint singula singulis opitulari et omnia in toto cum pace et consensu cooptari, iuxta illud Pauli: « Totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis ».[1]

Quidquid ergo efficere sategerit societas gentium, permanebunt inter homines labor et dolor, nec remedium opportunum praestabitur, nisi removeantur illa tria praecipue, aetate nostra, teterrima in communis boni perniciem: modestae vitae fastidium; horror patiendi; futurorum oblivio, ut pulcherrime exponit Leo XIII, in Litteris Encyclicis *Laetitiae sanctae,* die 8 septembris 1893, de Rosario Mariali.[2] Contra haec curatio petenda est, non a legum humanarum peritia, sed a virtutum christianarum exercitio et a Christi gratia.

Itaque cum Pio Pp. X[3] concludere liceat: «Non aliunde tamen quam in Christo salus: " nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri „.[4] Ad ipsum ergo redire necesse est, ad eius pedes nos provolvere, ex ore illo divino verba vitae aeternae haurire; unus quippe potest instaurandae salutis indicare viam, unus vera docere, unus ad vitam revocare, qui de se dixit: " Ego sum via et veritas et vita „.[5] Tentata quidem est mortalium gestio rerum seorsim a Christo; aedificari coepit reprobato angulari lapide, quod Petrus iis exprobrabat, qui Iesum cruci affixerant. Ecce autem rursus exstructa moles ruit aedificantium cervices infringens. Iesus interim superest, humanae societatis angularis lapis, iterum comprobata sententia, non esse nisi in ipso salutem: " Hic est lapis qui reprobatus a vobis aedificantibus qui factus est in caput anguli, et non est in alio aliquo salus „ ».[6]

EDUARDUS HUGON, O. P.

---

[1] LEONIS PP. XIII, *Acta,* vol. V, p. 122-133.
[2] IOAN., XX, 21.
[3] MATTH., XXXVIII, 20.

[1] Quae doctrina de societate Ecclesiarum, instar societatis nationum, adeo diffundebatur, etiam inter catholicos, ut Suprema Sacra Congregatio S. Officii debuerit, decreto d. 4 iulii 1919, prohibere ne catholici participarent « conventibus quibuscumque, comitiis publicis vel privatis ab acatholicis indictis, qui finem sibi praestituunt unionem procurandi omnium coetuum christianorum nomen sibi vindicantium ». *Act. Apost. Sed.,* XI, 309.

[1] I *Tim.,* II, 4.
[2] *Rome et l'Eglise universelle,* p. 312.

[1] *Ephes.,* IV, 16.
[2] LEONIS PP. XIII, *Acta,* vol. XIII, p. 283 ss.
[3] *Litterae Encycl., Iucunda Sane,* d. 12 Martii 1904, De solemnibus saecularibus S. Gregorii Magni. PII PP. X, *Acta.* vol. I, p. 202.
[4] *Act.,* IV, 12.
[5] IOAN., XIV, 6.
[6] *Act.,* IV, 11, 12.

DE POËTARUM ELEGIACORUM COMPARATIONIBUS [1]

Theatrum, ludi.

Imaginibus ab opificibus, quas deductas enumeravimus, eas adiungamus, quas e theatro ludisque in carmina sua poëtae elegiaci induxerunt. Unica quae theatrum spectat imago legitur apud Ovidium (*Met.*, III, 111):

Sic ubi tolluntur festis aulea theatris,
surgere signa solent primumque ostendere vultus,
cetera paullatim, placidoque educta tenore
tota patent imoque pedes in margine ponunt.

Permultae, contra, exstant imagines ad equorum currus pertinentes. Gloriam Thessalicorum equorum spectat Theocritus (XVIII, 30):

Πειρᾳ μέγα λᾶον ἀνέδραμε κόσμος ἀρούρᾳ
ἢ ἄρματι Θεσσαλὸ ἵππος.

Equos frena recusantes Ovidius (*Her.*, IV, 22): *Frenaque vix patitur de grege captus equus.* (*Trist.*, V, 4, 10): *More nec indomiti frena recusat equi.*

Os durius Ovidius (*Am.*, I, 2, 15): *Asper equus duris contunditur ora lupatis.* Ibid. (II, 9, 29): *Ut rapit in praeceps dominum spumantia frustra frena retentantem durior oris equus.*

Equum vincula abrumpentem (Z, 506):

Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος, ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ
δεσμὸν ἀπορρήξας δείῃ πεδίοιο κροαίνων
εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋρρεῖος ποταμοῖο,
κυδιόων· ὑφοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
ὤμοις αἴσσονται· ὁδ' ἀγλαΐηφι πεποιθώς,
ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

Vergilius (*Aen.*, XI, 492):

Qualis ubi abruptis fugit praesepia vinclis
tandem liber equus campoque potitus aperto
aut ille in pastus armentaque tendit equarum
aut adsuetus aquae perfundi flumine noto
emicat arrectisque fremit cervicibus alte
luxurians, luduntque iubae per colla per armos.

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Februarii.

Tempore opus esse ad equos bene instituendos habes in Ovidio (*Ar. am.*, I, 472): *Tempore lenta pati frena docentur equi.*

Ubi educatio equi perfecta est, instituitur, ut in ludis currat. Impatiens vix exspectare potest, ut carceres reserentur.

Ovidius (*Trist.*, V, 9, 29): *Utque fores nondum reserati carceris acer nunc pede, nunc ipsa fronte lacessit equus.* Neque aliter se gestit, ubi pugnae signum datur (*Met.*, III, 704): *Ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro signa dedit tubicen pugnaeque assumit amorem;* et celeriter curriculum pervolat, ut est (Y, 81):

... ὥς τ' ἐν πεδίῳ τετράοροι ἄρσενες ἵπποι
πάντες ἅμ' ὁρμηθέντες ὑπὸ πληγῇσιν ἰμάσθλης
ὑφόσ' ἀειρόμενοι ῥίμφα κρήσσουσι κέλευθον,

Vergilius (*Georg.*, I, 512):

Ut cum carceribus sese effudere quadrigae
addunt se in spatia, et frustra retinacula tendens
fertur equis auriga neque audit currus habenas.

Et (*Aen.*, V, 144):

Non tam praecipites biiugo certamine campum
corripuere ruuntque effusi carcere currus,
nec sic immissis aurigae undantia lora
concussere iugis pronique in verbera pendent.

Equi quasi praemii cupidi in imagine sunt apud Ovidium (*Her.*, 17, 166): *Protinus illa valent atque ad sua praemia tendunt, ut celer Eleo carcere missus equus.* Causae cur equis haud contingat interdum victores exire habet idem Ovidius (*Tr.*, V, 12, 25): *Tempore qui longo steterit male curret et inter carceribus missos ultimus ibit equus.*

Et (*Ex Pont.*, I, 4, 15): *Occidet ad circi si quis certamina semper non intermissis cursibus ibit equus.*

Equum ob victoriam superbum secuti (X, 22):

σενάμενος ὥσθ' ἵππος ἀεθλοφόρος σὺν ὄχεσφιν
ὅς ῥάτε ῥεῖα θέῃσι τιταινόμενος πεδίοιο.

Exhibent et Simonides (*Anorg.*, fr. 18): *Καὶ σαῦλα βαίνων ἵππος ὡς κορωνίης* – et Alcmannus (23, 47): *Ἐκπρεπὴς τώς, ὥσπερ αἴ τις*

ἐν βοτοῖς στάσειεν ἵππον παγὸν ἀεθλοφόρον καναχάποδα.

Equus senio confectus in comparationibus est. Ibycus (II, 5): *Καλλικόμων μελέδημα, σὲ μὲν Κύπρις ἁ τ' ἀγανοβλέφαρος Πειθὼ ῥοδέοισιν ἐν ἄνθεσι θρέψαν.*

Tibullus (I, 4, 31): *Quam iacet infirmae venere ubi fata senectae, qui prior Eleost carcere missus equus;* Ovidius (*Am.*, 2, 29): *Fessus in acceptos miles deducitur agros, mittitur in saltus carcere liber equus;* et (*Met.*, 7, 542): *Acer equus quondam magnaeque in pulvere famae degenerat palmas, veterumque oblitus honorum, ad praesepe gemit leto moriturus inerti.*

Praeterea (*Trist.*, IV, 8, 19): *Ne cadat et multas palmas inhonestet adeptas languidus in pratis gramina carpit equus.*

E ceteris ludis imagines fluxerunt, quas legimus (*Met.*, X, 11, 102):

Haud secus exarsit, quam circo taurus aperto
cum sua terribili petit irritamina cornu,
puniceas vestes elusaque vulnera sentit.

Et quae gladiatores et luctatores spectant: (*Trist.*, IV, 6, 31):

Fortior in fulva novus et luctator arena,
quam cui sunt tarda brachia fessa mora;
integer est melior nitidis gladiator in armis,
quam cui tela suo sanguine tincta madent.

Denique (*Am.*, II, 9, 29): *Tutaque deposito poscitur ense rudis.*

Alexander Aureli.

NICOLAUS COPERNICUS

Abhinc quadringentos et quinquaginta annos, Nicolaus Copernicus natus est *Thorni* apud Vistulam in Polonorum regno. Utrum Germanus fuerit an Polonus, aemulationis causa, orta est iamdiu inter utramque gentem magna decoris quaestio. Nos Itali, nullis equidem denegantibus, eum semper certum gratumque hospitem habuimus, et Bononienses, sidera se capite tetigisse putantes, rotundo ore praedicant suum esse, quod inter alumnos clarissimi olim Athenaei adscriptus fuerit.

Bononia utique, tanti viri gloria honestata, inter plurima Italiae studia, quae, labentibus annis, tot meritis inclaruerunt,

Tantum egregio decus enitet ore!

Nicolaus, florente adhuc aetate, sed iam virtutibus clarus et litteris, sapientiae amore ductus, Bononiam se contulit, quae tunc temporis studiorum universitate penes omnes gentes percrebrescebat, undique acutis adhibitis sapientissimis doctoribus. Ibi, dum magno animorum studio, operam iuri civili ac pontificio sedulam navat, se identidem ad deamatam matheseos disciplinam, sibique unice probatam, conferebat, auctore potissimum Dominico Maxia, qui ea aetate singularis peritiae gloria frueretur.

Hic, data opera, atque exemplo, alumno suo iam currenti calcaria addere haud desivit. Ac propterea, qua vi animi erat, quietis impatiens, et litteris iam atque altioribus disciplinis spectatus, veterum quoque eloquia et medicinam arripere cogitavit. In partes rapitur varias, ingeniumque sapientiae amore.

At dum totus est in litteris arripiendis, de invisenda Urbe tum primum in mente volutat: ad Urbem enim primores doctorum ex universis gentibus adventare omni tempore consueverunt. Ut igitur disciplinas artesque hominum magis magisque arriperet, et Nicolaus eo se contulit, doctissimi Regiomontani nomine potissimum accitus. Hic enim flexibile alumni ingenium, maximumque consilium subito noverat, eumque peramanter sic excolere putabat, quem veluti filium tot virtutibus ornatum adamaret.

Et Romae imprimis omnium disciplinarum in urbe nutrice, veluti domi suae, in penitiore rerum naturalium studio stre-

nue versatur, et mature ita ea arripuit, quae ad astronomiam pertinent, ut universum eius instrumentum, feliciter pertractarit, et altius quidquid aliunde acquisiverit. Iam hoc nomine undique salutatur et scholarum alumnus

Navita tunc stellis numeros et nomina fecit.

In Urbe enim, iamdiu itemque acriter agitur inter sapientissimos viros, suffragante Pontifice Maximo, quomodo in meliorem formam et severiorem Calendarium redigatur, et iam iam res ita est progressa, ut ad metam optatam gratulanter attingat. Ipse hac potissimum in re ob ingenii praestantiam atque ob evulgatas optimas lucubrationes ita est omnibus creditus, ut cum omnium admiratione animadversiones suas ac praeclara inventa confidentius cum doctoribus communicare possit. Quae non modo mira animorum concordia ac laudibus accipiuntur, sed omnes eum admirantur atque inter probatissimas saeculi glorias adnumerare haud dubitant. Ut in proposito sit tenax atque ad maiora in dies audax contendat, plurimis verbis hortantur. Quin imo sollicite eum stimulant, ut quae cogitaverat atque in scholis tradiderat, ad omnium utilitatem in vulgus edat.

Ipse vero cunctis lautioris fortunae illecebris posthabitis, et ad caelestia unice spectans, relicta, omnibus admirantibus, octo post annis Roma, in patriam reversus, apud avunculum Heilsberg episcopum se contulit, ibique stetit. Obiter lectores meos monendos esse puto, haud longe in quietissima hac urbe diu versatum esse, in assiduis ad astronomiam laboribus defixum, quam aliquot saecula post, Napoleo armis et militum tumultu vastavit et est depopulatus.

Diu multumque in studiis provehendis adlaborans, quae in Italia arripuerat, noster ad meliora in dies inventa atque perfectiora intendens, magnum sibi nomen acquisivit. Imperfecta hactenus instrumenta virtute ingenii cumulavit, et quae miserrime ubique desiderantur, mira admodum sollertia ac diligentia complet.

Interea est inter canonicos Frauembergi cooptatus, atque sic integre et naviter munus obivit, ut ab officii religione nunquam declinaret atque egentium inopiae propitius, promptos unicuique aditus obviam comitanter exhiberet.

Insignis patientiae monumentum, nullis difficultatibus retardavit opus illud immortale, quod *De revolutionibus rerum caelestium* descripsit, et Paulo III P. M. studiose dicavit, ut, tanto nomine rite defensus, improborum calumniam effugeret.

Quae meminisse velim illos praesertim, qui omnia semper in reprobum sensum retrahentes, Ecclesiam increpare perperam consueverunt, tamquam sapientiorum hominum ingenio infensam, atque insana quadam ratione, eorum mentis sublimitatem hebetare.

E contra Copernicus Pontificem salutat suarum veluti rerum decus ac praesidium, qui, decessorum suorum exemplum sequutus, consilio et re doctos homines iuvit, deprecatus, si eum invidia aut potentium calumnia vexaret, patrocinio defenderet, auctoritate tueretur. Sic ad Pontificem, veluti ad portum salutis, tutissime se contulerat.

Neque abs re Copernicus, sui securus, ad Pontificem Maximum confugit. Immensa enim astronomorum turba ex improvviso exorta est, et Copernicum vexat, ludibrio lancinat nimioque fastidio contundit. Quis vetat, ne in medium referam illud Vergilii, nostro accommodandum:

Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem?

Namque novissimum eius inventum audax omnino et universam veteremque Ptolemaei sapientiam pervertens, novam admodum mundi constitutionem invehit, et commodam doctorum quietem insigniter deturbat. Et ipse Osiander, qui una cum Retico peramanter Copernicanum

opus in vulgus edere studet, nihil amplius ratus est in *Praefatiuncula,* magistri sententiam evulgaturus, quam profiteri se per hypothesim ea in medium referre, quae tamen multo antea complures tradiderunt, et divinus ille Pythagoras ita declaravit, solem inter sidera stare quae gratiose ut ipse omnium Creator errantia ante se perlustrat; et ipse Ptolemaeus profitetur terrae motum omnia caelorum monstra facilius depromere...

Copernicus itaque nil novi invenit, sed Pythagoricam doctrinam in meliorem formam redactam firmioribus argumentis adseruit:

Timuitque suae praesagia mentis!

Sic dicas cum romano vate, admiratus Copernici prudentiam, ne in se nimiam populorum verteret attentionem. Insignis autem hominis pietas, quae Romae altiores radices posuerat, aliena admodum ab recentiorum deliramentis, minime animi angustiis premebatur, ut nullius dogmatis expers, in mentem Sancti Augustini Genesim enucleantis verba revocet: « Quidquid veris argumentis de rerum natura demonstrari potest, id non est alienum a sacris voluminibus ».

Haud aliter S. Thomas, quem « mirantur cuncti, et multo venerantur honore » scripsit: « Malum est, si quod nihil ad doctrinam pertinet neque ad pietatem, vellet aliquis adfirmare ac defendere tamquam si ad religionem pertineat ».

Re enim vera, si sermo est de mundi constitutione, si sancta Scriptura isto loco veterem Ptolemaei sententiam defendere videtur, alio vero contrariam admodum refert ac profitetur.

Solemniter prae ceteris meminisse illud Iob iuvabit: « Qui commovet terram de loco suo? ».

Didacus autem de Stunica, immortalis Salamancae theologus, anno MDLXXXIV, multo igitur ante Galilaeum, quum prophetae Iob sententiam enuclearet, apertissime dicit: « Nulla sacrarum Scripturarum ditio iure adfirmat terram stare quam potius se se movere ».

Osores vero sapientiae catholicae, apud Germanos, qui Sanctum Augustinum et Sanctum Thomam repulerunt, atque audentius Ecclesiae auctoritati arbitrium suum proferebant, Copernicum infestis animis insigniter vexaverunt.

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes?

scripsit ferox ille Iuvenalis in quosdam, qui sua aetate, effrenis moribus, rigidi censoris personam sustinentes, in vitia hominum indignabundi invehuntur.

En quid ipse Lutherus retulit de Copernico: « Furiosus hic vir universam astrorum scientiam submovet! ». Sed sacra Scriptura nos monet Iob scripsisse *solem stare* terramque moveri! Melanchthonius Copernicanum opus appellat: «Sapiens utique inventum, periculosum tamen et quod prohiberetur ne in vulgus edatur dignissimum ».

Sed si Ecclesia minime est invento Copernicano contraria, nemo iuste equidem ab ipsa postulare posset ut nullo oppugnante, rem adeo difficilem sensibusque oppositam, impune quis profiteretur!

Ipse Galilaeus, ut doctissimos alios silentio praeteream, iam grandaevus, hoc inventum delirantis hominis nuncupavit, qui per fas et nefas ad immortalitatem contendit.

Quid mirum itaque, si inter tot magnos armorum strepitus, iudices librorum notandorum, quum lis hac in re undequaque nondum aestimata esset, ne Galilaeus in posterum hanc sententiam publice traderet, vetuit?

Copernicus interea egregias mentis dotes, Dei amorem, et religionis studium Pontificis Maximi gratulationibus cumulavit. Repentino morbo correptus, nono kalendas Iunias anni MDXLIV sanctissimis religionibus perfunctus, vitae finem placide adspicere potuit.

Ei morienti primum immortalis operis exemplar est delatum. At sui quasi amplius compos manus super illud imposuit, et laetabundus cum adstantibus ad beatas caelitum sedes dulcissime evolavit...

I. B. Francesia.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Iosepho Fornario, Doctori optimo, E. Iové C. M. F., s. p. d.

Quod lucubrationem pene nullam meam superiore mense Februario in praeconii Latinitatis venustissimis pagellis pro tua comitate ediderís, grates tibi plurimas animo rependo. Fasciculos, quibus liberaliter me donasti, libentissime inter amicos dispertivi, qui quidem procul dubio de « Almae Romae » sese subnotando feliciter cogitabunt. Ego autem qui eiusmodi facto novos collegi animos, ad illud, quod assumpseram argumentum veniam, quodque lectoribus non tantum commodo, sed oblectamento magnopere est.

De vocabulo *cyclista* in hanc vere catholicam linguam inducendo est mihi quidem quod gratuler, te sensum meum praesumpsisse, eumque lectoribus ante me auctoritate tua fultum attulisse. Necessitate premente, nulli equidem religióni habendum, apprime fictis nominibus uti, quorum exitus in *ista* resolvatur, dummodo radix ingenue pateat Graeca vel Latina. Eorum etenim nonnulla legere apud auctores contigit ut productis speciminis instar *symmista* atque *tympanista* vocibus, quibus ambigue utrumque subaudias sexum, probissime commemorabas. Mihi quoque in praecinctu aderant et *Homerista*, quem Petronius refert Homeri recitantem carmina; et *exorcista* qui exorcismos adhibet, et *grammatista*, et *dialogista* et *epigrammista* atque *abacista* qui abaco, epigrammate, dialogo et grammatica veluti instrumentis in scopos varios attingendos quodammodo utuntur.

Porro procedenti in tua ad Tassetum delibanda epistula quoddam mihi in mentem incidit scrupulum cum verbum *bicyclulam* iam a Rosati, ut putas, alias invectum traderes, quo Ricci *birotam velocissimam* significares quam Hispani, ni fallor, *motociclo* vocamus.

Certo equidem oportet simplicibus vocabulis, quoad fieri possit, non circumlocutionibus res appellare, ne inopia insimuletur Latina nostra lingua, quemadmodum in numero tertio anni IX commentarii « Scriptoris Latini » a duobus gravissimis gallicis viris factum fuisse perxpeximus, qui inter alias obiectas linguae Latinae circumlocutiones *birotam velocissimam* afferunt.

Attamen quid si asseram, observande Magister, id nominis *bicyclulam* tribus potissimum de causis ad vehiculum scilicet motore actum, quod Hispanice *motociclo* nuncupamus, mihi non satis omnino fecisse? Bona pace igitur meriti forte nullius hae animadversiones prodeant.

Vocabulum *bicyclula* aut multum fallor, aut diminutivum quibuslibet auribus sonat, bicyclo fonte manans. Iam vero, si qua vel optimorum grammaticorum regulis praestanda est fides, a *bicyclo*, qui masculeo potitur genere, non utique derivandum feminina terminatione desinens diminutivum. Praeterea quotusquisque erit qui optimum putet *bicyclum* positive nominari communem birotam hispane *bicicleta* atque simul *bicyclulam* diminutive illud longe maius vehiculum et firmius, viribusque insuper ultraneis potentius, quod nostra lingua *motociclo* nomine dignoscitur? Huc tandem spectare videtur etiam illud philosophorum effatum: « magis et minus non mutant speciem ». Unde nullo modo *bicyclulas* sed quidem *bicyclulos* sicut et *birotulas* appellabis apte ea puerorum vehicula, quibus ipsi crepundiorum instar saepicule numerantur.

Et *birotam* et *bicyclum* recentibus placuit omnibus Latine scribentibus vectoriam nuncupare machinam illam, quae duplici rota, altera alteram subeunte, aequilibrii equitatur arte. Sed quum duplex sit huiusmodi machina, altera grandior et validior et motu interno pollentior, tenuior et infirmior altera, nullaque propria nisi inertiae activitate donata, factum est ut apud cuiuslibet idiomatis gentes specifice utraque distingueretur atque proprio vocabulo notaretur.

Nonne et optimum erit si nos eundem ingrediamur callem? Haud arbitrarium censeo, circumscripto duplici superiore vocabulo ad earum alteram significandam quae interna caret activitate, *sponticyclum* procudere, quo proprius specifica alterius qualitas manifesta proderetur.

Per strata viarum tribus proruit rotis alia etiam vectoria machina supra dictis admodum similis, quae apud nos *sidecar* nomen anglicum habet. Quod illi imponeres novum? Siquidem iure meritoque invectum *bicyclum* nemo non autumat, quin *tricyclum* invehamus, quis, inquam, prohibebit? Hoc enim vocabulo et a *bicyclo* et a *sponticyclo* optime ac nota quidem propria secernetur. Praeterea nihil obstat quominus hoc simplici modo varias distinguamus rhedas, namque et apud veteres hic fuit mos, ut planum est in *biga* et *triga*, in *bireme* et *trireme* et ceteris.

De *autotraha*, de *automolo* quem iam Rosati bis adhibuit in lepidissimo suo poëmate « Rusticatio » [1] et tandem de *trahaculo* alia tibi dicere habebam, quae in alium differam diem, ne hodie nimis prolixus fiam. Interim (tibi certo non vacabit utique) sed forte in lectoribus erit qui de postremis his vocabulis meo quidem consilio in Latinitatem inducendis sensus meos hariolare volet; quod mihi pergratum erit. Vale.

Vici, in Hispaniae provincia Barcinonensi.

[1] *Alma Roma*, an. II, pag. 166.

FRANCISCO SALESIO

TERTIO PLENO SAECULO AB EIUS OBITU

Certasti assiduo, longo, ingentique labore,
Ut quasi sit factum fel lapis acre Tuum.
Nativo hic certe immensus de ardore triumphus,
Splendidior nunquam palma relata fuit!
Tunc forti egressa est de Te suavissima virtus,
Christi ut sis vivax visus imago Dei;
Et dulcis simul et divo sic fortis amore,
Pro Iesu vivens, promptus obire necem,
Sacrum dum cogit studium Tua pectora et urget,
Indurata hominum flectere corda vales.
Ergo Te merito Magni ex hortamine Patris,
Nunc celebrare magis post tria saecla iuvat:
Nam laude Ille Tuam virtutem et scripta coronans,
Pacis praeclarum Te monet esse ducem.
O sic, Te Divo in caeli Doctore precante,
Gentes fraternus vinciat unus amor;
Et pridem excepit quae Te pia vota novantem,
Iris sit pacis Virginis Alma Domus!...

Laureti in Piceno, mense Martio a. MCMXXIII.

Ioannes Fratini.

Reputemus intelligentiam datam quasi pecuniam mutuatam: quo plus nobis creditur ex benignitate, eo debitores tenemur amplius in opere.

S. Greg., *in Mor.*

FLORALIA

Placet hodie **de narcisso** dicere, qui mutatae formae studiosus ore vernat multiformi; aut enim simplici foliorum structura tenuior, aut multiplici habitior est. Nunc argenteo, nunc aureo pallore veteres curas praefert. Medius flos, quem ab imitamento calicem cum recentioribus in posterum appellabo, inter lactea folia, aut suaviter concolor lactescit, aut splendide decolor accrescit, aut circa summam oram croco illitam splendide rubescit. Sed quis coloris, magnitudinis, formaeque inexputabiles varietates enumeret, natura cultuque ad assiduam novitatem conspirantibus? Nostris hortis familiaris potissimum est, qui colore totus argenteo suffunditur, ut a medio candido calice in paterae formam depresso argenti patera Italico vocabulo nominetur. Neque tamen huiuscemodi narcissus uno argenti candore, sed sulphuris quoque pallore pingitur. Idem praeterea in plura genera discriminatur. Alius enim praemature, sero alius vernat; alios minutos, modicos alius, alius peramplos in flores e caule summo se diffundit; alius denique foliorum simplici serie, alius multiplici componitur. Hic ergo tum candido, tum pallido colore narcissus, a ceteris narcissis discrepat floreis foliis angustioribus, et calice breviore. Virentia quoque folia saepe angustius patent, longius porriguntur, leviora et rigidiora sunt. Nec eadem omnibus tinctura: candidum allii virore albida et veluti rorulenta; pallidum myrti exemplo viridissima convestiunt. Bulbi membranas extimas color austerus infuscat, intimas tunicas dilutus dealbat; magis compacta forma ventrem deprimit, cervice modice producta. Quin etiam eius bulbus, qui folioso floret argento, isto depressior est. Atvero maioris floris bulbosa parens vastiore corpore, ventre oblongo, procero collo, spadicis coloris dilutioribus tunicis notabilem in modum insignitur.

Narcissus Byzantinus, sive Chalcedonius tum praecox, tum serotinus, membranacea primum vagina includitur, quae longum in alabastrum, ut simplicis floris folliculus, non fastigiatur, sed rotundiore gremio latius tumet. Ea demum dehiscente numerosus et formosus partus excluditur. Deni aut duodeni fratres ex uno caule penduli saepe numerantur. Alba folia densissimo congestu bene compactum tribuuntur in florem; media foliola vario atque multiplici flavi calicis maeandro intercursante undatim, intercise permixteque implicantur.

Iamvero ne qua Narcisso desit opulentia, praeter argentum, etiam aurum totam floris bracteam opulentat: siquidem inter simplicis compositurae narcissos, et foliis et calice aureus in pretio est. Hic discoloris auri variaeque aut conformationis aut amplitudinis levibus momentis pulchre dissidet a seipso. Superioribus albis narcissus caute florumque pensili congerie similis, folio bulboque differt: illos enim foliosior, hunc rarior plerumque silva distinguit: illi bulbum ipsum rotundant, hic in pyri effigiem turbinat; circumtegentes tunicas illorum plerique fuscant; hic modice rutilat. Simplicium denique narcissorum ritu triangularibus folliculis nigrum et inaequale semen includit.

Narcissus ad lepidissimum florem quoque describendum nos trahit, quem Turcico vocabulo Dalmaticis pileis ob similitudinem communi **tulipam,** recentiorum vero biformi nomine *Lilionarcissum,* quod liliacea in primis et narcissina unus decora complectatur, appellant. Sunt qui velint coronarium esse veterum *Cosmosandalon,* aut certe *Satyrion.* Nulla aeque in planta versicolor naturae licentia lascivit, ut superioribus annis fuerit, qui supra ducenta coloribus discreta genera numeravit. Iamvero, quum semper aliquid novi afferat foecundior Flora, multo licebit plura percensere. Ne tamen quis istorum florum coloribus nimium credat, praemonente Clusio, alternis annis versicolor inconstantia liberaliter credulos eludit.

Princeps et publica ea generum partitio est, quae de triplici tempestivitate ducitur, ut aliae praecoces, mediae aliae, aliae serotinae tulipae dicantur. Habent autem fere universae hunc exortum, hoc incrementum, hunc exitum. Inter bina diluto virore pallida folia flos, infantium primae conspectum lucis non sustinentium more connivens, nec dum colorata formositate viridis et prorsus herbeus incipit existere. Tum paullatim impellitur succrescente scapo, qui medulla duriore robustus, rotundus et virens ad pedalem atque etiam cubitalem altitudinem modo arduo statu rectus, modo in anguineam spiram tortilis exsurgit. Quamquam praecox tulipa brevissimo caule e terra vix eminet. Hunc sparsim amplectuntur folia plerumque terna, nonnunquam etiam quaterna et quina, crassa, oblonga, carinata, interdum per oras modice reflexa et crispula, modo pendula, modo surrecta. Summus interim flos colorem mutat, seseque in sena, aliquando etiam in septena et octona folia; raro foliosiorem in congeriem explicat, sive calathi, sive cyathi, sive resupini pilei effigie. Ex meditullio sex, vel etiam totidem, quot ipse foliis constat, mirum in modum coloribus varia stamina profert, apicibus aut luteis, aut pallidis, aut nigricantibus insignita.

ANONYMUS.

Quum quis positus in prosperitate diligitur, incertum est utrum prosperitas an persona diligatur; amissio autem felicitatis interrogat vim dilectionis; nec prosperitas quidem amicum indicat, nec adversitas inimicum celat.

S. GREGOR., *in Moral.*

COMMUNIA VITAE

GRATULATIO[1]

FERD. Valete, amici (*Exeunt*).

MICH. (*libenter et ultro*) Vobis felix, faustum, fortunatumque sit!

Remanent ANGELUS, ALFONSUS, MICHAËL.

ANG. Quamvis me expediam paucis, si placet, sedere poterimus.

ALF. (*magna curiositate affectus*) Considamus equidem actutum (*Assidunt*).

ANG. (*ad Michaëlem*) Quorsum igitur spectet quaerebas, o Michaël, amplissimus virorum coetus, qui iam domi nostrae a duobus degunt mensibus?

MICH. Ita quidem: id et alia nobis patefacias plane.

ANG. Profecto rustice, sed plane res exponam.

ALF. Arrectis, aedepol te exaudiemus auribus! Ordiaris.

ANG. (*affectata gravitate*) Coetus hic Capitulum Generale audit, quod duodecimo quoque anno mos erat congregari, sed hoc duobus anticipatum est annis.

ALII. Quare? Qua de causa?

ANG. Ratio in promptu est. Constitutiones magistrorum nostrorum recenti iuri erant aptandae et ante finitum quartum supra vigesimum huius saeculi annum, uti iussum est, supremae approbationi sunt iterum subiiciendae.

MICH. Quid tantae anticipationis erat opus? Ni fallor, Capitulum ad tempus more praestitutum poterat fuisse protractum, scilicet ad illius anni aestatem; et adhuc quatuor vel quinque supererant menses.

ANG. (*severe*) Potin' ut taceas, Michaël?

---

[1] Cfr. fasc. sup.

ALF. Ne desipias, mi homo, res magni momenti non nisi longis maturescunt moris.

ANG. Tu praeterea non es, qui consilia de re afferre queas...

MICH. His igitur supersedeamus, et de viris fac quidquam loquaris, ut eos aliquatenus cognoscamus.

ANG. Haud esset operosum de singulis digna facere praeconia, at vereor tamen ne, si ipsi scirent, eorum suboffenderem modestiam.

ALF. Cedo nobis tandem aliqua de ipsis.

ANG. Eorum numerus, ni fallor, ad trigesimum usque pertinet, quorum sex primi universae praesunt magistrorum nostrorum societati. Caput autem Supremum, nempe Moderatorem, vos non latet sanctissimam obiisse mortem...

OMNES. Requiescat!

ANG. ... septem abhinc mensibus. Eius successor spe magna propediem eligendus desideratur.

ALF. Ecquid de reliquis?

ANG. Iam vos novisse existimo, hucusque societatem, qua loquimur, in tres Provincias et sex quasi-provincias, fuisse distinctam. Itaque uniuscuiusque Provinciae Moderatores singuli cum binis aliis a provincia propria legatis huc accurrerunt rite convocati, non aliter ac Moderatores quasi-provinciales cum legatis singulis ex propria quasi-provincia.

MICH. Sed undenam gentium venerunt? Nam credere licet ex dissitis plerosque advenisse plagis.

ANG. Qui directionem generalem gerunt, et quos Provinciales antea memini, sive Moderatores, sive Legatos, hi omnes in ipsa degebant Hispania. Sunt et duo clarissimi viri, quorum fama longe, lateque serpsit: eos Roma hospitabat alma. Africana ex colonia in sinu qui Guinea dicitur ad nos usque transvasit quasi-provincialis episcopali dignitate auctus cum proprio socio.

MICH. (*magno animi motu*) Heus nigritarum tellus! Eius desiderio et studio flagro!

ALF. Quid rei est, Michaël? Extra sensus videris raptus!

MICH (*eodem motu*) Quis mihi dabit pennas sicut columbae, ut ad ea pervadere possim littora!

ANG. Faxit Deus ut olim tuum expleatur desiderium. Sed, ut ad priora redeamus, reliqui cuncti viri ex America seu ex orbe, qui iure dicitur novo, eo quod recenti iuventa viret, hucusque transfretare visi sunt.

ALF. Utrum aliqui ex civitatibus Nordicis confoederatis?

ANG. Duo profecto inde advenere.

ALF. Eo, Michaël, meus propendit animus.

MICH. Quid istuc?

ALF. Nescio quid: eorum regionum incolis inest, ut fertur, egregia indoles, ingenium quamvis naturalibus admodum implicatum rebus, non ita tamen quin facile a vitiis dimoveantur rationibus irroratis gratia.

ANG. Non eo inficias: natura eorum tibi quadrare videtur sicut et mihi: non tamen hoc plerisque.

ALF. An de latissima adfuerunt Brasilia?

ANG. Quid dubitas? Inde non duo, ut ceteri, sed tres ad nos properarunt, quorum unus nominatim convocatus fuit propter eximiam eius virtutem atque doctrinam. Tandem numerum complent Legati Cilenses ac Argentini: universi triginta, ut dixi.

Nunc festinans ingreditur ADULFUS.

AD. Heus socii!

ALII. Quid rei est, Adulfe?

MICH. Quidnam novi, amice?

AD. Numquid campanulam tinnire audistis potenter et instanter?

ALII. Minime vero: ecquid?

AD. Eam nunciasse alacriter rumor est, Supremum Moderatorem fuisse electum.

ANG. Ain' vera?

AD. Aio enimvero.

ALF. Ecquis omnium est ad munus tantum electus?

AD. Profecto ignoro.

MICH. Quisquis ille est, oportet nos eum convenire gratulandi causa.

AD. Pro omnibus unus gratulationem ei habeat.

MICH. Eccui credetur?... Tibi, opinor, Alfonse, certo arridebit.

ALF. Profecto non is sum, qui congruenter munus hoc praestare possim.

ANG. Quidni, quum tam scite linguam calleas latinam?

ALF. Grates habeo, Angele, sed obsecro, ne velis iterum mihi assentari.

AD. Nullum mihi subest dubium quin munus hoc tu obire recte possis.

ALF. Excusationem accipite: non enim vos latet morem esse huiusmodi gratulationes carminibus, eisque lyricis exprimi. Itaque hunc ad finem nemo aptior Angelo, a quo Horatius nocturna versatur manu, versatur diurna.

AD. Pulchre!

MICH. Recte dicis, Alfonse! Tuum ergo erit, Angele, novo gratulari Moderatori.

ANG. Esto; non recuso, si hoc vestra fert voluntas. Attamen necesse est ad hoc memet parumper colligam.

OMNES. Facias, sodalis optime. (*Assurgunt*).

ALF. Et quantocius cum ode tua redeas.

ANG. Valete paullisper!

OMNES. Et tu valeas! (*Discedit Angelus*).

E. IOVÈ.

(Ad proximum numerum).

Magna est virtus si non laedas, a quo laesus es; magna est fortitudo, si etiam laesus remittas; magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.

ISIDORUS, *in Soliloq.*

Non in lingua, sed in corde sapientia est. Utinam tam multi bene facerent, quam multi bene loquuntur.

LACTANT., lib. I.

PRO IUNIORIBUS[1]

Postea anno CCXVI ad Cannas pugnatum est. In novum belli annum L. Aemilio Paulo et C. Terentio Varroni, homini populari, coss. octo legionum exercitus, i. e. octoginta millia peditum, sex millia equitum contra Hannibalem in Apulia datus est, ut Romanorum pedites altero tanto superarent Poenos, Poenorum equites eadem proportione vincerent Romanos. Ad Cannas, qui vicus situs est ad Aufidum flumen, decertatur. Romani a Poenis quum acie maxime idonee instructa, tum validissimo equitatu fusi atque fugati sunt. Fuit ea post diem Alliensem clades gravissima: plus dimidia pars militum Romanorum ceciderant; in his Aemilius Paulus, vir fortissimus et octoginta senatores; reliqui, pars maior, capti erant.

Hannibal, quum etiam hac tanta victoria Carthaginiensium partes confirmasse videretur, etsi ne tum quidem Romam adoriri audebat, recepit socios, omnes fere gentes Italiae inferioris: Bruttios, Lucanos, Apulos, Samnites praeterquam urbes Graecorum et colonias Romanorum et Latinorum. Praeterea adventu suo cepit Capuam, id quod maximi momenti erat, qua in urbe iterum hiemabat, et Philippum III regem Macedoniae ad foedus contra Romanos faciendum perduxit. Ex Sicilia Syracusani sequuti sunt rem Carthaginiensium.

d) Deinde Marte ancipiti pugnatur.

Magna tamen Romani resistebant fortitudine. Neque enim quum bellum tam diversis locis esset gerendum, – contra Hannibalem in Italia, contra reliquas Carthaginiensium capias in Hispania, contra Hannibalis socios in Macedonia et in Sicilia, – abiecerunt animum. Servati sunt

[1] Cfr. fasc. supra.

tum Senatorum in bello administrando summa fortitudine, tranquiilitate, circumspectione, tum egregio civium animo, qui reipublicae salutem suis commodis praeferrent, tum fide coloniarum plurimorumque sociorum. Et senatores quidem, calamitate Cannensi non fracti, novo delectu omnes copias collegerunt, et vel octo servorum millia a dominis redemptos in exercitum receperunt; immo vero legatum, quem victor Romam miserat, ut redimendorum captivorum faceret potestatem, magnifice reppulerunt ab Urbe, ne accedendi quidem facta facultate. Duces fiebant iam non consules annui, sed spectata virtute viris diuturniora committebantur imperia, ex quibus illustris factus est Q. Fabius Maximus, quondam dictator, qui Romae scutum appellabatur, et M. Claudius Marcellus, vir fortissimus, Romae gladius, et P. Cornelius Scipio adulescens.

(*Ad proximum numerum*).

A. HABERL.

ANNALES

Germaniae occupatio a Gallis protenditur.

Germaniae per Gallos occupatio, de qua in superioribus eventuum recensionibus nostris loquuti sumus, fines suos mense Martio MCMXXII ulterius protulit; portus enim Mannheim et Karlsruhe eorumque vicinia primum attigit, deinde ferriviarum officinas ad Darmstadt urbem, et ferriviarum nodum pro commerciis inter Ruhris regionem Germanicaque loca nondum petita, Dortmund scilicet stationem; denique, Rheno flumine ad Astripp superato, Rheinau portum. Hasce occupationes totidem Germanici gubernii vanae intercessiones sequutae sunt, ad sanguinis usque effusionem productae, quas Galli ipsis armis continere sunt coacti.

Proximis his diebus de discrimine Germanos inter atque Gallos componendo facta iterum verba fuere; sed adhuc heu! verba, praetereaque nihil!

***

Discrimen inter Polonos atque Lithuanos.

Ex adverso, fausto auspicio, auctoribus maxime ceterarum nationum legatis Lutetiae Parisiorum collectis, Poloni hinc, indeque Lithuani in pactione venerunt de finibus inter ipsos et cum Russia statuendis, unde acerrima quaestio erat exorta, de qua etiam in superiore fasciculo mentionem fecimus.

***

Turcarum nova postulata ad pacis foedus cum Graecis feriendum.

Tunc quoque diximus, quum ad pacis pactionem inter Graecos et Turcas in Lausanensi conventu tanto labore comparatam per partium subscriptionem veniendum esset, Turcarum legatum recessisse, et Angoram esse profectum, ut novam ab illo legatorum coetu facultatem obtineret, qua ad propositas accommodationes accedere sibi liceret. Agorensis vero coetus Lausaniensia proposita pacta reiecit, novisque tractationibus solum consensit, quae sequuntur capitibus fultis: ut scilicet de Mossoul urbe quaestio infra certum tempus, quod annum non foret superaturum, dirimatur; ut aeconomicae res, quaeque ad administrationem spectent, Turcicae nationis definitioni omnino reliquantur; ut loca occupata, ipsaeque Tenediae insulae in Aegeo mari, vix firmata pace, in Turcarum potestatem cessura sint; ut congruentes damnorum refectiones Graecis constituantur ob regiones ab iis direptas; ut denique Turcis reddantur naves, arma aliaque bellica instrumenta a foederatis nationibus pignoris seu depositi specie capta.

Dum scribimus, foederatarum gentium legati ad rem proxime Londinum conventuri feruntur.

***

Ad Abatiam urbem conventus.

Interea alius conventus agitur ad Abatiam urbem, ubi Italorum et Iugoslavorum legati congregati sunt ad res nonnullas explanandas, quae ad maiorem inter duorum populorum concordiam sint adducturae. Quod bonum faustumque sit.

***

Regia funera.

Antibo ad Galliae oppidum, quo patria extorris se receperat, die XVI mensis Martii nuper elapsi naturae concessit Milena, Nicolai, Nigri Montis quondam regis, vidua. Ortum duxerat in Csernagorae castro, cui nomen Cevo, die XXIV mensis Aprilis MDCCCXLVII et Nicolao Petrowic nupsit die XXVII mens. Octobris MDCCCLX. Quamquam, egregia mater familias, liberorum, quos plures habuit, institutioni maxime vacavit, non tamen a civili patriae suae progressu abstinuit, quam usque ad regnum evectam, vidit moerens in ultimo immani bello a Serbis sociis primum occupatam, atque deinde ad nihilum redactam et Iugoslavorum regno insertam.

***

Russorum facinora.

Moscoviae, infando iudicio, quod, furentibus in sanguine novis rebus, noluerint Catholicae Ecclesia iura sibi sacra pervertere, capite Ioannes B. Cieplak, Petropolis urbis, quondam regni capitis, archiepiscopus, et Butkiewicz, eius Vicarius, Urbanus antistes, damnati sunt, atque duro carcere aliisque poenis sacerdotes sexdecim. Vilis feroxque Russici gubernii agendi ratio omnium animos, qui sensum aliquem humanitatis haberent, per universum orbem vehementissime commovit, qui una nobiscum vota tollunt, ne et ad illud scelus producatur, ut iniquissima damnatio executioni mandetur.

Kalendis Aprilibus MCMXXII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Constat inter omnes Bonifacium VIII Pontificem an. MCCC singulare pietatis exercitium constituisse, quod *Iubilaei* nomen assumpsit, singulis centenis annis renovandum, illudque amplissimis Ecclesiae thesauris pro iis locupletasse, qui tunc in Urbem peregrinantes venirent. Clemens vero VI tempus ad annos quinquaginta reduxit, alterum Iubilaeum celebrans anno MCCCL, Paulumque II denique, ab anno MCDLXXV, ad vicenos quinos annos ulterius imminuisse. Ita factum est, ut plures Christiani principes, usque ab antiquis temporibus, hospitia pro suis cuiusque civibus in Urbe condiderint; quum vero neque omnes nationes huiusmodi domus haberent, neque constitutae omnes tempori superfuissent, anno Iubilaei MDL Philippus ille Nerius, vir sanctissimus, ne tot peregrini tecto carerent, auctor fuit ut virorum et mulierum manipulus, quem sibi ad aliorum bonum procurandum adiunxe-

rat, opportunis in aedibus eos reciperet, iisque praesertim, quas, ad Agrippae thermas, princeps foemina Helena Corsini ad rem accommodavit.

Anno Iubilaei exacto et peregrinantibus ab Urbe profectis, voluit Philippus ut sodales illi, quas rubro sacculo induerat ad ignem charitatis significandum, in hac virtute exercenda perseverarent, ad illud hospitium deducentes aegrotos, qui a nosocomiis in languore et infirmis etiamtum viribus dimitterentur, quibusque necesse esset reficientibus curis salubrique victu per aliquot dies frui, priusquam ad labores redirent. Huiusmodi sodalitati, quae a SSma Trinitate nomen assumpsit, Paulus IV ecclesiam S. Benedicti in regione *Regulae* concredidit, cui adiectum tandem est stabile **Hospitium peregrinorum et convalescentium,** emptis a sodalibus prope templum aedibus, iisque ad propositum finem optime aptatis.

Qui subsequuti sunt Pontifices hospitium ita amplificarunt atque ditarunt, ut capax inde fieret mille prope deversoribus, debita repartitione servata inter viros et mulieres, vel in tricliniis iuxta terrenam diaetam positis. Hîc postremis hebdomadae maioris diebus et Dominicae Resurrectionis epulae maiore apparatu hospitibus instruebantur, quas ad videndas magnus erat Romanorum civium concursus.

Memini ego, quum nondum excessissem a pueris, – ab Italico enim supremo Italici gubernii administro Francisco Crispi, ni fallor, suppressum huiusmodi hospitium deinde est – me non semel a parentibus meis desideratissimis ad illud spectaculum adductum fuisse; idemque placuit hoc Paschatis die in hisce paginis apud vos revocare, o socii lectoresque mei humanissimi, eoque magis quod Bernerius noster et idem descriptum iocoso illo et acuto more suo nobis tradiderit, prouti sequitur.

***

Paschales peregrinorum dapes, Romae.

Exstat in Urbe locus Romani ad limina pontis;
Pontificis Sixti a nomine nomen habet.
Hoc Peregrinorum Hospitium appellatur, et omnes
Extraneas gentes excipit ista domus.
Huc properant ergo, sed tempore quolibet anni,
Qui sacra templa pie visere in Urbe solent.
Sed magis hisce frequens accedit turba diebus:
Huc etenim pietas religiosa vocat.
Sunt tabulae in longum ductae, hinc atque inde teguntur,
Ut mos est, albis undique linteolis.
Has ornant prius effusi circum undique flores,
Et proiecta solo tunc simul herba viret.
Inde dapes supra imponunt properando ministri;
Mensam vero parant sumptibus Hospitii.
Sunt patinae, quas herba replet, quam condit acetum
Sal, oleumque: est his mensa onerata prius.
Assati pisces, atque elixi: inde feruntur
Pulmentum calidum, poma aliaeque dapes.
Singuli habent vini mensuram, in vase propinquo
Est aqua, ne laedant strenua vina caput.
Gens ergo accurrit mensam visura paratam:
Ocyus illa frequens Hospitium ingreditur,
Paullatim sursum properat, redit inde deorsum,
Dat plausus apte cuncta parata videns.
Sunt spectatores, queis forsan vestis abunde
Ornat membra, cibus non satis ora replet.
Hi non ore vorant epulas, nam dedecet, imo
Non datur extraneos inter habere locum;
Ast oculis fixis has deglutire videntur:
In mensam, extenso gutture, labra premunt,
Et colla inflectunt, tacita et suspiria funduntur:
Sic nares recreat tantum odor, ora nihil.
En tandem hora datur, qua mensae accumberé debent:

Nunc peregrinorum protinus agmen adest.
Disposita in longum sunt hîc sedilia, et horum
Quilibet hîc proprium curat habere locum.
Stant omnes, orant breviter, benedicit et inde
Mensae, qui prior est: illico quisque sedet.
Apposita incipiunt avido sorbere palato:
Fit stridor simul a dentibus, atque genis.
Confratres mensae assistunt, epulasque ministrant,
Et sponte exercent hoc pietatis opus.
Ast humili prius hi sacco, rubrique coloris,
Membra tegunt, arctant cingulo utrumque latus.
Hunc super effigies auro contexta videtur,
Quam sacco appositam pars lateralis habet.
Ne deturpentur vestes a sordibus, albus
Exstat linteolus pendulus ante sinum.
Tunc vacuas tollunt patinas, plenasque propinquant,
Atque libenti animo fit pius iste labor.
Sunt equidem, queis ficta licet, pulcherrima fulget
Caesaries: celeres ire, redire vides.
Plura agere hos credas, huc quippe feruntur et illuc:
Toto hi vespere agunt, sese agitando, nihil.
Horum nemo loco Hospitii spectatur in illo,
In quo sordentes diluit unda pedes;
At solum gaudent speciosa veste videri,
Vanaque cum sociis dicere verba solent.
Christiadum oh mores! nimis oh lacrimabile tempus!
Virtutis fiunt munera sacra, iocus!

***

Iocosa

Tuccius in schola.

Magister sacras historias enarrans: — Esau igitur natu maioris iura lenticularum obsonio vendidit...

Tuccius: — Lenticularum?... Si bellariorum obsonium saltem fuisset!...

***

Idem a schola redux laetabundus patri occurrit:

— Hoc mense proximus praemio fui!..

— Uhm!

— Diespiter! Praemium contigit ei, qui in scamno iuxta me sedet!

***

Aenigmata

I.

Mercibus ablatis Aurorae pinguibus oris
Foecundum navis porto superba sinum
Absque metu, quod me in varias altasque procellas
Ventorum rabies, unda sonora trahat.
Membra reclinantem spatioso in ventre carina
Claudo viatorem, cui color almus inest.
De navi si pondus abit virtutis odorae,
Quod teneo clausum in pectore flamma vorat.
Per varios errare locos, quo navita ducit
Velorum pulsu non solet esse meum;
Sed vehor humani solum virtute favoris;
Viribus humanis vecta pererro vias.
Me magis immunem quando arbitror esse periclis
Unius, poenam fert mihi sacra manus:
Merces ille meas urendas applicat igni,
In fumum redigit; fertur ad astra vapor.

II.

Si *prius* imbre volat conspersum, *posterius* fit.
Omnis et ipsa volat saepe sub aethera res.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Adam-as;* II) *Sitis.*

Iosfor.

AD FONTEM BELLAQUEI 2]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

Is. Tuas ad aures nihil venit admodum?
CALL. Nihil! Nam perperam vacivis auribus
Ad ostium steti prudentiam simulans...
Per ipsum conor strictae foramen se-
[rae;
Queo videre nil nec expiscarier.
Is. St... Sst... ostium crepat! Imperator adest!
CALL. Adest et ipse Pontifex! quam territus!
Is. Est quam mutatus! Aeger, fronte pallidus,
Incertis movet lentus et dolens pedi-
[bus...
CALL. Ei quid atrox imperator posuit?
Is. Boni nil suggerit vultus hilaritas!
CALL. Gerit quid manibus suis pretiosius?
Oris amborum summa quae diversitas![1]
NAP. Iubebo vestrae Sanctitati splendidam
Dari laetitiam... Cardinales undique
Erunt, propediem, tuis consiliis,
Tuam sequentur voluntatem filii.
Volo sic nempe! Signum sit obsequii
Quod erga sentio Romae Pontificem.
Novum nunc aevi renascatur saeculum,
Quod gaudium ferat universae Eccle-
[siae.
Sciant universi subditi imperii,
Pia legari perpeti concordia
Ambos nos principes caelesti foedere.
Ave, Pater, tuam cura valetudinem.[2]
PIUS.[3] Curabo valetudinem!... Sed opprimor
Angustiis, mille affligor molestiis...
Mei quid fideles dicent cum sciverint?
Iuvabit... Sic, ita, est agendum proti-
[nus.
Ibo intro, cito resignabo fortiter
Quod ipse subdolis subrepsit artibus.

CALL. (*qui interea progressus est ante Pontificem*):
Ave, Pater Sancte; dies laetissimi
Resurgunt tandem?
PIUS. Quid dicis? Nunquam dies
Boni!
Is. Imperator...
CALL. Iussit valere plurimum!
PIUS. Quid? Imperator? Premor tot angustiis...
Meum tot vulnerant pectus molestiae,
Ut prorsus nesciam vivam iam an moriar!
Quae me circumdant hominum flagitia!
CALL. Pater Sanctissime, adiuvabunt admodum
Ferunt exilium qui tecum pariter...
Et Cardinales martyres qui sublevant
Preces ad sanctos fieri quas iusseris...
Is. Orbis terrarum, profusis precibus,
Caelites ambit pro suo Pontifice.
CALL. Hoc usque voce dicunt atque epistolis.
PIUS. Eis modo nisus pergo in certamine,
Mihi quod conferunt simul compositi
Virûm vis, ingenium quorundam pra-
[vum,
Quos unus superat longe Napoleo,
Mentis virtute pollens et astutia.
Quid autem dicam? Scitis, fratres plu-
[rimi,
Utar consilio quorum saepissime,
Me torquent, agitant, accusant turpiter...
Deus praebenti semper sed auxilio,
Ut olim perdidit superbas copias
Nabuchodonosor et quotquot impios,
Suos vexarunt qui fideles postea,
Ecclesiam regit, salvat in posterum.


(Ad proximum numerum).

[1] *Recedunt.* — *Ingrediuntur Pius et Napoleo.*
[2] *Exit.* — [3] *Inter se se magna mente revolvens, sic tacite loquitur.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*,

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

praeparet, ut in eo varios flores, seu legumina, seu arbores seminet. Sic enim magister scholarum divina talenta omnia iuvenum explorat, ut ad optimum usum ea adiudicet. De corporis exercitatione per ludos etc. impetrata non hîc disputamus. Ex eo autem quod mens aditur per linguam, desideranda est ergo lingua, quae in se teneat talia elementa, qualibus iuvenum mentis virtutes exhiberi et exerceri possint, quaeque etiam sit populi et nobilis et fortis atque in litteris et historia rerum maximo in pretio habita. Haec elementa, iudicio plurimorum rerum scholasticarum peritorum, latina lingua praecipue praebet. Nam haec logicam rationem cogitandi, concinnitatem scribendi et loquendi exhibet. Est porro lingua populi indolis praepollentis, qui olim imperium totius Europae obtinuit, qui et nunc « quidquid non possidet armis, relligione tenet », cuiusque scriptores saepissime omnium mentionem faciebant primam de ceteris gentibus, quibus bellum intulit, aut quas in ditionem suscepit.

Fieri igitur non potest, quin haec lingua, ingenium populi egregii quodammodo in se ferens, non solum mentis praebeat exercitium, et eam virtutis exemplis imitatione dignis ditet atque poësi maiestate plena, et historia rerum temporis acti; sed etiam aliquid de maiorum ipsius discipuli historia narret, quae forte nusquam possit alibi comparari. Etiam si plures equidem discipuli eam post tertium aut quartum annum relinquunt, eius virtutes tamen tales sunt, ut fere nunquam amittantur, sed in scientia quavis, negotiis, aliisque rebus vitae et morum tacite operentur, et « illa, quae forsitan ne sentiamus quidem, quanta sunt! ».

Neque si « abeunt studia in mores » parvi habendum *quomodo* virtutes puerorum educentur. Procul dubio enim quaedam harum alio angusto modo et separatim citius et facilius ad summum extrahi possunt; sed lingua latina illis eodem tempore plenitudinem impertit, quae mores reddit et vitam multo humaniores.

Adversarii latinae linguae interdum recte commendant sermones quosdam novissimos ut portas ad scriptorum alienorum scientiam et philosophiam apertas, etiam « ut nos ipsos videamus sicut alii nos vident »;[1] sed saepius obliviscuntur latinam aeque esse portam ad duas saltem magnas aulas litterarum, scientiae, philosophiae apertam, quia Romanorum litteras ante Christum natum habemus, et post Christum etiam litteras linguae usu non inferiores et materie praestantiores propter religionem Christianam ab iis tractatam. Accedit, quod doctrinae scriptores aevo quod dicimus medium, latina lingua usi sunt fere universi. Et, si Romani antiqui de nobis ipsis utique scribere nequiverunt, attamen de maioribus nostris loquebantur; et aliquando meminisse iuvat nos maiores habere.

Quod ad artes et scientiam attinet, ubinam populi Europae et Americarum terrarum artem gubernandi, reverentiam erga leges inter alia multa, nisi ab Romanis, quorum in legibus nostrae fundatae sunt? Si exemplum hodiernum proferam, magna in Londino urbe viarum custodes vehicula in viis frequentissimis congregata dirigunt, sistunt, movent, non per vim nec vocem, sed simplici gestu manus ob hanc reverentiam erga leges, qua per saecula ab adventu Romanorum populus est imbutus. Utrum hae artes et haec scientia, praesertim his diebus, cultu sint dignae necne, alii iudicent.

Neque pro iis qui vitam de mercium commutationibus domi vel peregre cupiunt, est lingua latina inutilis; immo est utilissima. Certe enim mores, integritas, honestas hîc locum habent ad fidem inter homines et gentes colendam et confirman-

[1] Ita Burnsius, poëta Scoticus.

dam; et haec lingua, cum litteris eius, has virtutes ita fovebat, ut per saecula, – et vel hodie, – « humanitas » lingua, et eius scriptorum opera « litterae humaniores » vocarentur, propter earum bonum in moribus effectum. Ab homine sane educando humanitas aliena esse non debet.

Minime etiam iis qui recentiores linguas discere cupiunt, lingua latina impedimento, sed potius auxilio est. Nam radices continet plurimorum verborum omnium linguarum, quas Romanas dicimus, ut Italica, Francogallica, Hispanica, etc., necnon fere omnium ecclesiasticorum, quibus linguae teutonicae utuntur. Frequenter enim demonstratum est, puerum qui latinam modeste intellegat, citius quamlibet linguam romanam discere posse, quam qui latinam omnino ignoret.

Lingua anglica ipsa, vel americana, quamvis eius grammatica, quoad grammaticam habet, ad teutonicam magis inclinet, tres habuit magnas incursiones verborum latinorum; primam scilicet tempore adventus Romanorum primo saeculo, secundam per nuntios Evangelii sexto, tertiam per gallicam linguam acceptam post Angliae adeptionem a Nordmannis primo decimo factam.

Anglus igitur aut Americanus non dici potest suam ipsius linguam maternam intellegere, nisi aliquantulum saltem latinae linguae eiusque structurae etiam noverit.

Itemque pluribus in hodiernis disciplinis quot nomina e. g. in rebus botanicis, medicis, aliisque vel recentissimis e lingua latina exhauriuntur? Ita ut lingua haec mihi videatur esse necessaria ad nomenclaturam recentiorum disciplinarum intellegendam: nonne qui latinam linguam vel moderate novit, verborum sensum non modo iam percipit, sed nomina facilius in mente tenere potest, quam is cui sunt ea segregata ediscenda prius quam sciat qua ex lingua manarunt? Et hîc notandum est plurima verba nova ex linguis quae « mortuae » vulgo appellantur, mutuo sumpta fuisse, quod demonstrat ea verba saltem vivacissima esse.

Quod ad latinae linguae difficultatem spectat, nemo est qui neget eam esse difficilem. Haud dubium est quin ad eam discendam necesse sit ut discipulus operam ei strenue conferat, sed ubi omnia sunt facilia mens pueri vix exerceri potest, neque vere educatur, nec educitur. Attamen quamvis modo difficilis, modo etiam est facilis. Ex eo quod suum ipsius litterarum ordinem habet, quem communiter dicimus romanum, ad sonos aptum, pronuntiatio est regularis; quum contra, gallica, anglica, etc., quae romano ordine valde ad earum sonos inepto, utuntur,[1] perdifficiles pro alienigenis interdum sint, ut quisque puer invenit simul ac ad earum pronuntiationem procedit.

Multam hodie etiam audimus de *Esperanto,* quam linguae imitationem, magno ingenio sane factam, auctores sperant fore universam; sed ex eo ipso quod est « facta », itaque artificiosa, ei anima et vita desunt. Quamvis cito disci possit et utilis quoque sit rebus commercii, sicut hi numeri qui pretia denotant, non ad ubertatem antiquae litteraturae aut hodiernae ducit, mentibus educandis parum prodest, et eas minime ditat.

Non pro corpore omnia. Discipulus sit « dives agris, dives positis in faenore nummis », sed si senectute mens est pauper, non potest dicere « vixi ». Cur igitur non potius latina lingua, dum in scholis adhuc universa exstat, constituendum nobis omnibus uti, quae bonum tantum iam orbi terrarum contulit, quaeque modo magis colenda est, ut lingua viva et universa, ad omnia apta, resurgat? Et praeterea, illorum vinculorum linguae communis,

[1] In anglicis verbis *through, dough, bough, cough, enough, hiccough, borough,* sonus litterarum combinationis « *ough* » unoquoque exemplo differt.

Ann. X Romae, Mense Maio MCMXXIII Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE REBUS LATINIS IN BRITANNIA HODIE AGITATIS

Ad Iosephus Fornari, latini Commentarii ALMA ROMA *Moderatorem.*

Acriter hodie quaestio exagitatur in ludis litterarum et etiam in societatibus operariorum britannicis, utrum linguae graeca et latina, quae ratione et usu per tot annos - saecula dicam - magnam partem inter iuventutis studia bonis litteris necessaria obtinebant, nunc in curriculis studiorum retinendae sint, an illis anteponenda aliqua scientia aut alia lingua ex iis, quas dicunt vivas et modernas.

Qui contra has linguas, praesertim latinam, decernunt, varias causas proferunt, quarum aliae valde sunt speciosae, aliae omnino inanes.

Itaque, pace tua, Fornari optime noster, quaedam eorum argumenta, quae ad latinam attinent, breviter exponam, quibus addam responsa quae, licet minime nova, iteranda tamen esse mihi in re videntur.

Imprimis, adversarii latinae linguae rogant: « Cui bono? » « Maxima pars - aiunt - eorum discipulorum, qui eam in scholis colunt primariis, raro ultra grammaticam, et paucos forte libros Caesaris, Livii, Vergilii, Horatii, etc. persequitur, ita ut hi qui hodiernas disciplinas, vel res commercii petunt, eam tertio aut quarto anno curriculi deponant, neque, quum vitae professiones attigerint, unquam fere ad eam redeant ».

— « Vita brevior est - pergunt - quam ut tantum agendum sit tempus hac in lingua ediscenda, quum nec pro hodiernis disciplinis neque commercii commutationibus ea opus sit ».

— « Lingua latina difficilior est, quam cui tantus labor et tam strenuum studium attribui debeant, nisi ab illis quorum peculiariter intersit, quia aliae linguae et disciplinae immediate utiliores facilius citiusque disci possunt. Pro disciplinis igitur, et rebus commercii magis valet lingua, qua scriptores de his nunc tractare solent, quam lingua antiqua, a qua omnino sunt huiusmodi res alienae ».

Haud difficilis responsio istis obiicitur.

Qui iuvenum studia dirigere consuescimus, semper in mentem revocamus verba illius Mulcasteri, institutoris Spenseri, poëtae anglici: « Non corpus nobis est educandum, non mens, sed homo, neque eum dividere possumus ». Itaque, praeceptor puerorum, etsi quodammodo in loco parentis sit, non est magistri fabrorum, qui suam artem tantum pueros docet, nec quasi qui in fodinis grana auri petat dum solum spernit, sed quasi qui solum horti

levium ut aëris, sed ferro fortiorum, quae ne sentiamus quidem, quantus est nexus ad pacem et amicitiam inter gentes conservandam!

Si quidem haec lingua e studiorum curriculis iuventutis anglicae per stultitiam scholas gubernantium expellitur – absit omen! – non calamitatem tantum sustinebunt iuvenes, sed per iniuriam sua in bonis saeculorum praeteritorum privabuntur hereditate.

Edderton in Scotia, postridie Id. Aprilis MCMXXIII.

DONALDUS MACRAE.

Primum Concilium Oecumenicum in Occidente cuius annus saecularis Octavus celebratur

(1123–1923)

Multigena Concilia in Ecclesia dantur. Primum in Ecclesia Concilium celebratum fuit ab Apostolis, illudque *Actus Apostol.*, cap. XV, narrant. Historia ecclesiastica teste, saeculo secundo diversa concilia habita sunt tum contra Montanistas,[1] tum etiam in controversiis de tempore celebrandi Pascha.[2] Dein saeculo tertio celebrata sunt pariter nonnulla concilia contra Novatianos,[3] et praesertim in quaestione de valore baptismi ab haereticis collati;[4] nullum tamen Concilium Oecumenicum illis tribus saeculis habitum est.

Primum Catholicae Ecclesiae Concilium Oecumenicum coactum est Nicaeae in Bithynia anno CCCXXV sub Summo Pontifice Silvestro I et Imperatore Constantino Magno; alia septem, quae dein progressu saeculorum habita sunt, omnia in Oriente locum habuerunt. – Secundum enim habitum fuit Constantinopoli anno CCCLXXXI *(I Constantinopolitanum)*; – tertium Ephesi anno CDXXXI; – quartum Chalcedone anno CDLI; – quintum Constantinopoli anno DLIII *(II Constantinopolitanum)*; – sextum Constantinopoli anno DCLXXX-LXXXI *(III Constantinopolitanum)*; – septimum Nicaeae anno DCCLXXXVII *(II Nicaenum)*; – octavum Constantinopoli a. DCCCLXIX *(IV Constantinopolitanum)*.

Saeculo nono, divulsa Ecclesia orientali diro schismate Photiano e sinu Matris Ecclesiae Catholicae, concilia oecumenica in Oriente christiano celebrari desierunt.

***

Multi decurrerant anni a celebratione ultimi concilii oecumenici; multae res prosperae et adversae Ecclesiae Christi obvenerant. Saeculis X et XI vero aerumnae Ecclesiae multiplicatae sunt. Causa praecipua malorum consideranda est dominium illud laicale in rebus ecclesiasticis quod vulgo *investitura* est nuncupatum; itaque de huius origine et de litibus inde enatis lubet aliquid disserere; quae omnia tamquam praehistoria huius primi Concilii Oecumenici in Occidente reputari debent.

***

Iam ab antiquis temporibus reges et principes ecclesias bonis temporalibus, fundis et agris, imo etiam territoriis ditare saepius solebant. Quare Ecclesia, grati animi ergo, aliquando principibus saecularibus partem in electione praelatorum ecclesiasticorum concessit; eo magis quum illis donationibus multi praesules ecclesiastici facti essent principes temporales; nam bona illa, utpote feudalia ab ipsis principibus accipiebant. At principes laici, iure ipsis ab Ecclesia concesso, non raro abusi sunt, quum totum negotium electionis sibi attribuerent, et in creandis episcopis et abbatibus non respicerent dignitatem e idoneitatem virorum ad regendas ecclesias, sed magis prae mente haberent eorum dexteritatem ad administranda territoria, quae illis ut *feuda* concedebant.

Abusus iste praesertim invaluit saeculis X et XI. Quum enim multi episcopi et abbates, praecipue in Germania, *regalia* seu *feuda* possiderent, reges et principes in institutione episcoporum et abbatuum illa feuda eis per investituram conferebant.

Erat autem investitura actus solemnis, quo rex vel princeps tamquam dominus directus dominium utile conferebat subiecto *(vassallo)*, certis symbolis adhibitis. Initio sicut *vassallis laicis*, ita et episcopis et abbatibus dominium concedebatur per traditionem vexilli, symboli bellici. Quum tamen hoc symbolum visum sit postea minus idoneum pro viris ecclesiasticis, mutatum fuit in baculum et annulum, utpote personis ecclesiasticis magis convenientia.

Sed haec investiturae ratio non erat sine magno periculo et detrimento Ecclesiae. Imprimis quum baculus et annulus symbola iurisdictionis ecclesiasticae essent, facile persuasio oriri poterat, iurisdictionem et regimen Ecclesiae ab ipsis principibus descendere in episcopos et abbates, qui per illa symbola dominium accipiebant. Et revera tunc temporis in episcoporum et abbatuum institutione investitura considerabatur ut principale, consecratio eorundem ut quid secundarium et accidentale. Deinde mos invaluit, praesertim saeculo XI, ut, mortuo episcopo vel abbate, illa signa investiturae denuo ad principem deferrentur, qui posthabita omni electione canonica, episcopatum vel abbatiam, quibus feudum adnexum erat, ad arbitrium conferebat. Sed in illa collatione episcopatuum et abbatiarum reges et principes persaepe non dignitatem aut idoneitatem personae respiciebant, sed illa beneficia ecclesiastica conferebant viris sibi magis acceptis; vel, quod peius erat, iis, qui maius pretium pro obtinendo episcopatu vel abbatia offerrent. Inde factum est, ut tunc multi indigni pastores ecclesiis praefecti essent, qui non gregem, sed se ipsos pascerent; saecularibus curis impliciti, non quae sunt Christi, sed sua quaerentes.

Huiusmodi praesules, ecclesiasticam dignitatem per simoniam adepti, minora beneficia clericis vendebant; isti vicissim sacramenta et res sacras fidelibus pro pretio temporali administrabant. Abbo Fleuriacensis, statum rerum illius temporis hoc modo nobis describit in opere, cui titulus *Apologeticus* ad Hugonem et Robertum, reges Francorum: « Videte, aequissimi principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas: ex donis omnipotentis Dei, quae gratis accipiuntur, mercatores efficimur et vendere conamur, quod profecto non possidemus. Nihil enim pene ad Ecclesiam pertinere videtur, quod ad pretium non largiatur, scilicet episcopatus, presbyteratus, diaconatus et reliqui minores gradus, archidiaconatus quoque, decania, praepositura, thesauri custodia, baptisterium, sepultura et si quae sunt similia. Et huiusmodi negotiatores subdola responsione solent adstruere, non se emere benedictionem, qua percipitur gratia Spiritus Sancti, sed res ecclesiarum vel possessiones episcopi ».[1]

Sic ergo illa aetate Ecclesia, libertate in eligendis suis pastorihus orbata, non domina sed ancilla videbatur; nam principes laici eidem per investituram dominabantur. Ex investitura promanabat, uti dicebamus, malum pessimum: *simonia*, qua multi contaminati erant.

Pariter ex investitura, uti a fonte impuro, clericorum incontinentia profluebat. Illa enim aetate antiqua lex ecclesiastica coelibatus a multis clericis protrita erat,

[1] HEFELE, *Conciliengeschichte*, I², pag. 84 sq.
[2] HEFELE, op. cit., pag. 86 sq.
[3] HEFELE, op. cit., pag. 111 sq.
[4] HEFELE, op. cit. pag. 117 sq.

[1] ABBO FLEURIACENSIS († 1004). - *Patr. Lat.*, 139, col., 466,

qui, suae dignitatis obliti, uxores ducebant et cum eorum liberis manifeste incedebant. Clerici illi simoniaci, lege coelibatus posthabita, bona ecclesiastica dilapidabant, filios suos locupletabant; et sic malis pessimis et aerumnis multis Ecclesia undique premebatur.[1]

***

Hisce malis medendis et Ecclesiae aerumnis sublevandis saeculo XI multi sancti episcopi, Summique Pontifices omnem operam impenderunt. Sic Benedictus VIII (MXII-MXXIV),[4] Leo IX (MIL-MLIV),[2] Nicolaus II (MLIX-MLXI),[3] Alexander II (MLXI-MLXXIII).[4] At malum altas radices iniecerat; illud radicitus evellere difficile erat. Venit Gregorius VII (MLXXIII-MLXXXV), qui maiori cum vi statim securim adhibuit.

Fons praecipuus omnium malorum Ecclesiae illius temporis, ut vidimus, erat illa investitura; haec ergo auferenda omnino erat. At ne Gregorius iura alterius laederet, neque ad iram alios provocaret, prudenter et pacifice agere coepit, prout abunde demonstrat ratio eius agendi cum Henrico IV, rege Germaniae. Anno MLXXV, in synodo Quadragesimali, investituram laicalem omnibus principibus saecularibus prohibuit;[5] sed paucis mensibus postea scripsit ad Henricum IV regem, sese paratum esse temperare vel mutare ea, quae fuerunt in synodo statuta circa investituram, si iura principum laedere videbantur.[6] Sed surdis auribus Gregorius VII canebat; eius curae omnes inanes cesserunt, praesertim in Germania et in quibusdam aliis regionibus. Gregorius vero erat vir propositi tenax, flagrans amore magno erga Ecclesiam, et ideo ab incepto non destitit; et « bellum contra investituram » edixit.

Per totum suum pontificatum Gregorius VII contra investituram et incontinentiam cleri pugnavit; propterea contra se habuit principes potentes, imprimis Henricum IV regem, clericos depravatos, homines perditos non paucos. Sed ille difficultatibus, periculis, persecutionibus, exilio non cessit; usque ad finem vitae suae pro sponsa Christi laboravit, pugnavit! En quomodo circa finem vitae suae, iamiam Deo rationem redditurus, haec omnia ipse narrat: « Pro nulla quippe alia qualibet ratione contra nos inique conspirantes manus erexerunt, nisi quia periculum sanctae Ecclesia noluimus silentio praeterire, et his restitimus, qui eandem sponsam Dei non erubescunt in servitutem redigere. In omnibus autem terris licet etiam pauperculis mulierculis suae patriae lege suaque voluntate virum accipere legitime; sanctae vero Ecclesiae, quae est sponsa Dei et mater nostra, non licet, secundum impiorum votum et detestabilem consuetudinem, divina lege propriaque voluntate suo sponso legaliter in terris adhaerere. Non enim pati debemus, ut filii sanctae Ecclesiae haereticis, adulteris et invasoribus quasi patribus subiiciantur atque ab eis veluti adulterina infamia notentur.... Ex quo enim dispositione divina mater Ecclesia in throno Apostolico me valde indignum et Deo teste invitum collocavit, summopere procuravi, ut sancta Ecclesia, sponsa Dei, domina et mater nostra ad proprium redi-

diens decus, libera, casta et catholica permaneret. Sed quia hosti antiquo haec omnia displicent, armavit contra nos membra sua, ut omnia in contrarium verteret. ... ».[1]

Desideratum finem vero Gregorius VII non est assecutus: sanctam Ecclesiam, sponsam Dei, dominam et matrem nostram liberam a potestate civili non vidit; mors illum ante finem pugnae rapuit! At Gregorius VII viam demonstravit, qua ad libertatem Ecclesiae, et ad cleri et populi sanctificationem perveniendum erat.

(Ad proximum numerum).

P. Bacić, O. P.

---

[1] Illa aetate etiam hoc malum in Ecclesia serpebat, quod multae familiae in *latifundiis* Ecclesiae rei famulatum exercentes, quaerebant ad clericatum pervenire, et, uxore libera ducta, liberam familiam formare, et dein filios, bonis ecclesiasticis ditabant et famulatui nobilium uti milites addicebant. Benedictus VIII, Summus Pontifex, in Concilio Ticini anno 1018 habito, rerum statum hoc modo describit: « Reges utique et imperatores Christum secuti et populus catholicus armis fidei acquisitus, amplissimis patrimoniis Ecclesiam ditaverunt et exquisitissimis eam possessionibus ad mare usque ampliaverunt. Sed bene parata, male sunt conservata. Omnes enim eam pertranseuntes diripiunt, et hi maxime, qui videntur esse rectores, modis omnibus, quibus possunt, conculcant et paupertant. Praedia enim et possessiones aut tollunt, aut minuunt, quibusdam titulis et scriptis colludio fabricatis, a nomine et a iure Ecclesiae alienant; servos libertant, licet non possint; filiis congerrones infrontati omnia congerunt. Ipsi quoque clerici, qui sunt de familia Ecclesiae, si sunt dicendi clerici, qui vivunt ut ethnici, cum sint ab omni muliere legibus exclusi ex liberis mulieribus filios procreant, ancillas Ecclesiae hac sola fraude fugientes, ut matrem liberam filii quasi liberi prosequantur. Ampla itaque praedia, ampla patrimonia et quaecumque bona possunt, de bonis Ecclesiae, neque enim aliunde habent, infames patres infamibus filiis adquirunt.... Sic Ecclesia olim ditissima, iniuria et malignitate praesidentium et incorrecto usu clericorum pauperrima est effecta nostris temporibus. Sic annullatur Ecclesia, sic mendicat. Sic aut perrarus, aut ex familia Ecclesiae nullus iam invenitur, qui valeat; quia hac fraude omnes filii servorum Ecclesiae ad clericatum adspirant, non ut Deo serviant, sed ut scortati cum liberis mulieribus, filii eorum de famulatu Ecclesiae cum omnibus bonis Ecclesiae raptis quasi liberi exeant » (Labbe, *Phil.* et Cossart Gab, *Sacrosanta Concilia,* IX, 820; Hefele, *Conciliengeschichte,* IV [2], pag. 670; Jungmann Ber., *Dissertationes selectae in Histor. Ecclesiasticam,* tom. III, Dissert. XX, n. 24).

[1] In Concilio Ticini habito anno 1018 et supra citato.

[2] Undecim synodos in hunc finem in diversis regionibus celebravit: Romae, Papiae, Remis, Moguntiae, Salerni, Siponti, Romae, Vercellis, Romae, Mantuae, Romae (Cfr. Hefele, op. cit., IV [2], pag. 716 sq.).

[3] Praesertim in Conciliis Melfiae anno 1059, Romae anno 1060 (Cfr. Hefele, op. cit., pag. 831, 838).

[4] In Concilio Romae anno 1063 habito (Cfr. Hefele, op. cit., pag. 857).

[5] Hefele, op. cit., V [2], pag. 47.

[6] Inter alia scribebat: « ... nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes, sed primam et unicam ecclesiasticae disciplinae regulam et tritam sanctorum viam, relicto errore, repetendam et sectandam esse censuimus. ... Attamen ne haec supra modum tibi gravia aut iniqua viderentur, per tuos fideles tibi mandavimus, ne pravae consuetudinis mutatio te commoveret, mitteres ad nos quos sapientes et religiosos in regno tuo invenire posses, in quo salvo aeterni Regis honore et sine periculo animarum nostrarum promulgatam sanctorum Patrum possemus temperare sententiam, eorum consiliis condescenderemus. ... (*Regest.*, III, ep. 10; *Patr. Lat.*, 148, col. 441; Hefele, op. cit., pag. 50).

[1] *Epistolae extra Registrum vagantes, Epistola ad omnes fideles* (Cfr. *Patr. Lat.*, 148, col. 709-10).

DE CRUCIS CULTU APUD SINAS

Adveniente die, qua nos alacres christianorum laetitiam memoramus, ob Christi venerabilem Crucem ab Helena, sanctissima muliere, Constantini imperatoris matre, olim recuperatam, haud abs re esse iudicabo, haec paucula in vulgus edere, quae de cultu ad Crucem passim apud vetustissimos Sinas habentur.

Mirum sane quod Sinae Crucem appellant: *Literam decem,* ob similitudinem, quae inter Crucem adest et hanc literam. Hinc factum est, ut Crux christiana ab initio odiosa minime apud Sinas fuerit.

Quin imo haud desunt, qui autument imperatorem Kubilai eam optime novisse, per Sodales Franciscales, qui illic habitarent. Alii vero ad ipsam humani corporis imaginem referunt, quam ingeniose admirabantur. Et hodie Crux est apud Sinas magnum in tabulis pictis ornamentum, quam in quadri formam potissimum exhibent. Et re quidem vera, divinae legis praeco quidam, cui fuit nomen Paulus

Sciu, uti memoria proditum est, hisce maxime utebatur, ut pro re sua cives cultum Crucis moneret, ad hoc redemptionis signum recolendum.

Sinae doctrinam Crucis a Nestorianis primum acceperunt. Hos excepit Ioannes a Monte Caprino. Qui vero aliique apertissime profitentur, Nestorianos timida quadam ratione Crucem praedicasse et saepissime eam in vulgus referre haud ausos fuisse.

Multi quoque milites Cruce insigniti apud Sinas Crucem attulerunt, eiusque cultum apertissime auxerunt. At prae ceteris haec gloria Sodalibus Franciscalibus referenda est, qui per imperatores, qui armis Sinarum imperium obtinuerunt, Crucem prae omnibus colendam esse dictitabant. Iuvat hac de re Beatum Odoricum a Pordenone audire, qui multa curiosiora narrat atque pretiosa. Nos - ait ipse - in regalibus aedibus religiosum habemus, Ioannem a Monte Caprino, Episcopum, qui regi equitatum eunti semper benedicit. Ego ipse, Odoricus, meis oculis vidi penitusque perspexi, ab Episcopo manu veluti ductus rem prorsus divinam admiratus. Imperatori, in summo curru sedenti obvius fui cum Cruce super hasta, quum adessent, qui hymnum canerent: *Veni, Creator Spiritus!* Quum Rex audivisset haec carmina, scire voluit quid fortasse ipsa sibi vellent. Quum accepisset nos esse christianos eosdemque sodales sancti Francisci, nos ad se vocari iussit, et surgens, capite detecto, Crucem devotissime est osculatus ».

Haud velim haec praeter ordinem extollere, quae tamen quotidie fiebant, minori utique pompa ad imperatoris mensam, ubi Sodalis Franciscalis regalibus ferculis signo Crucis benedicebat. Crux enim nedum religionis signum habebatur, sed ut ipsa religio ab Scytis, quum ipsi imperium super Sinas protulerunt. Idemque Christianorum doctrinam a *litera decem* appellare consueverunt. Quo facto omnes facile arguere possunt quam pretiosum sit atque decorum templum Buddae dicatum nuper effossum cum *Litera decem*. Hoc monumentum invenit primum nuperrime Anglus quidam, regisque filii praeceptor. Paulo post, ex integro, templum invisit J. Harding, Consilii Legationis Anglorum intimus.

Harum rerum admiratione perculsi, plures in dies templum invisunt, et curiosius illud et per photographiam, quam appellant, retrahere student.

In praesentiarum idem Templum, quod *Pagoda* dicitur in Sinis, per varios rerum casus, ad quemdam avarissimum hominem pervenit, qui foetide cuidam vendidit, qui ipsum ad agricolarum commodum insigniter adsignavit.

Haec Crux, ingenti marmore confecta, duos habet circiter cubitus longitudinis et totidem quasi latitudinis.

A quo vero tempore haec Crucis imago colitur a Sinis, et utique in hoc sacrario?

Primum, uti supra me dicere memini, Nestorii alumni se ad Sinas contulerunt, labente circa saeculo octavo, qui Crucis templum obtinuerunt usque ad Sodalium Franciscalium adventum.

Inscriptio, quae legitur, in hac Cruce, gravi esset veritatis argumento, si sacerdotum Sinarum iudicium rite esset accipiendum. Sic autem se habet:

« Olim Sacerdos quidam Sinarum sedebat hîc apud monumentum lapide confectum, simplex nec ullam rem secum gravem revolvens, quum, ex improviso, adesse sibi cernit hominem viridi veste indutum, lorica aurea crepidisque nigris, rubrum adspectu, cum barba prolixa, qui, gravibus sane verbis atque elattis, sic eum monitum voluit: "Eia, sacerdos, - ait - hunc locum sanctum habita, meo qui subest patrocinio „. Hisce dictis, disparuit. Tunc sacerdos vidit vetus hoc monumentum: Crucem! quae quidem mirum in modum splendescebat. Sacerdos illico surgens hoc monumentum aedificavit. Ad hunc enim montem mei securus veneram, et oraculum hoc mihi obvium fuit. Crux splendidissima adstitit, et hic locus est boni admodum ominis ». Quo facto sacerdos sacrarium composuisse traditur.

Qui vero sacerdotum Sinarum ingenium optime norunt, aestimant illum hisce verbis eo spectasse, ut commodiorem sibi vitam procuraret, qui recte sciebat, Sinis, praesertim sub Scytharum dominatu, Crucis imaginem magno esse in honore.

Verum ferox Hung-Ou, Min gentis auctor, anno MCCCLXVIII imperium Scytharum in Sinis funditus evertit cum christiana religione, praeter hoc marmoreum monumentum.

Dum interea doctorum ingenium in enucleanda inscriptione torquetur atque adlaborat ut lux eius vividior effundatur, atque adeo omne rerum secretum manifesto in lumine pateat, confidimus, sacrarium hoc non modo olim profuisse Sinarum sacerdoti, sed remotis omnibus difficultatibus, atque cunctis adversariis ablegatis Christianae religioni unice profuturum.

Tunc, lato omine, nos iterum cum patribus conclamabimus: *Ecce Crucem Domini, fugite partes adversae!*

SENIOR.

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.[1]

III.

Quemadmodum circa pulchri naturam et definitionem, ita circa Gustum, qui pulchri iudex est naturalis, ad scholarum diversa placita, prolatae sententiae fuerunt. Ita iuxta Blair gustus est « facultas capessendi delectationem ex rebus pulchris tum naturae, tum artis » ; iuxta Rollin est « iudicium delicatum, vivax, clarum et exactum totius pulchritudinis ». Montesquieu gustum definit tamquam « proprietatem inveniendi cum acumine et celeritate mensuram delectationis, quam certa res hominibus afferre debet »; Rousseau: « facultatem iudicandi quod maximae hominum parti p'acet » ; Voltaire: « sensum pulchritudinis et defectuum in omnibus artibus » ; Descuret: « sensum spiritus naturae opera diiudicantem » ; Fischer: « Facultatem iudicandi artificis indolem et conceptum » ; Conti: « iudicium de artis pulchrae operibus ».

Sed huiusmodi definitiones punctum omne tulisse minime nobis videntur. Haec nobis simplex et propria gustus definitio potius arridet: « Habilitas hominis rationem pulchritudinis in rebus apprehendendi ». Habilitatem dicimus, quia non putamus gustum esse peculiarem et distinctam facultatem; ideoque non esse sensum organicum aut spiritualem, ita ut nonnisi improprie nomine « facultatis » gustus donari possit. « Hominis » dicimus, ut singulare gustus « snbiectum » designemus; ideoque substantiae omnino spirituales excludamus, quae propria suae naturae ratione pulchrum intuentur. Reliquis denique verbis satis manifeste propriam et peculiarem aesthetici gustus actionem indicamus, atque simul obiectum formale et integrum circa quod ipse versatur, pulchrum scilicet tum naturae, tum artis.

Gustus igitur, seu habilitas apprehendendi pulchritudinis rationem in obiectis, constat:

a) ex sana et exquisita natura sensuum externorum;

b) ex praestantia et vivacitate phantasiae;

c) ex potentia contemplativa mentis cum quodam animi calore.

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Martii.

Et quia harum potentiarum operationes reduci debent ad unitatem, - (principium enim agendi in eis est natura quae tendit ad unum), - ideo requiritur etiam aequa temperatio inter facultatem sentiendi et facultatem contemplandi, ita ut neutra nimis praevaleat, seu excessus utrobique caveatur. Nam si mens plus aequo in pulchritudine assequenda indulgere velit aut debeat ratiocinationi, distinctionibus, examini... iam in abstrusae disciplinae studium et meditationem attollitur; ita ut phantasiae virtus langueat animique affectus frigescant.

E contrario, facultas sensitiva, si plus aequo illecebris affectionibusque capiatur, (ex. gr. colorum vivacitate, sonituum modulamine, verborum lenociniis, elegantiarum exuberantia, affectuum mollitie...) iam inde sensibus obruta mens iacet, et aesthetica perceptio in meram organicam voluptatem degenerat.

Atvero gustus, seu mens contemplatrix, duplici ratione operari potest. Vel enim *a*) gustus ad actum venit suis naturalibus viribus, idest nulla educatione praeditus, et tunc in rebus notas generales contemplatur, simulque delectatur in praefatis rebus, quum tamen intimam rationem istius delectationis minime percipiat. Haec gustus operatio « simplex apprehensio » dici potest, quae in singulis manifestat hominibus naturalem capacitatem percipiendi pulchrum.

Praeterea huiusmodi actio quo magis extenditur, seu omnibus communis hominibus fit, eo minus evadit « comprehensiva », seu circa faciliora et notiora, ideoque praefinita pulchra versari potest. Attamen minus fallaciis subiacet, minoremque opinionum discrepantiam agnoscit. Vel enim *b*) gustus peritia instructus, assequitur ac contemplatur in obiectis quod magis excellit, subtiles et ultimas pulchritudinis rationes proprietatesque observat, semilatentes etiam radios in se vivide suscipit, et tunc indolem propriam, sive, ut vulgo dicunt, *characterem specificum* compertum habet, et summopere iucundatur cum causarum cognitione. Haec gustus operatio iudicium aestheticum proprie appellatur, et ad eximios amatores et iudices bonarum artium - (aesthetas eos nuncupamus) - nec non ad ipsos artifices pertinet. Opera enim naturae exquisita, et opera artis absolutissima peritum postulant censorem. Secus: *Sutor ne ultra crepidam - Nihil cum fidibus graculo* - inclamaret Horatius.

Mens autem saepe prava educatione, perversis informata principiis a naturali aequitate in pulchris iudicandis deflectit. Ad rem Terentius:

Homine imperito nunquam quicquam iniustius,
Qui, nisi quod ipse fecit, nihil rectum putat.

Insuper iudicium aestheticum (gustus) differt ab iudicio rationis; hoc enim pulchrum iudicat eiusque proprietates et relationes vi analysis et maturae reflexionis, absque ullo animi calore; dum, contra, illud agit ope vividae repraesentationis, perspicacis contemplationis, seu « intuitus », et cum quadam commotione.

Gustus igitur, sicut ceterae animi proclivitates, nobis est natura insitus: attamen, ut optimus evadat pulchrarum rerum iudex, opportuna et diuturna indiget institutione. Imo ad habitum reduci debet, ex quo fit, ut sine difficultate pulchra diiudicet. Ad hoc maxime confert tenellos animos componere venustioribus naturae artisque obiectis, quae pulchri sensum excitent, nutriant, excolant. Quare illi populi, qui pulchra et concinna naturae artisque monumenta propalam circumspiciunt, magis exquisitum gustum agunt.

Iuvenes itaque principiis, regulis, exercitationibus, similibusque mediis iuvare oportet, usque dum prompte et accurate iudicium de praefinita pulchritudine promant. S. Thomas de hac educatione loquens scribit: « A fine quinti anni usque ad finem sexti oportet iuvenes esse inspectores disciplinarum in quibus erudiendi sunt... si in musica musicalium, ut per auditum et inspectionem talium assueti magis inclinentur ad ea ».[1] « Mentiuntur Lacedaemonii dicentes se recte posse iudicare melodias non edocti prius ».[2] Quaevis tamen exquisita educatio nihil prodest, si natura aptam gustus indolem non sit largita. Italus poëta canit: « Ei cui aliquam rem natura dicere noluit, Athenae et Romae mille dicere nunquam poterunt ».[3]

(Ad proximum numerum).

G. Lepore.

[1] *Politic.* lib. 7, lect. 12.
[2] *Ibidem,* lib. 8, lect. 2.
[3] *A cui natura non lo volle dire,*
Nol dirian mille Ateni e mille Rome ».

In Vultures!...

ODE

Vultures turpes volitant per orbem
et domos moestas adeunt frequentes,
ingemunt, iugem simulant recenti
funere fletum!

Hoc genus spectat cumulare quidquid
possit et fato spoliare functos;
faucibus siccis etiam sepulta
roderet ossa!

Harpyias caveas, agmina tristium
dirarumque avium! sunt rabidi ut
[canes,
qui insistunt laceris visceribus frui!

Lector, damna ferunt horrida civibus,
perversis oculis omnibus invident,
addunt probra suis pessima commo-
[dis,
gaudent vivere de sanguine paupe-
[rum!
Lucrum percipiunt turpe recognitum,
testamenta petunt ultima divitum,
captant divitias, splendida munera,
lautis vina epulis optima potitant;

obscoenae cupiunt acta libidinis ...
Molestas baculo hinc excute bestias,
terrores hominum, spectraque tristia!

Neapoli.

Iosue Càcace.

FLORALIA

Cum hoc mense Maio finem meo argumento tandem imponam: non enim floribus, sed fructibus locus deinceps erit.

Dicam hodie igitur de flore ab oriente oriundo, quem vernacula quam latina vox augustius nominat: namque latine **lilium regium,** vulgo autem *corona imperialis* appellatur. Caeparum instar pregrandis eius bulbus, binas et amplius libras interdum pendens, rudi et inaequali rotunditate conglobatur: candidas, promissas, molles et parva offensione fragiles fibras non ab ima tantum, sed varia etiam ex parte dispergit: medio patuloque, qua scapus exit, foramine hiat; sine tunicis investis, succula, densaque; carne modo candicat, modo purpurat, plerumque pallet; allium, aut hircum, aut quid insuavius olet. Atque hoc maxime distat a simillima *Susiani,* sive Persici lilii bulbosa radice, quae graveolentia nulla nares ferit, quaeque forma est praeterea longiore. Thyrsus robustus, crassus, intus fungosus, viridis, rotundus, procerus ad mediam fere altitudinem modo confusis, modo ordinatis liliaceis foliis convestitur: inde teres, nudus et purpurascens foliosam summam partem silvescit in cristam. Inter cristati capitis folia plerumque bina tenuibus e pediculis vario numero, multiplicique in-

terdum serie, raro scilicet naturae luxuriantis lusu, lutei aut ex croceo rubentes liliorum similes flores, at minores in calathos ab imis augustiis diducti, nec labella resupinantes minusque dehiscentes, quam decori, tam faetidi pensili coronamento nutant. Est etiam cum voluptate cernere in intimis foliorum singulorum floreis unguibus margaritarum gemella candida tubercula, quae cum sereno, tum maxime pluvio caelo liquidam et praedulcem aquam guttatim delachrymant salubri documento scatere lacrymis etiam coronas. Ea postmodum eminula unionum rudimenta, marcentibus floribus, introrsum abeunt in aeque candidas lacunas. Ad haec sex albida stamina luteis crocis capitulata cum trifido medii styli pistillo prominent. Excusso flore, grandia capita sustollunt angulosi folliculi, seminibus graves subrufis, planis, cartilagineis, duplici serie in unoquoque angulo digestis.

ANONYMUS.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano anni MCMXXII.

Accepimus, et libenter edimus:

In certamine poëtico an. MCMXXII, die IX mens. Aprilis MCMXXIII praemio aureo ornatum est carmen c. t. *Europa*, quod fecit HERMANUS WELLER Ellwangensis.

Praeterea haec magna laude ornata sumptibus legati edentur; eaque hoc ordine:

Spes Vergiliana.
Vergilius et Maecenas.
Ad Vergilii Sepulcrum.
Gallus et Lycoris.

Ad certamen admitti non potuit carmen cui titulus *De S. Ioanne ad Herodem* e variis constans poëmatiis, quorum tamen nullum legitimum versuum explebat numerum, et *Fama*, cuius poëta nomen suum non celavit iudices.

Parum aut omnino non probabantur carmina 40, quorum tituli *Marina, Lycoris, Deversorium Bethlehemiticum, De arte volandi, Ecloga, Libellus amatorius, Primum iter, Virgilii amicis, Ad Islandos, Tatia, Idyllium, Montanae puellae incunditas, Post nubita Phoebus, Somnium Vergilii, Facit indignatio versus, Cursus equorum, Orbilii ludus*, (carmen cuius scidula reperta, ipsum deerat) *Ad sanctam Caeciliam, Ferriterium, Miles ignotus, Mincius, Lenis sub numine Bacchi, Redeuntes ex urbe coloni, Dulcis cura matris, Parvo sub lare cena, Ad pium Aeneam Africam linquentem, Rivus, In diem Romae natalem, In novi praesulis introitu, Ferriterium v. s., Stabat volabat, Ante aram patriae, Nais, Extremum Horatii somnium, Ad uxorem epistola, Domuncula, Materni victima amoris, Patrii montes.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina Latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, L versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kalendas Ian. a. MCMXXIV mittantur «het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis Amsterdam», munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum Britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae apertiendae venia dabitur. Id autem ante Kalendas Iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, die IX m. Apr. MCMXXIII.

C. VAN VOLLENHOVEN
Ord. lit. acad. reg. praeses.

Scimus auctorem carminis praemio proximi fuisse socium nostrum clarissimum FRANCISCUM SOFIA ALESSIO Radicenensem, cui ob novum meritum honorem ex animo gratulamur.

COMMUNIA VITAE

GRATULATIO[1]

ALF. (*ad Adulfum*) Si modo adfuisses, suavissimum audivisses Angelum facili disserentem sermone de Congressu virorum observandorum, qui in nostra versantur domo.

AD. Quid vobis de illis patefecit?

MICH. Pignore contendo te qui adeo acutos habes oculos, nondum comperisse quotnam numero undique legatos esse congregatos.

AD. Existimo... non minus quam quinquaginta: nonne ariolus fui?

ALF. Ne nimium progrediaris, mi homo!

MICH. Te insigniter fefellit animus.

AD. Atqui existimabam ego omnia contignationis superioris conclavia ab ipsis esse occupata.

ALF. Non ita, Adulfe. Si tamen ex quinquaginta viginti dempseris, certum adhibueris numerum.

AD. Hei mihi misero! Iamiam fere attigi; ah! ah! ah! (*Risus edit*).

ALF. Certe quidem; amplius aberrare poteras.

AD. At quid nostis amplius de his?

MICH. Non ignoramus scopum huius coetus potissimum, nimirum ut societatis magistrorum nostrorum Constitutiones novi Iuris modificationibus aptaret.

ALF. Et etiam Moderatorem eligere Supremum qui, virum magno omnium moerore vita functum, ad duodecim annos sufficiat.

Redit ANGELUS *chartam afferens oden scriptam continentem.*

ANG. Sum iterum ad vos, amici.

ALF. An cum carminibus iam conditis?

ANG. Conditis quidem, sed brevissimis, atque, quod deterius est, aliquatenus invita Minerva.

ALF. (*ad alios*) Vidistine? Quidni rem illi credidisse?

ANG. (*chartam aliis porrigens*) Si libeat vobis ea legere?... Quidlibet corrigere seu sponte animadvertere datur.

ALF. Ecquid, Angele? Perbelle haud dubio ea concinnata sunt; at cedo mihi dumtaxat quonam usus es numero.

ANG. Sapphico sane: is enim mihi mage est familiaris.

ALF. Et qui mihi plus arridet.

MICH. Tibi, et mihi, et omnibus, nam versus huiusmodi bene tornati admodum evadunt canori.

ALF. (*subridens*) Et tu quid de illis, Adulfe?

AD. Vos videritis; namque ego nec carmina nec ferme poëtas novi.

MICH. Nos tandem accingamus, ut ei gratulatum properemus.

ANG. Sed electi nec nomen cognoscimus, nec locum ubi nunc versetur scimus.

AD. Proficiscamur demum, et iam de his quaeremus. (*Recurrit Ferdinandus hilaris*). Sed ecce Ferdinandus.

Supervenit FERDINANDUS.

[1] Cfr. fasc. sup.

FERD. Salvi sitis omnes!

ALII. Salveto et tu! - Salvus sis! - Salvebis!

AD. An noveris supremum Moderatorem electum?

FERD. Hoc vobis commodum nunciaturus adveneram.

ANG. Et locum ubi nunc sit forte noveris?

FERD. Nomen eius est Nicolaus García, nec a nobis longe abest. Levate oculos, et protinus aliquis, omnium nomine, ei plurimam deferat gratulationem.

ANGELUS *sese prorsum exhibet et stans omnium in medio hanc legit gratulationem:*

Gaudet ut parvum tenerumque ovile!
Ocius cunctis ovibus salutem
id Duci excelso valet auspicari
pectore summam.

Plurimos cingas cupimus per annos
quam tibi caelum tribuit coronam
atque perfusus regito Institutum
rore superno.

« Te sequar miles tuus usquequaque
« te sequar - clamat - Moderator alme;
« maxime infensos iubeas in hostes
« mittere ferrum ».

Iam legunt palmas, agitant triumphos
Angeli pacis, Duce te, per orbem.
Quaeso nunc mecum quoque vos ovantes
plaudite Patrem!

E. IOVÉ, C. M. F.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Iacobus Tasset Iosepho Fornari doctori S. D.

Raptim quem ferreae vehunt orbitae, rura fugiunt et aedificia; ipsosque nescit, quibuscum currentis contubernii comiter iungit consuetudinem. Itaque nos, ociore vita vexatos, earum rerum, quas videmus, plerumque natura latet. Quapropter frustra, quid sit *lineolum,* conatus nuper dicere, in errorem incidi. Earum enim plantarum in silva, quarum est exemplum *malva,* non inter *corchora*, quo lapsus sum, sed *hibiscorum* in ordine stat *hibiscum cannabinum:* cuius autem staminibus linoleum contexitur. Tiliae arbori herba illa affinis, apud Indos antiquitus, nunc sativa multis locis, supra decem pedes mensibus quinque crescit.

Quae quum omnia nescirem, per verborum digestas ordine litterarum notitias, tumultuariam oportuit nancisci disciplinam. Sed barbara sunt illa promptuaria: quo maior interpreti labor et periculum. Vale.

Die x mensis Aprilis MCMXXII, Turnoduro.

ANNALES

Germaniam inter et Galliam discrimen.

Germanos inter et Gallos discrimen immutatum perdurat. Neque sanguinis effusio defuit, ut in officinis ad Essen civitatem. Galli, post novas fodinas Dusseldorfii occupatas, Neckar flumen transierunt et Hessisher oppidum primum invaserunt, deinde Sayn stationem. Contra eorum vim, Germani passivum renixum opponere pergunt; neque adhuc praevidere licet quorsum rerum conditio sit evasura.

***

Conventus ad pacem Turcos inter atque Graecos feriendam resumptus.

Turcicis novis postulatis, de quibus in superiore recensione nostra verba fecimus, consociatae Europae civitates responderunt sese paratas esse ad immutationes circa iudiciorum conventiones et regulas de exteris civibus in Turcarum imperio degentibus iterum examinandas, dummodo tamen huiusmodi immutationes illuc etiam adducerent, ut iura ante bellum initum an. MCMXIV acquisita, exteris civibus recognoscerentur, utque oeconomicae clausulae immutationibus et ipsae essent obnoxiae: hisce conditionibus sese promptas atque paratas declararunt ad Lausanense concilium resumendum; quod reapse die XXIV mens. Aprilis factum est; legatis in tres coetus divisis, quorum alteri generales politicae quaestiones commissae sunt; alteri quae ad aerarium spectent; tertiae denique quae ad res oecocomicas. Verum iam a primis disputationibus dissensio aliqua exorta est: insulae enim Castrirubri et Ada - Kalch, (haec in Danubio flumine), Turcis sunt denegatae et hodiernis possessoribus, Italiae scilicet et Romaniae, in legitimum dominium recognitae. Ex adverso consensus factus esse videtur de tribunalibus mixtis instituendis et de rationibus circa privatorum debita adhibendis. Pacisne tantum optatae iris tandem illucescet?

***

Nationum societas.

Et nationum societas superiore mense Genevae congregata est; quae operam suam in haec praesertim intendit, ut fines Hungariam inter et Csecoslovachiae novum regnum certis limitibus constituerentur, utque rationes Austriae subveniendi requirerentur.

***

Bolscevicorum facinora.

Post infandum illud iudicium, quo Ioannes B. Cieplak, Petropolitanae catholicae ecclesiae episcopus, et Butkievicz eius Vicarius sub proditionis specie capite damnati sunt, et universi orbis deprecationes ne iniquissima sententia executioni mandaretur, Bolscevici illi poenam cum perpetuo carcere episcopo commutarunt; alterum vero insontem virum manuballistae ictibus d. XXIX mens. Martii ferocissime necarunt. Felix quamquam ille, cui, Christi martyri, contigit in caelis cum ipso Christo resurgere.

***

Regia funera.

Die XXV nuper elapsi mens. Aprilis Berolini fato concedebat Gulielmus Hernestus, Saxoniae Weimar magnus dux.

***

Vaticana sollemnia.

Die XXIX eiusdem mensis in Vaticana basilica Beatorum honores decreti atque tributi sunt puellae pientissimae Theresiae e Puero Iesu, Moniali ex ordine Carmelitarum excalceatorum. Nata erat Alenconii d. II mens. Ianuarii MDCCCLXXIII nomenque originis habebat Mariam Martin. Pacem quam mundus dare minime valet, ipsa, intercessione sua potentissima, pro universo orbe apud Deum tandem obtineat!

Kalendis Maiis MCMXXIII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Contigit sane vobis, lectores humanissimi, quemadmodum et mihi, ut quum in templo sacris sollemnibus, vel potius concioni alicui interessetis, aut cuivis spectaculo in theatro, molesta plurium tussi distineretis; quin etiam ut ipsi vos, nulla quidem perfrictione affecti, quasi ex contagio participes huiusmodi molestiae fieretis. Undenam haec? Medicus quidam americanus singularis rei apertam descriptionem nobis tandem offert, ex intima relatione

eam statuens inter guttur et aures exstante; quum scilicet aures incommodum patiuntur, et guttur patitur, atque ad tussim nos cogit. Itaque si loci resonantia, sive, prouti vulgo nuncupatur, *acustica,* ea est, ut recto quasi dicam tramite oratoris aut concinentis vox audiatur, nullum est tussis periculum.

Habemus igitur novum nec prius exploratum, quamquam innocuum et brevis temporis, morbum, et vicinis magis, quam illi qui in eum delabitur, morosum, in morborum seriem addendum, inter plures alios qui, nisi humanitatis, nostra aetate **morborum** saltem **progressum** demonstrant.

Erant enim iam et manus scriptorum torpentes, et colice pictorum cubicula decorantium, et cyclistae cardialgia, et modulatoris pharingites, et recentissimus automobilium morbus, in quem incidunt tum qui moderantur, tum qui recentissimos huiusmodi currus ad vecturam adhibent. Hi omnes acutis doloribus tergo anguntur et impotentia movendi crura, quae imo tantam sensus vim reportant, ut imparia omnino evadant ad straguli cuiusvis pondus sustinendum.

Brrr! Bonum mihi, qui vecturam pedibus semper facio!

***

Qui Romam, vel peregrinus semel advenit, non destitit profecto quominus **emporium** scrutorum omnis generis visitaret, quod feria quarta cuiusque hebdomadis **in campo Florae,** prope circum quondam Agonalem, ab Hebraeis praesertim etiam nunc agitur. Hunc mercatum optime, uti assolet, lepideque hodie nobis describit Bernerius noster, qui illuc nos ducit, et adstantes facit venditioni tibialium, quae, suo tempore, serica induere in usu erat.

Ita igitur ille:

Grandis Agonali qua panditur area circo,
Hisce oculis vidi, quae modo Musa canit.
Publica Mercurii fit mercatura diebus,
Hunc emptura aliquid gens solet ire frequens.
In mediam, ingressum praebet via lata, plateam
Hinc inde, ut notum est, angulus est geminus.
Quidam circumstant iniusta ad lucra parati;
Natalem in Campo Florae habuere diem.
Hinc mores traxere pares natalibus, artem
Qua possint fraudes vendere quippe sciunt.
Brachia quisque super tibialia gestat, et illa
Pendent, quae gentes praetereundo vident.
Est color his varius. Nigri sunt plura coloris,
Nam magis est aptus fraudibus iste color.
Apparent oculo merces: speciosa videnti
Forma etenim pulchra et serica materies.
Sacculus ante sinum tibi alia plurima claudit
Fasciculi in morem, pagina bina tegit.
Ecce viatores sursum ire, redire videntur:
Nempe hic quamplures plura frequenter emunt.
Interea quidam tibialia pendula cernit:
Respiciens sistit, mox abit, inde redit.
Protinus accedit promptus Mercator, et inquit:
— « Mi domine, huc venias; quod petis, ipse dabo ».
Ille autem: — « Nigri tibialia pulcra coloris
Ostendas; huius forte coloris emam ».
Callidus ast alter, quin plura ad verba paratus,
Sed magis ad fraudes, incipit ista loqui:
— « Quid pulchri ostendam, dominatio vestra videbit.
Sit servire meum: des mihi, quaeso, fidem ».
Extrahit interea quae sunt tibialia sacco
Clausa, sed implicita haec, explicat ille celer.
Extendit, volvit, subtus supraque revolvens,
Commendat, celebrat, verbaque nulla satis.
— « Mi domine, hoc opus advertas, hanc respice formam,
Argue quanta sit in pondere materies.
Quaeso, audi... ». Emptoris tunc auribus ora propinquans,
Illi submisso murmure vocis ait:
— « Pro modico vendam pretio; non posco viginti,
Ut iustum est, Iulios octo decemque peto ».
Ille autem extraneus non Romae natus in Urbe,
Patria cui forsan Bergomus ipsa fuit,
Non indignatur pretium hoc audisse, videtur
Ancipiti similis, visa iterumque videt.
Offert inde decem Iulios: si forsan haberet
Plures, traderet; at pluribus ille caret.

Tunc tacite exsultat cognoscens venditor esse hunc
Compositum nimia simplicitate virum.
Inde ait: — « Hoc pretio non possum tradere; testor...
— (Sed iusiurandum dicere Musa nequit) —
Tres addas tantum Iulios ». — « Nihil addere possum »
Alter ait, qui tunc excepit ire procul.
Tunc vocat, imo celer sequitur Mercator eunтem.
Assequitur tandem, talia et inde refert:
— « Huc venias; audi; numquid mea verba nocebunt?
Addere tres Iulios ni placet, adde duos...
Adde unum... » — « Quod dixi, dixi » — replicat alter —
« Si vis, trade mihi; sin minus ecce abeo ».
Tunc ille: « Accipias. Lucrari talia possit
Diabolus: hac in re sunt mihi lucra: nihil!
Ut redeas iterum, pretio hoc tibi trado... ».
Sed emptor
Tunc Iulios solvit, laetus in ore, decem.
Crediderunt Iulios solvi potuisse viginti:
Illa recenter enim texta fuisse putat.
Sunt ex fragmentis multi variique coloris
Compacta, et cuncta haec callida iunxit acus.
Dein illis nigrum fecit tinctura colorem,
Ut non cauta satis lumina decipiant.
Sic Iulios habet ille decem, nec quinque meretur;
Sic fraudes alter vendit, et alter emit.
Ad propriam ergo domum citus inde revertitur emptor;
Corde hilari gaudens, empta adhibere cupit.
Explicat, extendit, pandit, dein cruribus aptat,
Respicit, ornatum se satis esse videt.
Post abit, incedens iterum de more per Urbem,
Et tunc de re empta cogitat ille nihil.
Paullatim interea quamplura foramina retro
Apparent: fraudes sic patuere satis.
Irrident cives properanti; at nescius ille
Fraudis, iter sequitur, pergit et inde domum.
Hîc fortasse videt replicata foramina, et horret,
Et se deceptum fraude fuisse dolet.
Exclamat, verbum dicit quod Musa rubescit
Dicere, nam dictum turpe quid inde sonat.
Tunc in Agonalem rabidus redit ille plateam;
Vendentem inveniens, exprobat ore furens.
At prius immemorem facti sese ille fatetur;
Deprehensus tandem, haud territus ista refert:
— « Traxisti nimum, et tibialia fracta fuerunt.
Quid poscis? Res est vendita. Quaeso, sile ».
Tunc fit pugna ferox verbis manibusque; sed emptor
Afficitur damno, verberibusque simul.
Vera facit vendens furta; impunita relinquunt
Haec si forte homines, puniet illa Deus.

***

Iocosa

I

Ludimagister Tuccio argumentum in scriptis evolvendum proposuit, prouti sequitur: « Ninus inconditus est puer. Quum mulierculae occurrisset lactis vasum ferenti, in eam ita offendit, ut lac omne in terram effunderetur. Femella altissimos edidit ploratus. Quid tunc Ninus? ».

En Tuccii proloquutio: Fugit!

II

Tuccius ad zoologicum qui vulgo dicitur hortum invisendum a patre adducitur. Quum ingreditur, huiusmodi monitum legit: « Inhibitum severe est ne quid animalibus edendum praebeatur ».

Tum patri Tuccius: — Hercle! Quomodo hae bestiae vivunt?

***

Aenigmata

I

Me pertiment cuncti, latens fero lethum;
Si me cavere vis, cavebis incassum;
Sed si petam te, sospitaberis certe
Meum per hostem, si citatior currat.

II

Discolor et pulcrum servor, mensasque decoro;
Omnes mirantur, denique proiiciunt.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1] *Turibulum;* 2] *Ala-uda.*

IOSFOR.

AD FONTEM BELLAQUEI 3]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

Magis sed angit pectus recordatio,
Quod ante paullo cecidisse terreor...
Heu! me misellum! turbant atque lan-
[cinant
Mille aegritudines mentis et corporis.
Adesset modo bonus consiliarius
Impiger Pacca fidus et fidissimus!
Ibo intro, Spiritus me Sanctus adiuvet!
Preces me vestrae iuvent in certamine.
Petrus sanctissimus regnans inter cae-
[lites
Tueatur vices qui nunc suas obtinet.[1]

SCENA II.

CALLISTUS *et* ISIDORUS; *deinde* FAMULI.

CALL. (*qui Pontificem miseratus usque ad ostium conclavis, honoris gratia est comitatus, ad eum conversus dicit*):
Eum quam maximae premunt angustiae,
Ut sarctam tectam protegat Ecclesiam!
IS. Noctes insomnes orans saepe transigit,
Notas vel scribit litteras adsiduas...
Scimus laboris nos vocati socii...
Nec idem prandium prandit securius,
Ne quid veneni propinetur callide!
CALL. Quae vero pietas, mentis devotio!
IS. Ipse unus humeris Ecclesiam sustinet,
Ambit Mariam precibus perpetuis,
Suum quam validum dicit auxilium.
IS. Adesse sperat proxime praesidium,
Ei praesentit presso tot angoribus
Dare et iucundam libertatis lauream.
CALL. Si posset Urbem, longum post exilium,
Abactis hostibus, videre liberam!
IS. Has res mire prope dissociabiles,
Tentas tu frustra!
CALL. Sperare sed quid vetat?
IS. Praesit cum rebus gallicis Napoleo?
CALL. Potest quis nosse res quae sint in cra-
[stinum?
Res ipse cunctas imperator cohibet
Sacras et profanas nullo discrimine.
IS. Sic impius fecit Nabuchodonosor,
Quicum composuit Caesarem hunc Pius,
Sic Nero, Decius, tyranni veteres.
CALL. Sed omnes finem tetigerunt similem.
IS. Deus nec istoc tolerabit saeculo
Suos Pontifices impune deprimi.
Labetur ipse magnus et Napoleo!
CALL. Iuvat nos ista praedicare proxima,
Adesse saxum parvulum quod ruit,
Et auream frangit caducam statuam.
Hoc sentiunt omnes, quis dicet libere?
IS. Imprudens esset...
CALL. Hic maiestatis reus!
IS. Sed usque verum, fidum testimonium.
CALL. Manus qui posuit violentas Petro,
Eum secutus est in successoribus...
IS. Potest superbe praedicare gentibus:
Mali quid accidit? Mortales discite!
CALL. Is istoc regnat qui labente saeculo,
Et clades intulit cunctis nationibus,
Et altum posuit per gentes solium,
Habet nec illud fixum neque immobile,
Vacillat, et nutat immenso pondere.
IS. Dei dic potius vindice iustitia!
CALL. Erit Napoleo per exemplum posteris.
IS. Tace, sîs! Enim veritas odium parit!
(*Exaudiuntur hîc uno eodemque tempore tintinnabula diversa: accurrunt undique* FAMULI *quaeritantes quid sibi velint signa*).

(Ad proximum numerum).

[1] *Exit.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Iunio MCMXXIII Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE STUDIO LITTERARUM LATINARUM

IN SCHOLIS ORDINIS SECUNDI

Non solum saepe in hoc vere latinitatis praeconio, sed, nostris diebus, ex quo maxime supremus studiorum in Italia nunc Moderator, studiorum ordinem optime invertens fere in omnes secundi ordinis scholas latinam linguam invexit, audivimus tandem aliquid in eos prolatum, qui adolescentes a disciplinis latini sermonis avertere penitus nitebantur, et iis potius addicere, quae « scientias », prouti vulgo appellant, redolerent.

Dicentibus autem et sic scribentibus non modo nemo infamiae notam inussit, quod superioribus annis proculdubio futurum fuisset: sed plures immo exstitere, qui eos et probe cogitasse et opportune dixisse confessi sint.

« Sero sapiunt Phryges! » fortasse quis exclamavit; nobis tamen advertere liceat, quodcumque fuerit, semper optimum esse tempus, quo tandem aliquando aberrantes resipiscant. Atque utinam ea contentione utantur in reditu, qua, a recto excedentes, sunt olim usi! Utinam nunc illud aedificium restituatur, quod iam inde funditus fuerat vastatum!

Institutio illa, per quam elementa latinae linguae tradebantur, saecularibus experimentis probata, tribus, aut quattuor ad summum annis tirones dabat quaeque interpretandi et quaeque exponendi compotes; qui tot sunt hodie grammaticales libri prae manibus, perpetuis octo annis et ultra non praestant idem. Quanam de causa? Numquid non idem nunc caelum, solum, cerebrum, sanguis, ingenium, animus, indoles? Numquid arcano morbo degeneres facti sumus?

Nisi prius ista ostendantur atque probentur, affirmare licebit vitium in modo impertiendae doctrinae esse prorsus requirendum; non esse in adolescentibus morbum, sed in ratione disciplinae.

Neque tamen is ero, qui omnia horream, et fugiam, et detester, quae recens saeculum studiis praesertim grammaticalibus addidit; id tantum velim, ut, exiguo spatio grammaticis coactis regulis, quibus satis superque est duplex annus, memoriae, quae tanta in pueris et adolescentibus est, maxima scriptorum veterum copia mandetur; tantum enim scimus, quantum memoriae mandamus. Prae ceteris ea reiecta velim quae dicuntur « exercitationes », quibus proponitur pueris vel aegra quaedam et, praeciso undique sororum comitatu suarum, solitaria propositio, in-

Acta huius primi concilii oecumenici in Occidente perierunt; at ex auctoribus aequalibus necnon ex monumentis historicis illius temporis colligere possumus, quid in eo actum sit.[1]

Die decima octava mensis Martii Summus Pontifex Callistus II concilium aperuit eique praesedit. Pacta in conventu Wormatiensi inter Imperium et Ecclesiam Romanam concordata lecta et confirmata sunt, ab imperatore per suos legatos coram Patribus rata habita et executioni mandata.

Actum est praeterea de ferendis suppetiis ecclesiis Orientis et Hispaniarum adversus Mauros. Dein conditi sunt plures canones ad disciplinam ecclesiasticam spectantes; sic damnata fuit simonia[2] et incontinentia clericorum;[3] principes et alii laici a dispensatione bonorum ecclesiasticorum arcentur; prohibentur matrimonia consanguineorum; auferentes oblationes factas, falsam monetam cudentes,[4] et qui molestant visitantes loca sacra, excommunicantur.

Nulla autem haeresis in hoc concilio damnata est; fuit autem peracta canonizatio s. Conradi, episcopi Constantiensis;[5] insuper quaedam alia negotia ecclesiastica pertractata. Concilium quasi tribus hebdomadis perduravit et die sexta Aprilis clausum est.[6]

[1] HEFELE, o. c. 379-384.

[2] *Canon. 1.* HEFELE, o. c., 379.

[3] *Canon. 7.* Multi putant, hoc canone prima vice matrimonium clericorum in ordinibus maioribus constitutorum invalidum et nullum declaratum esse. HEFELE, o. c., 380.

[4] *Canon. 16.* Quicumque monetam falsam scienter fecerit, aut studiose expenderit, tamquam maledictus et pauperum virorum oppressor et civitatis turbator a fidelium consortio separetur, LABBE, o. c., p. 898; HEFELE, o. c., p, 381.

[5] S. Conradus episcop. Constantiensis † 26 Nov. 975. *Kirchenlexikon*, VII², 912-44; HEFELE o. c., p. 382.

[6] De investituris vide E. LESNE, *Investitures (Querelles des), in Dictionnaire Apologétique de la Foi Catholique*. T. II. 1090-1103; A. WERMINGHOFF, *Verfassungsgeschichte der deutschen Kirche im Mittelalter in Meister, Grundriss des Geschichtswissenschaft*, II, 6.

***

Concilio lateranensi primo incipit serie conciliorum oecumenicorum, quae in Occ dente celebrata sunt. Decursu saeculorum ab illo concilio usque ad nostram aetate undecim alia convenere. In illis concili haereses, quae fidem catholicam corrum pebant, damnatae sunt; errores, qui fun damenta societatis ecclesiasticae et civil convellebant, repressi; disciplina ecclesia stica instaurata; vita nova excitata; mem bra Ecclesiae militantis ad fontem vitae reducta. Concilia oecunemica erant sem per argumentum manifestum, Spiritum Sanctum Ecclesiam catholicam agitare vivificare, regere.

Ultimum concilium oecumenicum fuit prouti constat, illud Vaticanum inceptum a. MDCCCLXIX, sed iniuria temporum ad fi nem nondum perductum. Faxit Deus, u desideria Pii XI Summi Pontificis, felicite regnantis, in sua Encyclica « Ubi arcan Dei consilio » expressa de concilio oecu nemico Vaticano instaurando, quantociu impleantur!

P. BACIÉ, O. P.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

De nonnullis Apostolorum Petri et Pauli repraesentationibus in Christianorum coemeteriis

Annua Apostolorum Petri et Pauli me moriae sollemnis celebratio, quae iam ad ventat, occasionem nobis praebet ut de nonnullis praefatorum Apostolorum re praesentationibus mentionem faciamus i Christianorum coemeteriis inventis.

Atque primum singulare illud revo vocandum obiicitur, Romae, apud Cyria cae seu S. Laurentii, hypogeum, picturi adumbratam fuisse Petri culpam, sive P trum Christum denegantem; singular

diximus, nam si saepius huiusmodi repraesentatio in sarcophagorum anaglyptis reperitur, semel tantum hîc coloribus efficta est.

Eccur delectus et figuris redditus actus in quem Apostolorum Principis animus infractus cecidit? Scilicet quisnam huius figurae sensus?

Varia quidem ratione eam antiquitatis studiosi interpretati sunt. Agitur de cuiusdam virginis sepulcro, et Garruccius autumavit virgines Deo sacratas inde moneri, ne nimis sibi confiderent, ni vellent sese eamdem Petri sortem perpeti. Candide fatemur non satis nobis persuaderi posse quomodo huius generis monitum in sepulcro effingeretur, quum sero nimis defunctae virgini occurreret; viventibus autem difficile intellectu foret.

Clarissimus De Rossi evangelio Sancti Marci sese refert, ubi negationis praedictionem praedictio futurae Apostoli firmitatis in fide statim sequitur; putat scilicet eamdem cogitationum cohaerentiam in ea tabula contineri. Consequens inde esset artificem pinxisse rem prorsus contrariam ab ea, quam reapse produxit, nempe firmitatem in professione fidei per negationem Apostoli: namque id unum nobis praebet pictura, Petrum Apostolum in infirmitate sua, non quidem tamquam animosum Christi praeconem, qualis post Servatoris mortem ipse fuit.

Melius Wilpertus, cui facile adsentimur; ei enim affulsit interpretatio a repraesentatione peccati primorum parentum, quae undevicies in catacumbarum picturis cernitur, non dissimilis: carnis, inquam, infirmitatem Deo offerri, ut defunctorum animarum ipse misereretur; cui quidem interpretationi liturgicae sententiae pariter atque epitaphia suffragantur. Communis est enim in antiquis «liturgiis» humanae infirmitatis cogitatio, quam sacerdos Deo suggerit, ut peccatoribus praesertim, si defuncti fuerint, parcere dignetur. Sic in Nestorianorum liturgia habetur: «Sed sive verbo, sive opera peccaverint, utpote homines carne induti, remittito aboletoque errores ipsorum».[1] Quod quidem, plus minus, in ceteris repetitur liturgiis, praesertim in Orientalibus;[2] immo, in secunda pseudocyprianica prece, Davidis peccatum orans commemorat, ut, sicut illi, sibi Deus indulgeat: «Exaudi me orantem... Sicut Ninivitae induerunt cinerem et cilicium, et poenitentiam egerunt ante Dominum,... exomologesin facienti ante conspectum tuum pro universis peccatis meis, qui es amator poenitentiae, miserere mei. Sed et David dicit: Domine, propter nomen tuum dele peccatum meum; et ego deprecans maiestatem tuam: Deleas universa delicta mea...».[3] Iamvero in uno hoc Petri Apostoli Christum denegantis repraesentationis depicto exemplari, duo simul apparent, et praedictio negationis, quam Christus tribus dexterae primis digitis Petro quasi loquenti indicat, et praedictionis effectio, per gallum significata, qui super trunca columna inter Dominum et Petrum apparet. Apostolus autem manum elevat, quasi dicat: «Etiamsi oportuerit me tecum mori, non te negabo».[4]

***

Haud raro animarum imago inter agnos vel aves in coemeterialibus Christianorum picturis apparet; nonnunquam inter sanctos; cui repraesentationi formulae epigraphicae omnibus notae respondent: «Vivas cum sanctis - inter sanctos - inter

[1] Renaudot, *Liturg. orient.*, II, pag. 553.

[2] Renaudot, op. cit., pp. 37, 292, 301, 327, 363, 376, 395, 405, 430, 444, 516 sq., 534. — Brightman, *Liturgies Eastern and Western*, pag. 57, 69. — Hyvernat, *Fragmente* (ap. *Romische Quartalschr.*, 1887. p. 340). — Muratori, *Liturg. rom. vet.*, *P. L.* LXXII, col. 567.

[3] *Sancti Cypriani oratio pro martyribus*, *P. L.* IV, 907.

[4] Matth. XXVI, 35.

terpretanda notis iubentibus, per singulas grammaticalis libri paginas pererrans. Utquid haec temporis iactura? Aedepol! Ut ad unguem, et rotam et limam, seu Tullianam, seu Livianam, seu cuiusvis, quisque ille fuerit, concinnetur; quasi latinum eloquium ita miserum, angustum, exile, egenum, exiguum sit, ut data propositio, data periodus recte confici illo tantum modo potuerit; quasi Cicero, quasi Livius ceterique summi scriptores in omnibus et singulis optime semper, non interdum bene tantum scripserint, ita ut quae non scripserint, ea damnanda, aut errata penitus ducenda videantur.

***

At est insuper in hisce modis et conditionibus malum, immo nefas, et fere dicam germinantium mentium infanticidium. Dominium enim linguae mentibus hac ratione non damus, sed crucifigimus animas linguae. Contra, qui recte vult et ornate dicere, non inservire linguae debet; sed lingua debet dicturo inservire. Puer itaque, adolescens dominus linguae sit, eamdemque cogat ad ea delineanda et exprimenda quae cogitat; non ipse cogatur ad ea tantum proferre, quae tulit exiguus ambitus, angusta crux, cui fuerit affixus. Itaque, amotis vinculis, libera puero, libera adolescenti pateat via, qua verbis, nominibus, adverbiis propositionem sibi conficiat indoli suae respondentem, respondentem scriptoribus, quos prae manibus habuerit.

Nulla vero interpretandi potestas cuique, nisi libera cuique sermonis dominatio; hanc autem adipiscimur non servilibus usi moribus, sed ingenuis, sed civilibus. Non lingua teneat nos angustiis suis, quasi limite quodam circum designatis, sed teneamus nos in potestate nostra sermonem, qui mentem nostram sequatur sua iubentem exprimere, et cui tantummodo in iis conformabimus, quae de latino interpretabimur.

***

Quod uti fiat, et facile fiat, plane vide propius, atque dico ut sentio.

Optimum duco - idque itero atque i perpetuum iterabo - si vel ab exordi pueri in schola latinis ita assuescant ve bis, ut in latina schola ocius serius nullu tandem aliud sit eloquium praeter latinu Balbutient primo, non nego; insta, bre loquentur.

Praeterea et optimum duco si magi ster, lecta pagina libri, puta Caesaris per summa capita explicaverit periodos historiam, dicendi modos. Post haec de vocabulis rationem ponat, idque proponat adolescentibus, quasi ad certamen, scilicet unde verbum, vel nomen processerint, cu ex patrio sermone respondeant, quomod adverbium in adiectivum transire possi quo pacto adiectivum in adverbium; quo modo periodus et propositiones illae im mutentur si directae in indirectas, si indi rectae in rectas; qua denique ratione alii possit vocibus propositio illa confici, quae idem significet, etsi idem non sonet.

Haec itaque mihi in primis videntur maxime opportuna, ut pueris vere adsi fructus e studiis, ut sit magistris e diu turnis laboribus iucunditas, ut parentibus denique, patriae, adolescentibus omnia schola mira felicitate benevertant.

P. D. V.

Primum Concilium Oecumenicum in Occident cuius annus saecularis octavus celebratur[1]

Gregorii VII successores: Urbanus I (MLXXXVIII–MXCIX), Paschalis II (MXCIX MCXVIII), Callistus II (MCXIX–MCXXIV) pu gnam contra investituram prosecuti sun Praecipui adversarii Summorum Pont

[1] Cfr. fasc. sup.

ficum et assertores investiturae laicalis fuere Henricus IV (MLII-MCVI) et eius filius Henricus V, imperator (MCVI–MCXXV). Immanis erat illa pugna! Non deerant bella, persecutiones, calumniae, exilia, schismata;[1] haec omnia Ecclesia ex parte potestatis civilis sustinere debuit! Quasi dimidium per saeculum res ita perdurarunt! Tandem ob constantiam et prudentiam Callisti II, Summi Pontificis, factum est, ut ipse pacem et concordiam cum imperatore Henrico V componeret et foedus de investitura cum ipso iniret.

Antea plura negotia pertractanda, et innumerae difficultates superandae erant; at desiderium pacis, quod animos omnium occupaverat, tandem omnia vicit! Mense Septembri anni MCXXII celebratus erat generalis conventus Wormatiae in Germania,[2] in quo conclusum est celebre illud « concordatum », in Historia ecclesiastica notum sub nomine *Pacti Callistini*. Vi illius foederis Henricus imperator dimisit omnem investituram per annulum et baculum, et concessit omnibus ecclesiis sui regni et imperii canonicam praelatorum electionem et liberam consecrationem; insuper promisit Romanae Ecclesiae adiutorium, eiusque et omnium aliarum ecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum restitutionem bonorum, quae in illa pugna amissa fuissent. Ex altera parte Summus Pontifex Callistus concessit, ut electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni praesente rege fierent, absque simonia et aliqua vi, et si qua inter partes discordia emersisset, rex, metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium praeberet; electus autem regalia per sceptrum a rege reciperet et quidem in Germania antea, in Burgundia vero ac Italia post consecrationem.[1]

Hoc foedere ergo impositus finis est immani illi pugnae contra investituram, in qua Ecclesia tot aerumnas sustinere debuit, ut sibi libertatem vindicaret. Concordatum Wormatiense suum influxum etiam in alia regna exercuit, novumque milliarium lapidem in Historia ecclesiastica signavit.

***

Pactum Callistinum fuit igitur eventus maximi momenti. Pace composita et foedere amicitiae inito inter Ecclesiam et Imperium, magna bona pro utraque parte speranda erant. Quare Callistus II ad maiorem firmitatem illi foederi tribuendam, *generale concilium*, quod iam in votis multorum erat, indixit.[2] In eo concilio oecunemico Concordatum Wormatiense confirmandum erat, simulque alia negotia ecclesiastica erant disceptanda. Concilium celebrandum erat Romae in ecclesia lateranensi, et quidem anno proxime venturo MCXXIII. Sic ergo, post duo saecula et dimidium, denuo concilium oecumenicum convocatum est; at in eo episcopi orientales partem non erant habituri, quia iam per schisma orientale a pseudopatriarcha Photio saeculo IX inceptum et per Michaëlem Caerularium saeculo XI consummatum, ab ecclesia catholica omnino desciverant.

Statuto tempore plus quam tercenti episcopi Romam convenerunt; multi pariter abbates numerum synodalium auxerunt; etiam legati Henrici V imperatoris aderant.[3]

[1] « Antipapae » hac pugna durante erant: Guibertus, archiep. Ravennat. Clemens III, 1080-1100; Theodoricus, episcop. S, Sabinae, 1100; Albertus, episcopus Sabinen. Moginulfus Silvester IV, 1105; Mauritius Burdinus, archiep. Bracar. Gregorius VIII, 1118.

[2] HEFELE, o. c., 371 sq.

[1] *Raccolta di concordati in materie ecclesiastiche tra la S. Sede e le Autorità civili*, Roma 1919, p. 18-19.

[2] Solius Summi Pontificis auctoritate hoc concilium generale convocatum est; in convocatione praecedentium etiam imperatores partem habuerunt.

[3] Iuxta quosdam aderant 997 episcopi et abbates, iuxta alios 500 episcopi. HEFELE, o. c. 379.

electos ». In coemiterio vero Domitillae, defuncti cuiusdam anima, personae ad instar, cernitur inter duas oves, itemque cum apostolis Petro et Paulo, dum viride aulaeum seu velamen paradisum fingit. Neque huiusmodi figura unica est; immo in coemeterio quod Balbinae nonnulli vocant, imagines praebentur nominibus instructae, quae certam ipsius picturae proferunt significationem, Etenim apud orantem est nomen quoddam, nunc mutilum, in syllabas TOCIAM desinens, et iuxta duos sanctos sunt nomina *p*ETRVS-*p*AV*lu*S. [1]

Interdum ipsi Apostoli volumen manibus gerentes efficti sunt, ut et Christus antiquius apparuit. Quoties autem Christus cum volumine explicato loquens conspicitur, de lege divina in volumine descripta disserens intelligi debet. Quum autem Dominus Petro volumen porrigens inducitur - idque fit in monumentis omnis generis, - ipsum volumen ornatum est verbis: « Lex Domini »; aliquando etiam huiusmodi repraesentationes hac designantur formula: « Dominus legem dat ». [2]

Alias, in coemeterio « ad duos lauros », Petrus apostolus sedens apparet, dum legis volumen legit; quae quidem imago magni momenti est, quum apostoli illa figura Christi figurae eodem more sedentis atque legentis opposita est. Scilicet Petrus ibi quodammodo cum Christo comparatur; quod quantum cum Apostolorum Principis « praerogativis » concordet nemo est qui non videat.

Sed Christi imago aliquando et simul cum Apostolis apparet, inter quos etiam Paulus conspicitur; is interdum, sicut Petrus, aut ad Christi latus, aut peculiari sedet loco.

In coemeterio autem Commodillae, Paulus apostolus effictus est plura volumina Christo in throno sedenti ipse offerens, quae quidem volumina epistolas ipsius apostoli potissime commemorant. Ceterum, in anaglyptis sarcophagorum aliisque munumentis, non semel sacerdos ostenditur sinistra manu volumen tenens, dum dextera aquam baptismatis capiti catechumeni infundit; immo in quodam sarcophago Romae, apud thermarum Dioclctiani museum, asservato, sacerdos volumen super catechumeni capite explicatum tenet. Hîc vero non quidem lex Domini volumine indicatur aperto, sed formula fidei, idest Symbolum, quod, iuxta vetustissimas liturgias, recitari debebat quum baptismatis praeviae interrogationes fierent. [1]

***

Denique, post pacem Ecclesiae donatam, quum Sancti in gloria iuxta Christum in coemeterialibus picturis efficti sunt, imprimis Petri et Pauli figura tum quoque refulsit. Omnium pulcherrima harum repraesentationum in coemeterio SS. Petri et Marcellini exstat, in qua tamen, propter artificis imperitiam, in duas compositio divisa est partes, quae in unica fronte et in eadem linea effingi debebant. Scilicet Christus amboque Apostolorum principes in superiore depicti sunt spatio; sancti autem ceteri, qui gloriam Christi participare intelligendi sunt, inferiorem parietis locum, iuxta tamen alteram eamque symbolicam Redemptoris imaginem, tenent. Apostoli autem - Petrus ad sinistram, Paulus ad dexteram - in throno sedenti videntur acclamare Christo, qui librum laeva manu tenens explicatum, dextera oratoris ad instar innuit. Eius caput nimbo circumdatur, in quo crûx

[1] Cfr. WILPERT, *Le pitture etc.*, tab. 152, 2.

[2] Cfr. WILPERT, Ibid., textus p, 433. — DE ROSSI, *Bullettino di archeologia cristiana*, 1867, p. 5.

[1] Cfr. ACHELIS, *Die Canones Hippolyti*, p. 94, can. 19. — RIEDEL, *Die Kirchenrechtsquellen des Patriarchats Alexandrien*, pp. 210-212. — FUNK, *Didascalia et Constitutiones Apostolorum*, t. II, pagin. 97-119.

monogrammatica cum litteris apocalypticis A et Ω refulget. « Hac simplici formula - ait Wilpertus [1] - artifex sollemnem ac pluries a Christo prolatam expressit sententiam: *Ego sum α et ω; initium et finis.* [2] Tamquam throno Christi adsistentes Apostolorum principes electi sunt... Eorum vestimenta, sicut aliorum sanctorum vestes, tunica constant alba alboque pallio, quia quum fuerint martyres, *laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine agni* ». [3]

Ut finem dicendi faciamus, aliam picturam commemorabimus, coemeterii Commodillae, in qua Paulus apostolus Christo, et hîc in throno sedenti, volumina suarum epistolarum praebet. Cum eo sanctus Felix obiicitur, coronam, quam martyrio consequutus fuerat, porrigens. Figurae hae a Magorum figuris nihil differunt, qui nato Redemptori munera offerunt. [4] Notandum autem est nunquam in istiusmodi picturis Deum Patrem apparere, sed semper Christum, ad cuius maiestatis conspectum, adsistentibus apostolis et martyribus, sanctorum animae admittuntur. Sublimis ista maiestas throno significatur ac pedum scabello; atque divinitas haud raro crucifero indicatur nimbo, nempe quando etiam sanctorum capita sunt ipsa nimbis insignita; sed potissimum quum scabelli loco sphaera sive terraqueus globus effingitur, quae, uti Scriptura loquitur, *scabellum pedum eius est.*

X.

[1] *Le pitture etc.*, textus p. 456.

[2] *Apoc.* I, 8; XXI, 6; XXII, 13.

[3] *Apoc.* VII, 14.

[4] Cfr. *Nuovo Bull. di arch. crist.* 1904, tab. V.

Duo sunt genera persequutorum, vituperantium scilicet et adulantium; sed plus persequitur lingua adulatoris, quam manus persequentis.

S. AMBROS, *De offic., lib. I.*

RAYMUNDUS STRAUCH

In Hispania, quam citeriorem veteres appellabant Romani, regio est quondam Ausoniae nomen sortita ut in Italia Beneventi plagae. Eius caput Ausa fuerat, quae Nebricensi teste, quod undequaque circum vel acri hyeme tepidulis manet fontibus et Aquae Calidae et Vicus Aquarius appellata est; unde incolae eius Vicences.

Urbs sedet regina in media valle, amplissima adoreaque potissimum semper uberrima, cui obsequentes mille villulae circumfusae passim omnis generis victum frequenti commeatu suppeditant, quibus illa vicissim optime confectis botellis respondet, quorum fama apud exteras gentes haud equidem manet ignota.

Hanc itaque antiquitus non tam arma clararunt quam viri multi scientia atque virtute in exemplum insignes. Horum memoria interdum iubilans ac gestiens animo externis signis agitat iure triumphos.

Puer ego et prima addiscens litterarum rudimenta, septimo decurrente huius saeculi anno, nono tamen Kalendas Novembres, magni ibi in astra extolli laudibus videram celeberrimum illum P. Claret, reginae Elisabeth II Confessarium in ipsius centenaria nativitatis die quod, ipse quamvis Sallentino ortus oppido, longe pretiosissimam suae vitae partem Ausae egerit, ibidemque Congregationis Filiorum C. M. prima iecerit fundamenta.

Tribus post annis splendidiori adhuc ornaverat pompa quem genuerat ante saeculum filium praeclarum Iacobum Balmesium. Eum nemo est eruditorum hominum qui ex eius scientificis litteris nesciat quando inter philosophos quidem ea tempestate veritatis catholicae strenue asserentes longe multum refulsit.

Diebus tamen nostris Vicenses annales egregium quoque commemorant facinus, a cuius magnitudine nullus civis, minimeque scriptor, Ausoniae carpens purissimas auras sese alienum reputare valuit: scilicet ante diem XVI Kalendas Maias saeculi pro-

xime delapsi conspicuus ille huius civitatis Episcopus Raymundus Strauch, Hispani Episcopatus columen atque decus, dira morte pro iustitia confectus, e vivis caelestem migravit in patriam.

Praesuli tanto sedibus insidenti beatis utinam hoc humile meum etiam commodaret obsequium!

Is itaque proavorum stirpe Germanus, quod satis cognomen refert, Tarracone editus est parentibus summa praeditis pietate. Primis Barcinone litteris imbutus in insulam Maioricam venerat, ubi bene dicendi artem addisceret. Puber iam mitis animo etsi propositi tenax patrem non est sectatus, qui centurionis gradu iam dudum stipendium merebat, sed caelite afflatus numine Fratrum Minorum habitum postulavit et, tirocinio pulcherrime superato, totum se, complexantibus laete fratribus, tandem devovit.

Studiis maioribus ibidem peractis, philosophiae, theologiae atque iuris communi iudicio optimus lector evasit. Munera plura a Superioribus ei commissa omnibus plaudentibus semper obivit.

Ingenio haud mediocri a Deo donatus, nihil ab eius vastissima eruditione alienum putares. Quum aetatem ageret vegetiorem, vividisque mens eius coruscaret fulgoribus, rerum novarum patriam obtinuere tumultus. Infestis signis Napoleo Iberiam aggredi contenderat, quum Raymundus iniustissime illato bello sese ultro capellanum obtulit, qui utique Helvetiae legioni protinus fuit adscriptus. Ibi magna tribus annis perpessus, mirum quanto gregalibus militibus fuerit solatio, quamque multis saluti, non ex nostratibus tantum, sed, notis ab eo pluribus europaeis linguis, ex impia diversarum gentium congerie, Napoleonis exercitum complente.

Pestifero morbo correptus, Maioricam iterum appulit, ubi tunc temporis primum quod per valetudinem licuit et calami gladiolum adstringere, et in commentarium iniquum preli licentiam cohibere, et christianae veritatis iura tueri, et hac de causa etiam mortis minas ex anonymis haud paucas accipere.

De verbis dehinc in suggestu inordinate prolatis falsissime insimulatus, et quod populares ipsemet excitaret tumultus, in vincula fuit coniectus, neque tamen inde catholicae Ecclesiae scriptis suis, Paulus alter, inservire destitit. At populo tamen in aethera eum extollente, eductum ex carcere, Ferdinandus VI qui extorris erat in thronum restitutus Vicensem Episcopum, Apostolica approbante Sede, libenter designavit. Tanto eius officio nulla defuit ex parte et oves Bonus Pastor ab rapacibus lupis custodiendi nunquam sollicitam rationem non adhibuit. Interim inimici sese ab eo quoquo modo expedire moliuntur, dum ipse martyrii palmam non immerito demum sperat assequuturum. Iterum seditionis crimine calumniosissime primum incusatur, dein propriis in aedibus recluditur, et paucis post diebus in Barcinonis arcem adducitur, non vivus ad oves suas serius rediturus.

Astu maligno XVII Kal. Maias nuncius ei fuerat allatus factae copiae Tarraconem veniendi, ubi tandem aliquam tot laborum quietem haberet. Postridie ante lucem fatale mortis carpentum conscendit parvi manupuli custodia cinctum. Processerat satis vehiculum, quum ad oppidum Regis Molinas adventum est, ibique cuncti simul frugale sumpsere ientaculum. Ovis ad occasionem iamiam properabat: attinguntur denique Valliranae fines: manuballistarum strepitum audivisse simulant milites, et se quasi ad defensionem in praecinctum constituunt, dum iubetur Raymundus descendere carpento atque in semitam proximam tantillum secedere; quam ubi primum est ingressus, frequenti a tergo glande confossus, purissimam animam una cum fratre, qui ipsi famulabatur et ei comes iverat, ibi XVI Kal. Maias invictus deposuit.

Merito igitur Pastorem tantum Ausa, saeculo recurrente ab eius arrepta martyrii palma, debitis effert honoribus.

Vici, in Hispania.

E. IOVÉ.

Nihil ordinatum est, quod praecipitatur et properat. SENEC., *Epist. XL.*

SPES VERGILIANA

Carmen Francisci Sofia Alessio Radicenensis in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXII magna laude ornatum.

Amplissimo Viro
PAULO ALBERA
Dioecesis Miletensis Praesuli
De optimis Disciplinis
Bene merito.

Arce Palatina fulgebat Apollinis altum
Templum: Vergilius prope limina stabat, et [Urbem,
Iam vergente die, spectabat luce nitentem.
Totaque de niveo florescit marmore Roma,
Aedes et turres circum simul atque theatra
Adsurgunt: procul effuso fluit agmine Thy- [bris.
Contemplatur amans Vates Capitolia celsa,
Atque Forum, Sacramque Viam, summasque [Carinas;
Et simul antiquae meminit virtutis et artis.
Multaque tunc animo secum meditatur, et [infit:
«Salve, bellipotens rerum pulcherrima Roma!
Orbis Terrarum Tibi Numina sancta dedere
Imperium: Phoebus maius nihil aspicit Urbe.
Hîc humiles struxere casas in collibus altis
Pastores olim, stipulisque mapalia siccis.
At Faunus coluit lucos et saxa Palatî:
Olli parva fuit filicum casa tecta maniplis,
Atque canes gemini stabant in limine solae
Excubiae: silvam resonabat fistula blanda,
Ac sacra saepe Deo pendebat in arbore [summa.
Mane dabat passer, saliens per culmina, can- [tus,
Et circum volitans casulas lustrabat hirundo.
Pascebantque vagae muscosa Palatia vaccae,
Et simul implebant vallem balatibus agni.
Per noctem gemitu resonabant antra luporum,
Atque gregi metuens claudebat ovilia pastor.
Mane novo solus Faunus per opaca locorum
Errabat, foliis stridentibus, atque canebat.
Quaque patet regio Velabri parvulus ibat
Linter, et intorti remi vada flava secabant.
Ruderibus stabant Capitolî saxa rubisque
Obsita: corruerant arces ibi tempore victae.
Deinde Palatino iam nobile Pallanteum
Surrexit: fuit hîc Evandri Regia quondam.
Tum Rex Arcadius degebat paupere tecto,
Atque canes aderant comites, armentaque [circum.
Has oras profugae ratibus petiere per undas
Troianae gentes: Evandri tecta subibat
Aeneas supplex, ramumque ferebat olivae.
Moxque duces simul in foedus coïere sodales.
Quis pro Te primus subiit, pulcherrima Roma,
Mortem? Procubuit confectus vulnere Pallas,
Ac fuit arbuteis virgis et vimine querno
Illi compositus lectus, comitesque fuere
Mille viri reduci: resonabat Regia luctu:
Heu! quantos genitor tulit imo corde dolores!
Denique vere novo campis et collibus ignes
Fulserunt, claramque dabant incendia lucem:
Pastores stipulas, congestaque caespite tecta
Undique coeperunt crepitantibus urere flam- [mis,
Et mutare novis inculta mapalia muris.
Omnes tunc hilares, aquila volitante cane- [bant:
Romulus aeternum mansuram condidit Ur- [bem.
Insignem pietate Virum, durosque labores,
Ac priscos cecini populos et fortia facta.
Iamque opus exegi Tibi, Roma, perennius [aere;
Mox Asiae claras, (utinam mihi vita supersit),
Urbes, atque simul Graiorum moenia visam:
Et monumenta libens et maesta sepulcra vi- [debo:
Scilicet historias veteres meminisse iuvabit.

Thracia me, Strophades, sinus Actius, Argos, [Athenae,
Creta, Iovis magni tellus, Troiaeque ruinae
Accipiant, gelidis placeant in vallibus amnes.
O utinam sospes redeam, patriosque penates
Visere tum liceat: referam tibi, Mantua, pal- [mas,
Ac viridi statuam campo, prope flumina, tem- [plum.
In medio stabit Pario de marmore Caesar;
At longo rapidas agitabo calle quadrigas
Victor, et usque genu venerabor Numina flexo:
Romanos auro faciam fulgente triumphos ».
Sic fatus, nemus ingreditur, maestusque [per umbras
Errat, et areolas lustrat, tenuesque corollas.
Mox ad fontis aquas consedit pallidus, atque
Iam subeunt animo resonantia rura paterna,
Flumina, pastores, candenti corpore cycni,
Cantus, et tenerae dulces Amaryllidis ignes:
Agrestes patrio pulsos reminiscitur agro.
Plotius et Varius succedunt mollibus umbris,
Ac laeti: « Salve, clamant, dulcissime rerum ».
Tum Maro surgit amans, amplexaturque so- [dales:
« Quid maeres – inquit Varius – sub tegmine [solus? »
« Non recte valeo » respondet Publius « atque
Iam memini gratus quae tecum tempora degi;
Syronis nos allexit sapientia quondam:
Ire mihi videor tecum per opaca locorum:
Una nos ferimur spatiis, audimus eundem
Sermonem; iuvit rerum primordia nosse.
Nos simul imbuti praeceptis nocte redimus:
At quandoque, Vari, molli consedimus herba;
Tu mihi versiculos dulces recitare solebas,
Ipse Tibi: dedimus solatia blanda vicissim.
Sed posthac rerum series iam longa sodales
Abduxit variae nostros in munia vitae:
Hîc rostris populum tenet ore disertus hian- [tem,
Ille quidem degit trepidus per tela, per ho- [stes:
Florea rura placent nobis, dulcesque Camoe- [nae,
Et rigui fontes, et laeto gramine rivi,
Nunc menti rerum discrimina multa recur- [runt:
Invito patriam depulsus corde reliqui,
Ac me Syronis profugum bona villula tandem
Excepit: mox grata Deus dedit otia nobis ».
Tum Varius ridens: « Meministin' ludicra, [Publi,
Villula Cocceii quae nobis praebuit olim?
Qui comites! qui complexus! o gaudia quanta!
O quam iucunde coenam produximus illam!
Narravit lepido iam noster Horatius ore
Sarmenti scurrae lites, Messique Cicirri ».
Mox Maro: « Felices satis olim lusimus – in- [quit –
Nunc tristes subeunt morbi, curaeque sequa- [ces,
Et dolor: heu! quam nostra brevi dilabitur [aetas!
Nos iter immensum confecimus, atque subi- [mus
Ostia, nos tandem legimus simul humida vela.
Ipse ducem Phrygium cecini, Lavinaque regna,
Nec tamen est mihi perfectum sublime poëma.
Emendare velim iam nunc opus, atque libenter
Visere Graiorum terras accingar, et urbes:
Extremum tu, Musa, mihi concede laborem.
Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Dent mihi iam Superi placide requiescere [posse:
Ipse petam dulcem Patriam, viridesque re- [cessus.
At mihi tum liceat rerum cognoscere causas,
Naturaeque simul mores: cur luna laboret,
Ac sol deficiat, qua vi maris alta tumescant
Aequora, cur properent brumali tempore soles,
Aestivas vel quae noctes mora longa retardet.
Unde salo superent incerto flamine venti,
Terrarum vel cur subito tremor occupet or- [bem.
At iuvat aeternum verum me nosse, sodales.
Scilicet ipse Deus certa ratione modoque
Cuncta regit; terras et Spiritus afflat, et astra.
Nos homines sumus, et caelesti semine nati.
At peccant animae, quas noxia corpora tar- [dant:
Vivimus heu! miseri tenebroso carcere clausi

O utinam fiam tenebris et carcere liber,
Sideribusque mihi liceat, caeloque potiri!
Noscere tum potero simul exemplaria rerum,
Atque frui puris radiis, numerisque canoris.
O utinam redeant Saturnia saecula nobis,
Et Pax alma, ferens oleam, iam regnet in oris!»
Tucca: « Manent, – inquit, – sceleris vestigia [nostri
Plurima: nos saevi iam desolavimus Urbem
Civili rabie: fratres lugemus ademptos:
Nondum composuit gladios Romanus in orbe ».
« At componet, – ait Maro, – nunc sat Roma [triumphat.
Nos rerum domini iam debellavimus hostes.
Ecce Scythae metuunt aquilas, et Medus et [Indus,
Albanasque timet Tigris, Nilusque secures.
Iamque Fides, et Pax, et Honor, Pudor atque [Latinis
Et Virtus redeunt, et pleno Copia cornu.
Iam Pietas antiqua nitet, renovantur et ipsi
Mores: nunc Itali coëant in foedus amici,
Iuraque subiectum det victrix Roma per [orbem.
Saeclorumque novam seriem Cumaea Sibylla
Praedixit, genus atque novum portendit aru- [spex
Augustus: gentes exspectant regna serena.
Iampridem cecini sublimi saecula cantu
Aurea: tum vero, caelo defixus, et astris,
Infantis mihi vagitus audire videbar.
Iam veniat nova progenies ex aethere summo ».
Plotius: « In tenebris, Publi, nos vivimus, – [inquit, –
Divinus nobis opus est dux, sive magister.
At, si quis nunc in terris Deus almus adesset,
Cum Virtute simul Pietas antiqua rediret ».
« Non pudor est, – inquit Varius, - mihi vera [fateri.
Eloquar: ipse foro vagor, otior, utor amicis
Iudaeis, qui saepe vagi mercantur in Urbe.
Unum mente quidem Numen venerantur, [amantque
Illi: quin etiam perhibent iam tempus adesse,
Quo Rex nascatur mundi de Virgine sancta.
Principis exspectant adventum saecula nostra ».
Vergilius miratus: « Ain tu? Non ego frustra
Olim iam cecini nova saecula carmine blando,
Non frustra quondam sapiens effata Sibylla [est! ».
Tum Varius gravior: « Iudaei carmina dicunt
Quae iam fatidici Vates fudere per annos.
Illic, unde parant homines opobalsama nostri.
Nempe canunt: Pariet puerum Sanctissima [Virgo;
Ille quidem mirandus erit, fortissimus heros,
Et pacis Princeps, aevi Pater atque futuri:
Omnes perpetua solvet formidine terras.
Iamque Deûm vitam accipiet, sceptrumque [tenebit,
Atque reget patriis placidum virtutibus orbem.
Purpureisque rosis florescet terra benigna:
Non rubus asper erit, nec mox urtica subibit;
At surget redolens abies, myrtusque virebit.
Roscida mella fluent: vituli simul atque leones
Pascentur pratis; agni catulique luporum
Convenient, simul et requiescent pardus et [haedus.
Occidet omne malum: simul aurea saecula [surgent ».
Conticuit Varius; coepit sperare salutem
Vergilius tandem; gaudet, circumspicit, atque:
« Ecce mihi, – clamat, – florescit denique [tellus,
Ac simul arva nitent, et pendet sentibus uva.
Ipsae iam durae quercus dant roscida mella:
Assyrium nascens opobalsama spirat amo- [mum.
Iamque dies aderit, cum ferrea desinet aetas,
Ac nova progenies caelo descendet ab alto.
Affulget mihi spes: video discedere caelum,
Et nutare simul convexo pondere mundum.
Adveniat divus puer e regionibus altis.
O nimium felix, mecum si vita supersit,
Ut possim dignis celebrare nitentia facta
Laudibus! At nisi iam possum producere [vitam,
Sume, Vari, citharam tu, cantus ede latinos,
Atque canas Fidei reditus et Pacis, et almam
Romam, quae Regina dabit sua iura per orbem.
Iustitiam, moresque probos, atque otia dia,
Ornatumque genus spero virtutibus Ipse:

Romanae magis atque magis res crescere per-
[gant.
At maris Aegei mihi nunc est aequor arandum:
Vos facilem cursum, caelumque orate sere-
[num;
Este mei memores, dulcesque valete sodales ».
Conticuit Vates: fuscis circumvolat alis
Iam nox, et colles collustrat lumine luna.
Ecce vident animo taciti per caerula caeli
Aureolas species, sidusque micare coruscum.
Plotius et Varius simul amplectuntur amicum,
Maerentesque pio tandem dant oscula Vati.
Anxia tum ducit suspiria Publius, atque
Flentibus illacrimans discedit maestus amicis.

ANNALES

Germaniam inter et Galliam discrimen.

Ad solvendum Germaniam inter et Galliam discrimen illud, diuturnum iam nimis, cuius eventus in superioribus mensruis recensionibus nostris persequuti sumus, novas rogationes Germani attulere de solvendis debitis suis per pecunias mutuo aliunde accipiendas et a Germanica oeconomia protegendas. Quod si novae in hisce propositis exequendis dissensiones orturae essent, eae per arbitralem omnium nationum coetum definiri deberent. Omnium rerum vero caput, reditus ad statum quo ante Germanici territorii factam a Gallis occupationem. Favorabilem vero exitum harum propositionum Germani minime obtinuere, quum Gallia protestata esset Ruhris provinciam pignus, e contra, esse debere, quod bonam Germanorum fidem demonstraret: iuxta debita soluta occupationem paullatim deminutum iri.

Hisce positis, non mirum si Germani in clarigationibus, Galli tum in cohibitionibus suis acrius perstiterint tum ad novas occupationes, una etiam cum Belgicis, processerint, Manheim praesertim, Limburgi, et Cekoven.

Huiusmodi rerum statu abusa denique est « Communistarum » secta, quae patriae a vinculis omnibus liberandae sub specie, tumultus seditionesque excitavit, quas per vim cohibere oportuit.

***

Lausanensis conventus.

Lausanensis conventus in arduo opere suo pacis cum Turcis componendae, nonnullos, ex adverso, fructus obtinuit. Quaestio illa de exterorum civium regimine in Turcarum imperio, ad iuris consultorum manipulum delegata est, qui eam per iustitiam solvat. Compositio prope in omnibus facta est de artium libera professione, de immigratione, de scholis aliisque institutis caritatem erga egenos et aegrotos exercentibus exterisque a gentibus conditis; de publicis Othomanici imperii debitis. Difficilius actum est de damnorum refectione, quam Turcae a Grecis repetebant, qui vicissim eadem iura contra ipsum Turcarum imperium affectabant. Conventio hisce terminis definita est: recognitis in iure Turcarum postulatis, Turcae in facto refectionem ipsam nunquam exigere praesument. Constituti identidem sunt fines Graecos inter atque Turcas in regione Karagasc, et pactio firmata est de mutua navium restitutione, quae, post inducias Mudros initas, hinc inde sequestro sunt positae.

Dum haec tanto labore Lausanae fiunt, in ipsa civitate proditorie per manubalistae ictus interimitur Valslavus Worowski, ex Russica legatione, quae quum illuc venisset, vocata ad fretorum quaestionem cum vicinis populis dirimendam, inibi tamen manserat, quamvis nullam amplius in legatorum conventum admis-

sionem haberet. Percussor fuit Conradi quidam, qui hoc crimine fassus est sese voluisse vindictam sumere persecutionum, quas a crudelibus illis « bolscevicis » sua tamilia fuerat perpessa.

***

Regales hospites Romae.

A die VII superioris mens. Maii per hebdomadam Roma gestiens hospitio accepit Anglorum regem et reginam, qui et Pium XI Summum Pontificem sollemniter visitarunt.

***

Ex aedibus Vaticanis.

Sed peculiari mentione dignum non id tantum in aedibus Vaticanis per hunc mensem Maium contigit. Die enim x beatorum honores decreti sunt Michaëli Garicoïts, conditori et moderatori primo Congregationis praesbyterorum SS. Cordis Iesu ex oppido Bétharram, vita functo die XIV mens. Maii MDCCCLXIII, et, insequenti die XIII, celeberrimo illi Cardinali Roberto Bellarmino, cuius vita sanctissima cum caelesti commutata a Deo fuerat die XVII mens. Septembris MDCXXI.

Denique die XXIII habitum est sacrum Consistorium, in quo Supremus Christiani orbis Pastor allocutionem habuit doctrinae et caritatis plenam, quam inferius ex parte summis capitibus, partim ad verbum referimus.

Kalendis Iuniis MCMXXIII.

POPLICOLA.

Regat disciplinae rigor mansuetudinem et mansuetudo ornet rigorem, et sic alterum commendetur ab altero, ut nec rigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta.

S. GREG., *Moral.*, XIX.

Oblivisci eorum, quae quis foede egit, bonorum est; reminisci autem malorum.

CIC., *Topic.*, III.

ROMA SACRA

Ssmi Dñi N. Pii PP. XI allocutio habita in Consistorio diei XXIII mensis Maii MCMXXIII.

Die XXIII elapsi mens. Maii in aedibus Vaticanis, quum Sacrum Consistorium haberetur, in quo ad Purpuratorum Patrum Senatum evecti sunt Ioannes Baptista Nasalli Rocca, Bononiensium Archiepiscopus, et Aloisius Sincero, S. Consistorialis Congregationis Assessor, SS. D. N. Pius PP. XI allocutionem de more habuit, in qua quum ea commemorasset quae recens periucunda Christiano orbi acciderunt, ut et Sanctissimae Eucharistiae honores mirifica magnificentia ubique terrarum tributi, et praeclara singularis fidei et pietatis erga Romanum Pontificem testimonia post Encyclicas primas litteras a se datas, atque praecipue in iis institutis operibusque exercitatio, quae « Actionis catholicae » appellatio complectitur; et sollemne illud propositum ut per proximum annum sanctum quaecumque catholicarum Missionum naturam ac vim, loca, res atque incrementa inlustrant, ea omnia in Vaticano publice ad spectandum exhibeantur, ex quo certum habetur fore ut maximum sanctissimumque omnium catholicorum operum, quale est « Opus Missionum » plurimum accipiat adiumenti; facere Pater sanctissimus non potuit quin ea quoque multa revocaret, quae sollicitudinum anxiaeque curae paterno animo causae facta fuerint.

Etenim – ait Pontifex – in proximis Europae Asiaeque plagis Orientalibus, ubi Christiani nominis cum sanctissima monumenta exstant, tum maxima negotia vertuntur, horrida usque tempestas insidet, iisdem populis regionibusque incredibiles molestias calamitatesque continuans, summo cum detrimento non Religionis tantum sed, ipsius etiam cultus civilis et humanitatis. Supervacaneum est quidem hîc profiteri, Nos quemadmodum semper pro viribus et tutati sumus et tuebimur Catho-

licorum in Loca Sancta iura, quae cum apertissima multoque ceteris potiora sunt, tum nulli unquam obnoxia praescriptioni, ita tot tantisque earum gentium necessitatibus opem pro facultate Nostra omni studio afferre pergemus. Atque utinam omnibus patria extorribus puerisque, altero vel utroque parente orbatis, tutum perfugium et salutis praesidium praebendi copia suppeteret, quod quidem multis iam – quamvis paucis profecto in tanta multitudine – praebuimus, adiuvante Nos piorum liberalitate, quos libet in hac maiestate loci cum grati animi significatione commemorare.

Accedit ut ne ipsa quidem multis gravibusque malis vacet Europa, quum et in continenti et magnis in insulis nationes olim florentissimae eaedemque civilis cultus magistrae, per interneciva bella maximis illatis acceptisque detrimentis, conterantur, non sine praesenti vel graviorum damnorum periculo, quae in universam Europam atque ideo in omne hominum genus incumbant. Quod quanto Nobis sit dolori verbis assequi non possumus, cum erga omnes qui utrinque dimicant, paternum geramus animum et experiamur. Nam sive politicae libertatis vel opinione vel studio inter se populi dissideant, sive pactorum interpretatione aut iurium officiorumque ex pactis manantium aestimatione discrepent; sive in domo paterna sint semper versati, sive recenti aut veteri memoria eam deseruerint; universi omnes, filii sunt communis patris, qui dum domestico convivio cum praesentibus accumbit, exspectat cum desiderio reduces eos qui absunt; omnes enimvero sunt ex eodem ovili oves et agni, quo sine ulla temporis intermissione idem divinus Pastor amanter appellat.

Nobis autem – perrexit – magna cum sollicitudine in dimicantium turbam intuentibus, filii undique occurrunt, optimi quidem atque huic Apostolicae Sedi, alii aliis de causis, carissimi: vel ex *Insula Sanctorum,* vel ex *Angelorum Insula,* vel ex natione *Ecclesiae primo genita,* vel ex illa Germania catholica, quae lugendum ab Ecclesia Romana discidium, abhinc quattuor saeculi factum, studio tam acri, tamque solida et apta vitae christianae disciplina, in medio ipso furore belli compensavit, atque etiam in praesenti discrimine compensat.

Neque Nos latet quam inde iacturam accipiant omnia quae ad christianum nomen vel confirmandum vel provehendum sapienter filii illi Nostri instituerant, eo Nobis cariores quo gravioribus calamitatibus premuntur. Quo autem maerore Nos tantarum acerbitatum molem continuationemque prosequamur vix opus est dicere.

Fecimus omnino – testis est Deus – ad hanc miseriarum immensitatem vel tollendam vel certe levandam, quantum pro Nostra et facultate et auctoritate potuimus; idque facere non desistemus, quoad aliqua affulgeat spes, pacem saltem filiis inter se digladiantibus praedicando, pacem inculcando, pacem inquimus illam, quam etiam nunc ex intimis visceribus invocamus. Illud tamen in Nobis est, eritque perpetuo, ut *Deum pacis* imploremus, qui pacem restituat firmetque suam in omnium animis, iustitiae caritatisque eis sensus iniiciens, eosque ad amicitiae consensiones inclinans; id quod Nos omni animi studio et in praesens precamur et posthac precaturi sumus.

Iam tristiora multo ac luctuosiora a Russiacis regionibus exstiterunt. Haec tamen, utpote omnibus cognita et ubique per ephemerides quam latissime pervulgata, hîc persequi singillatim nil attinet; unum silentio praeterire non possumus. Dum enim illuc missi, a rei catholicae moderatore, praeclarissimi viri, iique propter patientiam sollertiamque suam omnium admiratione et laudibus digni, afflictos et prope fame enectos e magna illa natione populos benefactis cumulant, ex ea nempe largitate quam Nobis subsidia suppeditaverant et impense a Nobis invocata et a catholicis totius orbis abunde constanterque collata; ecce insignes catholicae religionis antistites et administri in vincula coniici, quaestionibus urgeri, ad diuturnam

arctamque custodiam damnari, eorumque unus crudelissime necari. Eos hîc honoris causa nominamus: Ioannem Baptistam Cieplak, Archiepiscopum Achridanensem, atque ipsius socios sacerdotes Leonidam Fedorow, Constantinum Budkiewicz, Stanislaum Eismont, Eduardum Junewicz, Lucianum Hwiecko, Paulum Hodniewicz, Antonium Wasilensky, Petrum Janukiewicz, Theophilum Matulanis, Ioannem Trojgo, Dominicum Iwanow, Franciscum Rutkowsky, Augustinum Pronsketis, Antonium Malecki, unaque pium adolescentem, Iacobum Sciarnas.

Haec vero admissa sunt omnia Nobis primum insciis, deinde nec consultis, nec auditis, quum Nos id unum postularemus, ut qui subditi sacrae Nostrae auctoritati essent, Nostro iidem permitterentur iudicio, additis litteris quae ipsorum culpam, si qua esset, demonstrarent; itemque sancte sponderemus eorum Nos causam pro iustitiae merito iudicaturos. Quod vero est multo deterius – si vera sunt ea, quae perhibentur – ministri religionis eius, quae tam egregie de populo russiaco mereretur, vinculis et capite damnati sunt multis manifestisque invidiae contemptionisque significationibus erga sanctam ipsam divinamque religionem, quam illi quidem tuendam susceperant, cuiusque et praecepta servare et iura propugnare se quovis pretio profiterentur.

Quidquid autem habeant momenti ac ponderis aliae criminationes Archiepiscopo Cieplak eiusque *passionis sociis,* praesertim sacerdoti Budkiewicz, qui glande mortifera percussus interiit, dolores quidem, quos fortissimorum filiorum causa suscepimus ac toleramus, mirifice consolatur tum gloria quae inde in religionem nostram Deumque ipsum redundat, tum spes illa certissima qua sustentamur, fore ut condemnationes ipsae, iudicia, poenae ac sanguis in primis plurimorum fiant optimorumque catholicorum semina, quemadmodum sub ipsa Ecclesiae primordia *semen christianorum* exstiterunt.

Quae quidem spes Nobis maior est de iis, qui Nostrorum et fratrum et filiorum damnationes poenasque participant, quos ipsos, etsi a Nostra communione remotos, tamen in Iesu Christi caritate atque in optatissima Ovilis unitate diligimus; quosque propterea a prioribus illis minime volumus esse seiunctos, omnibus aeque invocantes illa humanitatis officia, quae omnium excultarum gentium in votis sunt.

Atque haec quidem omnia, qualiacumque acciderunt, nihil opus est adiungere nunquam fore ut retardent opera illa omnia misericordiae ac beneficentiae plena, dudum inchoata, necdum per tot solidos menses intermissa, in solatium tot ac tantarum miseriarum. Nam perseverabimus equidem usquedum et necessitas illinc, et hinc facultas adfuerit, illius apostolicae vocis memores: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.* Quod etiam erit argumento quantopere Nos quidem pacem omnibus servatam velimus, salvis videlicet iuribus, quae ipsis tenuioribus hominibus debentur, parvulis, infirmis, afflictis, maximeque iis qui propter iustitiam ac veritatem patiuntur; salvis item ante omnia, in bonum quoque ipsius civilis hominum societatis, iuribus Ecclesiae catholicae, quae una est apud homines, Dei mandato ac iussu, iustitiae veritatisque vindex ac magistra, utpote quae incorruptibilis doctrinae ac sanguinis Dei Redemptoris sit in aeternum conservatrix.

Horum autem iurium incolumitas semper erit Nobis sacrosancta lex, quamvis exoptemus, pacem et habere et conciliare cum omnibus; quamvis etiam parati simus, quoad fas sit, ea concedere omnia, quibus et meliores Ecclesia ubique vivendi rationes assequatur, et simul animorum concordia reconcilietur.

Sed iam, ut ad laetitiae solatiique causas redeamus, in haec Nostra pacis vota et consilia singulari quadam fiducia patrocinium imploramus eorum venerabilium Dei servorum, quibus divino munere titulum et honores beatorum caelitum nuper decrevimus: Beatae Theresiae a Iesu Infante, B. Michaëlis Garicoïts, ac B. Roberti Bellarmini; de quibus illud usurpare placet Ambrosii nostri: *Tales ambio defensores* ...

VACUI TEMPORIS HORA

Dum vivimus nova quotidie discimus! Usque adhuc sciebamus immoderatae carnis ingestioni nonnullos morbos deberi, podagram, arteriosclerosin, diabeten, ipsaque carcinomata; experimenta recens acta certo certius heu! insuper patefecerunt, carnem progressivum venenum constituere, cuius abusus, ex animali albumine, ad sanguinis corruptionem, dementiam, ad horrendam mortem usque adducit. Quamquam has lacrimas rerum sunt quae temperent, legumina; quin imo, haec moderantur iuvantque hominum ingenia, ipsamque indolem, ecastor, efformare valent.

Placentne vobis tuberosa solana? Profecto mentis tranquillitatem diligitis. Ea enim cogitationum et rationis aequilibritatem summopere fovent appetitusque restinguunt.

Biliosis, iracundis, atque tristibus carota sumenda frequenter est.

Militibus spinachia comparentur; quippe qui ambitionem, acrem animum vimque voluntatis suscitent.

Oxalis ad trepidationem, tristitiam moerorem impellit; asperos parit incubones, atque somnia obturbata.

Ex adverso virides faseoli somnia gignunt blanda, amoena; cogitata nutriunt, pariterque bonos animi sensus, aestheticumque gustum. Faseolus namque optimus est nervorum refector, ditior, magisque roborans quam caro.

A pisis cave et brassicis; altera enim ad futilitatem, illecebras impingunt et veneficia periculorum plena parere valent; alterae sui amorem, quam vulgo « egoismum » dicimus, excitant.

Sed ut **leguminum**, ita **et fructuum in hominum influxus** notantur. Tritum est illud: « Inimico persici mali cutem serves ». Undenam hoc? Non aliunde profecto, quod illius fruticis cortex perniciosissimus est: febrem, irritamentum, delirium parit.

Fici, contra, meditationem et prudentiam inducunt. Fraga urticariae favent. Nux valde nutrit; sed, ut oxalis, somnia perturbat, quae malus ex adverso conciliat. Pepo immaturas sententias generat...

Hîc vero cerebrum meum anxii dubii malleo tunditur:

« An qui huiusmodi effata prodidit peponibus ingluviem sibi explevit?... ».

***

Itaque festinanter ad Bernerium meum redeo, qui venustam lepidamque scenam nobis offert **Canis sportulam domini ferentis:**

Quod sapiant homines, quod sint virtutis [amantes,
Haud mirum est, usum nam rationis habent.
At res mira, quod ostentent animalia quam- [dam
Ingenii speciem, quae ratione carent.
Hac autem virtute Canis praestantior exstat:
Scilicet humano proximus est cerebro.
Retro canem famulus ducit, dum incedit, [emendi
Causa, quas Domino praeparet inde dapes.
Sportula mox dapibus replenda paratur ab ipso
Emptore; interea hanc arripit ore canis.
Sustinet erecta cervice et providus illam:
Nam longa, et pendens, tangere posset [humum.
Callidus incedens hostili a fraude tuetur
Pondus, et huc illuc lumina saepe movet.
Si pueri, sociique canes si forte propinquent,
Tunc vigili raptum suspicione timet.
Quosdam edit rauco latratus murmure, pleno
Scilicet ore, nequit vox resonare magis.
Est fluviale animal, quod dictum est nomine [Cancer:
Horum quamplures forte Minister emit.
Hos vivos emptos, ut mos est, sportula claudit,
Queis repleta iterum, traditur illa cani.
Hi pede multiplici paullatim tendere sursum
Incipiunt, tentant sic saliendo, fugam.

Protinus en alter qui ascenderat intus, it extra
Descendens: canis hunc cautus abire videt.
Sportulam humi ponit, saliens arreptat eum- [tem
Dentibus: hinc vinctus intus ab ore redit.
Alter at interea egreditur, quem denuo sistit,
Arreptusque intro denuo proiicitur.
At res mira quidem: dum cancer clauditur [unus,
Quamplures abeunt, fitque fuga ista iocus.
Frustaneo adstantes pueri canis ergo labori
Illudunt, clamant, fit magis ille furens.
Impete dein facto, rabidus ruit unus in omnes
Dente alium, atque alium concutit, inde [necat.
Ergo interfectis, quam sportula praeparat, [urnam
Praebet, et hanc tutus denuo dente capit.
Plaudentem sequitur dominum, plauduntque [vicissim
Gentes: sic dignus laude fit ille labor.
Dat documenta canis, queis nobis expedit uti:
Ut nos erudiat bellua quando sapit.
Vincula sunt homini leges: sunt canceris [instar:
Hic timor hos claudit, nec ratio abire sinit.
Interdum nimia quo libertate fruantur
Tentat homo, sensu sollicitante, fugam.
Impedit hanc virtus bis, ter, quin saepe, sed [audax
Ille iterum atque iterum ad crimina prima [redit.
Mors tandem necat: heu! sero medicina pa- [ratur;
Nam dum incautus abit, tunc malesanus [obit.

***

Iocosa

Tuccius in sibi aequalem lacrimantem incidit ab eoque petit tanti doloris causam:

— Ih! ih! pater minatus est se calcibus me caesurum vix in eius conspecto fuero.

— Omnia haec? Quum eum adventem videris, conside.

In quodam prato passerculorum grex garriens subsilit:

Tuccius: O vere infelicium eorum misereor! Cavea enim indigent, quo noctu cubitum se recipiant!

***

Aenigmata

I.

(vulgo *Rebus*)
aspera ***
aspera
aspera

II.

Candida, passa comas, liquidis emergit ab undis
seu maris aut rivi lene strepentis aquae.
Litera mutatur? Niveo de pumice manat,
et saliens tenui flumine prata rigat.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Venenum*; 2) *Flos*.

Iosfor.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

Alafridus Bartoli, *Ignotus Miles - Mater ignoti militis*. Carmina. - Florentiae, ex off. typ. Iuntina, MCMXXIII.

Tommaso Mario Pavese. *Eroi gloria d'Italia*. Discorsi. - Neapoli, ex aedibus editricibus Rondinella e Loffredo, 1923. - Ven. lib. 3.

Prof. Riccardo Vaccari. *L'Italiano e il Latino nelle tre prime classi del ginnasio*. Vol. primo per la 1ª classe (ven. lib. 6); Vol. secondo per la 2ª classe (ven. lib. 6); Vol. terzo per la 3ª classe (ven. lib. 4): - Mediolani, Romae, Neapoli edid. « Società Editrice Dante Alighieri di Albrighi, Segati e Comp. ».

Plinio Pratesi. *Romanticismo classico*. (Orazio, Epodo XV: A Neèra). - Florentiae, edid. officina typ. E. Ariani, 1922.

Domenico Massè. *Quel che vale la vita* (Il problema della gioia). Augustae Taur. apud Comm. *Ars Italica* (Via Maria Vittoria, 42) - Ven. lib. 5.

AD FONTEM BELLAQUEI 4]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

FAM. 1. Quid est?
FAM. 2. Quid? Ecce me!
FAM. 3. Tuus ego sum.
FAM. 4. Quid est?
(CALLISTUS *et* ISIDORUS, *qui primi accurrerunt, e conclavi Pontificis exeunt nonnulla documenta prae manibus ferentes, atque ad Famulos conversi dicunt*):
CALL. Hasce tu litteras affer Tabellario...
FAM. 1. Hasce vero?...
CALL. Ad epistolarum diribitorium.
FAM. 2. Quid hoc significat novum vocabulum?
CALL. Qui nempe epistolas acceptas diribit.
FAM. 2. Sed...
CALL. Non loquendo fac officium; tace!
FAM. 2. Vado! Vado! Ne irascaris! Ne punias!
(*Dum haec ipsa rapidissime iubentur, hilari iterum vultu adparet* PONTIFEX, *qui voce paterna alloquitur*).

SCENA III.

PIUS *et* ANTEDICTI.


PIUS. Ita vos, filii, festinantes cautius!
Sic omne fiat tute et cum prudentia...
(*Omnes, facta Pontifici reverentia, alii alio dilabuntur, et Pontifex, obtinens medium locum, dum Callistus et Isidorus in postrema theatri porta auscultantes stabunt – Pontifex post breve silentium sic secum loquitur*):
Deo nunc grates sunt agendae maximae,
Qui me superno visitavit numine.
Mihi mox ostendit, luce vividissima,
Novam malorum, quae parantur, seriem,
Quo me modo geram, tricisque liberem,
Totam quae Ecclesiam ligant et oppriment!
Deo sint grates! Martyris me laurea
Donent hostes, novisque sycophantiis
Cingant, adstantis Angeli consilio,
Omnes disperdam perfidias hostium,
Eroque sanctus, purus et periurio.
Agedum, Pie, sustulisti probra nimis,
Labores, pugnas, astutias asperas,
Cunctos vicisti, placido certamine,
Sentiens Virginis potens auxilium!
Praesens si cruciat, quid porro crastinum?
In somno multae larvae me terrificant,
In primis Caesarem Galliarum timeo.
Hic omnium malorum fons est unicus.
Et olim plures attulit laetitias
Cum nobis pulcre pactus est Concordiam.
Fulget sed usque tota spes in Virgine!
Quid?[1] Tu, mater, Romam ducis me liberum?
Meum videbo Petrianum solium,
Novaque pace late nos gaudebimus?
Quid amplius? Triumphum Romae praeparas?
Meis quid cerno oculis? Somnior an vigilo?
Eam loquentem sensisse profiteor...
Virgo novo cultu venerari cupit
Per universum latis pro victoriis,
Et pro ferendis laetum testimonium.
Frequentes video viros adcurrere,
Et invocare Virginem unanimes,
Ut Christianorum validum Praesidium,
Hymnos devotos modulari conditos,
Sanctam Mariam pro devictis hostibus,
Meumque nomen celebre per saecula.
Est desiderium deliri pectoris,
Est libertatis somnium sollicitum,
An veri proximi triumphi nuncium?
(*Voces longe populi exaudiuntur exclamantis:* « Vivat noster semper Imperator, ave! » *et buccinae militares quae extra sonant... Pontifex et ceteri repentino Imperatoris adventu commoti, huc illuc colloquentes discurrunt*).
(Ad proximum numerum).

[1] *Pontifex, mirum in modum splendescit, ut qui caelestia considerat praesentia, et admirans loquitur.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Iulio MCMXXIII Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

Ad latinam adolescentium institutionem informandam

Constat inter omnes, in quavis adipiscenda institutione duo praecipue esse attendenda, quae sunt quodammodo cardines, quibus omnis imponitur ordo rerum; alterum rei assequendae cognitio, alterum eius usus atque habitus, quo, geminatis iteratisque actis, quod pura fuerat rerum contemplatio, fiat vera effigies efficiatque sensus.

Haec duo quum in omnibus, tum in linguis addiscendis praeclarissima. Itaque acuti ingenii homines sunt, qui, factis innixi, praedicant cognitionem sine usu habendam esse quid vanum; multa enim usus populi vindicat, quae extra tabulas sunt; atque hac de causa Gallos, puta, et Anglos potissimum esse viros, qui latina quum optime calleant, si tamen ad enunciationem vocabuli veniendum sit, ita, suo dicendi more abrepti verba cient, ut inutilis cognitio prorsus absque exercitatione videatur.

Qua perspecta re, assentiri facile debemus gravibus iis auctoritate viris, qui in eam devenere sententiam, ut in singulis latinae linguae ludis exercitatio adhibeatur assidua, atque novus sit ordo discendi, novaque via pueris ad addiscendum sternatur.

In his egregius ille, qui de re in superiore huius commentarii fasciculo scite disseruit; cuius verbis liceat hodie nonnulla in ordinem et veluti per capita addere, quae compendio redigant quid de hoc argumento, ni fallor, praecipue tenendum sit. Scilicet:

I. Latine instituendi ratio id in primis habeat, ut pueros a sua ipsorum lingua ad latinam provehat, iuvantibus praesertim vocibus patrii sermonis, quae fere nullo negotio et brevi immutatione in latinum transmigrent.

II. Praecepta brevissima sint, eaque universalia, certis vallata legibus, quarum rationalis causa alte haereat mentibus discipulorum insculpta. Hinc enim non memoria labili et in adolescentibus vaga, sed intellectu, quae sunt latina, aeternum tenebunt.

III. Latina in schola latine loquatur quisque passim, nec diversus a latino ibi frequentius sermo insonet, praeceptore exemplum praebente, familiari ratione illa, qua Terentius, qua Plautus usi sunt.

IV. Data hac eloquii facilitate, facillimi de latinis habeantur auctores prae manibus, extempore interpretandi ac diu, prout

Cornelius, Caesar, atque ipsi recentiores, ad nostros usque dies.

V. Removeantur omnino steriles illae propositiones interpretandae, quae « exercitationes » dicuntur. Exercitatio interpretationis ab historia quaeratur – eritque duplex utilitas –; quaeratur a narrationibus affabre dolatis, ut adolescens delectetur interpretans, imaginibusque erudiatur.

VI. Assuescant pueri commutandis propositionibus, « aequipollentes », ut aiunt, pro datis ponentes, etiamsi ad vitandas difficultates hoc faciant. Acuitur namque mens semper hac exercitatione, et vivae rei studebunt, non literae servili, quae occidit, et ridicula plerumque aequivoca parit.

VII. Quae ex patrio eloquio interpretanda traduntur, ea sint genuino, excellenti, purissimo sermone praeparata, ne suum amittant pueri, dum latinum quaerunt.

VIII. Datis denique quibusdam e latinis auctoribus, frustula quaedam eligantur ex paginis, quae diversis concepta verbis, aliisque vocabulis, latinis quidem, discipuli referant scripta. Exercitationem hanc, ad eloquentiam aemulatione comparandam, Cicero de se in libro *de Oratore* narrat et valde commendat. Numne quod opportunum eloquentiae, id adipiscendo usui iudicemus inidoneum?

***

Huius rationis virtutem iam experientia apud Italos nos et periculum recens comprobavit. Non meum – qui identidem expertus sum – exemplum afferam, sed collegae mei in publicis scholis docentis, qui adverso flumine audacter proficisci non dubitavit. Haec enim ad me ipse scribebat: « Fateor exitu confirmatum fuisse animum. Postquam enim duos impendimus menses in adstruenda quasi crate ossea latini sermonis, et in praecipuis inter italicam linguam congruentiis simul atque diversitatibus notandis, quatuor qui sequuti sunt menses eo rem devexere, ut Maio ineunte ipse quotidie italicas fabellas patrio sermone proferrem, discipuli mei immediate nec incompte latine perscriberent; idque non brevi expositione, sed ferme horae spatio, cogitatione hac illac discurrente, narrabam, magna quidem cum voluptate scribentium ». Atque ita concludebat – eritque et nobis conclusio –: « Non igitur defectu ingeniorum, sed disciplinae vitio difficillima latini sermonis exercitatio apparet. Aliud est enim de scripto interpretari, aliud e vestigio loqui; ac tamen vexatio dat intellectum ».

P.

DE VIRIBUS NATURAE

Illud certe proprium huius aetatis est, parum res divinas ut cogitet. Quam vere Deo canimus diebus singulis: « Pleni sunt caeli et terra gloria tua! » Sed quotusquisque est, qui, quum continuo utatur viribus corporibus a Deo inclusis, vel semel ista etiam voce monitus, cogitare incipiat, a quo res rerumque vires mutuetur? Quodsi ante annorum millia Deus probro dedit gentibus, quod ex huius mundi ordine non vidissent mundi effectorem: quid dicet nobis, qui, quo vitam faciamus novis in dies artibus commodiorem, eo de mundi artifice cogitemus minus, qui novis naturae viribus vel repertis vel investigatis non ignorantiam confessi nostram in laudes erumpamus Divinae Sapientiae, sed naturae confisi viribus naturae auctorem magis et magis a vitae nostrae rationibus removeamus, secernamus, segregemus? Age, vertamus mentis aciem cogitationemque paullulum ad mirificas naturae efficacitates: ut et

miremur Dei maiestatem, quae magna efficere soleat ex simplici principio, et simul latine loquamur de rebus, quas hodie nescio an latino sermone usquam, vocibus barbaris multis locis videas expressas. Loquar igitur latine ut in eiusmodi re potuero: tibi integra erit intactaque et de linguae genere iudicandi ibertas, et multo subtilior, quae in te meo iudicio est, rerum physicarum intelligentia.

***

Septem accepimus esse naturae vires inter se nexas, ex quibus tres esse obscuras, caecas, trahentes: attractionem chymicam atomorum inter sese: hac res corporeas constitui; attractionem corporalium particularum mechanicam; attractionem quorumdam corporum magneticam: hac in certam moveri corpora tracta partem.

Tres item sunt vires radiantes: lux, calor, sonus. Illa ex radiis est aethereis trahendi vi praeditis; calore corpora extenduntur, sono, radiis quibusdam corporeis, res propinquae percussae contremiscunt. Media est vis electrica fluens, quae, quamdiu circuitum facit inclusa corporibus, similis est viribus obscuris, sed quoniam tamquam fulmen aliquando in alia transilit corpora, affinis est etiam radiantibus viribus.

Iungi autem inter se vires istas argumento esse potest, quod una permutatur in alteram. Sunt certis locis terrae venae vel straturae carbonis fossilis, antiquarum silvarum in lapidem versae reliquiae. Atqui calore solari silvae istae ortae auctaeque erant. Et carbo transmutari potest in lucem et in calorem, calore aquam solvimus in vaporem moventem machinam. Rursus machina magnetem unum torquebit contra alterum, fixum, metallico circumvolutum filo, quo motu flumen per filum ferri incipit electricum vel mechanicas efficiens motiones vel lucem. Ad extremum lux eo orta flumine vim habet rursus vel calefaciendi, vel permutandi corpora. Apparet igitur unam ex his naturae viribus moveri alia. At est certum illis permutationibus nihil virium nec amitti nec comparari. Summam virium naturalium vel efficacitatem non minus quam ipsam materiam neque augeri per se neque minui axioma physicorum est. Omnium autem virium fontem aliquem communem, ex quo profluxerint, esse necesse est, eundemque fontem non casu repente per se fundere coepisse vires, quippe qui perpetuo subiectus motui nullus per se esset, sed hanc efficacitatem in rerum natura collocatam esse divinitus vereque, sicut in Romanorum epistola Paulus apostolus declarat, sempiternam Dei virtutem et divinitatem per ea, quae facta sint, intellecta conspici. Dei, inquam, sunt vires, quotquot incomprehensae per rerum feruntur universitatem.

Sed, age, attingamus singulas; principio lucem.

Est igitur lux primo mundi die producta res summopere mirabilis, pura, perfecta. Luce vivunt omnia. Sed si, quid haec lux sit, etiam ex sapientissimis quaesieris, nihil audies certi. Quod iam Empedocli quinto ante Christum natum saeculo erat visum, hoc dicebant usque ad superioris saeculi initia fere omnes: esse tenuissimae genus materiae, cuius corpuscula ex sole et ex aliis rebus lucentibus, ut fere ex fragrante rosa particulae odoriferae promanarent. Ex emanando doctrina emanationis dicta est. Sed qui lucem manare dicunt, hos et alia et illud licet percontari, qui tandem fiat, ut lucentium corporum minuatur vis, non tabescat massa? Respondent hi physici, Huyghentem (anno 1695 mortuum) et Eulerum (mortuum anno 1783) secuti, lucem gigni non emanantibus aliquibus materiae particulis, sed vibramine vel undulis aetheris, qui materia fere subtilior per rerum naturam fundatur.

Uberrimus fons lucis nobis sol est. Solis radii, ut ait Alexander Humboltius, non modo lucem ferunt et calorem, verum etiam dissolvunt horum corporum naturas, ut illorum efficiunt, educunt humo tenera herbarum arborumque germina, foliorum efficiunt virorem, pingunt flores, millies ex undis et ex rorante pratorum gramine ipsius solis referunt imaginem; quin etiam animus hominum mirifice hac luce afficitur, plurimumque refert ad excitanda ingenia, ad animi vel tristitiam vel alacritatem, quanta vi et quam diu sol luceat.

Etiam vi electrica lux oritur vel excandescente filo ex carbone aut ex quibusdam metallis, facto vacuae incluso ampullae vitreae, vel transiliente flumine electrico ex uno stilo carboneo in alterum. Illae lampades sunt quas Galli *lampes à incandescence* appellant, quas latine ego, dum melius tu obtuleris, breviter « candescentes lampades » vocabo. Flumen electricum quum a carbone ad carbonem transilit, non recta fertur, sed facto curvamine. Haec causa est, cur illa lux, quae est acerrima, lux arcuata nominetur, huius lucis lampades sint, *lampes à arc,* lampades lucis arcuatae, vel simpliciter *arcuatae lampades,* quarum ego machinationem et usum pluribus persequerer verbis, nisi nimium a re digrediendum esset proposita.

Anno 1895 Roëntgen, vir Germanus, rerum physicarum cum primis peritus, obscuram quandam invenit lucem electricam per corpora non perlucida non minus euntem, quam solis radii eunt per vitrum. Illius lucis radiis in vitro chymice praeparato delineantur, quae forte in aliis corporibus latent, ut in crumena nummi, ut in corporibus animalium ossa; et est facile videre, quantae utilitati sint radii Roëntgeniani, quibus, quod incogniti essent, radiis X nomen iure ab inventore inditum est, in arte chirurgica et in dicendo.

Lux solis prismate triquetro in septem discedit colores. Colorum varietatem habes ex vibrationum aetherearum numero. Dicunt eos colores a nobis animadverti tantum, qui habeant vibrationem nec minus quadringentos billiones in secunda nec amplius billiones octingentos. Sed colorum suavitate maiorem partem corporum constat pulchritudo. Quam mirifice natura ipsa rerum temperavit colores! Nulla profecto referat ars eam colorum varietatem, quae lucet vel ex collis columbarum vel ex pavonum caudis, vel ex quorumdam insectorum vestitu, vel ex quibusdam floribus, vel ex caeli matutini vespertinique magnificentia, vel ex arcu pluvio.

Etiam chymica vis est in radiis solaribus, quibus solvitur illud acidum carbonicum, quod plantarum foliis haustum ex aëre est. Soluto autem carbonio, planta augescit. Sole albescit linum, sole colorantur quaedam corpora, ut argentum iodicum, bromicum, nitricum. Notum est ea vi natam esse artem photographicam et cinematographicam. Illa perutilis est omnium doctrinarum ministra, hac ante oculos producimus rerum motiones.

Et quod lux lentibus frangitur, oculos ita armamus, ut propinquarum rerum maiores reddamus figuras, longinquarum minuamus prospectum, res minutissimas, quas ne esse quidem crederemus, clare cernamus.

Qui hodie naturam pervestigant, microscopiis utuntur, quibus rerum exhibentur magnitudines auctae vicies millies, vel telescopiis, quibus rerum longinquitates plus vicies millies minuuntur. Illi ergo homines tam minima quam maxima corpora contemplantes in omnibus rebus invenerunt ordinem et eas leges, quibus res reguntur hae mediae, vires plane mirabiles humanam sapientiam inventionemque excedentes.

Ex Aquis Driburgensibus in Guestfalia.

A. Haberl.

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.[1]

IV.

Gustus aestheticus causis internis, potissimum vero externis, temperatur, excolitur, corrumpitur. Imo nulla fortasse, inter congenitas hominis facultates. tam mutabilis, varia, inconstans ut gustus, qui *personalis* audit, reperitur. Et sane, gustus in singulis hominibus conformis invenitur – ne dicam pedissequus – haereditati stirpis (*atavismo* vulgo appellant), aetati, corporis temperamento, valetudini et infirmitati, sexui, regioni, scientiae religionisque culturae et similibus. Hac una de causa quam verissime tritum illud inductum est: « De gustibus non est disputandum ». Attamen huiusmodi variationes, veluti rami virentes, diffusi, mobiles, unicum manifestant stipitem nativum, communem, uniformem, immutabilem *gustum universalem.*[2]

Ad specimen, quasdam ex illis causis consideremus, quae gustum naturalem diversimode temperare solent.

a) Lex haereditatis, seu « atavismi ». – Vi generationis quasdam sive mediate sive immediate filiis aut nepotibus transmittere possunt parentes organicas et physiologicas proprietates, quibus haeredes proxime disponuntur ad certam animi aptitudinem, perturbationem, indolem. Haec autem lex quam maxime inconstans est: sed re constat, dari quasdam familias, et etiam populos, qui per felicem atavorum haereditatem, causis externis non turbatam, imo consuetudine firmatam, gustu magis exquisito, perfecto, aut versatili, aut ad certas res praefinito, constanter gaudent. Simili modo, sed diversa ratione, contrarium evenit.

b) Aetas. – Pueritia, iuventus, virilitas, senectus, pro varia, graduali transformatione organorumque virtute summopere ad gustum immutandum diversimode conferunt. Facilis et laeta pueritia atque animosa iuventus, fortis et matura virilitas, gravis et defatigata senectus aliquid sibi simile ac consentaneum in obiectis gustandis appetunt, contemplantur, laudant. Haud raro senes lamentantur gustus diminutionem. Italus poëta cecinit:

Agli occhi stanchi si scolora il mondo.

Diversa aetas analogice in populis etiam viget, qui variam gustus notam diversis temporibus praeseferunt. Ethnographia apprime diversas populorum aetates secernit et iudicat. Haec autem aetatis lex in homine et in populis aliquando exceptionibus est obnoxia: dum est infantia in annis, virilitas in mente florescit, vel e contra.

c) Temperamenta. – Quum humores in diversis hominibus diversimode socientur et permisceantur, appetitus sensitivus et intellectivus maiorem minoremve explicationem obtinet: hinc diversae inclinationes, propensiones, gustusque qualitates. Itaque « cholericus » sive « nervosus » – in quo priores partes tenet systema nerveum et praecipue cerebrum – est ingenii ardentis et acris, propositi tenax, phanta-

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Maii.

[2] Sana philosophia (quae docet hominem ex anima spirituali et corpore organico constare. eius cognitionem esse sensitivo-intellectivam, gustum aestheticum ad sensus et intellectum simul pertinere...) nullam difficultatem invenit explicandi certissimum factum diversorum gustuum. Ipsa namque haud negligit studia historica, ethnographica, anatomica, physiologica, pathologica... quibus in re propria potissimum iuvatur. Cordatus igitur philosophus, quia haec omnia probe noscit, nugas nugarum (ni scelesti animi propositum) existimat quae ex praedictis varietatibus, vel « anomaliis », *Positivistae* et *Phrenologi* congerunt adversus animae humanae spiritalitatem.

sia fervet, facile res intuetur, audax item quandoque heros. Magnis obiectis movetur, excellentiam in omnibus quaerit; libera, fortia, eximia quaeque gustat. Si artibus sese addixerit, plerumque excellit, non raro genius evadit. « Sanguineus » - in quo systema arteriarum et respirationis praeeminet - est plerumque sensu exquisito praeditus et imaginatione vivida. Hilaris, lasciviens, generosus, pompam, oblectamenta, nobilitatem adamat: valde delectatur ingenuis artibus, musica praesertim et poësi, in quibus ornata, elegantia, magnifica quaeque gustat. « Phlegmaticus » ex adverso - in quo systema lymphaticum dominium agit - est piger, rarius monetur affectu, altioris ingenii conatus abhorret. Imaginatione frigidus, indifferens est ad bonarum artium culturam et gustum. « Melancholicus » - in quo excellit systema venarum et iecoris - exterius indifferens adspicitur, sed intus ardet, vehementiores passiones experitur. Solitarius, tristis, lentus, nunquam contentus, censor acerbus, invidus, zelotes, res abstrusas, terrificas, sublimiores anormesque gustat. [1]

d) Sexus. - Ex sexuum discrimine diversitas gustus explicatur. Mulier certissime physiologice et psychologice debilior viro, natura, facta est. Femina aliquid infantile, debile, ingenuum praesefert in ipso vultu, in motibus, in iudiciis, in cupiditatibus. Habet phantasiam, quae facilius, sed levius excitari solet. Animi affectus vividiores quidem sunt, ast minus stabiles. Gustat dulcia, gratiosa, amatoria, blanda. Maxima cura in res domesticas incumbit. Oblectatur odoribus, flosculis, novis in mores cultibus. Vix assurgit ad amorem patriae, scientiae vel sublimitates. Etiam in religione icones micantes et simulacra exornata optat.

e) Patriae amor. - Diversi populi, diversitate caeli, membrorum, evolutionis, vitaeque consuetudinis diversam habent propensionem ad pulchrum gustandum. Cives igitur, dulci patriae amore per naturam capti, gustum moderantur secundum patriae morem, scholarumque praeiudicia. Est ferme eadem quam diximus, « lex haereditatis ».

f) Philosophia, Religio, Civilis cultura. - Collatione inita inter diversa placita philosophica, superstitiones, culturam Indorum, Aegyptiorum, Assyriorum, Chaldaeorum, Persarum, Graecorum, Romanorum, etc. apparet quam maxima gustus diversitas. Sufficiat hîc innuere discrimen inter Ethnicos et Christianos. Inter omnes constat gustum aestheticum voluptuarium totum et sensiferum esse apud Ethnicos, quippe qui ferme solam pulchritudinem corpoream sapiunt ac laudant. E contra Christiana philosophia, religio, mores et cultus in veritate, sanctitate, excellentia fundata, gustum a « sensualismo » ad « spiritualismum » redemit et composuit; ita ut homines non tantum corpoream, sed magis insensibilem, immortalem, divinam pulchritudinem agnoscerent et contemplarentur. In hoc verax humanitatis progressus.

Restat ut gustus gradationes perpendamus; de quibus vero aliisque alias dicemus.

(Ad proximum numerum).

G. LEPORE.

[1] Temperamenta non adeo distincta semper invenies: diversimode enim inter sese connectuntur, atque educatione physica et morali, aetate ipsa, corriguntur. Temperamentum felix, si humores aeque sint permixti et ordinati. Praefata temperamentorum distinctio etiam antiquis nota fuit: apud quosdam recentiores de numero et natura temperamentorum viget nonnulla sententiarum varietas. In genere certum est, plurimas dispositiones psychicas pendere a dispositionibus organicis; sed in specie nequit definiri quibus legibus principium istud regatur.

Lapis componi debet ad regulam, non regula ad lapidem. PLUTARCH., *De prof. morum.*

IN LYCHNUM QUEM MATRONAE MEDIOLANENSES AD SEPULCRUM MILITUM GORITIAE N UPER EXCITARUNT

Salve, renidens lumine languido
Custos sepulcri, flammula, militum;
Te flabra venti nulla laedant,
Nec pluviae nebulaeve tristes.

Oliva felix, umbra vel appula,
Semper nitorem det tibi vividum;
Nemo ministret putre sebum,
Opprobrium vigilis lucernae

Alenda semper! non manus atterat
Custodis empti; sit viduae bonae
Matrique dulci cura cippi,
Et facis atque precum piavum.

Seu vincis umbras noctibus horridis,
Seu luce solis pallida luxeris,
Effunde carmen, mite narrans
Intrepidi populi labores.

Magni Latini nuntia roboris
Dices superbis hostibus: « Hinc procul! »
Infracta virtus hîc quiescit,
Ad patriae rediviva nutum.

Nostras per urbes si furor arserit
Dissentionum, civibus impera,
Votiva lampas: « Una nostram
Flamma regat societque gentem ».

Refer sepulcro compositis precem
Matrum, sororum; dic lacrimas piae
Uxoris et fundi, larisque
Notitias patriaeque casus.

At cum silebunt murmura pectorum,
Aetasque caesis creverit impia,
Dulces sopitos, lychne sancte,
Spe refove melioris aevi.

Aquilae.

ANGELUS NARDIS.

Ioannes Petrus Aloisius Praenestinus

Ioannem Petrum Aloisium, nomine loci nativitatis, Praenestinum (*da Palestrina*) vulgo appellatum, ponere inter principes sacrae musicae cultores iure meritoque haud dubitaverim. Hic, natus anno MDXIV, placidissime obiit Romae, septuagenario maior, sanctisque religionibus perfunctus, in complexu sanctissimi viri Philippi Nerii. Huius enim potissimum suasu, Ioannes, atrocibus musicae sacrae temporibus, musicam religiosam impense excoluit, a calumniantibus acerrimo opere vindicavit.

Romae enim, perpetuo, musicam sacram excultam fuisse constat, magnoque in pretio, ob splendidiora officia, quae identidem, adstantibus Pontificibus Maximis, fieri consueverunt.

Nec mirum sane. Ob hanc enim rem, magna hominum undique frequentia, suavitate musices adlecta, et insignis musicorum schola, qui, praemiis multis propositis, ex dissitis quoque regionibus acciti, Romam conveniunt. Multi propterea, ante Praenestinum, praeclaro nomine musici Romae exstiterunt; at omnes nunc pariter eodemque premuntur silentio; eorumque cantus, quos passim scriptores illius temporis, honoris gratia commemorant, temporis iniuria interciderunt, si brevissima tantum fragmenta excipias, quae ex communi naufragio enatarunt, et studiosorum auribus exaudiuntur. Quod enim de litteris olim dicebatur ab Seneca infectis, idem, meo equidem iudicio, de musicis, qui hisce temporibus, ubi saepe homines tam multa tamque varia eruditione acerrimum ingenium excolebant, ut facile simul omnes de re musica cum celeberrimo quoque decertare possent.

Re enim vera, plerique Romam petebant postquam Lutetiae Parisiorum, coram regibus ipsis admirantibus, in theatris, in regalibus aedibus, artem exercentes, pri-

mas retulerant. Optimus quisque credebatur, quod voce vel scriptis, et digna quadam eruditione publice ingenium suum enucleret. Nec deerat qui nonnullorum eruditorum iudicio fretus, Romam contenderat, ut protectorem sibi inveniret, ut de se Horatius subridens dicebat:

Spectatum satis et donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

Omnes isti, profanis unice cantibus studentes, sacros concentus foede corruperunt, sive quod a rebus divinis remoti musicam sacram perperam adhiberent, sive quod delectandi causa, vel in ipsis religionibus, per florida profanorum loca licentius excurrerent. Quamobrem vix dici potest, quam multos falsa musicorum similitudo deceperit!

Quid autem quaerit et magis distat, quam sacer a profano musico? Hic admirabilitatem quaerit et facit, ille vero fidem excolit. Et Roma, moerore confecta, Gregorium suum neglectum conqueri videbatur, eiusque suavissimam eamdemque sanctissimam canendi rationem in dies iterum cum multis audire satagebat. Dum omnes sibi quaerunt quorsum tandem evadat haec tam perversa rerum conditio, ubi musici nihil iam pensi habentes, improbum morem usurpaverant, ubi pro arbitrio lascivirent, extremum quoque remedium res postulat.

Et ecce Pontifex maximus, Marcellus secundus, decessorum suorum exempla sequutus, optimum factu putavit, si remotis omnino cantoribus profanis, in sacris caeremoniis Gregorianum cantum quem dicerent, unice adprobaret.

Actum erat, ut ita dicam, de exquisitis et devotis simul musicae notis in templo, nisi egregius ille vir divinitus adstitisset, Praenestinus noster, qui divina prorsus sapientia summoque in artem studio insignis, rem integravit, et profligatam ac prope perditam sacram musicam praeter omnium opinionem virtute sua restituit.

Is natura ad musicam admodum vocatus, etiamsi ab initio re familiari ad aliud compulsus, ad notas concinendas vel aptandas gloriose redibat.

Suffragrante potissimum Philippo Nerio, qui eo tempore Romanam iuventutem, nova omnino industria, ad pietatem excolebat, Ioannes, qui eius iussu, identidem italicis carminibus notas suavissimas aptare consueverat, easque vel in sacrario, vel in theatris, communi adstantium admiratione, pueri canebant, in Urbe fama et nomine percrebrescere coepit.

Erant saepe et psalmi, quos pueri peregrina admodum arte musices compositos, magna quoque animorum significatione passim modulabantur. Quae quidem novitas atque iucunditas, non modo puerorum auribus placebat, sed et patritiorum ac sacerdotum, qui frequentissimi ad Philippum conveniebant. Omnes enim uno ore egregium melos ad caelum ferebant eiusque auctorem eo potissimum laudabant, quod non modo aures suavitate delectaret, sed et animum religione raperet. Quid suavius eius notis, quid potius et castius?

Dum haec passim et familiariter inter amicos pervulgantur, et omnes musices magistrum laudibus ad caelum tollunt, Philippus, divino veluti spiritu afflatus. eum tenerrime manibus amplexatus, ad sidera conversus, inclamavit:

I, bone, quo virtus tua te vocat, i, pede fausto!

et haec olim mea praesagia posteri gratulabundi iterabunt. – Gravibus istis verbis maxime permotus, sibi imposuit noster in consilio pertinaciter manere, et pro viribus egregiam musicae sacrae operam navare. Et quum ingenio admodum valeret, et ad religionem unice spectaret, arte sua brevi Romanorum sibi gratiam conciliavit. Multa interea et diversi argumenti cantica congessit, diverso etiam more conscripta in vulgus edidit. Quo facto eius nomen longe lateque inclarescebat.

Ad haec adiungere iuvabit, recentiorem utique stili formam a nostro fuisse usurpatam, iuventutis quodam ardore adhuc luxuriantem atque abundantia. Hunc veluti ingenii tumorem acrius carpebant critici; quibus tamen vitiis egregiae virtutes comitabantur. Namque quum magni spiritus esset auctor, et pleraque grandiori ore pronuntiaret, maiestatem quamdam cantibus suis afferebat.

Et naturae colorem et impetum sequutus, omnino suus et nativus semper apparuit. Praecipuam propterea tulerunt ei laudem sacri illi concentus, quos arrepta occasione pro *Oratoriis* componere solebat, in puerorum commodum, qui eo tempore ad domus sancti Philippi Nerii diebus festis frequentes convenirent. Haec sacrae domus *Oratoria* vulgo nuncupabantur. Et Philippus Nerius, quem honoris gratia laetus memoravi, tot virtutibus admirabilis, meritisque insignis in patriam atque in religionem profusis, sic Dei voluntate ferente, principem hunc musicorum omnium aetatum, ad templum adseruit, eumque suaviter invitavit, ut, ceteris generibus ablegatis, ad musicam sacram, ingenium suum acerrimum converteret et omnis esset in illa. Quod quidem egregium admodum in patriam facinus, omnibusque laudibus dignissimum, cordatioribus viris visum fuit.

Hic enim tandem apparet in modorum splendore elegans, compositione aptus, et facultate copiosus; eaque est cum summo ingenio, tum exercitationibus maximis consecutus. Postremo maxima eius vis in multarum vocum varietate sita est, unde fit, ut eius sonorum compositiones et publice ab innumeris saepe cantoribus pronunciatae vel a paucis privatim pariterque placerent. Et praeter quam quod eius cantus abhorrent a communibus exterorum placitis, et omnem antiquorum romanorum rationem musicalem complectuntur, ea nitent elegantia atque suavitate, ut nihil in hac re perfectius, nihil iucundius ab humano ingenio posset proficisci. Nihil tamen aptius fuit, nihil opportunius. Semper enim in urbe ad Sancti Petri, quum Pontifex Maximus, magno Patrum Cardinalium concursu atque Episcoporum, sacris operatur, adsunt cantores strenuissimi, qui assa plerumque voce et musicalibus notis ab optimis magistris aptatis, audientium aures et pietatem adiuvare consueverunt. Adsunt identidem et argenteae buccinae, quae solemni ritu Pontificem Maximum praesentem renunciant atque, in conficiendo Christi corpore et sanguine, animos commovent et mira suavitate ad sidera tollunt. O fortunati Romani, sua qui bona optima norunt!

Aetate vero Praenestini eo perversitatis sacra musica pervenerat, ut Romani Pontifices optimum factu putaverint, si eam omnino a templis arcesserent. Dum itaque pulchrior quam musica fama erat, dabant vel inania verba, vel sine mente sonum, ecce adest Ioannes, qui ingenium periclitaturus, sacrum solemne suis notis aptavit, multis vocibus, miro sed ordine dispositis, et ea immensa admodum notarum diversitate, ut in unum sonitum ipsae conspirent, unam concordiam informent, quae mirum in modum spiritus urgent eosque ad pietatem impellunt. Aderant arbitri hinc inde acerrimi iudicii viri iidemque probatissimi, aderant et musices amatores, et omnes mira animorum concordia, Praenestinum nostrum omnium musicorum principem salutant undique, eumque clamore excipiunt socii fremituque sequuntur. Ut primum haec nova ars honesta atque insignis apparuit, et interpretes, caelesti quodam spiritu instincti, summa perfectione opus enucleaverunt, universa civitas, admiratione perculsa, recentem musices magistrum honoribus excepit laudibusque cumulavit.

Sua igitur virtus fuit, si musica sacra cui, ob pravorum cultorum immodestiam,

mortis sententia pendebat, velut ensis ille famosus capiti Damoclis imminens, semoto omni periculo, uti regina in templum incessit, atque ex illo tempore undique imperavit.

Quare non immerito, vel ab hominibus aetatis suae regnare in musicis Praenestinus dictus est; apud nos vero id est consecutus, ut quemadmodum in oratoribus Cicero, ita Prenestinus, non iam hominis nomen, sed musices habeatur.

Est igitur optandum ut aequales nostri, ad eius magnitudinem pares, aut saltem proximi accedere possint.

I. B. FRANCESIA.

VEN. SERVAE DEI

THERESIAE A IESU INFANTE

BEATORUM CAELITUM ALBO
A PIO XI PONT. MAX.
NUPER ADSCRIPTAE

Gratia Te Christi primis effinxit ab annis,
Ad pietatem aluit moribus ingenuam,
Ac virtutum alis vernantem flore iuventae
Festino cursu Te super astra tulit.
Gaude ergo Angelicis merito sociata Choreis,
Fulgens stellae instar gemmula cara Deo;
At si affirmasti in caelo Tibi dulce precari
Nobis pro miseris deliciumque fore,
Aspice quassatam longo certamine terram,
Aspice nos, Virgo, quos mala tanta premunt:
Ut Christi in Regno pax Christi optata nite-
[scat
Sit labor hic tecum celsaque cura simul.
Poscere Te decet, a Iesu quae Infante vocaris,
Pacem, quam Superi concinuere Chori:
Magno sic Patri primos Altarium honores,
Qui Tibi decrevit, Virgo benigna, fave;
Sic Tu, quae a tenera nil Christo aetate ne-
[gasti,
Pro pace ut nobis sint bona corda pete!...

Laureti in Piceno, mense Maio a. MCMXXIII.

IOAN. FRATINI.

EX ITALIS URBIBUS

LUDICRAE PUGNAE AD PADUM

Constat inter omnes, nos Subalpinos temporibus transactis, tum ob nativum ingenium, tum ob longam rerum necessitatem, propulsandis belli periculis unice fuisse intentos, ac propterea militaria studia quam mansuetiores artes maluisse. Et civitas Subalpinae gentis princeps, quae ab Iulio Caesare Augustae nomine est decorata, virtute bellica atque immobili fide erga suos Principes inclaruit et quam primum domus Allobrogica sibi Italiae claustra aperuerunt, in eius clientela, exterorum dominatus pertaesa, volens, labentibus annis, permansit.

Quo facto, nil mirum, si Taurinenses, prae ceteris Italis, ad arma exercenda identidem redire videntur, et data occasione, verbis et opere, universos Italos in egregia patrum facinora quodammodo respicere iubemus. Nihil aliud, uti opinor, sibi proposuisse videntur quotquot novissime pugnas ludicras instaurarunt, ad quas cives atque advenae, praeter omnium opinionem, frequentissimi convenerunt, quin imo ipse Rex, Victorius Emmanuel III universis ordinibus adclamantibus inter civium obsequium laetitiamque triumphans invehitur.

***

In illa urbis nostra parte, quae ad Orientem pertinet amoenosque colles respicit, ingens est et apertissima platea, quae nunc ab italico oppido Victorio apud Venetos nuncupatur, ob insignem victoriam ab Italis relatam adversus Austriacos eorumque socios ad Plavim flumen. Haec platea in amphitheatri formam redacta, patriis decorata vexillis, scamnisque circum per ordinem decorata, centum circiter millia hominum recepit. In medio immensa aderat cavea, in qua, paucis labentibus horis, milites multorum saeculorum res gestas ob oculos spectatorum mirum in modum ponere studebant.

At quorsum haec omnia evadere possunt?

Quamvis, ab *Alma Roma* hîc imperante, quae non iam armis dominatum suum in orbe terrarum obtinuit, modo sed religione invaluit atque late in populos est dominata, omnino absit indignatio atque suspicio, occultam tamen improborum mentem insimulandam esse putabo, qui hasce ludicras pugnas, per summum nefas, ad praesentem rerum italicarum statum comprobandum respicere autumant. Longe sed alia fortasse fuit eorum mens, qui Augustae Domui unice adulati, rem militarem excogitarunt, quam citra fidem semper in deliciis habuit.

Hisce positis ad rem venio.

Adest in primis, et gravi incessu acerrimaque fronte, Romanorum acies, quae veste armisque prima patrum tempora graphice refert. Adsunt propterea nonnulli pedites equitesque, adsunt et fortissimi triarii. Uno verbo, pressius cum Vergilio dicam:

*Pila manu saevosque gerunt **in** bello dolores,*
Et tereti pugnant mucrone veruque sabello.

Nec ille desideratur memorabilis Romanorum triumphus, quum delatis hostinus, dux in excelso curru paludatus insidens, adclamante populo, inter victrices legiones, ad Capitolium iturus in Urbem gloriosus ingreditur.

Post triumphantis currum, moesti catenisque obruti, reges capti cum militibus raptantur et festum miserrime augent.

***

Deleto Romanorum imperio, variae populorum gentes, suis sedibus relictis, latiores Italiae terras petebant. Quam armis quaesiverant, haud ita diu regionem obtinuerunt. Post diversos atque lamentabiles rerum casus, post Burgundiae regnum, proceres, quos Conradus, huiusce regionis imperator, provinciis administrandis praefecerat, opportunitatem nacti, perinde ac si sui iuris atque arbitrii facti essent, in sua quisque regione tamquam reguli dominari coeperunt. Hisce proceribus, qui herili imperio provincias obtinuerunt adnumerandus est Humbertus I, quem certissima monumenta Allobrogicorum Principum progenitorem testantur. Ipse Othonis Guillelmi filius, Adalberti nepos, Italiae regis, post Rodulphi Burgundiae excessum, Vallem Maurianam apud Allobroges, aliaque circum loca in ditione habuit. Hic non solum bellica laude, sed iustitia, pietate, et munifica in sacras aedes liberalitate praesertim enituit. Decessit anno christiano millesimo sexto et quinquagesimo.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM [1]

Longe praestantissimo viro IOSEPEO FORNARI *equiti torquato Gregoriano,* Almae Romae *moderatori,* FRANC. AUR. RECALDE, *Ibarren. Decanus S. P. D.*

[1] Incertus aliquanto fui an hasce litteras, humanitate simul et elegantia redundantes, vulgarem, ne immeritae gloriae ostentatione insimulari possem. Vicit tamen editionis consilium hisce praesertim de causis: ut et ignotus a nobis tam longinquae regionis scriptor comptissimus cognosceretur, et ii qui iam tot annos assiduum itemque durum laborem mecum diviserunt, aequam partem tamquam domestici decoris caperent; ut denique – aperte fateor – qui debita nobiscum contracta nondum solverunt, praestans et perspicuum exemplum inde sumerent. – Sint autem viro morum atque sermonum lepore clarissimo, honestae, quae decent, gratiae; sint et invitamenta ad hanc *Almam Romam* nostram scriptis suis frequenter ornandam.

I. F.

Scias velim, ornatissime vir, me tui magnopere studiosum, dudum ad te litteras mittere in votis habuisse, non modo te salutandi gratia, sed et ineundae tecum amicitiae desiderio. Litterulis, igitur, tuis nuperrime acceptis, quibus *Almae Romae* pretium, pro anno MCMXXII nondum solutum, a me humilissime postulasti, id mihi mei explendi desiderii occasionem sese praebuisse sum ratus. Duplex mihi apud te debitum: alterum, quidem, pecuniae; de quo familiarissimus meus, Angelus Maria Canseco, Iosephinorum in Urbe supremus curator, aget; alterum vero, et sane praecipuum, significandi tibi quanto apud me verseris in honore; quo te studio prosequar; qua, denique, benevolentia in te ferar. Quid? Mirarisne in homunculo tibi penitus ignoto longeque degente, hos, erga te, animi sensus? Sed nihil est quod mirere: Quum omnibus ac singulis *Almae Romae* fasciculis hucusque editis, haud sine maxima animi voluptate pervolutandis dedissem operam, non potui non te magno habere honori, proposita laudare, votis atque suffragiis comitari; singulari, denique, ac prorsus incredibili benevolentia te prosequi. Quapropter, vir amplissime, etiam atque etiam gratulor tibi, quod Ciceronianae linguae, quae mihi, vel a puero, in deliciis fuit, ab interitu veluti vindicandae, pristinoque honori restituendae sedulo atque egregie operatus fueris, sapientibus quibuscumque, ubique terrarum, probantibus atque plaudentibus. Utque meum, erga te, studium, observantiam, benevolentiam quomodocumque obtestarem, scriptiunculae excudendae adlaboravi; excusamque propria ipsemet manu conscripsi; tibique, apud te servandam, mitto. Si hoc tantillum munusculi benigne exceperis, pergratum mihi te fecisse certo scias. Operis tui socios fac meo salutes nomine. Salve et vale.

Kalendis Aprilibus CIↃ.ↃCCC.XXIII, Ibarrae, Aequatoriensium Reipublicae, in America meridionali.

QVOD · BONVM · FELIX · FORTVNATVM · QVE · SIT
LAVDI · QVE · BENE · VERTAT
AMPLISSIMO · VIRO
EQVITI TORQVATO · GREGORIANO · ATQVE · DOCTORI
IOSEPHO · FORNARI
ALMAE · ROMAE · INSIGNI · MODERATORI
QVOD · CICERONIANAE · LINGVAE · INSTAVRANDAE
DEBITIS · QVE · VBIQVE · TERRARVM · HONORIBVS
AMPLIFICANDAE
EGREGIAM · NAVARIT · OPERAM
FRANCISCVS · AVRELIVS · RECALDE
IBARRENSIS · CATHEDRALIS
APVD · AEQVATORIENSES · DECANVS
VIRO · USQVE · ADEO · DE · RE · LATINA · MERITISSIMO
ETIAM · ATQVE · ETIAM
GRATVLATIONES · ET · VOTA
KAL · APRILIBVS · CIↃ · ↃCCCC · XXIII
IESV · CHRISTI · *ΑΝΑΣΤΑΣΕΟΣ* · GAVDIIS
ATQVE · SOLEMNIIS · CONSECRATIS

« MACTE NOVA VIRTVTE... SIC ITVR AD ASTRA! »

SPECTATISSIMIS · VIRIS
ROMANAE · NOBILITATIS · SCRIPTORIBVS
QVEIS · SINGVLARIS · CONTIGIT · HONOR
IN · EDENDIS · MENSTRVIS
ALMAE · ROMAE
TOTO · NOVENNIO · ELAPSO · COMMENTARIIS
IOSEPHO · FORNARI · AVXILIO · ET · ADIVTORIO · FVISSE
DECANVS · IBARRENSIS · AEQVATORIENSIVM · DITIONIS
PRONISSIMIS · ANIMIS · GRATVLATVR
KALENDIS · APRILIBVS · CIↃ · ↃCCCC · XXIII

DE ROSA AUREA

An vireta hominum ingenio et arte exculta oculis *aureas* exhibuerint aliquando *rosas*, id optime procul dubio *Anonymus* ille, idemque humanissimus conscriptor, qui tam diserte de « floralibus » egit, si rogaretur, pluribus expediret.

Sed ipse « floralibus » tandem finem imposuit, ut sapidissimos nobis fructus praeberet gustandos; quare eum, iniquum ducerem, ad idem revocari argumentum.

Quod ad me attinet, fatear hanc rosarum varietatem nuspiam mihi contemplari contigisse, nec ideo tamen *aureas* inter earum inexputabiles species locum habere, inficiari ausim. Sunto utique; at de ipsis, utcumque nitidissimo semel coruscarent pleno vere fulgore, id demum asserere cogeremur cum Ausonio:

Quam longa una dies, aetas tam longa rosarum.
Una dies aperit, conficit una dies.

Auream nihilominus novi ego *rosam*, quam potius ***ex auro*** dicam, cui nec suavissimus odor, nec elegantissima forma, quinimo nec optatissima deficit perennitas. Rosa huiuscemodi infrequens vernat et Vaticanis dumtaxat in viridariis, unde benignissimus Cultor eam transvehi identidem iubet, ut generosi sanguinis honestet primates de Ecclesia Catholica optime meritos.

Superiore vere, Victoria Eugenia, piissima Hispanorum Regina, quam Deus plures per annos sospitet, cunctis utraque manu plaudentibus populis, munere hoc pretiosissimo donata est ab Augusto Pontifice Pio XI suae erga eam aestimationis, quod esset pignus praeclarum.

Rosa Aurea haec non est una, sed rosariolum potius, multiplici termite sub uno caule, pluribus foliis, duodecim rosis, gemmisque septem decoratum ex metallica assurgens capedine mirifice caelata, duabus ansis draconum ad imitamentum munita atque sertis circumdata. Quae alias inter eminet rosas cavum in penito calice, mediisque oculit petalis, ibique clauditur vasculum balsami et muschi suavisimos servans odores.

Aureae Rosae origines umbris subobscuris obteguntur. In comperto tamen est (ut scriptum video) Leonem, huius nominis nonum, Monasterio a Sancta Cruce in Alsatia ex concesso ab Ordinario exemptionis beneficio vectigal singulis annis Ecclesiae Romanae constituisse solvendum; auream scilicet rosam octo diebus ante quadragesimam quotannis ad Pontificis manus afferendam, vel pro ea aurum duabus unciis pondo.

Sub iudice lis est an ipsemet laudatus idemque clarissimus Pontifex istiusmodi rosae benedictionis instituerit ritus, sed probabilius ad ipsa si attendas caeremoniarum verba, eos ante quinquaginta vel centum annos a Leone IX iam exstitisse autumabis.

Hi fuere olim, si historiae praestanda est fides, benedictionis fere ritus. Quum in Lateranensibus Papa resideret adhuc aedibus, frequenti ac nobili comitatu iis egrediebatur Ecclesiam petens a Sancta Cruce Hierosolymitanam, ubi post Missarum solemnia ad *Aureae Rosae* benedictionem veniebat. Eam subinde exhibebat Pontifex populo, breviter eum alloquens in laudem coloris et odoris rosae, aliarumque venustatum, quarum mysticos iis aperiebat sensus. Hisce peractis, ab Ecclesia prodibat opertum tiara caput et pontificalibus indutus vestibus, insidens equo, quem regere solitus erat Romae Praefectus. Tum Palatium Lateranense iterum contendebatur confertissimo populo, frequenti optimatum manu et toto Cardinalium collegio, dum Pontifex Maximus manu altera gestabat symbolicam Rosam, altera fidelium multitudinem summa gestientem laetitia benedictionibus liberaliter prosequebatur.

Ubi aedium limina pompa contigerat, si forte in comitatu adesset donatus sanguine regio, secus ipse Romae Praefectus, ut stapedam sustineret Pontificis equo desilientis accurrebat, qui demum tantae comitatis et officii gratia, dono *rosam* excipiebat *auream* illius solemnitatis atque celebritatis scopum.

Quo ritus hodie procedant modo non adeo scio, ut recte exsequi queam. Certum tamen est, die superioris Maii mensis ultima nobilissimae nostrati Reginae ma-

xima pompa Auream Rosam fuisse delatam.

O quam gaudent Iberi hac nostra tempestate, qua communi gentium Patri undique spinae tribulique manarunt, inclytam eorum Reginam Ei dulce fuisse solamen, uti hoc mirifice innotuit dono!

Vici, in Hispania,

E. Iové.

ANNALES

Lausanensis conventus.

Lente quidem, at non sine successu Lausanensis conventus ad pacem in Orientalibus plagis restituendam suum opus persequitur. Vidit itaque tandem pactum confirmatum de commerciis Turcarum imperium inter ceterasque maiores nationes, vidit insulae Castri-rubri possessionem Italis a Turcis recognitam, et certos fines positos Turcicam inter civitatem et Thracicam, et Syriacam et Mesopotamicam. Sanctio pariter perfecta est de maritimis praedis, a quibus vero caput illud abstractum est, de mutua captarum navium restitutione, quam Turcae et Graeci fidem dederunt inter se concorditer iri definitum.

Restat quaestio de publico Othomanorum debito, cuius attributio et solutio discordes adhuc animos tenet; numne haec incassum tantos labores redditura erit? Avertat Deus!

***

Bulgarorum seditio.

Priusquam ab Oriente abscedamus, Bulgarorum seditionem memorare debemus, quae facta est in Stambuliski, dominatoris illius, gubernium, eiusque asseclas, quos populus oppressae penitus libertatis incusabat. Noctu eius factionis principes ex improviso in captivitatem ducti sunt: Stambuliskius vero, mutata veste, tum effugere potuit; at in itinere pressus et recognitus, dum arma parat ad urbem regni caput obsidendam, occisus est. Tum quies restituta et Alexandro Zankow, doctori in Bulgarorum athenaeo, et cum eo viris aliis sapientia et moribus insignibus restituendae rei publicae munus commissum.

***

Nefandum in Hispania crimen.

Partium studium et in Hispania ad crimina usque passim exardet; nunquam vero eo pervenerat, ut Sacri Senatus principem heu! peteret. Id accidit die IV superioris mensis Iunii Caesaraugustae, quum illius civitatis archiepiscopus Ioannes S. R. E. Cardinalis Soldevilla y Romero, vir aetate atque meritis venerandus, proditorie a sacrilega manu manuballistae ictibus interemptus est.

Natus erat in oppido Fuente-la-Peña, Zamorensis dioecesis, d. XX mens. Octobris MDCCCXLIII; episcopus Tirasonensis electus d. XIV m. Februarii MDCCCLXXXIX, ad Caesaraugustanam sedem promotus d. XVI mens. Decembris MCMI, in Sacrum Purpuratorum Senatum cooptatus d. XV mens. Decembris MCMXIX.

***

Germaniam inter et Galliam discrimen - Paternum Summi Pontificis monitum.

Nova a Germanis ad componendum discrimen conventio Galliae eiusque sociis, exacto nuper mense Iunio, proposita est, in qua protestati quidem ii sunt velle se, iuxta promissa, damnorum refectiones solvere, id vero facere non posse praeter civitatis opes. Quas ad definiendas arbitrorum collegium ut eligatur petunt, dum se promptos paratosque declarant, in solvendae pecuniae tutelam, introitum ferriviarum cedere, tributaque, singulis hypothecis firmata, industriis, commerciis, agricolturae nummariisque mensis imposita; vectigalia denique fere omnis generis. Quum vero viderent manifesto Germani fore ut ne haec quidem cogitata perficerentur, passivum, prouti nuncupant, contra Gallos renixum suum auxerunt, quinimo hîc illic arma in illos adhibuere. Gravior inde vicissim Gallorum in occupatis locis rerum administratio, et Dortmund urbs in obsidionis statum adducta, ipsaeque capitis damnationes in nonnullos cives edictae.

Dum tristia haec fiunt, nec via sternitur ad concordiam inter illos populos restituenda, en iterum Pacifici Regis monitum alte insonat. Datis Purpurato Patri a Secretis Status litteris, Pius PP. XI, revocans ea consilia et adhortationes, quorum auctor fuerat in Ianuensi de pace conventu, quum animadverterit res malo auspicio in peius ruisse in dies, ita ut paternum animum gravibus sollicitudinibus anxium reddant, officium ministerii sui esse profitetur ut vocem rursus extollat, eamque sine ulla partium praelatione et pro omnibus benevolentiae plenam, utpote communis Patris vox.

Haec igitur vox, eos maxime, in quorum manibus populorum positae sunt sortes, vehementissime obsecrat, ut varias quaestiones, ipsamque damnorum refectionis, examinent christiano eo sensu adducti, per quem iustitiae rationes minime seiungantur a rationibus socialis charitatis, ita ut viribus debitoris se bona fide ac voluntate solvere profitentis et aequa pignora offerentis hinc ratio fiat, inde a creditore attendatur quae sua vere sit utilitas, dum nationes omnes, certationibus defessae, pacem unice anhelant. Pacificis propositis ab utraque parte admissis, finis tandem erit asperitatibus territorialis occupationis cuiusvis, ordinis tranquillitas tandem restituetur, sensimque instauratio illa oeconomica, quam universae gentes appetunt. Quae quidem ea bona cunctis nationibus, victoribus simul ac victis, futura erunt, ut ad ea consequenda haud nimium videri debeat quodlibet sacrificium, quod aggredi necesse sit.

Utinam huiusmodi monita, quae una a terra abstrahunt et a vitae miseris cupiditatibus, tandem aliquando in humani generis certum commodum exaudiantur!

Kalendis Iuliis MCMXXIII.

Poplicola.

VACUI TEMPORIS HORA

Legimus his diebus in diurnis commentariis Marconium nostrum nescio quas novas perfectiones telegrapho absque filis a se invento post diuturnos labores induxisse; ignorat profecto celeber ille vir sine tanto studio et quasi natura ducente, sine tot machinis et nullo fere pretio **telegraphum** alterum **apud Afros** iam antiquitus vigere, et ipsum filis expertem, per quem tamen longe lateque omnis generis nuncii diffunduntur.

Illarum scilicet terrarum incolae miram ad rem rationem adhibent, ... ex tympanis constitutam. Sunt haec quidem a nostris prorsus dissimilia: ex arborum truncis fabricantur, iisque confossis clausisque ad utrumque extremum; in longitudinem hiatum praebent, ad septem et octo centimetra usque latum, et fere semper integram prope ipsam tympani longitudinem occupantem. Huiusmodi hiatus ora accurate extenuantur, namque super iis virgulae pulsant. Horum tympanorum sonitus iuxta eorum magnitudinem portenditur, et ad sexdecim millia passuum usque pervenire possunt. Positis ad intervalla stationibus, facile coniectu est

nuncia ipsa soni velocitate libere amplissima spatia percurrere.

Est quidem codex vel notarum index: « Europaeo - scribit Arcturus Ellis, a quo has notitias desumpsimus - tympani rythmus nullum alium sensum indicat, quam iterati soni; sed indigenis illis tympanum loquitur: motus et pulsationes verba efformant; numeri variant iuxta signorum significationes ».

Tympana sunt itaque apud Afros et publicus cursus, et telegraphus et telephonus, et commentarii, et meteorologicae notae, iussa, etc.; quodque insigne est, omnia haec commoda gratuito incolis conceduntur.

O Afrorum sortem vere invidendam!...

***

Nec singularis minus eorum fortuna, quibus **sonorum colores** percipere datur. Affirmant enim Bleuler et Lehman, Germanici doctores, nonnullos homines, - duodecim ex centum, - huiusmodi privilegio praeditos esse; quodque mirabilius appareret, omnibus uno eodemque ritu perceptionem ipsam manifestari. Pro his igitur sonus literae *a* nigrum colorem exhibet, literae *e* flavum, literae *i* rubrum, literae *o* album, literae *u* colorem... arabicae potionis, quam vulgo *cafeam* appellamus. Praeterea quum tibiae inflantur, subito eorum mentem occupat purpureum lumen; quum cymbali rumorem ii audiunt, omnia albo colore ipsis circumfunduntur...

Scire velim an quum ex pugnorum rumore eorum oculi forte contundantur, et sidera, ut ceteri mortales, videant!..

***

Interim Bernerium nostrum ad trigarium sequamur: docet enim hodie nos **equitandi artem.**

Grandis in extenso, qua panditur area circo,
Fraeno equites regere hîc arte docentur [equos.
Vir solet illustris documenta his tradere, [nempe
Nobilis exercet nobile munus eques.
Hic stat humi, oblongam fert eius dextera [virgam,
Tunc ex discipulis hunc equitare iubet:
Nutibus iste monet famulum qui accurrit, [habenas
Protrahit, et saxo deinde propinquat equum.
Sic facilem domino parat ascensum, isteque [lenta
Blanditur collo terque quaterque, manu.
Irrequietus adhuc tumida cervice movetur,
Et nunquam sistit motu agitatus equus.
Ut placidum reddat tunc is, qui ascendere [debet,
Quasdam blandisonas murmurat ore notas.
Virgam impugnat dextra, haec in cervicem [galerum
Calcat, ne assiduis motibus ille cadat.
Nam casus poena est huius iactura, docentis
Scilicet, haec primus dona minister habet.
Hoc laeva ascendens, ipsaque impugnat ha- [benas,
Artus vibrat, equum claudit utroque pede.
Hic caudam extendit, caput elevat, erigit aures,
Contrahit et crispat colla, oculisque rubet.
Dente quatit fraenum, fumant ac undique [nares;
Et spumae globulos turgidus ore vomit.
Rectus adolescens componit membra magistri
Iussibus admonitus, qui ferus ore tonat:
- « Heus tu, tolle manum, sit cervix recta, [quid hoc est?
Ne caput inflectas, dirige utrumque pedem.
Brachia suspendas, virgam erige, contrahe [habenas,
Sic curvare humeros desine, rectus eas! »
Longe ductus equi ex fraeno ad dextram usque [docentis
Est funis, circum quo moveatur equus.
Hic ergo sua membra rotat, nam fune tra- [henti
Volvitur. En motum est sistere iussus eques;
Tunc utraque manu vi facta lora trahuntur.
At res mira quidem est: illico sistit equus.
Dein recta liber concesso tramite pergit,
Fitque celer motus, fitque fugae similis.
Contrahit et crura extendit, quae curvat in [arcum;
Sic quidam datur in motibus hisce lepor.
Sibilat inde frequens auras dum virga fla- [gellat;
Sibilus ad vultus iste lacessit equum.
Elevat ergo pedes geminos, qui motibus ae- [quis
Ante ora ascendunt, praecipitesque ruunt.
Retro alios inde effert, alternatque vicissim
Vibratos saltus: magnus at iste labor.
Denique sistit; equo famulus tunc porrigit [herbam:
Sic reficit vires, sic datur ergo quies.
Interea toto manat de corpore sudor,
Et spumae hic similis foedat ubique cutim.
Tunc descendit eques, cessant utriusque la- [bores,
Spectanti a populo plausus utrique datur.
Uni succedit tunc ex tyronibus alter
Primi equitis motus replicat, atque modos.
Proh mirum! docilis fit bellua legibus artis
Saepius, at nulla lege movetur homo.
Humanae heu nimium naturae dedecus! Ipsi
Desipiunt homines, bellua quando sapit.

***

Iocosa

In Tuccii natali pago nundinae celebrantur, in iisque certamen indictum et praemia sunt constituta suum optimis nutritoribus. Tuccius eiusque pater quum campum discurrunt, in cavea vident suem magnitudine vere insignem, atque, prope, stipitem cum tabula, ubi legitur: « Sus duorum annorum - I praemium ».

Tum Pater Tuccio:

— Aspice atque disce, o filiorum incomptissime! En sus vix duos annos natus, qui iam primum praemium tulit; tu qui decem iam numeras annos, ne mentionem quidem laudis unquam es consequutus!

— Heus Tucci, verum ne est quod dictitant, te ex schola calcibus eiectum fuisse?

Tuccius gravis et severus:

— Scias me nunquam attendere iis, quae post mea terga fiunt!

***

Aenigmata

I.

(Vulgo *Rebus*).

I I

II.

Falcipotens fertur *totum* regnasse; cadente
Sincipite, Aeneae procubuisse manu.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I (vulgo *Rebus*): *Per aspera ad astra.* II) *Nympha, Lympha.*

IOSFOR.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

MARCO GALDI, *L'Epitome nella letteratura latina.* - Neapoli edid. P. Federico et G. Ardia, 1922. - (Volumen constans paginis 415, ven. lib. 30).

Tentatives. Cahiers trimestriels d'art et et de littérature. Fasc. 1. - Grenoble, Rue Denfert-Rochereau, 1. (Ven. fr. 5).

MONITA

Quod iam aliquot annis fecimus, fasciculi mensis Augusti et Septembris in unum colligentur, qui Kalendis Septembribus prodibit.

Socios, qui nondum pretium subnotationis solverunt, iterum iterumque rogamus, ne remorentur rationes suas cum Administratore nostro exaequare.

A. R.

AD FONTEM BELLAQUEI 5]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA IV.

NAPOLEO, PIUS *et* DICTI.

PIUS. Boni quid nunciat?
CALL. Novum infortunium?
IS. Erit fortasse durior captivitas?
PIUS. Meum cor paratum cunctis est periculis.
(*Napoleo, magno furore actus, in scenam progreditur, tenens prae manibus nonnulla decreta, quae identidem per aërem agitando ad ostensionem immoderanter protendit, deinde nulla habita dignitatis ratione ad Pontificem conversus, alloquitur*):
NAP. Senex, tun'es novum qui edictum publicas,
Pactis simul nuper latis contrarium?
Siccine totam fregisti legem compositam,
Labore sic improbo, longo post tempore?
Adhuc qui mente tam delira in posterum
Ecclesiam regas?... Senex, quid autumas?
Iamdudum dixeram te indignum munere,
Iamdudum Patrum dixeram suffragiis,
Esse de Petri deponendum cathedra,
Tuis quam maculis inhonoras iamdiu.
Id, id, prorsus agendum festino pede,
Cito quod impleam haeres Magni ego Caroli!
PIUS. Tuus sum?... Robur dedit tibi Deus,
Ut in sacrarium penetres, destruas,
Pati permittit citra meum meritum,
Aequari sanctis candidis Martyribus.
Senem vocas me, indignum sacro munere...
Tunde, imperator, plecte hunc senem verbera...
Scito, sciant omnes, Chiaramontium
Plectis et verberas, summus nam Pontifex
Erit tuis, Caesar, liber de manibus!
NAP. Et haec fecisti?
PIUS. Misellum spernis modo
Senem, laboribus fractum, molestiis...
Tu vero, Caesar, plecteris Superis!
Ita nam semper...
NAP. Verbis me minacibus
Audes lacessere? Est nimis! Nec amplius
Te patiar, senex! Accipe augurium!
Volebam Romae denuo Te cedere,
Ut illic... Quia audax improbe me stimulas,
Manebis hîc, sed antea plus duriter,
Nimis ne te leves aurae sollicitent.
In te, senex, sit regis indignatio,
Quem potuisses dulcis allicere.
Omnes subegi populos phalangibus,
Et omnes muti referunt imperium,
Et unus restitit, nec vinci passus est,
Et vicit me qui nominor Napoleo?
Quid faciundum? Conferam me paululum
Intus, concutiam quid sit in posterum.[1]
PIUS. Dixit manere plurima me proxima?
Potest quid peius quam quod evenerit?
Dei sed fretus valido praesidio,
Feram ruinam orbis et impavidus.[2]

(Ad proximum numerum).

[1] *Exit.*
[2] *Exit.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXIII Fasc. VIII–IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE ALEXANDRO PETÖFI
HUNGARICAE LIBERTATIS POËTA

Alexander Petöfi, celebritate nominis iam per totum orbem terrarum notissimus, in oppido Kiskörös a. MDCCCXXIII Kalendis Ianuariis humili loco natus est, ubi pater eius, qui Petrovics vocabatur, tabernam macellariam habebat. Poëtae pater, qui ex comitatu Nitriensi (hungarice: *Nyitra*) originem duxerat et genere Slavus esse videtur, anno ortus filioli sui Alexandri tam superbe Hungarum se confessus est, ut mirum non sit si, a. MDCCCXLIX, quum Hungari pro libertate tuenda contra Austriacos certamen suscepissent, et ipse annum sexagesimum ageret essetque «qui antea a mensa in lectum vix pedibus ferretur», et tum militiae nomen dederit et vexillari munere in exercitu Hungarico sit functus. Quam rem poëta pulcherrimo celebrat carmine, quod « Vexillarius senex » (*A vén zárzlótartó*) inscribitur.

Alexandri aetas puerilis in variis Hungariae oppidis ad humanitatem informabatur. Poëtis Latinis ita deditus erat, ut Flacci carmina semper in funda vestis portaret, et odam, quae verbis « Aequam memento » incipit, toties legerit, ut libellus etiam hodie eo loco sponte evolvatur; qui libellus minutae editionis in Museo Nationis Hungaricae Budapestinensi custoditur.

Pestini quum gymnasium Scholarum Piarum frequentaret, ars scenica ei magnopere cordi erat, quod studium eius in oppido Arzód apud catervam histrionum peregrinantium, ibique, ut aliquot fabulas agerent, commorantium, sic accendebatur, ut cum iis fugere voluerit; cuius rei, quum magister eius, Koren nomine, patrem Alexandri certiorem fecisset, is filium gravibus castigationibus affecit. Neque tamen poena impediebatur, quominus histrio evaderet Schemnicii quum sextam gymnasii classem frequentaret, tam negligentem se praestitit, ut exeunte primo semestri in historia Hungarica improbatus fuerit a magistro quodam, Daniele Lichard, panslavismi qui dicitur iam tum propugnatore, qui aegerrime tulit, quod Petöfi iuvenibus Hungaricae originis socium vehementius se adiunxisset. Quamobrem pater summo moerore afflictus, qui propter inundationem anno MDCCCXXXVII factam et perfidiam cuiusdam propinqui in egestate degere coepit, quod spe, quam in filio collocarat. deiectus erat, filio adiumento esse desiit.

Quae quum ita essent, Alexander statuit apud animum suum se arti scenicae et

poësi operam navaturum. Quod consilium, incredibilium rerum adversarum causa, effecit, ut sex annos in summa paupertate versaretur; et quidem ineunte adolescentia, aetate vitae pulcherrima, quae solis gaudiis creata videtur, nempe ab anno aetatis suae sextodecimo usque ad vigesimum secundum. Quod tamen bene factum est; qui enim infelix non fuerit, vitam beatam aestimare non poterit.

Relicto Schemnicio, pedibus Pestinum se contulit, ibique brevi commoratus cum quodam propinquo suo, in urbem Sopron (*Scarabantia*) ivit ut scholas ibi frequentare pergeret. Sed ubi primum illuc venit, militiae nomen dedit et duos annos miseriarum plenos stipendia fecit, donec, quum asperitates vitae militaris ferre non posset, medico auxiliante. ab officio militari liberatus est et in patriam domum revertit.

Post reditum in patriam aliquamdiu vagabatur; nullo enim loco quiescere poterat. Quum ad septimam gymnasii classem se adscripsisset, cum Mauro Sokai, postea clarissimo fabularum Romanensium scriptore, iniit consuetudinem et cum eo Societati scholasticae adulescentium sese conformantium studiose interfuit. Primum carmen, quod inscribitur: *A borozó* (Vinum bibens) in ephemeride « Athenaeum » Michaëlis Vörösmarty, poëtae nobilissimi, editum est. Hac aetate parentes iam in summa inopia erant in pago Dunavecse, quos quum inviseret, verisimile est ipsum carmen panxisse, quod inscribitur *Hazámban* (In mea patria), quo animos Michaëlis Vörösmarty aliorumque virorum doctissimorum ita in se convertit, ut poëtam, qui nunc primum nomine Petöfi uti coepit, summa laude extollerent. Anno MDCCCXLIII scripsit amico cuidam Ludovico Szeberényi: «Die nati Salvatoris Pestini eram et praesens collocutus sum cum Bajza et Vörösmarty. Michaëli Vörösmarty carmina mea conspicua fuere, et per Bajzam certior factus sum eum nomine Petöfi quemdam scriptorum veterum occultari putasse ».

Interea egestate cogente iterum histrio est factus, et mense Novembri Albam Regiam (*Székesfehórvár*) se contulit, ubi in catervam histrionum est susceptus. Sed brevi huic catenae iterum valedixit et Pestini aliquot hebdomades mansit, ubi victum a carminibus et operibus in Hungaricam linguam versis quaesivit.

Exeunte anno MDCCCXLIII, Petöfi sordidus, morbo affectus, Debreczinum venit, ut ibi maneret. In extrema urbe apud quamdam viduam, pauperem et ipsam, habitabat, et in parvulo conclavi fornace pro mensa utebatur. In muro pendebant imagines Michaelis Vörösmarty et Frederici Schiller poëtarum. Hîc lectitabat libros et carmina scribebat. Amicus eius, Albertus Pákli, postea et ipse clarissimus scriptor solutae orationis, gravi negotio eum impulit ut arti scenicae tandem aliquando valediceret. Petöfi, postquam ad sanitatem redire coepit, poëmata in volumen colligenda descripsit, et statuit Pestinum ire. Ineunte mense Februario anni MDCCCXLIV, fuste enormi innixus et cum minima pecunia in viam se dedit.

« In hoc carminum volumine – scribit – omnes spes meae sitae fuerunt. Cum animo cogitabam: si ea vendere potuero, bene erit; si non, etiam bene erit.: quia hoc modo fame peribo aut frigoris vi exanimabor, et omnes calamitates meae conficientur. Solus per regionem quae Hegyalja dicitur, ibam; neminem, ne vivum quidem animal conveni. Omnes homines tecta petebant, quoniam tempestas maxime horrida erat. Vento stridenti nives et pluvia in vultum meum sparsa sunt. Ventus adversissimus fuit. In vultu meo lacrimae gelu constiterunt propter frigus et miseriam obortae ». [1]

[1] *Epistolae ex itinere.*

Pestini statim ad Michaëlem Vörösmarty salutandi causa venit, qui, summa ingenii facultate eius optime cognita, poëtae editorem quaesivit.

Quum arti scenicae tum prorsus valedisset, noster se totum poësi dedit in eaque ita repente claruit, ut quum a. MDCCCXLV partem Hungariae septentrionalem peragraret, ubique adventus eius magnis honoribus celebraretur. Viginti quinque annos natus poëta iuventutis Hungaricae est vulgo renunciatus. In familiaritatem Ioannis Arany, summi poëtae epici, quum venisset, Petöfi summa voluptate epistulam poëticam ei dicavit, quae salutem nuntiabat poëtae collegae, dignissimo cui corona poëtarum imponeretur, et populo gratam esse veram poësim affirmat.

Anno MDCCCXLVII Iuliam Scendrey in matrimonium Petofius duxit; tum, quum ab Alexandro Teloky comite in pagum Holeó cum ea vocatus esset, ibique autumnum appropinquantem sentiret et montium longe disiunctorum vertices nivibus maturis albescentes conspiceret, iuveni uxori carmen dicavit praesensionum plenissimum, quod inscribitur « Exeunte Septembri » (*Szeptembet végén*) in quo poëta uxorem vestem lugubrem brevi post mortem suam depositurum esse exponit, quod haud ita multo post, ut vates praedixerat, evenit.

Exeunte eodem anno in somnis iam vidit dies cruentos. In poëmate, quod inscribitur: «Cruentos dies in somnis video» (*Véres napokzal álmodem*) hoc modo scribit: « Si mortuus fuero in catasta vel in acie, non deerit, quae cruorem meum de cadavere lacrimis suis abluat ».

Pridie Idus Martias insequentis anni MDCCCXLVIII fama rerum Vindobonensium Budapestini manabat, quibus Petöfi, ut « Patrium carmen » (*Nemzetit dal*) pronuntiaret, est adductus, cuius ultima verba auditores frequentissimi studio ardentissimo repetebant: « Per Deum Hungarorum iuramus, iuramus nos servos diutius non esse futuros! ».

Conversione rei publicae facta, Petöfi uxori valedixit et miles ad defendendam patriam conscriptus, in Transilvaniam properavit, ubi Bem, clarissimus ille dux, genere Polonus, iussu Ludovici Kossuth summi imperatoris munere fungebatur. Iam inde a primo puncto temporis se invicem adamaverunt. Petöfi sic eius mores describit: « Hic Polonus aetatis provectae est mihi alter veluti pater. Pugnarum deus esse mihi videtur; inter fragores tormentorum est natus, sanguine Russorum baptizatus: ludus eius certamen ad libertatem tuendam erat ».

Petöfi in agminibus ducis illius interfuit pugnae apud Segesvár. Milites Hungarorum maxima cum fortitudine in Russos impetum fecere; sed post meridiem Russi, qui Hungaros numero longe superabant, exercitum Hungaricum circumvenerunt. Haec facta sunt die XXXI Iulii anno MDCCCXLIX, in iisque Petöfius cecidit, vitam, ut ipse desiderabat, pro patria profundens.

Non defuerunt, qui dicerent eum incertamine non cecidisse, sed captivum in Siberiam ductum esse ibique metalla exercuisse. Sed hic rumor falsus est recognitus. Petöfi ungulis equorum conculcatus morte immatura decessit, ut apud gentem Hungaricam et eos omnes qui pulchra arte delectari possunt, in aeternum viveret, amoris in parentes, in uxorem, in filium, in amicos et praesertim in patriam et libertatem cum gentis suae, tum omnium totius orbis terrarum gentium poëta.

Kerzthely in oppido, Kal. Iuliis MCMXXIII.

VINCENTIUS LAKATOS, dr.

Suum cuique incommodum ferendum est, potiusquam de alienis commodis detrahendum.

CIC., *De off.*, III.

Recens de schola conventus

Licet brevissimo tempore, haec nostra Augusta Taurinorum civitas, fuit mox iterum Italis visa urbium caput et domina, atque ut olim rerum facta pulcherrima, inter sorores urbes enitescere magistra credidit. Quot enim homines praeclari, quot rerum magnitudinem retractarunt!

Si mihi propterea quid temporis esset, et tibi potius, candide lect r, facilis patientia audiendi, quam pulcra scitu, quam laudibus dignissima promere possem! Sed ne diu te morer, neque otiosis verbis te obteram, citius ad rem venio.

Ad tria potissimum argumenta in praesentiarum oculis respicio, sed ne longius rapiar, ob rerum amplitudinem, singula pro tempore describam.

Est prope urbem, amoenissimo in loco, cui nomen est inditum *Valsalice*, magnum nunc puerorum Collegium, quorum alii, sub Salesianorum ductu praescriptoque, litteris latinis graecisque student, alii operam egregiam navant, ut aliquando publici magistri prioris ordinis iure habeantur. Ibi « placida compostus pace quiescit », praeclarus ille sacerdos, multaque devotione circumdatus, Ioannes Bosco, qui, memoria nostra, insigne virtutum exemplar, genti suae nomen dedit, atque insigne illud paternum in puerili institutione, simplici vero carmine conditum, quod passim vulgo diffunditur sub titulo: *Il sistema preventivo!*

Quo fusius clariusque hoc idem simplex magistri placitum enucleretur, atque in vulgus late effusum suum in universos beneficium emanaret, magnus fuit clarissimorum doctorum conventus indictus, ubi complures perspicuitate eloquii gravibusque sententiis rem sibi propositam perscrutati sunt et amplissimis laudibus hominem extulerunt, eiusque doctrinam in exemplum Italis praescribere haud dubitarunt.

Erant enim iuvenes nuper laurea donati, erant et veteres doctores diversis in scholis praeceptores, qui longo iam magisterio durati, et alii qui in magno Taurinensium archigymnasio litteras tradunt et primas in scientia referre consueverunt, et saepe diversis doctrinis imbuti, rerum veritate attracti, qui virum sanctissimum, e populari iactatione remotum, totum in virtutibus adfixum laudibus adferunt, eum magistrum summum et praeclarum reipublicae decus ornamentumque appellant.

Quae quum audirem, iterum atque iterum illa Ennii admiratus ore tacitus dicebam:

Homo qui erranti comiter monstrat viam:
Quasi lumen de suo lumine accendat, facit;
Nihilominus ipsi lucet, cum ipse accenderit.

At in primis, hic clarus Doctorum conventus totus christianus fuit, et eo modo contendit, ut christianam sapientiam hominis laudandi protenderent atque hoc potissimum nomine inter electissimos saeculi nostri doctores esse adscribendum. Quem quidem honorem homines ei libenter atque uno ore conferunt, qui inter vivendum verbis et scriptis illuc omnino spectavit, ut pueri caste litteris imbuerentur, et ad virtutem simul coalescerent; et nihil carius habuit, quam ut magistrorum opera, sancta patrum religio servaretur, et italica soboles iis artibus formaretur, quae ad humanitatem pertinent.

Omnium vero exspectationem superavit, universorumque plausus sibi comparavit vir ille insignis, qui his diebus in maximo Taurinensium studio *Paedagogiam* honorifice tradit. Hactenus adversarius noster, longe aliam scientiam secutus, christiana sapientia omnino relicta, illa prorsus philosophorum placita magis conferebat, quae potiusquam mortalium mentes ad caelum erigant, humi deficere consueverunt.

Hic enim, admirantibus omnibus, proposuit sibi argumentum, Ioannem Bosco sanctissimorum virorum vestigia sequi voluisse, qui antea totam in religione niti studiorum rationem contenderunt; eosque omnes, sententia sua, aequasse, quin imo esse supergressum, singulari sua quadam institutione ac praesertim animi mansuetudine, qua ad populum accessit, eumque sibi admirabili vinculo devinxisse.

Magnus in primis fuit, - ait, - Ignatius Loiola, maior paulo post, ut ita dicam, I. B. Lasalle, et maximus, sic mihi in hoc maximo doctorum conventu eloqui liceat, se se Ioannes Bosco portendit. Idque in mysticis olim certaminibus a Graecis factitatum accepimus, ut alii aliis facem per manus traderent, ut Palladem omnium artium inventricem et quasi parentem venerarentur; ii arcano quodam sensu progressum disciplinarum videntur adumbrasse, quo aetas aetatem inventis suis, quasi totidem facibus, sic auget, ut ad supremum illum doctrinae gradum perveniamus, ad quem hominum mens possit assurgere. Ignatius princeps in Italis facem divinitus portendit, quam laetus arripuit I. B. Lasalle, et novissimus Ioannes Bosco, qui omnis mortalium doctrinae veterum experientiam colligens, planiorem viam recentioribus munivit.

Novum ordinem invexit, qui christiani nominis decus auxit, Subalpinorum nomen novo splendore renovavit. - Haec aliaque, oratorio aestu prolata, miro adstantium plausu accipiuntur.

Iuvat meminisse, omnes virum laudare olim ab omni hominum plausu prorsus alienum, qui patrum memoria invicta animi lenitate ac mansuetudine admodum fulsit. In magna temporum difficultate, insigne patientiae monumentum fuit, et suis omnibusque fortitudinis exemplum ac victoriae enituit.

Ac propterea dum alii doctrinam, alii pietatem, cuncti plurimam eloquentiam admirantur, egregium exantlati laboris praemium gratulantur. Memorabile sane dictu est, qua animorum concordia atque admiratione, omnes eo convenerant ut sapientiam sacerdotis unice celebrarent, qui nuper officii dignitate intaminatus refulsit, et praeter omnium opinionem, una verborum dulcedine morumque suavitate, audaciores iuvenum spiritus compescuit, et, quemadmodum Vergilius de Aeolo fabulatur:

Luctantes ventos, tempestasque sonoras
Imperio premit,

ipse praesentia sua audientium mentes aliquando tenuerit, pectus pervaserit, voluntates quo vellet impulerit.

Haec laetantes Salesiani accipiant, eaque meminisse iuvabit. Ornanda est, - ait Cicero, - dignitas domo, non ex domo tota dignitas quaerenda est.[1] Nec unquam posteri possint de Salesianorum familia dicere: Eheu! domus antiqua quam dispari domino habitaris! Summa enim ope eis est adlaborandum, ut quae eximia ad informandam iuventutem sapienter placita acceperunt, ipsi in patriae, imo in totius orbis spem succrescentes, tuto ac sine ulla offensione animum sanctissimis disciplinis exerceant.

I. B. F.

[1] *De off.*, I, 39.

PUBLICI CURSUS VICISSITUDINES

Si quis publicis cursus origines repetere malit, ad Cyri, Persarum regis, tempora sese referat oportet. Is enim publicis cursoribus, qui *angari* appellabantur, certas regulas per leges constituit. Ab eorum nomine vehiculorum equorumque locatio *angaria* dicta est; quae vox, ex locatorum

abusu, vexationum omnium sensum deinde usurpavit.

Cursus publici nomen, a Romanis inductum est, quumque cursorum stationes *positae* dicerentur, non est dubium quin inde italicum verbum *poste*, parum apud recentiores omnes linguas immutatum, manaverit.

Arabes publicum cursum *berid* nuncuparunt, a turribus, quas in stationibus exstruxerunt; *band* autem dictum est ius itineris libere faciendi et ad alios populos transmigrandi per testimoniales illas litteras sanctum, quas vulgo Itali nos *passaporto* appellamus; quam vocem et ad Honorii III Pontificis usque dies invenimus.

Barbari, quorum incursiones tot tantaque destruxerunt, huius publici officii exercitium servarunt. Scimus Theodoricum regem eius curam Cassiodoro commisisse; tum cursores *scaranti* appellabantur. At Longobardi illud intra regalium nunciorum fines redegerunt; atque ita mansit, donec Carolingi, Romanas institutiones plerumque renovantes, iuxta Romanorum mores publicos cursus restituere; quinimo Carolus cognomine Magnus *missos dominicos* creavit, qui vias inspicerent, et omnia curarent, quae tutum inter magni sui imperii provincias epistolarum commercium efficerent; praeterea et vectigalia constituit, quae prisco more *angariae* nuncupata sunt, iussitque a civibus omnibus cursores adiuvari.

Sed rege illo vita functo, prope dicendum est publicum cursum cum eo periisse: tum monachi fuere et peregrini, qui munus accipiendi et tradendi epistolas sibi assumpserunt; praeterea magna studiorum athenaea, quae proprios cursus habuere, a Friderico, cui a rubra barba cognomen est vulgo inditum, publice recognitos. Friderico II Suebico imperante, pariter Neapolitanae studiorum universitati tamquam proprium *magnorum nunciorum* officium attributum est: nullus vero civilis ordo his cursibus est datus.

Ut publicum cursum iterum in statalem – sit venia verbo – formam restitutum reperiamus, ad Ludovici XI regnum deveniendum est, qui et stationes ad permutandos equos et litteras distribuendas posuit – (*relais* Gallice appellatae sunt) – et magistros cursores (*maitres coureurs*) creavit, quibus alias leges Carolus rex, ordine octavus, tradidit per regium decretum, in quo primum *postes* vocabulum adhibitum est.

Quae autem publicorum cursorum itinera?

Persae Indicam Ophir via usi sunt et Syriae-Aegypti, quaeque a sinu, ubi deinde Alexandricula urbs exstructa est, ad Said usque et Aegeum mare tendebat. Bello autem in Scythas confecto, et vias per Caucasum aperuere.

Romanorum viae satis notae sunt, quam ut repetamus; ignota ex adverso medii, quod dicimus, aevi, itinera nobis manent; indicia vero a nonnullarum civitatum fortuna sumere nobis licet. A Tergeste via per Austriam, Hungariam, Bohemiam et Poloniam proculdubio proficiscebatur, dum Venetiae colligebant distribuebantque per Brennerum montem quae ab Oriente importarentur. Genua per *Tenda* collem in superiorem Italiam deveniebat, et aequo itinere per Massiliam, Rhodanum flumen et Saonam, ad Flandras usque et Helvetiam.

Serius Venetiarum civitas suum quasi fecit cursum Romam inter atque Vindobonam, qui frequens maxime erat, officiorum causa, quae Sanctam Sedem inter et Imperium intercedebant; quod ius ad Europae omnes regiones sensim amplificavit, usa navibus, propriis cursoribus, propriisque ubique positis stationibus; regularibusque undique profectionibus.

Horum cursorum moderator primus fuisse traditur Omodeus Tassus, Bergomensis, ex cuius gente ortum duxit Torquatus ille poëta clarissimus, qui Hierosolymam a Turcis liberatam cecinit; ob eamque rem propinquis eius a Venetiarum reipublicae gubernio privilegium concessum praefectorum cursus Pragae, Antuerpiae, Romae aliisque in locis et in ipsa Hispania. Primus denique cursus in Italia publicas per leges institutus, ut apud Gallos sub undecimo Ludovico, debetur Mediolanensibus ducibus Vicecomitibus, quem Sfortiae deinde perfecerunt.

Severissimum erat cursorum munus, quorum alter alteri singulis decem millibus passuum succedebat. Memoriae traditum est, Francisci Sfortiae tempore, litterarum cuique involucro crucem inscribi, ut cursoris menti infigeretur mortem sibi parari, nisi epistolas traderet, vel moram nimiam tradendo interponeret. Quin imo nunciis in Germaniam missis ipse dux scriptis imprimi iussit haec verba: «Euge, euge, diu noctuque evola, si caput servare volueris».

In Hispania a Carolo V tantum publici cursores instituti sunt, qui vero non ante annum MDLXXI munere suo rite fungi coeperunt.

X

VATICANAE MILITARES COPIAE

Si quis, Romanorum Pontificum historiam per saecula repetens, eorum recolat gesta, praesertim quae forte arma suorum militum operata fuerint, ea ferme perspiciet nunquam esse peracta libidine regni vel cupiditate gloriae militaris adipiscendae; sed tantum vel ad tutanda Sanctae Fidei iura, contra invadentes, praesertim Turcas, vel ad sacri principatus fines custodiendos. Hac mente quoque hisque consiliis extrema sunt a Pontificum Romanorum militibus bella deducta annis praesertim MDCCCLX, MDCCCLXVII, atque demum anno MDCCCLXX, quo Urbs ab eorum dominio submota est.

Mox, qui ex supremis Pontificis exercitibus reliqui sunt manipuli, Vaticanam arcem unice custodiendam aut lustrandam habent. Pactione enim ipsa, qua Italicis copiis Urbs est tradita, constitutum fuit ut quae militiae Vaticana in arce commorentur, a reddendorum armorum lege immunes censerentur, quippe quae praesertim ad tuendum Pontificem, vel ad eius palatium custodiendum proprius essent instructae.

Advigilaverant tunc temporis in Vaticano palatio et custodum corporis seu equitum nobilium ala, et Helvetiorum peditum centuria, et tormentariorum militum alia centuria tormentis suis bellicis instructa, quae hortos Vaticanos, obsidionis die defenderat, et civicum triariorum peditum agmen, ex honestioris ordinis civibus constans, et honoraria palatina cohors peditum ex civibus delecta, qui mercatoriam plerumque artem aut opificia quaecumque exercerent; postremo equitum vigilum selecta turma, quae iamdiu antiquitus sua habere castra in palatio consuevit.

Atqui huiusmodi militiae omnes, si tormentarios dempseris atque triarios civicos pedites, qui vel paulo post captam urbem a militia recesserunt, vel una cum sociis ex legione sua tormentaria, qui in captivitatem abducti fuerant, honesta missione aucti sunt, hodierna adhuc die Vaticanam arcem tuentur.

Custodes corporis honore et munere primi sunt equites, omnes nobili genere nati, ex finibus tamen antiquae ditionis romanae sedis oriundi. Turma est, quae centuriam numero haud adaequat; rubro sago, galeaque crinibus equinis insigni induuntur, ensem et parvam ballistam mucrone instructam, manuballistam denique arma habent. Centurio ipsis prae-

est, ex nobilissimis Romanis patriciis gentibus delectus, atque subcenturiones duo; decuriones habent octo totidemque optiones, qui iuxta vicem manipulo praeficiuntur, quotidianae Corporis custodiae addicti; ipsis enim sive equitantibus, sive non, Pontificis persona, per varia palatii loca, aulas, hortos, custodienda traditur.

His honore secundi, aut antiquitate potiores sunt Helvetici pedites, quorum arma a Iulio II Pontifice Maximo primum sunt stipendiis Romanae Sedis addicta. Et profecto pedites illi vestibus utuntur forma et colore antiquissimis, non aliter quem in Anglia cuspidarii illi ex regia aula veterani milites, qui sericis rubrisque omnino tunicis vetustioribus temporibus vestiuntur. Helvetis hisce Michael Bonarrotius vestes dedit pluribus taeniis vario colore distinctas.

Cui profecto veteri instituto constantes, galeam gestant ferream, ferreamque loricam et brachialia induunt, cuspide et ense instructi: eos vero, quum a die occupatae Urbis oporteat ad ostia quoque Vaticanae aedis ducere vigilias, tunc ballistis atque mucrone iis addito instructi, officium hoc adimplent.

Cohors honoraria palatina ex Romanis civibus constat, qui, honoris causa atque pietatis, circa Pontificis cubiculum et eius per aulas agere excubias, fideique romanae nunquam in Pontificem tepescentis dare testimonium gaudent. Hos Pius Papa IX ex civicis militiis antiquioribus collegit et novo nomine et munere donavit.

Cohors, cui tribunus praeest, quatuor centuriis constat, ballistis atque mucronibus munita; atque praeter quotidianos eorum manipulos qui per aulas nobiles Pontificis advigilant, universa cohors solemnioribus diebus coalescit, tum honoris, tum tutelae causa, ut sua agmina per aulas palatii, vel per Vaticanum templum deducat.

Postremi veniunt vigiles equites illi ex vigilum universa legione, quae sex iam a lustris arma posuit. Instruuntur equites ense et manuballista, parvisque ballistis mucrone auctis. Centurio ipsis praeest cum subcenturionibus duobus. Ad fores, ad atria, ad peristylia, ad aedes nobilium praelatorum in arce, die noctuque excubias agunt.

Hisce addere si placuerit equites duos ex legione equitum Pontificalium reliquos, qui apud Patres Purpuratos ad externa negotia gerenda delecti veluti cursores et nuncii habentur, atque vigilum manipulos, qui ad incendia sedanda in Vaticano manent, Vaticanae copiae universae haec erunt. Exigua profecto manus, cuius tamen nunquam in Pastorem et Pontificem suum imminuta pietas, nunquam fides fracta est.

I. A. C.

EX ITALIS URBIBUS

LUDICRAE PUGNAE AD PADUM[1]

In praesentiarum, post tot saecula, hic magna Procerum veterum multitudine circumdatus, urbem Taurinensium ingreditur et

ubi Italus amnis
Inter opima virum leni fluit aequore Padus

magnificentius excipitur, magnoque adstantium clamore comitatur. Omnia enim ad exitum feliciter concurrunt.

Habitus, vestis, armaque cuncta rationem illorum temporum admodum referunt.

***

Actum erat, scribit Thomas Vallaurius, de principibus Allobrogicis, nisi Deus virum excitasset fortissimum, maximique consilii, qui rem Subalpinam, profligatam ac pene perditam, praeter omnium opinionem virtute sua restituit. Emmanuel Philibertus is est, qui octodecim annos natus, quum paternam ditionem a Gallis tenere videret, ad stipendia se contulit Caroli V hispanici, sperans fore, ut aliquando patriam ab hostibus vindicaret. Neque sua illum spes fefellit. Anno MDLVII Galliae fines ingredi non dubitavit, castrisque positis ad Augustam Veromanduorum, IV Idus Sextiles maximo praelio fortissimas Gallorum copias penitus profligavit, ipsumque hostium ducem in potestatem suam redegit. Emmanuel Philibertus virtutis praemium tulit avitum regnum, et nuptias Margaritae, sororis Regis Christianissimi, quae ingenio, doctrina et gallica festivitate, aulam subalpinam hilaravit.

Quapropter subalpinae gentis vindex et stator merito est appellatus, et glorioso mox ad suos reditu cives Taurinenses maxime delectavit. Quid dicam? Agnoscunt *veteris vestigia flammae!* Subalpini, qui alacres hodieque gratum animum exhibent, atque immobilem fidem, si casus incidat, probaturi, gratulantur Ei, qui vulnera superioribus temporibus reipublicae imposita, sanavit, et regnum florentissimum reliquit.

***

Brevi post intervallo, ductu Victorii Amadei II

Iuvenum manus emicat ardens

in Augustam Taurinorum a Gallis obsessam.

Haec vero plurimis vexata malis, ad incitas iam iam aerumnis reducta, in manus hostium cecidisset, nisi egregia virtus exstitisset Petri Miccae, militis cuniculari, qui certae neci devotus periculo se cuique obiecit, dummodo urbem servaret. Adsunt et nonnulli cuniculari, qui ea tempestate, occultis viis, urbem tueri, hostemque molestare consueverant. Hi veluti ovantes per urbem incedunt, et ob spectatorum oculos, cuniculos cuniculis obiicientes, adlaborant ut hostes a moenibus repellant.

Tunc immensus cuniculorum fragor ex improviso auditur, et acer densusque fumus ex macerie extollitur, et multa interea exanima cadavera adparent: ipse cuniculi impetus Petrum Miccam occidit, et ruderibus effossis, « perculit et fulva moribundum extendit arena » Uno ore cives adsurgunt, plausibusque salutant subalpinum Horatium Coclitem, qui hostium impetum virtute retardavit, et Decium, qui se pro patriae incolumitate ultro devovit. Augusta Taurinorum in libertatem est vindicata et opimam praeclaramque praedam ex Gallis caesis fusisque reportavit. Tam insignem victoriam hodieque testatur templum in summo vertice collis Supergae Virgini Matri sacrum, quod obsessa urbe Victorius Amadeus voverat, Carolus Emmanuel, regnum auspicatus, dedicavit.

Unam tamen defuisse religionem in hac tot rerum recordatione, omnibus dolendum ac improbandum apparuit. Omnes enim optime sciunt B. Sebastianum Valfrè, sanctissimum virum, cum aliis sacerdotibus in ipsis certaminibus interesse, milites hortaturum ut in proposito tenaces fortiter in Gallos pro patria dimicarent.

***

Ad finem tandem alacriores incedimus. Buccinae per aërem resonantes adesse nuntiant velites nostros Italicos, rorarios paludatos ac veloces, qui patrum memoria primas acies in Insubria feliciter gesserunt, atque ardentiori studio ad patriam tutandam convolarunt. Alii sunt qui sub rege Carolo Alberto stipendia meruerunt, alii sub Victorio Emmanuele II, alii denique, exardescente teterrimo bello, cui omnes fere Europae nationes interfuerunt.

Omnium tamen animos imprimis extol-

[1] Cfr. fasc. sup.

lunt milites illi velociores, qui iuventute calescentes et bellico ardore, nuperae victoriae laetitiam renovant. Vulgo *Bersaglieri* vocantur, eo nomine quod eis in bello erat hostes ad pugnandum provocare hîc atque illic armis quodammodo vellicantes atque irritantes. Maiori quidem apparatu vultusque ferocia, hos excipiunt robusti milites, qui inter montes primum se se exercere consueverunt, et recentiori nomine *Alpini* dicuntur. Diu enim multumque eorum opera industria atque constantia, hostium impetum retardavit et compescuit.

Horum praesertim virtute, superiores tandem Itali ad Plavim evaserunt.

Plausibus eos undique multitudo accipit sequiturque, et cives magno clamore exsultantes salutant. Omnis enim exercitus transit; equites et pedites, milites legionis manuballistariorum et veteres, quibus est

Aere caput fulgens, cristaque hirsutum equina;

omnes immobilem fidem, si iterum casus incidat, probaturi, bonaque omina auspicantur. Ego vero dum harum pugnarum ludicrarum narrationi finem impono, in mente verba revolvo, quae Plinius olim ad Romanos rerum dominos gentemque togatam de Italia referebat: «Terra omnium terrarum alumna eadem et parens, numine Dei electa, quae caelum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret, colloquia et humanitatem homini daret, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret».

Quod Roma armis non obtinuit, Roma christiana religione aliquando, opera praesertim christianae sapientiae praeconum, obtinebit. Haec enim nova civitas Apostolorum sanguine sata, manet aeternumque manebit.

SUBALPINUS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De novis verbis in latinum sermonem inducendis.

IOSEPHO FORNARIO, *Doctori optimo*, EMMANUEL JOVÉ C. M. F. *salutem dicit plurimam.*

Iterum manui concredo calamum, ut amice tecum prosequar litteras, quas promisi.

De vehiculis quibusdam verba feceram, et quum Latinos inter scriptores facile convenisse putarem de *automobili* novo admittendo nomine, in mentem reducta est voce *automolus,* quam pro eodem curru, si quid opinor, olim adhibuerat Rosati. Verborum enim recte excogitatorum copia maxime ditatur lingua.

Saepe et multum etiam cogitavi mecum an illa vehum series, quam Hispanica nostra lingua *tren,* alii latine *agmen,* alii vero *tractum* appellant, recte etiam *trahaculum* nominari valeret.

Hoc ita mihi persuasi duabus quidem de causis.

Imprimis pleraeque voces, quarum exitus est in *aculum,* spacium certis limitibus circumscriptum animo subiiciunt, aliquid recipiendi capax. Sic habes *caenaculum, spectaculum, receptaculum, habitaculum, tabernaculum* et huius generis plura. Quid tibi de *trahaculo* nostro? Nonne cum his omnibus convenit in hac ratione?

At dices optime: In supra allatis nominibus mens quoddam detegit quietis genus, quod omnino exsulat in curru per *trahaculum* significando. Equidem; sed ex hoc potius alterum pro me argumentum repetam. Oportet animadversum ea vocabula generatim ex supino proxime esse efformata, quod per se passionem seu «inactivitatem» (sit venia verbo) quandam implicat; *trahaculum* autem immediate ex praesenti tempore proflui, in quo trahendi actio quadam semper «actualitate» viget. Unde fit ut *trahaculi* nomen duplicem noti currus proprietatem optime prodat et capacitatem ad quodlibet in se recipiendum, et aptitudinem non utique alienam, sed propriam trahendi, quas quidem opportunitates etsi aliis quodammodo conveniat curribus, nostro tamen *trahaculo* quasi per antonomasiam quadrant.

Quid nunc de *autotraha?* Mihi ut novum hoc vocabulum expromam ansam dedere qui iam aliquot ante annos *vapori-traham* in Latinorum vulgus propalarunt. Hoc nempe quid est aliud quam machina illa per quam *trahaculi* currus omnes per orbitas ferriviae adpelluntur? Alterum igitur ego vocarem subrusticum atque gravissimum plaustrum illud, quod nostra lingua *camión.* Quamvis enim reapse non trahatur humi sicut olim *trahae* currus, sed potius rotis volvatur, tantum est in eo ponderis, quod super rotas impendet, ut oculis trahi videatur. Praeterea quum proprio motu procedat, necesse est ut per affixum *auto* haec facile menti innotescat.

Haec fere sunt quae nunc temporis tibi manifestanda censebam, eaque optimo iudicio tuo humiliter subiicio. Bene vale.

Vici, in Hispania.

ANDREAS HABERL *S. V. D*, THOMAE MARIO PAVESE *Abellinensi sal.*

Mense Decembri proximi in ALMA ROMA interrogasti, quam appellaremus *Statisticam.*

Cui interrogationi quod nondum a quoquam video responsum, ne putes non esse cuiusquam subiectam oculis, pauca. *Statistica* igitur sunt «numeri», vel est «numerorum ratio» ut intelliges exemplis. Dicimus vel dicamus: «criminum notare numeros», vel: «tabulas conficere criminum», et: «criminum comparare numeros», et: «crimina ad numeros revocare», et: «criminum exhibere rationes ad numeros». «Prospectus rerum Ecclesiasticarum ad numerum editur annis singulis ab Herdero, bibliopola Friburgensi». Eodem modo: «Multarum rerum comparationes ad numeros solent proponi, quibus facile cognoscamus rerum progressiones regressionesve, ut ortuum, mortium, pecuniarum singulis annis mensibusve collectarum», etc.

Vale.

Idibus Iuliis MCMXXIII, ex Aquis Driburgensibus Guestfaliae.

ANNALES

Germaniam inter et Galliam discrimen.

Diximus in superiore eventuum hac recensione nostra de nova conventione a Germanico gubernio Galliae eiusque sociis proposita ad damnorum refectiones solvendas et ad auferendum discrimen, quod iamdiu non sine universi orbis, ob interrupta commercia, iactura perdurat inter Germaniam et Galliam. Quum Germanorum administratorum huiusmodi proposita eorum legatus Angliae traderet, bonam Anglici populi voluntatem invocasse dicitur, cuius opera Galli ab occupata Ruhris regione recederent, ita ut et fodinarum et ferriviarum exercitio Germanis restituto, facilius foret pecuniam ad debitorum solutionem perficiendam comparare. Quidquid fuit, certum est Galliam Angliae significasse sese nullam disceptationem de re suscepturam, nisi prius passivus, uti nuncupant, Germanorum renixus in Ruhris regione cessaverit; quem ad finem Angliae concursum ex parte sua rogare. Simul rationes nonnullas constituebat Gallia, per quas sibi suam facere liceret partem illam Germanicae reipubli-

cae bonorum, quae ex occupatis territoriis provenire posset. Respondit Anglicus administer Curzon, Galliam invitans ut clarius mentem suam patefaceret, atque interim auctor fuit apud ceteras socias nationes, ut una Germaniae capita nonnulla opponerent ad discrimen solvendum, nempe:

1) ut Germanicum gubernium passivi illius renixus formam omnino derelinqueret; qua tantum seposita, redintegranda liceret civilis Ruhris provinciae civilis administratio;

2) ut experti nonnulli, sine partium studio, operam suam ad rem conferentibus Americanis, et Germanicis delegatis auditis, Germanorum vim et modum solvendi decernerent; iidemque, vel alterum collegium, « Refectionum collegio » significarent quae pignora a Germanis repeti possent;

3) ut internationalis novus conventus oeconomicum generale prospectum compararet;

4) hisce cautionibus expeditis et in rem deductis, finis foret cuique Germanici territorii occupationi, quae a Versaliensi foedere non fuisset proprie significata. Die xxx superioris mensis Iulii Anglico gubernio, nomine quoque Belgarum administrorum, Gallicae litterae mittebantur, in quibus, nulla Anglicae actionis mentione habita, tum Galli voluntatem suam intensius profitebantur actionem in Ruhris provincia proferendi, tum indirecte illis capitibus, quae supra enunciavimus, respondebant: Gallos et Belgas tum ex illa provincia et gradatim recessuros, quum soluta ipsis a Germanicis debita pecunia fuerit, quae tanto maior erit, quo citius et magis passivus renixus cessaverit, ex quo oeconomicae in eadem provincia vitae collapsus unice manat; quae quidem debita statuta a « Refectionum commissione » fuere, quam nemo dubitare potest ab aliquo partium studio agitari.

Ex parte sua Germania ita quid cogitet significat: cogit administrorum praesidem Cuno ut a munere suo abdicet, in eiusque locum ponit Stresemann doctorem, qui passivum illum in Galliam renixum statim vehementiusque affirmat.

Interim vero « Communistarum » factio per Germaniam passim graves excitat rebelliones et tumultus. Numne et bellum civile illic exardescet, quod in maiorem ruinam Germanicam nationem trahat?

Etiam in universae Europae bonum avertat Deus!

***

Lausanensis pax firmata.

Inter has rerum lacrymas, iuvat saltem felicem unum eventum recolere. Lausanensis scilicet conventus studia ad pacem Graecos inter atque Turcas restituendam, sunt tandem absoluta, pactiones omnes firmatae et a partibus sollemnii ritu subscriptae.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

Ssmi D. N. Pii Pp. XI litterae encyclicae saeculo IV exeunte a Sanctorum Caelitum honoribus Thomae Aquinati decretis.

In festo Apostolorum Principum nuper elapso Ssmus D. N. Pius Pp. XI, arrepta occasione saeculi exeuntis sexti, ex quo Sanctorum Caelitum honores Thomae Aquinati decreti sunt, litteras encyclicas edidit, in quibus quum initio revocasset se, iuris canonici statuta confirmantem, studiorum ducem, sacrae iuventuti in maioribus disciplinis habendum esse edixisse Thomam Aquinatem, sese pariter nunc inculcare atque declarare voluisse

ait, quo pacto in schola tanti doctoris utillissime nos versari possimus. Doctrinam enim cum pietate, eruditionis cum virtute, veritatis cum caritate societas « singularis prorsus exstitit in Angelico Doctore; cui quidem iure etiam insigne solis attributum est, utpote qui, scientiae lumen mentibus afferendo, igniculos virtutum in voluntates iniiciat. Qui est igitur omnis sanctitatis et sapientiae fons Deus omnino videtur ostendere in Thoma voluisse, quemadmodum altera ex his rebus alteram adiuvet, id est virtutum exercitatio ad veritatis contemplationem componat, ac vicissim subtilior veritatis meditatio virtutes expoliat atque perficiat. Etenim qui pure vivat et integre domitasque habeat virtute cupiditates, is quidem, tamquam magno impedimento solutus, multo facilius tollere ad caelestia potest animum altiusque Dei arcana introspicere, secundum illud ipsius Thomae: Prius vita quam doctrina; vita enim ducit ad scientiam veritatis; [1] idem vero, quum in cognoscendis iis quae sunt supra naturam, studii plurimum collocaverit, ex hoc ipso ad perfecte vivendum non parum se sentiet excitari: neque enim solivaga aut ieiuna, sed valde actuosa dicenda est tantarum rerum scientia, quarum pulchritudo totum hominem ad se rapiat atque convertat ».

Itaque de Thomae Aquinatis et sanctitate et doctrina Pater sanctissimus disseret, simulque demonstrabit quae inde fluant non sacro ordini tantum et sacrorum alumnis, sed christiani nominis universitati opportuna documenta.

***

« Quaecumque in genere morum sunt virtutes, Thomas quidem omnes praeclarissimas habuit ut, quemadmodum ipse vult, coalescerent in caritate " quae dat formam actibus omnium virtutum „. [2] Sed si sanctitatis huius notas tamquam proprias et peculiares quaerimus, prima omnium occurrit ea virtus, unde quaedam cum angelicis naturis visa est esse Thomae similitudo: castimoniam dicimus, quam quum in praesentissimo periculi discrimine servasset illaesam, dignus est habitus quem mystica zona angeli cingerent. Cum hac tanta puritatis laude par coniuncta erat bonorum fluxorum fuga itemque despicientia in contemnendis honoribus; constat summa cum constantia, propinquorum, qui se ad percommodam saeculi condicionem omni ope cogerent, fregisse pervicaciam, ac deinde apud Pontificem Maximum, sacras infulas offerentem, orando effecisse, ne formidatum sibi onus imponeretur. At id quo Thomae sanctitudo maxime distinguitur, ipse est qui appellatur a Paulo *sermo sapientiae:* [1] atque illa duplicis sapientiae, acquisitae et infusae, quae dicuntur, copulatio, quacum nihil tam apte quam humilitas, quam orandi studium, quam Dei caritas convenit ».

Quam quidem humilitatem ut demonstret instar fundamenti fuisse quo ceterae virtutes Thomae niterentur, Pontifex singularibus viri actibus persequitur, ut tandem concludat a Deo delapsam seu infusam Thomae sapientiam, ceteris comitatam donis sancti Spiritus perpetuum in eo accepisse incrementum, aeque ac caritatem, omnium dominam et reginam virtutum. Qua quidem caritate instinctus, « aliorum utilitatibus impense servire non cessabat, vel optimos libros conficiendo, vel fratres laborantes adiuvando, vel in subsidium pauperum suis se vestimentis expoliando, vel etiam ad sanitatem aegrotantes restituendo, ut quum in Basilica Vaticana, ubi per Paschalia solemnia concionabatur, mulierem, quae vestis eius laciniam tetigerat, ab inveterato sanguinis fluxu repente liberavit.

« Atque hic *sermo sapientiae* a Paulo laudatus in quo alio Doctore, quam in Angelico, luculentior? Qui docendo non satis habet erudire hominum mentes, sed etiam ad Dei amorem, omnium effectorem rerum, redamandum

[1] *Comment. in Matth.*, c. V.
[2] II-II, q. XXVIII, a. 8; I-II, q. LXV.

[1] I, *Cor.*, XII, 8.

studiosissime impellit voluntates. " Amor Dei est infundens et creans bonitatem in rebus »; sic enim pulcherrime affirmat:[1] et hanc divinae bonitatis diffusionem, singula mysteria pertractans, illustrare non desinit. " Unde ad rationem summi boni pertinet quod summo modo se communicet, quod quidem maxime a Deo fit... per Incarnationem ».[2] Nihil vero tam clare huius et ingenii et caritatis vim ostendit, quam officium ab ipso compositum de augusto Sacramento: quod erga Sacramentum quomodo in omni vita fuisset affectus, illa morientis vox, quum sanctum Viaticum susciperet, declaravit: *Sumo Te, pretium redemptionis animae meae, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi* ».

***

Sic magnis Thomae virtutibus adumbratis, iam non difficile intelligitur eiusdem praestantia doctrinae; quam, ipso etiam tum vivo, Alexander IV, ac deinde Summi Pontifices tamquam uno ore semper laudibus extulerunt; a Ioanne XXII ad Pium V, qui Thomam in sanctorum Doctorum numerum, rato *Angelici* titulo, adscripsit, usque ad Leonem XIII, cuius auctoritate et instantia contigit ut Aquinatis disciplina revivisceret; ad Pium X, praesertim Motu proprio *Doctoris Angelici;* proxime autem ad Benedictum XV, cui dandum est laudi quod iuris canonici Codicem promulgavit, ubi Angelici Doctoris « ratio, doctrina et principia » plane consecrantur. « Nos vero – pergit Pius XI – haec tanta divinissimo ingenio tributa praeconia sic probamus, ut non modo Angelicum sed etiam *Communem* seu universalem Ecclesiae Doctorem appellandum putemus Thomam, cuius doctrinam, ut quam plurimis in omni genere litterarum monumentis testata est, suam Ecclesia fecerit. At enim, quia prope infinitum est, quascumque rationes in hac causa decessores Nostri explicarunt, cunctas hîc exsequi, tantum videtur Nobis ostendere, et Thomam supernaturali animatum spiritu, unde vivebat, scripsisse, et eius scripta in quibus omnium sacrarum disciplinarum principia legesque traduntur, universalis dicenda esse naturae.

« Etenim sive docendo sive scribendo hic divina pertractat, praeclarissimum dat theologis documentum illius quae inter sensus animi et studia intercedere debet necessitudo maxima. Nam, quemadmodum regionem aliquam longinquam bene habere cognitam non dicitur qui eius descriptionem quamvis subtilem cognoverit, sed qui aliquamdiu ibidem vixerit, sic intimam Dei notitiam sola scientiae pervestigatione nullus assequitur, nisi etiam cum Deo coniunctissime vivat. Iam vero sancti Thomae huc omnis theologia spectat, ut ad intime in Deo vivendum nos adducat. Ut enim puerulus ad Montem Casinum finem non faciebat rogandi *quid est Deus?* ita quicumque ab eo sunt compositi libri, de mundi creatione, de homine, de legibus, de Sacramentis, omnes denique in Deo sempiternae salutis auctore versantur.

« Itaque de causis horum studiorum sterilitatis disputans, quae sunt vel curiositas, hoc est immoderata scientiae cupido, vel ingenii tarditas, vel contentionis perseverantiaeque fuga, nullum aliud eis vult esse remedium, nisi magnam laboris alacritatem, quae pietatis ardore vigeat atque ex spiritus vita profecta esse videatur. Quum igitur triplici lumine studia sacra dirigantur, recta ratione, fide infusa et donis Sancti Spiritus, quibus quidem intelligentia perficitur, his omnibus nemo unquam amplius quam noster abundavit »; qui quidem et « quum docet exemplo suo quomodo in eadem studiorum varietate versari nos oporteat, tum praecepta firma et stabilia tradit singularum disciplinarum. Nam principio, quis philosophiae naturam rationemque, partes earumque vim melius explicavit? En qua perspicuitate convenientiam consensumque demonstret omnium inter se membrorum, unde huius scientiae tamquam corpus efficitur. " Sapientis est - ait - ordinare. Cuius ratio est quia sapientia potissime est perfectio rationis, cuius proprium est cognoscere ordinem: nam, etsi vires se sitivae cognoscant res aliquas absolute, ordinem tamen unius ad alteram cognoscere est solius intellectus aut rationis. Secundum autem diversos ordines quos proprie ratio considerat, sunt diversae scientiae. Ordo enim quam ratio considerando facit in proprio actu pertinet ad philosophiam rationalem (seu *Logicam*), cuius est considerare ordinem partium orationis ad invicem et ordinem principiorum ad invicem et conclusiones. Ad philosophiam autem naturalem (seu *Physicam*), pertinet considerare ordinem rerum quem ratio humana considerat sed non facit: ita quod sub naturali philosophia comprehendamus et *Metaphysicam.* Ordo autem actionum voluntariarum pertinet ad considerationem moralis philosophiae, quae in tres partes dividitur: prima considerat operationes unius hominis ordinatas ad finem, quae vocatur *Monastica;* secunda considerat operationes multitudinis domesticae, quae appellatur *Oeconomica;* tertia considerat operationes multitudinis civitatis, quae vocatur *Politica* „.[1] Quas philosophiae partes Thomas diligenter omnes pertractavit, propria singularum via, ita quidem ut ab iis profectus quae maxime humanae rationi coniuncta sunt, gradatim ad remotiora adscendens, denique " in supremo rerum omnium vertice „[2] constiterit.

« Ac de mentis humanae potestate seu valore sanctum est quod a nostro traditur. " Naturaliter intellectus noster cognoscit ens et ea quae sunt per se entis in quantum huiusmodi, in qua cognitione fundatur primorum principiorum notitia „.[3] Hinc enim stirpitus extrahuntur errores opinionesque recentiorum qui volunt non ipsum ens intelligendo percipi, sed ipsius qui intelligat, affectionem: quos quidem errores *agnosticismus* consequitur tam nervose reprobatus Encyclicis Litteris *Pascendi.*

« Quibus autem argumentis Thomas Deum esse docet eumque unum esse *ipsum Ens subsistens,* ea sunt hodie quoque, sicut aevo medio, omnium firmissima ad probandum: iisdemque liquido confirmatur Ecclesiae dogma in Concilio Vaticano solemniter enuntiatum, quod Pius X praeclare sic interpretatur: " Deum rerum omnium principium et finem naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per visibilia creationis opera, tamquam causam per effectus certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse „.[1] Eiusdemque de metaphysicis doctrina, quamquam frequenter adhuc iniquorum iudicum acerbitatem nacta est, tamen, quasi aurum, quod nulla acidorum natura dissolvitur, vim splendoremque suum etiam nunc integrum retinet; recte igitur idem Decessor Noster: " Aquinatem deserere, praesertim in re metaphysica, non sine magno detrimento esse „.[2]

« Profecto nobilissima quidem in humanis disciplinis est philosophia, sed eam, ut res nunc sunt divina Providentia constitutae, ceteris excellere dicendum non est, quum ad omnem rerum universitatem haud pertineat. Etenim in ipso *Summae contra Gentes* itemque *Summae Theologicae* initio, sanctus Doctor alium rerum ordinem describit, positum supra naturam, eumque rationis captum excedentem, quem homo, nisi ei divina bonitas revelasset, nunquam fuisset suspicatus. Haec est regio ubi dominatur fides: fidei autem scientia Theologia nominatur. Iam vero huiusmodi scientia eo perfectior in quopiam sit oportet, quo is fidei documenta melius calleat, simulque pleniorem aptioremque philosophandi facultatem habuerit. Non est autem dubitandum quin ad summum dignitatis culmen evecta Theologia sit per Aquinatem, cuius et numeris omnibus absoluta rerum di-

[1] I, q. XX, a. 2.
[2] III, q, I, a. 1.

[1] *Ethic.*, lect. 1.
[2] *Contra Gentes;* II, c. 56 et IV, c. 1.
[3] *Contra Gentes,* II, c. 83.

[1] Motu proprio *Sacrorum Antistitum,* diei 1 septembris MCMX.
[2] Litt. Encycl. *Pascendi.* diei VIII Sept. MCMVII.

vinarum cognitio fuit et intelligentiae vis facta mirifice ad philosophandum. Quare Thomas non tam sua philosophica institutione, quam huius disciplinae studiis, obtinet in scholis nostri magisterii principatum. Neque enim Theologiae est pars ulla, in qua non is incredibilem ingenii sui ubertatem felicissime exercuerit. Nam primum propriis ac genuinis fundamentis constituit apologeticam, bene definito discrimine, quod inter eas res quae rationis et quae fidei sunt, intercedit, accurateque naturali a snpernaturali ordine distincto. Itaque sacrosancta Vaticana Synodus, quum statuit, quae de religione cognosci naturaliter possunt, eadem ut certo ac sincere cognoscerentur omnia, necessitate quadam revelari divinitus debuisse, ad mysteria vero cognoscenda divinam revelationem prorsus fuisse necessariam, iis utitur argumentis quae non aliunde nisi a Thoma mutuata est. Qui sanctum omnibus quicumque doctrinae christianae defensionem susceperint, illud vult esse principium: " Assentire iis quae sunt fidei non est levitatis, quamvis supra rationem sint „.[1] Ostendit enim, etsi quae creduntur arcana sint atque obscura, tamen apertas esse perspicuasque rationes quibus homo ad credendum adducitur, siquidem " non crederet, nisi videret esse credenda „.[2] Atque etiam adiungit, tantum abesse ut fides pro impedimento aut pro servili hominibus imposito iugo putanda sit, ut contra in maximi beneficii loco sit numeranda, siquidem " fides in nobis inchoatio est quaedam vitae aeternae ».[3]

Altera theologiae pars, quae in dogmatum interpretatione versatur, ipsa quoque auctorem habet omnium locupletissimum Thomam; neque enim quisquam aut subtilius exposuit augusta quaecumque sunt mysteria, ut de vita Dei intima, de praedestinationis aeternae obscuritate, de supernaturali mundi gubernatione, de oblata naturis ratione praeditis facultate sui finis assequendi, de humani generis redemptione a Iesu Christo facta eademque per Ecclesiam continuata, perque Sacramenta, quae utraque ab Angelico Doctore " quaedam divinae Incarnationis reliquiae „ appellantur.

« Idem praeterea solidam theologiae doctrinam de moribus condidit, quae ad dirigendos totos humanos actus valeat supernaturali hominis fini congruenter. Et quoniam hic plane est in theologia perfectus, ut diximus, rationes certas dat et praecepta vivendi non modo hominibus singulis, sed societati etiam et domesticae et civili; in quo tum oeconomica tum politica morum scientia consistit. Hinc illa praeclara quae sunt in Summae Theologicae parte secunda de paterno regimine seu domestico et de legitimo imperio vel civitatis vel nationis, de iure naturae et de iure gentium, de pace et de bello, de iustitia et de dominio, de legibus et de obtemperatione, de officio vel privatorum necessitati vel prosperitati publicae consulendi, idque cum in naturali ordine tum in supernaturali. Quod si privatim, publice atque in mutuis nationum inter nationes officiis haec sancte inviolateque praecepta serventur, iam nihil aliud requiratur ad eam hominibus conciliandam " pacem Christi in regno Christi „ quam orbis terrarum tantopere desiderat. Optandum est igitur, ut quae in gentium iure praesertim explicando legibusque iis quibus populorum inter ipsos rationes ordinantur, Aquinas docet, ea, quum verae *Nationum Societatis* – quae dicitur – fundamenta contineant, magis magisque pertractentur ».

Nec minus nobilitata est eius in asceticis mysticisque scientia; quidquid autem composuit, accurate in divinis litteris fundavit et exstruxit, « positoque eo principio: " Auctor principalis Scripturae sacrae est Spiritus Sanctus... homo autem fuit auctor instrumentalis „, de Bibliorum absoluta fide historica nullum patitur esse dubium, sed verborum sententiae seu sensus litteralis fundamento ubertatem divitiasque constituit sensus spiritualis, cuius triplex genus allegoricum, tropologicum, anagogicum subtilissime explicari consuevit. Denique singulari quodam dono ac munere habuit, ut suae praecepta disciplinae in liturgiae preces hymnosque converteret, itaque divinae Eucharistiae vates et praeco maximus fieret », et Doctoris Eucharistici quoque cognomen acceperit.

[1] *Contra Gentes*, I, c. 6.
[2] II-II, q. I, a. 4.
[3] *Qq. disp. de Verit.*, q. XIV, a. 2.

***

Ex iis quae hactenus memoravit, factu peropportuna deinde Pius Pp. XI in suis litteris colligit. Imprimis igitur adolescentes invitat ut Thomam intueantur, magnarumque virtutum decora quae in eo elucent diligenter imitando consectentur: ad rem societatem *Militiae Angelicae*, castimoniae Thomae praesidio conservandae, custodiendae conditam iis commendat eamque ditat novis privilegiis. Praeterea quum revocasset sanctum Thomam omnium scholarum catholicarum rite esse patronum constitutum, eum sacrae iuventuti documento praebet quemadmodum in studiis optimis ea recte magnoque cum fructu sese exerceat. Homines autem religiosarum familiarum adhortatur ut tamquam in speculum inspiciant in Thomae vitam; omnibus denique quotquot sunt Christi fideles suadet ut ab eo pietatis in Augustam caeli Reginam et in divinum Sacramentum capiant exemplum.

« Sed – pergit Pontifex – ad errores effugiendos, in quibus omnium huius temporis miseriarum fons est et caput, religiosius quam unquam alias, est in Aquinatis institutione consistendum. Omnino enim Modernistarum in omni genere Thomas opinionum commenta convincit; in philosophia vim et potestatem humanae intelligentiae tuendo, firmissimisque argumentis Deum esse probando; in re dogmatica supernaturalem a naturae ordine discriminando causasque credendi et ipsa dogmata illustrando; in theologia omnia quae fide creduntur non in opinione niti sed in veritate, eademque immutari non posse ostendendo; in re biblica genuinam divinae inspirationis notionem tradendo; in disciplina morum, in re sociali et in iure recte principia ponendo de iustitia legali aut de sociali itemque de commutativa aut de distributiva, et quae iustitiae cum caritate sint rationes explicando; in ascetica de christianae vitae perfectione praecipiendo, atque etiam aequales suis temporibus adversarios religiosorum ordinum oppugnando. Denique contra illam quae vulgo iactari solet, rationis humanae a Deo solutam libertatem, noster primae Veritatis iura summique Domini in nos auctoritatem affirmat. Hinc apparet satis esse causae quamobrem Modernistae nullum Ecclesiae Doctorem tam metuant quam Thomam Aquinatem.

« Quemadmodum igitur olim Aegyptiis in summa annonae caritate dictum est *Ite ad Ioseph*, a quo sibi ad alendum corpus frumenti suppeditaretur copia, ita iis, quotquot nunc sunt in desiderio veritatis, *Ite ad Thomam* Nos dicimus, ut ab eo sanae doctrinae pabulum, quo affluit, in sempiternam suorum animorum vitam petant. Atque hoc pabulum in promptu esse et parabile omnibus, quum causa ageretur de ipso Thoma in beatorum caelitum numerum adscribendo, sic est iurisiurandi religione testatum: " Sub huius Doctoris lucida et aperta doctrina floruerunt quamplures magistri religiosi et saeculares, propter modum compendiosum, apertum et facilem... etiam laici parum intelligentes appetunt ipsa scripta habere „ ».

***

Pontificiae litterae concluduntur indictione sollemnium ad saecularem commemorationem ubique per orbem celebrandam, et Romae praesertim in Pontificio illo Collegio Angelico « ubi Thomam tamquam domi suae habitare dixeris » et apud cetera Clericorum athenaea ceteris sacrorum studiorum domiciliis praestantia.

Non in lingua, sed in corde sapientia est. Utinam tam multi bene facerent, quam multi bene loquuntur.

LACTAN., lib. I.

AD FONTEM BELLAQUEI 6]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

SCENA V.

CUBICULARII IMPERIALES *et* PONTIFICII, *undique introeuntes haec secum colloquuntur*

C. IMP. I. Vidisti?
» II. Vidi enim: perspexi penitus!
» III. Quantus rerum cumulus!
» IV. Quot infortunia!
C. PONT. I. Novi quid accidit?
» II. Nova est calamitas?
C. IMPER. I. Sunt rerum lacrimae!
II. Concurrunt Galliam
Hostes qui socii iniere foedera.
III. Imo invaserunt ipsos et Parisios.
Hinc dant leges, pacem nationibus.
IV. Sed imperator?
I. Plectitur exilio!
II. Quis haec nuperius tam incredibilia
Nedum sperare posset sed mente asse-
[qui!
III. Ruit quod statuit nuper imperium.
IV. Quod ipse credidit firmum, tutissimum.
CALL. Ut arbor adsolet ruptis radicibus
Humi prosterni, in terras pronus vol-
[vitur,
Quod ille molitur, raptim dilabitur.
IS. Inanes fructus divini sui genii,
Cladum quos gesserat centum victoriis.
CALL. Cecidit Babylon, beata praeliis,
Caput ferebat quae superba gentibus
Pioque tristis minitabat fulmina.
IS. Labores, carceres, probra, ludibria...
Quae cuncta in ipsum decident miser-
[rime.
CALL. Haec est divinae dexterae mutatio!
C. IMP. I. Heri? Decori! Nunc? Gentium lu-
[dibrio!
II. Miser, qui se rebus credit mortalibus,
Quae sunt fortunae tot obnoxiae casi-
[bus!

SCENA VI.

CARDINALIS PACCA *et* DICTI.

(*Cubicularius Pontificius introgrediens, elata voce dicit*).

CUB. Adest hic Cardinalis Pacca!
CALL. Maximus
Honor detur viro claro tot meritis.
CARD. (*introgrediens cum famulis subito alloquitur*).
Pius? Valetne Pater sanctus? Quam
[placet
Eum videre post tot rerum pericula!
Novus nunc temporum iam ordo ne-
[scitur.
Et imperator?
CALL. Ivit hinc novissime
Insalutatis cunctis et Pontifice!
CARD. Enim Parisiis adsunt adversarii,
Eum qui gladiis premunt et oppri-
[munt.
Ferunt imperio repulsum Gallico
Agendum longius, vel intra pelagum,
Nulli periculo ne sit in posterum.
IS. Is ergo nuper qui pellebat domibus
Suis tot gentes, soliisque principes,
Pressus, compulsus, magno cum dede-
[core,
Ipse in exsilium coacte mittitur!
CARD. Brevi quot vidimus negotia tempore!
Erit nunc liber noster tandem Pontifex!
CALL. Mox ipse afflatus hic divino Numine
Arcana protulit verba de Virgine...
Habere Romam Petrianum solium.

(Ad proximum numerum).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Octobri MCMXXIII Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AESTHETICAE NOTAE

De aesthetica voluptate quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur.[1]

Gustus in illo homine nullus est, qui aesthetico gustu omnino careat; quod fere semper evenire solet, quum et intellectuali et morali simul gustu aliquis careat. Cuius privationis causa est praecipua quorumdam partium cerebri atrophia vel incompleta evolutio.

Sed etiam nonnullae gradationes habentur, quae totidem attributa gustui appingunt. Itaque *gustum fatuum* dicimus in eo esse qui de rebus minimis, inanibus futilibusque oblectatur. *Gustus falsus et corruptus* est in illo qui errat in apprehensione et iudicio pulchri sive inscitia, sive pravo consortio et educatione. *Bonus gustus* generatim denotat rectum criterium in pulchris diiudicandis. Est *facetus*, si iocosa adamat: « *Dulce est desipere in loco* » (Horat.); *simplex*, si parsimoniam ornamentorum; *nobilis*, si pretiosa et magnifica quaerit; *castigatus* vel *concinnus*, si sola pulchra facile libat, et a contrariis defectibus certe deflectit; *exquisitus*, si subtiles et reconditas pulchri rationes attingit.

Ratione quoque extensionis quaedam partitio gustus exsurgit:

Gustus personalis in singulis hominibus inest, et quam maxime mobilis atque variabilis est.

Gustus nationalis est collectiva propensio gustuum apud aliquam nationem. Est et ipse variabilis, atque rerum suarum vehementer studiosus.

Gustus universalis, ex adverso est invariabilis atque iudex et censor incorruptus.

Qui igitur bono gusto se gerere velit, propriam indolem, sanitatem corporis vel infirmitatem, animi motus et habitus morum, acceptam educationem, rectam vel pravam voluntatem, scholarum patriaeque praeiudicia, nimiam criticam sive rationalem sive empiricam, exemplaria et consortium quibus utitur expendere debet, et alia huiusmodi, ut valeat menda erroresque vitare.

***

Ex mira et certa cooperatione sensuum, praecipue vero phantasiae, ad perceptionem et iudicium pulchri, falsa illorum opinio orta est, qui, denegata aut neglecta

[1] Cfr. fasc. sup. mensis Iulii.

facultate intellectiva, gustum aestheticum esse facultatem organicam docent, nullumque pulchrum, nisi quod sensibus percipiatur, agnoscunt.

Haec opinio quam latissime invaluit apud *Sensistas, Positivistas, Sentimentalistas* aliosque, quorum nomina longum est referre. Nec desunt qui, intelligentia admissa, totum gustus negotium phantasiae adsignent.

Perperam tamen: opinio enim istorum vel in absurda denegatione intellectus, vel in exaggerata virtutis sensitivae existimatione fundatur.

Ad intellectum quod attinet, invictissime demonstratur in Psychologia hanc facultatem esse, emanare ab ipso *esse* intellectivo, quo homines essentialiter a ceteris viventibus corporeis distinguuntur.

Quod autem spectat ad virtutem sensitivam, pariter quam luculentissime ostenditur eam organis adnexam esse, pendere a corporis dispositionibus, versari circa materialia et singularia obiecta, debilitari, corrumpi; communem nobis esse cum brutis animantibus, in quibus tamen nulla notio et progressus scientiae, morum, pulchritudinis invenitur. Contra, certissimum est pulchri notionem esse cogitatum universale, immutabile; praeter pulchrum sensibile, dari pulchritudinem intellectualem, moralem, spiritualem, divinam, ad quam sensus nullam habent aptitudinem; solius mentis esse naturam proprietatesque rerum, partium consonantiam, formaeque splendorem perpendere, contemplari, diiudicare. Sed rationes alias omittamus: agitur enim de re per se apprime evidenti, communique sensui accommodata.

Falsam pariter existimamus hypothesim illorum, qui docent gustum aestheticum esse ab ipso intellectu distinctam seu specialem potentiam, « inorganicam » tamen, cui adsignant modum cogitandi interiorem, munus percipiendi quid sit pulchrum; atque non metaphorice, sed proprie *facultatem aestheticam* vocant.

Et sane: omnis hypothesis interim inducta, ut quaedam res existentes vel facta rationabiliter explicari possint, debet esse *possibilis in se*, seu nullam involvere intrinsecam repugnantiam, et simul *necessaria* fini, propter quem ponitur. Fatemur quidem praedictam hypothesim in se possibilem esse: poterat enim Deus una cum intellectu et voluntate peculiarem facultatem pulchri degustativam nobis donare. Attamen haec facultas nullo modo necessaria est. Sufficit enim intellectus ad gustandum, diiudicandum, vel exprimendum pulchrum; sufficit voluntas ad delectationem et amorem pulchri. *A priori* igitur - ut scholastici dicunt - non est hypothesis necessaria; imo directe excluditur, quia natura, si non deficit in necessariis, non abundat in superfluis; *a posteriori* pariter excluditur huiusmodi necessitas, seu clarius exsistentia istius facultatis.

Nihil enim in favorem hypothesis habetur ex doctissimorum hominum auctoritate, qui de speciali hac facultate mentionem haud faciunt; nihilque ex sensu intimo uniuscuiusque; nihil ex analogiae inductione certe arguitur. Adhibitio igitur novae vocis, quae admodum inolevit « *Sentimentum aestheticum* » ad designandam specialem facultatem, est merus abusus verborum. *Sentimentum* non est facultas, neque activitas animae, sed *affectio passiva*. Haec affectio, vel emotio, ad appetitum sensitivum et intellectivum reducitur, ut ad propriam potentiam.[1]

Sed « Positivistarum » insania eo usque progressa est, ut, dum homines ad ima deprimunt atque ignominia afficiunt, belluas autem, plantas et ipsa mineralia

[1] Quod « *sentimentum* » apud recentiores dicitur, plura significat, aequivocationesque facillime ingerit. Apud Italos vigintiquinque et amplius significationes obtinet, uti refert N. Tommaseo (*Nuovo Dizionario della Lingua Italiana*, vol. IV, p. 1ª).

extollant ac tueantur. Quosdam enim non pudet adfirmare gustum aestheticum communem nobis essentialiter esse cum praedictis viventibus, imo aliquando ignobiliorem. Positivistae miserrimo errore detinentur, a perversa voluntate aliquando progenito. Neque decet igitur eos directe refutare; sufficiunt ad rei claritatem quae superius, ad demonstrandum gustum non esse organicam facultatem, statuimus. Solum animadvertere oportet quaedam animalia (aves, equos, canes...) quia sensibus perfectioribus praedita sunt, sensibiliter attrahi et oblectari obiectis sensui consentaneis et iucundis, ex: gr: musica; quaedam e contra, praesertim animalia inferiora, nullam experiri gratam sensationem in rebus per se iucundis.

« Nota - ait S. Thomas - quod proverbium erat apud Graecos, quum aliquis audivit verba alicuius et non advertit, nec curavit intellectum verborum, illi dicebatur: Es ne asinus ad lyram? Facis enim sicut asinus positus circa lyram: audit sonum lyrae, sed non percipit melodiam, nec proportionem sonorum intelligit, nec delectatur in ea. Sic aliquis audiens verba et non curans intellectum eorum, dicitur: *asinus ad lyram* ».

« Unum hoc animal (homo) sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat in factis dictisque, qui modus. Itaque eorum ipsorum quae adspectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, convenientiam partium sentit ».[1] Qua de re praeter hominem, reliqua animantia, quia intelligendi facultate carent, nullo proprie dicto aesthetico gustu praedita sunt a fortiori gustu nobiliore.[2]

[1] Cicero, *De Offic.*, l. IV.

[2] Et in hac re, sicut in aliis multis, turpiter erravit Darwin imperitia disciplinarum philosophicarum. Quum enim bruta animantia *per se* gustu aesthetico careant, nulla institui potest *paritas* inter ipsa et incultos homines, in quibus gustus *per accidens* est rudis vel corruptus.

***

Post ea, quae de natura, elementis, proprietatibus, effectibus, et de facultate perceptiva et iudicativa pulchri diximus, vix aliquid superest addendum de *Criteriis*, seu de mediis, quibus mens nostra utitur ad pulchritudinem a deformitate certe decernendam. Media haec sunt vel *obiectiva*, vel *subiectiva*, vel *externa*.

Obiectiva dicuntur quae inhaerent rebus ipsis, et mentem nostram dirigunt ad pulchrum iudicandum Talia sunt essentia ipsa pulchri, proprietates et variae manifestationes... quatenus tamen suapte natura *factae* et *ordinatae* sunt ad exercitium aesthetici gustus determinandum. Aliis verbis, pulchritudo ad hoc exsistit, ut in eius admiratione delectemur. Haec pulchri naturalis relatio est *supremum criterium obiectivum*, ex quo mens nostra primam notionem, iudicia immediata, leges generales, axiomata sibi comparat, et exinde iudicia mediata, leges particulares totius pulchri deducit. Definitio igitur, principia suprema, normae universales, ut sunt notiones et expressiones rerum exsistentium, vocantur *criteria obiectiva* pulchritudinis. Quapropter principium « identitatis » absolutae, contradictionis, substantiae et accidentis, causalitatis, rationis sufficientis, nobis inserviunt non solum ad veritatem ab errore, honestatem ab inhonestate, sed etiam ad pulchritudinem a deformitate certo certius secernendam.

Subiectiva dicuntur *criteria*, quae inhaerent subiecto degustanti, et vario in modo mentem dirigunt eique inserviunt ad iudicium aestheticum efformandum. Huiusmodi sunt externi et interni sensus et variae mentis nostrae operationes, nempe intuitio, cogitatio, meditatio. Quae operationes merito habentur tamquam auxilia et media ordinata ad formale pulchri iudicium.

Ut medium subiectivum censetur etiam ipsa naturalis communisque propensio et innatum desiderium ad pulchrum degustandum eoque fruendum. Criteria subiectiva plurimum valent, si tamen criteriis obiectivis rite innitantur. Ex. gr. pulchri desiderium debet esse rectum ac sincerum, idest rationale et alienum a praeiudiciis et a quocumque fine pulchritudine indigno.

Externa dicuntur *criteria*, quae ex magisterio seu auctoritate manant, ac moralem vim habent inducendi mentem nostram ad certum iudicium aestheticum proferendum. Talis est infallibilis auctoritas humani generis, et non dubia sententia sapientissimorum hominum vel etiam paucorum, qui tamen speciali peritia gaudent in aliquo artium disciplinarumque genere. Perspicuum igitur est traditionem vel sacram vel profanam, vel universalem vel particularem, medium quandoque opportunum esse ad aliqua naturae artisque pulchra tuto iudicanda.

***

Gustus diversa *qualitas*, seu clarius diversus modus quo apprehenditur pulchritudo, quam maxime in eamdem producendam influit. Ratio est evidens: etenim, cum Genius, seu vis gignendi res pulchras, necessitatem habeat acquirendi, ope et iudicio Gustus, materiem aptam ad creationem aestheticam, pronum est inferre maxima ex parte productionem artefactorum a qualitate Gustus pendere. Hinc boni Gustus vir, cui vulgo aesthetae nomen indicimus, Genio plerumque carere solet: at vir Genii laudabili Gustu semper praeditus esse debet.

Imo tanta est Gustus relatio ad Genium, ut incrementum, praestantiam et diminutionem artium ab ipso Gustu vulgo dimetiamur; unde effata: *Aetas boni Gustus; Aevum corrupti Gustus,* et similia.

G. Lepore.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta

In hac nostra urbe Subalpinorum principe, ludicris pugnis optime peractis, homines, novarum rerum cupidine semper rapti, in contrarium omnino iter ingressi, sanctam Christi Passionem in scenis referre ex vero adlaborarunt. Non omnes recti iudicii viros id adprobasse equidem novi, et hoc aleam fuisse multorum periculorum plenam, nostris potissimum temporibus religioni obnoxiis, neminem latuit.

Dum «scinditur incertum studia in contraria vulgus» et complures verbis scriptisque insimulant, sacris miscere profana, rem diu multumque prudentissimi viri rependerunt, et omnibus utrinque bene perpensis, in consilium iverunt posse equidem et tuto pede divinam actionem scenicis ludis verisque personis produci.

Fama *recti fictique nuntia* multam inter homines exspectationem excitavit, et mox ipse exitus, post primas animorum fluctuationes, splendide omnium exspectationem longe lateque superavit.

Quod alibi Theatrum appellamus, *Stadium,* recenti more, vocare placuit. Quam magna cavea, immensa, quae nunquam vel ne vix quidem impleri poterit! Quin imo, quum primum vulgus incertum aliis rebus etiam distentum, rarius omnino adcurreret, et quando essent decem hominum millia vel etiam viginti, pauci semper admodum esse videbantur... Quam vere dixisses: Erant

rari nantes in gurgite vasto!

Magnum quoque tunc periculum apparuit, tum de virorum honore qui nomine, ingenio et opibus optime rem sustinebant, ne nimiis gravati impensis, omnia in cassum mitterent; tum ob novitatem atque

hominum incuriam de re divina, hoc praesenti potissimum saeculo. Omnibus vero difficultatibus obstiterunt actores, qui rerum humanarum sortem quum optime noscerent, quieto animo dixerunt: Si utique non insignem victoriam referemus, hoc cives noverint, nobis non defuisse audaciam. Haec prima fuit victoria.

Magna res quoque fuit quum quaestio venit de ipsis personis eligendis. Quam enim prudentiam quamque felicitatem adhibendam esse facile profitebantur! Omnes in primis iure meritoque verebantur de Christi persona. Quis vel a longe eam referre posse superbe praesumeret? Et certam omnes praesagiebant hominis universalem improbationem, quum tantillus homo divinam personam agere adsumpsisset. Res autem vera pravum omnium iudicium omnino fefellit: quam caste enim, quam integre, quam speciose! Omnes sic tacite dicebant: Sic fortasse Magister, «sic ille oculos, sic ora ferebat!».

Est in ea urbis parte quae ad alpes Cottias spectat, magna agri planities quam diu milites adhibuerunt, ut se se facilius ad arma exercerent. Sed nuper ob civium multitudinem undique irruentium, hisce relictis, latiorem partem itemque commodiorem pro militibus municipium quaesivit. Tum ibi ex improvviso excitatae sunt beatiorum hominum aedes, villulae honestissimae et palatia; et opportunam nacti occasionem, nonnulli, qui quaestui omnia habent, exstiterunt, qui satis amplam agri partem adquisiverunt, ut civium voluptatibus unice inservirent.

Hanc loci partem *Stadium,* quod indicavimus, appellare placuit.

Est in Amphitheatri modum, ut mos erat olim Romanis. Adsunt hîc innumera scamna pro spectatoribus, adsunt et pro equitibus elegantiores loci. In medio, in usum caveae totum est spatium illud liberum, immensum, quod nunquam, vel ne vix quidem, hominibus impleri poterit...

Quod antiqui scenam vocarunt, et ubi actores comoediam agere consueverunt, apparet hîc ingenti magnitudine et dignissima prorsus, quae ad maxima omnium spectacula adhibeatur. Haec enim praeter omnium opinionem duo millia hominum et amplius, ad hanc Christi passionem repraesentandam, colligebat!

Verum si pro ludis mimicis vel potius pro equestribus locus optime inservit, impar omnino videtur ad comoediam unice agendam, ubi spectatores non modo oculis delectari cupiunt, sed potius verbis et auribus. Quapropter si hac de re sermo erit, uno me expediam, nec diu te morabor, lector; verba actorum atque cantorum prorsus inania erant atque inutilia, quia spectatores nimis longe positi vix et ne vix quidem recitantium verba vel cantus arripere poterant.

Sed ut ad rem propius accedam, haec erat spectaculi summa. Auctoris totius operis[1] consilium illuc potissimum spectat, ut vel ab initio omnium rerum, quibus Magister divinissimus manum admovet, ex ordine, in medium omnia conferat. Haec enim omnis Taurinensis actio longissime differt a celeberrima illa actione, quae decimo quoque anno fit apud Oberrammergau in Bavaria. Facilis res currit illa planiorque a Pilato usque ad Calvarium; atque, ex auctoris consilio, praesertim Christi dolores ob oculos exponit, eosque cantibus et carminibus exornat, et nullo quasi interposito tempore, per integrum diem, maiore semper spectantium cupidine, ad finem usque festinanter procedit.

Mens vero Taurinensium in hac actione longe alia fuit, et magna omnino inter utramque est differentia, ita ut quasi sua

[1] Quo facilius spectatores rem universam arriperent, editum est perutile commentarium, cui est titulus: *La Passione di N. S. Gesù Cr sto,* auctore Attilio Sandagnotti.

ab integro Taurinensis adpareat. Namque, ut Horatius monet,

... nec desilies imitator in arctum
unde pedem proferre pudor vetet, aut operis lex;

auctor libelli, sui vultus speciem unice referens, semper in vestigiis suis fidissime permansit.

Quam varie sapienter et saepe quam curiose res simul congessit! Quo facto, spectatores, uno eodemque tempore atque uno oculorum obtutu res longe dissimiles, sed ad argumentum praecipuum quodam vinculo adstrictas, miro utique ausu simul adhaerentes adspiciunt.

Re enim vera, nostra actio ab horto amoenissimo incipit, in quo Adamus et Heva ab serpente incaute decepti, in lamentabile peccatum prolabuntur, ad suorum filiorum irreparabile damnum. Nec utique, multorum sententia, est auctor incusandus, quasi scriptorem illum imitari voluerit, qui, Horatio auctore, suum carmen incipit:

Fortunam Priami cantabo, et nobile regnum,

et propterea sit improbandus, ut ipsi recte applicetur:

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

A primo namque parentum facinore, omnia, pro re nata, in humanum genus mala delictaque proveniunt, quibus redimendis Salvator divinus denique in terram venit.

In hoc ipso actionis praeludio, post priores parentes a loco deliciarum exactos, gladium manibus perstringens, adparet Angelus oculos circumferens igne micantes. At mox placida et divina veluti vultus specie misericordiam portendens, mulier accedit, quae futuram hominum salutem divinitus pollicita, infantem in ulnis gerens, serpentis caput aliquando fracturam esse minitatur.

Adspicitur quoque Nazareth et domus Mariae, cum Angelo qui divina proxima fata, dimisso ore, profert. Ad haec veluti cumulus accedit, dolens denique orbis terrarum conditio ob improbam hominum rationem, qui fallaci Numinum superstitione vexati, in miserrimo omnium statu iacent. Adparet sed fulgida Crux, et universus orbis *humilis supplexque oculos dextramque protendens,* Eam adorat, unde immensus veluti aquarum fluvius, omnes artes bonae, spes omnium bonorum, atque sublimium humani generis triumphorum origo. Ita praeludium.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

IN HYPOGEUM AD S. CALLISTI

Christicolum sacri veterum salvete, recessus!
Vos iterum visens dat mea Musa melos.
Eia, simul subeamus muta haec antra, Sodales,
Lustremus pariter pignora cara patrum.
Conditur hoc tumulo martyr, qui membra sa-
[gittis
Transfixus, mortem non semel occubuit.
Quem cernis mira sculpsit Berninius arte,
Dignus mercedem partecipare viri.
En pia qua Sacrum faciebant ara Ministri,
Hic flexo orabat fervida turba genu.
At subeamus iter caecis parietibus arduum,
Perpetuam noctem lumen abire cogat.
Ah! quot in effosso video pariete sepulchra!
Salve, sanctorum sanguine terra madens!
Plurima conduntur veterum nam corpora pa-
[trum;
Qui varii variis interiere modis.
Sunt qui verberibus caeduntur membra cruen-
[tis,
Vel fractum pugnis pectus et ora gerunt.
Sunt qui commissi collum mucrone secandum
Martyrii palmam promeruere Polo.
Sunt qui discerpti ferratis dentibus, atque
Raptati in Urbem, caelica regna tenent.
Sunt queis demersis saxo ad colla ligato
Caerulei Tybridis mitior unda fuit.
Hac iacuit fossa dudum Caecilia virgo,
Quae modo caelesti gaudet adesse choro.
Huc concedebat divus quandoque Philippus,
Binam cui costam fregit Amoris amor.
Hic perhibentur sacrata olim corpora Petri
Et Pauli longa delituisse mora...
Christicolum veterum sacri oh! salvete, reces-
[sus!
Vos iterum visens dat mea Musa melos.

AEM. CRIVELLIUS.

PHILOLOGICAE ANIMADVERSIONES

De quadam inscriptione insigniter deformata

In Urbe, atque e regione monumenti *Militi ignoto* dicati, exculpta fuit nuperius in muro haec brevis latina inscriptio, nescio a quo exarata:

ITALIAE MASCULA VIRTUS
ARCES ALPIBUS IMPOSITAS DISIECIT
SUPERBO TRIUMPHO FUNERA VERTIT
HOSTIBUS PACATIS
CAPITOLIO QUIESCIT ET VIGILAT
ROMAE MATRIS AD ARBITRIUM
RESURRECTURA

Etiamsi ALMA ROMA, ex ingenio suo et proposito sibi studio, mitis est et verbis mansueta, haud potest attamen, neque, mea sententia, debet se iusto mansuetiorem facere, ne inde ei malum quid imputetur.

Quid enim hac scriptiuncula ineptius, quid iniucundius? Quid Romanae gravitati magis contrarium? Haec omnis inscriptio maxime est improbanda, quod peregrinitatem e longe redolet et rusticitatem, neque Romanorum elegantiam portendit. Noster si Cicero viveret adhuc, vel unus ex illis qui eius elegantias saperet, et per Urbem deambulans hanc inscriptionem perlegeret curiosius, oculos fricans et refricans, a civibus fortasse peteret, utrum Romae ipse esset, an apud Barbaras gentes a Romanis olim devictas. Nec sane abs re. Romani enim, patrum exemplo exculti, pulcrique sensus optime enutriti, hanc scribendi rationem, a germana puritate omnino abhorrentem indignati, meliora tempora profecto exoptant.

At ad rem quo propius accedam, neque aërem verberans calumniator appearam, ipsas verborum significationes scrutabor, easque ad trutinam quodammodo gramaticalem reducam.

Et primo quidem auctor inscriptionis dixit: *Italiae mascula virtus;* quum omnibus optimae notae scriptoribus mos sit, populum, in hac re, potius appellare quam regionem; sic *Gallos* dicere consueverunt et minime *Galliam.*

Mascula virtus! Quae indigna verborum commixtio! Quam ridiculum vocabulum atque a latina elegantia absonum! Namque ipsa virtus est apud Romanos illa animorum qualitas, quae ad masculos tantummodo pertinet. *Virtus* propterea nihil aliud sonat quam actionem ad virum unice pertinentem.

Nec puer qui adhuc sub rigidi magistri ferula crescit, scriberet: *superbo triumpho funera vertit!* Primum veluti fastidiens nec superbo quidem supercilio expungeret hoc superbum vocabulum Romanorum ingenio minime conveniens. Nos vero, veterum vestigia sequuti, diceremus: *In triumphum* funera vertit! Romani quoque, exemplo nobili patrum freti, a prima aetatula didicerunt

parcere subiectis et debellare superbos!

Hostibus pacatis? Postquam nos ad Plavim dimicavimus, et hostes simul coniuratos feliciter fudimus et victoriam triumphumque insignem retulimus, nondum pacem videre potuimus. Galli novo sem-

per odio in Germanos incensi praeter omnium opinionem feliciores eorum terras occuparunt, maiora in dies minitantes, nisi prius ingens nummorum pondus absolvatur; non est inter Anglos pax, neque inter Italos, qui modo contra Graecos arma parare coacti sunt, modo contra recentes *Iugoslavos* aspere sese gerere.

Idem est de Italia quae *Capitolio* quiescit, quum dicendum potius esset *ad Capitolium,* ex studio praescriptoque omnium acerrimi iudicii virorum, qui mecum graviter queruntur, quod in Urbe, quae semper antea clarissimis floruit latini eloquii cultoribus, publice atque publico loco haec inscriptio in marmore exculpta sit praesentibus moeror, futuris dedecus.

Ecce quomodo, nostra sententia, ipsa inscriptio esset corrigenda:

ITALORUM VIRTUS
ARCES ALPIBUS IMPOSITAS DISIECIT
IN TRIUMPHUM FUNERA VERTIT
HOSTIBUS VICTIS FUSISQUE
AD CAPITOLIUM QUIESCIT ET VIGILAT
ROMAE MATRIS AD ARBITRIUM
RESURRECTURA.

I. B. Francesia.

Calepino tributum

In perficiendos elementarios Ambrosii Calepini de dictionum notitia libros, etsi multi diu laboraverunt, tamen non ad eum finem opus suum usque perduxere, quo recentissima quaeque haberes in promptu, quibus tandem sint verbis enuntianda.

Imo vero illam amplissimam atque altissimam vim, natura et arte singulis insitam latinis in vocabulis, complures per linguae suae gentilis atque mentis peregrinae sensus angustiores vitiat facta versio. Sit exempli gratia: *signum.*

Sidus est in orbe signifero; ast in legione aquila, tuba; nomen in tessera inscriptum; Rubrum mercatoribus Scutum pro taberna suspensum, aut Reginae Pedaucae (anserinum quae pedem habeat) imago; aes in turri signifera, quod claudicando iactantibus clangit ahenatoribus; fictilis idem aut caelata effigies; feriundis impressa cuneo nummis nota; Christi, quam in fronte pingimus, cruces. Et earum rerum, quae cursu publico perferuntur, plura signa sunt varia, ut: claudendis in litteris unum in cera impressum, chartaceum aliud pretii pro vectura dati, agglutinatum, et quum mittentis, tumque accipientis officinae, impresso pictum utrumque atramento. Signa quoque sunt, qui litterarum et vocis loco, correpti productique solent motus aetheris per cassidem auscultari.

Significatae complures sunt res licet dissimiles, unus tamen idemque est significandi in omnibus sensus. Signum enim est factum ex re quacumque indicium.

Iacobus Tasset.

PASSER AD COENAM

Nocte perobscura ventos perpessus et imbres
Solivagus passer quaerit adire domum.
Itque reditque miser, lucentes ante fene- [*stras*
Pipilat, unguicolis vitrea clausa terens.
Panditur; intus adest; quadam dulcedine [*captus*
Per tepidas auras tutus ab imbre volat.
Sensit avem felis, volucrum saevissima [*pestis,*
Et cupidus praedae mussitat ante fores.
At famulus subiens improviso occupat [*hostem,*
Includitque cavo: poena luenda fame est.

A. Nardis.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De novis rebus latine exprimendis

Emm. Iové, *viro clarissimo* Andreae Avalerio, *ex animo salutem.*

Sincere fatebor, mi Avaleri, iam pridem me sermonis tecum instituendi occasionem arreptam voluisse. Si caussam rogabis, tibi forte nullam reddere sciam; id unum tamen accipe, meo tuam semper animo dicendi ingenuitatem quadam quasi mentis concordia omnino collibuisse ac fuisse probatam. His igitur litteris me mihi satisfecisse spero gaudebis, siquidem prior et ut antesignanus duos ante annos epistolare tute exsuscitasti in Alma Roma commercium. Quid mirum ergo, si ad te novic us ego citra timorem me referam? At benevolentiae tuae non utique pluribus opus est verbis.

Ut moris est, Septembri mense in ephemeride hac nostra te legi brevem quidem, sed tamen usque iucundum.

Quomodo recens vox *statistica* latine dici valeret Mario Pavese Abellinensi, uti ipse aliquot abhinc menses quaesierat, recte ostendisti. Verumtamen aut multum fallor aut ille non tam vocis notionem verbis latinis cum contextu satis expressam, quam vocem quamdam simplicem et distinctam, nullaque inconstantia cogitationem exprimentem desiderabat.

Si forte ita fuerit, ex parata via per articulum tuum priorem, ad novum vocabulum propositi cogitati plus minus recte comparatum deveniam.

Optime enim aiebas *statisticam* numerum semper referre, sed, quum relationis extrema re res semper distinguatur, operae pretium est nomen aliud a numero quaerere, quod relationis cum eo non utique rationem amittens, sua ab eo divisam ostendat essentiam. *Numeri* tamen fere sic se habent ad *statisticam,* ut *summae* ad *summarium, chartae* ad *chartarium, arma* ad *armarium* et huiusmodi alia. Quid igitur? Nonne concinnata numerorum tabula quae varias eorum rationes ostendat *numerarium* appellari licebit? Cui hoc maxime accedit quod ut, ex Forcellinio accipio, numerarius Italice sit *computista,* qui vix aut ne vix quidem ab *statista* seu mente dumtaxat differat.

Atque his in praesentiarum satis.

Velim tuis litteris mihi faveas: id dum perficies tuum me animitus esse scias. Etiam atque etiam vale.

Vici, in Hispania.

Herminius M. Iacob lli *clarissimo Viro doctori* Iosepho Fornari *de* Almae Romae *Commentario Moderatori optime merito salutem.*

Perlegenti mihi quorundam nostrorum elucubrationes, saepe solet accidere, ut quum ad talos advenerim, iterum ad verticem, ut aiunt, redire debeam, quia parum admodum, vel nihil intellexeram. Quum ob causam? Intelligentiae forte culpa, vel parvi ingenii, quod est in me? Vere hoc sentio quam sit exiguum: attamen non inficior illud mihi usu minime venire, quum ante mentis oculos Tullii orationes pono Liviique decades, quos latine dicendi iure meritoque principes atque magistros agnoscunt omnes et consulunt. Quo igitur culpa? In elocutione.

Syntaxis enim (sit venia verbo) est obscura, plerumque contorta, verba inusitata, minusve propria et sequioris aevi. Eo usque Quintiliani perduxit oblivio! Memorandum enim inter alia summi Rhetoris perpetuo restitit illud: «Prima sit orationis virtus *perspicuitas*», cui perbelle consonat Supremi S. Patris Nostri Legiferi monitum sapientissimum Epist. Apost. de clericorum institutione, quo commendat *perspicuum dicendi genus,* accuratamque disserendi rationem.

Perspicuum valde, simul ornateque dicendi genus habet Cicero noster Christianus F. Iulius Cordara, quem alias nominavi, in subiecta narratione, qua veluti videre est adumbrata immanis illa recens Iaponicae gentis et lacrymabilis eversio. Perspicuitatis, iunioribus praesertim, ad exempla scriptoris aetatis suae omnium elegantissimi, hîc verba reportare opportunum duxi:

« Vix elatus fuerat, quum nigrescere coepit atris nubibus caelum, crebris ignibus intermicantibus: mox insolita procellae vis cum ingenti fragore deiici. Sub noctem coorto vento vorticoso, quem typhonem appellant, mare totum inhorruit, egitque in eam altitudinem fluctus, ut cives metu exanimes urbem crederent eluvione absorbendam. Stabant ad littus in anchoris onerariae plures, plenae commeatuum. Omnes vis tempestastis confractas contritasque demersit, magno ac publico multarum urbium damno quae, spem annonae in illis navibus habebant repositam. Nec vero mitius terrae, quam mari turbo ferus incubuit. Aedes, cum intra urbem, tum in agro partim ventorum impetu deiectae sunt, aut laxatis murorum compagibus, factae ad habitandum inutiles. Franciscanorum et Augustinianorum caenobia funditus corruerunt. Tria maxima Urbis templa itemque domus, et aedes Societatis vastato tecto, rimas egerunt vix reparabiles. Sed nihil nec aspectu foedius, nec iactura gravius strage palmarum, quibus abundat regio. Earum multa millia radicitus evulsa fuerunt. Quaedam violentia ventorum, ut plumae leves per aërem circum latae ac procul devectae. Omnino speciem agnosceres futuri sub finem temporum excidii omnium rerum. Tavaam quoque, urbem non longe positam, calamitas attigit. Patres collegii Tavaensis, ut saevire tempestas coepit, uno quasi spiritu acti, in sacram aedem convolaverant, pacem Superum oraturi. Pietas saluti fuit. Dum ibi simul in precibus pernoctant, ruinam duxit disiectum a fundamentis domicilium, oppresso nomine. Aedificiorum vastitatem excepit paucis post mensibus tanta annonae gravitas, ut propalam liberi a parentibus venumdarentur et Mahometanis institoribus pretio traderentur ».[1]

Ad ultimum Te rogatum cupio, tempusne effluxerit, responsionis pro sociis Tasset, Iovè, Thomae Abellinensi et aliis, de nominibus latine vertendis, quae alteram partem tenebat meae superioris epistolae, iamdiu dilatae, ne apud sodales ego negligentiae notam mihi et inhumanitatis acquiram. Vale et salve.[2]

[1] CORDAR, *Histor.*, tom. I, part. VI, pag. 162, *De atroci Bazani clade.*

[2] Hercle! non tempus effluxit, si disceptatio tam utilis simul et iucunda perdurat. - I. F.

Res nostra

« Ephemeris Coloniensis popularis » huius anni in fasc. 42, haec habet deprompta ex Neoeboracensi *America Press:*

R. A. Muttkowski Americanus, anno superiore, diebus 25 Nov. et 30 Decembris haec deliberanda proponit: Opus esse sermone per orbem universo. Sed nullam harum linguarum, ne Anglicam quidem, mundanam esse posse; relinqui aut mortuam aut « artificialem » aliquam, postremo latinam aut esperanticam. Comparatione facta, concludit linguam latinam multo esse esperantica aptiorem, neque audiendas esse, quae contra ferrentur, causas. Se nolle negare linguam esperanticam facile percipi ab illis, qui cognovissent latinam, sed: « Cur igitur, - inquit, - non manemus in lingua latina, cuius difficultates post aliquantum exercitationis, sicut multorum saeculorum probat usus, nequaquam sunt tantae, quantae a multis affirmantur? Nam usque ad saeculum XVI haec lingua doctorum fuit nationum omnium, et hodie lingua est Ecclesiae Catholicae.

Hanc linguam, - ait - qui in usum communem deducerent, via ingrederentur certa, linguam redderent aetatis gloriosioris, praestantissimorumque scriptorum facerent copiam, thesauros aperirent ingeniosissimorum hominum, haec tempora cum aetate maiorum coniungerent; quae commoda nulla « artificiali » lingua comparabuntur.

Tam haec dicta sunt lepide, ut desiderium moveant totius elucubrationis Muttkowskianae. Nemone sociorum legit? Nemo exponet ALMAE ROMAE lectoribus?...

A. HABERL.

De Iaponiorum novissima calamitate

Quod immensum malum recens in Iaponia saevit, me impulit ut et apud priores Latinae linguae scriptores locorum et rerum notitias piscarer, et in has paginas meo more, neque, ut satis mihi demonstratum est, sine lectorum favore, referre. Eumdem favorem et hodie me spero assequuturum.

Quem igitur vulgo Iaponem vocant - ita P. Maffeius in *Historiarum Indicarum* libro XII, - eae praecipue tres insulae sunt, circumfusis aliis minoribus interfluo euripo disiunctae. Totius terrae longitudo ferme in ducentas, ut ferunt, leucas excurrit. Huic nequaquam respondet latitudo: decem tantum alicubi patet; summum triginta non amplius; de ambitu nondum aliquid certi proditum est. Iacet ab aequatore in arctum a trigesimo gradu ad trigesimum fere octavum. Ab oriente obversa est novae Hispaniae centum et quinquaginta leucarum intervallo. A septentrione Scythas vel Tartaros et alios ignotae feritatis populos; ab occidente aspicit Sinas, varia pro littorum flexu excursuve distantia. A meridie vasto mari interfuso inexploratas habet terras.[1]

Tellus maxima ex parte nivalis ac frigida, neque admodum ferax. Septembri mense oryzam; quibusdam etiam locis Maio triticum metunt, neque ex eo panes more nostro, sed genus quoddam offae seu polentae conficiunt.

Salubris caeli temperies; aquae bonae; calidas etiam alicubi, medicos in usus, emicare cognitum est. E terrae visceribus incolae varia effodunt metalla, et longinquas nationes ea merce pelliciunt. Arbores vel ad amoenitatem vel ad fructum serunt haud absimiles nostris; unius tamen, quae palmam imitatur, ignoto nomine, admirabile prorsus ingenium. Siquidem, uti perhibent, humorem quemlibet reformidat; si forte maduerit, contrahit illico sese, ac veluti pestifero contactu marcescit. Remedio est, avulsam radicitus, in sole siccare et in vacuum scrobem scoriam ferri contusam, vel sitientem arenam infundere: ibi, postquam aruerit, rursus depacta, revirescit, ac pristinum nitorem decoremque recipit. Rami quoque decidui, seu defracti, si clavo ad truncum affigantur, velut insiti coalescunt. Plurima autem variis locis exsurgit cedrus, tantae proceritatis et crassitudinis, ut inde fabri basilicarum columnas et cuiuslibet, quamvis capacis, onerariae navis malos efficiant.

Ex animantium genere, oves, porcum, gallinam, anserem, foedasque alias domi haudquaquam alunt Iaponii: si caro gustanda sit, ferina vescuntur. Campos boum et equorum militarium armenta; saltus atque dumeta lupi, apri, cuniculi, cervi pererrant.

Butyrum nesciunt; olivo carent: factitio utuntur a cetis ad littus eiectis; pineas

[1] Auctor initio saeculi XVII p. C. n. scribebat.

taedas ac faces, alicubi etiam paleas ad lumen adhibet vulgus.

Procera statura, si cui contigerit, et decoro corporum habitu gloriantur. Lenta plerisque vivacitas; firmae vires. In sexagesimum usque annum militaris aetas extenditur...

Quid de terrae motu?

Audiamus Pontanum.[1]

Gravis et publica calamitas est terrarum commotio et subsultus. montes dividit, puteos obturat, saxa dirumpit, dissipat aedificia, emovet substructiones, exstirpat stirpes, obruit animantes... Amnes in alium cursum contorquentur ac deflectuntur, aut absorbentur, aut exarescunt, et in eos mare influit. Nonnumquam nova, uti novae insulae, novi montes excitantur. Totae regiones contremiscunt, totae urbes, insulae, montes in imum hauriuntur, ut aliquando nullum supersit vestigium. Sed eum ipsum affuturum monent et praecurrunt silentium caeli ac tempestatum, seu maris quietissimus status; non enim unquam terrae tremefiunt, teste Plinio, nisi sopito mari, caeloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant, subtracto omni spiritu qui vehit; nec unquam, nisi post ventos, condito scilicet in venas et cavernas occultas flatu; neque aliud est in terra tremor, quam in nube tonitruum...

Ex adverso in Iaponia novissimus terrae motus cum illa ventorum vi cumulatus est, quam typhonem vulgo appellant. Asseverant - ita rursus Maffeius[2] - pro miraculo haberi, si quis typhonis violentiam effugiat, praesertim vero si diutius saevire perseveraverit. Itaque in tali re nautas, desperata salute corporis, ad vota prius quam ad armamenta et ad humana remedia solere converti; quippe non modo vela vis venti dilacerat, distringitque malos et quidquid exstat ex aqua dissolvit, sed etiam ipsa navigia, praesertim si minus onusta sint, arrepta et in terras usque longo tractu contorta, affigere dicitur. Occupat autem ventus hic marium quidquid est Malacam inter et Iaponem, frequens a mense Maio usque ad Septembrem.

Quem saevientem ventum a Tursellino quoque descriptum repperi[1] his verbis:

Autumni maxime tempore perflat in illo mari furiosissimus quidam ventus (typhonem indigenae appellant) tanto impetu ac rabie, quantam qui oculis non subiecerint, animo concipere non possint. Quippe, quamvis ingentes ac validas, naves immensis fluctibus verberatas laxatis compagibus labefactari dissolvique, nullis neque prorae neque puppis munimentis tantum impetum sustinentibus; fractis insuper antennis, gubernaculis aliisque armamentis abreptis, navigia in ultimum venire discrimen, ac saepe plus nimio exaestuante oceano, ut gurgitibus haustas, aut afflictas scopulis misere interire. Tantopere autem venti illius, aut furiae potius, nomen horreri, ut gubernatoribus ac nautis, quamvis peritis et audacibus, Iaponicum iter non laboriosum magis quam formidolosum sit, impotenti vi maris artem et consilium superante.

Denique ad immanis illius infortunii, quo misera Iaponiorum gens est nuper vexata, luctum augendum, incendia accesserunt, quae effingere vix possumus cum incendio comparantes a Iovio descriptum,[2] quod Venetiis accidit anno MDXIV. Tertio Idus Ianuarias - ita ille - de prima vigilia in Rivalto, frequentissima urbis regione, repentinus ac validus ignis multiplicis mercimonii tabernas primum inflammavit; mox iuvantibus aquilonibus, qui saevissimi ea nocte forte perflabant, atti-

[1] *Progysnasmata latinitatis* vol. III, 13.

[2] *Epistolarum Indicarum,* lib. IV.

[1] P. TURSELLINUS, *Vita S. Francisci Xaverii,* l. III, c. 16.

[2] *Historiarum* lib. XII.

gua etiam aedificia corripuit. Mirum dictu ac visu horrendum quanta velocitate et simul coeperit et ab dextra laevaque in immensum populabundus innumeras aedes, et cuncta simul quae ad Farinas (id loci nomen) et ad forum piscarium vergunt, absumpserit, ita ut momento temporis super semiustas et corruentes domos miserabili vastitate insolitum atque inane loci spatium flammae patefecerint. Eadem violentia, haustis nummulariorum officinis, recta per argentarios ad Apollinaris usque pervagatus, nihil reliquum fecit, praeveniendo remedia miserorum sui rapiditate atque saevitia... Inde perpetuam noctem debacchante flamma, neque exitus calamitatis, neque remedium reperiebatur. Nam ipsa noctis obscuritas, ubi exitialis splendor non aderat, turbatum ventis mare et discurrentibus in contraria cymbis adversum, dissonae plorantium voces ac fugentium callibus angustis pavidarum turba mulierum humanum omne subsidium abstulerant. Denique plena omnia luctus atque moeroris. Nec deerant, qui, specie officii, dum res e proximis flammis ereptas, ac per manus traditas simulatione iuvantium accipiunt, dominis alio atque alio discrimine attonitis, passim furarentur ...

Flagellis huius generis Tokio atque Yokoama, florentissimae Iaponiorum urbes, et loca latissime circum cum suis incolis eversae sunt!

ANONYMUS.

PRO IUNIORIBUS[1]

Hannibal annis CCXVI et XV Nolam, urbem Campaniae, non modo non expugnavit, verum etiam a Marcello, qui urbem defendebat, prima neque ea levi adfectus est clade. Pauca ex minoribus Campaniae oppidis, nullam urbem maritimam cepit. Itaque quum nollent Romani decertare acie, Hannibal non posset minuere fines Romanorum praesidiis occupatos, bellum in Italia constitit.

Romani autem, quorum facile supplebantur copiae, rem gerebant in dies felicius. Hannibal non ita. Nam primum diuturnis praeliis, pereuntibus paullatim veteranis, minuebatur numerus militum et virtus Neque tamen credibile est, quod quidam tradunt scriptores, exercitum Capuae omnibus rebus affluentibus enervatum fuisse. Deinde nullis precibus a Carthaginiensibus, qui rem minus feliciter gererent in Hispania et iniquo adversariorum odio moverentur, obtinuit, ut, quantum satis esset, mitteretur subsidiorum. Postremo Hannibalem ea res fefellit, quod speraverat auxilio venturos esse socios exteros: Macedones et Syracusanos.

e) Primum geritur bellum Macedonicum.

Philippus III, rex Macedonum, qui, ut Romanis eripere posset littoris Illyrici oppida cum Hannibale foedus fecerat, bellum non gerebat serio. Sed quum hunc ad se perduxissent Achaei, Romani foedere coniunxerunt eorum adversarios: cum aliis Graeciae civitatibus Aetolos et Attalum, regem Pergami. Inito certamine, in quo ne adversariis quidem quid vellent quaque ratione contenderent satis compertum erat, rursus vastatur Graecia. Tandem composita est pax, ad quam etiam Romani, quum inertes fere pugnam spectassent, accesserunt anno CCXV.

f) Syracusani ad Carthaginienses deficiunt.

Postea Syracusani, qui post Hieronis II mortem, qui fidelissime cum Romanis steterat, cruentis factionum contentionibus sustulerant tyrannidem totamque Hieronis gentem extinxerant, ad Carthaginienses defecerunt. Sed M. Claudius Marcellus

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Aprilis.

in Siciliam missus, post duorum annorum oppugnationem, tum vi tum proditione anno CCXII Syracusas expugnavit. Urbs intestinis motibus iam afflicta militibus diripienda traditur. Postea civitas tributaria addita Siciliae provinciae est. In direptione ea interiit etiam Archimedes ille rerum mathematicarum peritissimus, quum machinis, quas ipse invenerat, urbem frustra defendisset.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

NECROLOGIUM

Abhinc paucos dies, in villula apud Augustam Taurinorum, inopinato morbo correptus, in amicorum complexu, **Iosephus Puppo,** domo Mele in Liguribus, flebilis omnibus, diem obiit supremum.

Vix e scholis puer egressus, est eas iterum ingressus ut litterarum latinarum magister, ibique gloriose et maxima cum laude versatus est. Quo in munere obeundo, se ita navum atque industrium egit, ut clarum nomen consequeretur, et suorum discipulorum delicium salutaretur. Quam operam per triginta et amplius annos erudiendis publice iuvenibus impendit; et ipsis autumnalibus feriis, remotis otii deliciis, in enucleandis optimae notae latinis scriptoribus, tutissimé conquiescebat. Sapientiae amplitudinem ac litterarum studium virtute eademque discipulorum benevolentia cumulavit. Hisce in voluminibus effigiem quodammodo animi sui doctrinamque reliquit. In ipso studio, improviso interitu extinctus est.

Ingenuus, pius, integer, vitae laborisque patientissimus, sollers latinarum elegantiarum speculator, omnibus acceptus fuit et carissimus.

Viro optimo et sacerdoti prioris exempli desideratissimo, trigesimo post mortem die, funus instaurarunt amici et discipuli, ut caelestis patriae beatitatem adprecarentur.

Ave, delicium nuper nostrum, nunc desiderium, et vale in pace!

In tanti cari capitis iactura moestissimi maerentes scripsimus.

I. B. F.

ANNALES

Germaniam inter et Galliam discrimen.

Novum administrorum in Germania collegium quum ad rerum gubernacula sedit oeconomicumque civitatis statum, remota antecapta quavis animi informatione, considerasset, atque gravissima passivi illius renixus expensas intorabiliores in diem fieri sensisset, et auxilium nullum aliunde esse exspectandum, dum Anglia ad ultimum in discrimine sese neutram profitetur, Galliaque fatetur se in victos magnum animum ostensuram, sibi tandem persuasit a pertinaci via deflectere oportere, atque in deditionem venire. Decrevit igitur ut renixui illi finis imponeretur omnesque in Ruhris provincia ad officinas et labores suos reverterentur. Pronum est adversarias factiones occasionem coepisse ut in administros vehementer insurgerent, tum in ipso legatorum coetu, tum hac illac seditiones et tumultus promoventes: illi autem valida manu huiusmodi tentamina represserunt, deinde a munere sese abdicarunt. Praeses vero rei publicae Stresemanno commisit ut novum gubernium componeret; quod ille brevi, licet non sine difficultate, perficere potuit. Sperandum quidem est fore ut res tandem in vadum trahantur.

***

Discrimen inter Italiam atque Graeciam.

Primi superioris Septembris mensis dies atroci infandoque publico crimine funestati sunt: Italica legatio, quae a legatorum consociatarum nationum conventu in Graeciam missa fuerat, ut fines statueret inter illam civitatem et Albanicam, apud Ianinam urbem, ex improviso ac proditorie impetita, ballistarum ictibus ab ignotis sicariis direpta est. Facile coniici potest quantum omnium animi ignobili hoc scelere commoti fuerint; Italorum praesertim, cuius gubernium viriliter poenas ad resarciendum offensum honorem statim depoposcit, et pignoris nomine Corcyram insulam et quae circum suis militibus occupavit. Refragari Graecos, Albanenses tamquam criminis reos accusare, ad Nationum Societatem appellare, cui iudicandi poenaeque statuendae ius esset... Italis legatorum foederatarum nationum conventus est suffragatus, qui et ipse in causa erat, et diem ad grassatores tradendos Graeciae dixit, iussitque pecuniam ab Italis requisitam depositi loco interim Helvetiae concredi. Praefinito autem tempore frustra elapso, ratas habuit condiciones ab Italis positas ad praestanda damna, quibus per Graecos obtemperandum fuit. Post quae, Itali invasa loca deseruere.

***

Hispanorum res.

In Hispania militaris seditio Barcinone mota, cui rex est facile assentitus, De Rivera imperatorem ad directorium – prouti vulgo dicunt – gubernii adduxit, quod praesertim publicas res diu a partium studio vexatas, reficeret, Mauritanamque quaestionem tandem dirimeret, quae tantam hominum pecuniaeque iacturam Hispanorum civitati huc usque attulit. Videbimus utrum res optatum et laudabilem finem sit assequuturа.

***

Bulgarorum seditio.

Seditio altera, eaque contraria omnino, – ex «communistarum» enim factione agitata est – Bulgariae contigit, eaque discordibus nunciis ad nos usque pervenit. Hinc enim affirmabant repressam eam a gubernio statim fuisse; inde Boris regem eiusque administros fugam capessere coactos esse ut mortem effugerent; hinc in gubernio rerum dominium esse semper, inde gubernium a rebellium Macedonum principe usurpatum. Dum scribimus, revera videtur seditiosa factio, undique circumventa, fuisse omnino dispersa.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

In Gallia vere omnia instaurantur; ipsa **Sodalitas chilogrammatum centum** restituta nuper est, quae bellicis diebus fuerat resoluta. Utilis haec quidem societas; quippe quae sodalibus suis pinguedine affectis cursus pedestres, vel in sacculo, vel in bicyclula, choreas, exsultationes omnis generis liberaliter comparat. Nec profecto epulae deerunt: qui enim chilogrammatum centum pondere gaudet, non est dubium quin gaudeat simul suculentis dapibus vinoque vetusto.

Ceterum fuit quondam tempus, in quo vel futilis causa occasionem praeberet societatis alicuius condendae. Itaque qui rumores horreret «societati silentii» nomen suum proferebat; lurcones et popinones conventus indicebant ad peculiaria edulia gustanda, etc.

In Italia nostra per saecula XVI-XVIII infinitus sodalitatum numerus recenseri potest, plerumque sub « academiae » titulo; earumque et argutae plures, et scurriles nonnunquam, et interdum etiam litteris vacantes, ut Arcadum illa celeberrima. Sed habuimus quoque *Luminatos, Cerebrosos, Immobiles, Incognitos, Inflammatos, Consopitos, Obscuros, Algentes, Tenebrosos, Salsos, Disiunctos, Discipulos, Anonymos, Stolidos, Extravagantes, Heteroclytos, Superbos, Discordes, Inconsultos, Perseverantes, Olympicos, Pervicaces*, et... qui plura habeat, addat.

Socii hi omnes vividi et prompti, festos dies et tripudia machinabantur, in vitam beatam curisque vacuam unice intendentes.

Henricus ipse Lotharingius, Harcourti Comes, « confraternitatem monosyllabicorum » condidit, in qua scilicet quisque sodalis monosyllabicum nomen sibi sumeret. Conditor, quia corpulentus, vocatus est *Rond*, hoc est rotundus – (o sodalitatis chilogrammatum centum venerandum praecursorem!) –; academicus Faret notus erat cognomine *Vetus*, Sanctes Arraud *Crassus*, et sic de ceteris. Helluones conveniebant ad « societatem furcillae », aut « suum ». Si rebus responderent nomina, hercle! decus in virtute positum erat!...

***

O mei lectores, unquamne cogitastis amentia omnes vos esse captos? Atqui – ut monet doctor, qui severissimo studio in nervorum morbos diu incubuit – **ignem, gladio omnes scrutamur**; nempe:

« Mystakostrepsomania », quum sponte et sine sensu barbam ex superiore labro manantem sive ad dexteram sive ad levam partem torquemus;

« Modomania », per quam pilos ex ore divellimus;

« Stomadactycomania », labris digitum saepe appropinquantes;

« Nefamania » spiritum, nec sine rumore, trahendo;

« Strepsorabdomania » quum baculum ad pistrillae morem agitamus;

« Oniscotagimania » unguem dentibus mordentes, vel emittentes tussim, instrumentorum sonitum vel animalium voces imitantem;

« Sinophimania » denique... et nunc profecto, extraordinariam hanc rem meam audientes: nonne enim frontem crispatis aut supercilia in arcum curvatis?

***

Quidquid vero de hisce est, dementia certe laborant ii qui mores affectant cum ortu, acceptaque institutione minime congruentes; quorum unum nobis offert Bernerius noster, carmine quod scripsit **de Zetario fucato.**

Auribus atque oculis, quos nostro hoc exhi-
[bet aevo
Aula iocos, ludens carmine Musa canit.
Vestibus et pariter verbis sese aulicus ornat;
Praecipua ornata cura in utroque datur.
Indumenta parat sibi, quae novus invenit
[usus;
Haec ferat, in reliquis non cruciatur inops.
In se convertens oculos sese undique spe-
[ctans
Ornamenta probat, plaudit et ipse sibi.
Extensos crines manibus disponit eundo,
Saepe quatit vestes, pulvis ut inde cadat.
Artubus incedit rectis, gressuque frequenti
Concinnum ostentat motum, agilemque
[pedem.
Est ruber, elatus calcaneus, est et acutus;
Hinc elegans motus cernitur ille magis.
Occurrit socius fortasse. Hunc laudibus implet
Obsequium simulans, turgida verba canit:
« Sum famulus famuli famulorum, qui famu-
[latum
Exercent tecum, mancipiumque tui.
Tu meus es Dominus, Dux, Princeps, Arbiter
[et Rex,
Te volo, te cupio, te colo, te recolo ».
Audit et irridet socius, cui cuncta patescunt;
At grates simulans reddere gratus, abit.

Aulicus interea, cui servit, pergit ad aulam,
Et pede quos reperit pronus et ore colit.
Pallium et inde cito deponit, et inde galerum,
Ut proprio fungi munere stando queat.
Sistit ubi ante fores extensa ac serica pendet
Culcitra, sic domino est proximus ille
[magis.
Hic si forte vocat, respondens ocyus alter,
Verbis concinnis, voce suavis ait:
En adsum, des iussa mihi, excellentissime
[Princeps,
Nihil mage iucundum, nil mihi dulce
[magis.
Quaerere sic plausus, sic verba effundere
[curat
Aulicus, et reliquis parcere debet inops.
Quae vini mensura datur panisque dietim
Venditur, estque sibi dimidiata satis.
Quod retrahit pretium, parat illi obsonia:
[nunquam
Cum sint illa satis, nunquam erit iste satur.
Artifices renuunt barbam resecare scientes,
Quippe nequit Iulii solvere dimidium.
Ipse sibi est barbae tonsor, dextraque pe-
[ritum
Se faciens madidos radit ab ore pilos.
Forte cutim ferit; iratus dextram odit et ictum:
Consulit en speculum, vulnus inesse dolet;
Nempe cicatricem cruor indicat. Illa ferentis
Fixa ori, artificem se feriisse docet.
Dedecus est ingens; curat tamen illa mederi;
Ast apparet adhuc secta, cruenta cutis.
Vulneris occultat causam, socioque petenti
Respondet: Felis sic ferit ungue genas.
Sic nos mentiri, sic nos servire docemur:
Ad quae non cogit legibus aula suis!
O male sana hominum, nimis et exprobranda
[voluntas!
Ut domino atque homini serviat, haec pa-
[titur.
Quam leviora petit Caeli Regnator, et illi
Qui Deus est, homi es haec leviora negant.
Praemia dat caelum vera, at fallacia mundus;
Ast homo vana capit: nil miser ergo sapit.

***

Iocosa

Exactor ad pensionem conducti repetendam venit. Servus ei respondet:

— Dominus e domo aberit mensem et ultra, neque meminit mihi pecuniam relinquere.

— Hum! Verene ille oblitus est?...

— Quid dubitas? Proficiscens mihi ipse dixit!

Tuccii mater, postquam exitum periculorum filii in schola audivit, ei moerens:

— Superiore anno praemio decoratus magnam me affecisti laetitia: hodie ex adverso...

— *Egoistam* esse minime decet; hoc anno curavi ut eadem laetitia mater alia afficeretur!

***

Aenigmata

I.

(Vulgo *Rebus*).

TILIA TILIA
net
FILIA FILA

II.

Totum haud est *totum*; cervicem tolle,
[docebit.

Aenigmata in fasciculo Iulii mensis proposita his respondent: I (vulgo *Rebus*): I bis = *Ibis*; II: *Saturnus*.

IOSFOR.

LIBRI DONO ACCEPTI

Héradryas l'Amazone. Roman par BERNARD NABONNE. Parisiis edid. E. Figuière, 17 Campagne Première. – Venit fr. 6.

Tentatives. Cahiers trimestriels d'Art et de Littérature – Fasc. 2 – Grenoble, 1 rue Deufert Rochereau. – Venit fr. 5.

FRANCESCO SOFIA ALESSIO. *Asterie*. Traduzione di Duilio Zuanelli. - Edid. off. Bronca in oppido Valdobbiadene (extra commercium).

TOMMASO MARIO PAVESE. *Nuove poesie*. Seconda edizione. – Neapoli edid. Societas editrix P. Federico et C., Ardia 1923 – Ven. lib. 2,50.

AD FONTEM BELLAQUEI 7

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

CARD. Nec dubitarem latis pro laboribus
Deum Vicario futurum prodere,
Et Romae clarum secum Capitolium,
Quod tot triumphos super vidit hosti-
[bus...
Iuvat sed ingredi sanctum Pontificem,
Me me volebat nuper qui constantius.
IS. En ipsum!
CARD. Heu me! quantum mutatus miser!

SCENA VII.

PONTIFEX *et* DICTI, *deinde* CUBICULARII *et* SACERDOTES.

PONT. Videbar hîc audire voces laetantium...
Forent heu! quantum rebus adversa-
[riae!
Luctus nunc et labor.
CARD. [1] Pater sed desiit!
PONT. [2] Tu?
CARD. Ego! Vix liber, magnis itineribus,
Huc veni, Pater!
PONT. Liber?
CARD. Sic, Pater, admodum!
PONT. Oh! si fuisses mox praestans ad latera!
Quo suffultus provido consitio
Haud scripsissem!.. Pressus, sed malis
[obrutus
Spectris futuri Ecclesiae schismatis,
Miser signavi! Tum Deus stimulis
Me me correxit asperis conscientiae;
Audax rescripsi magna cum constantia,
Meumque lavi peccatum cum lacrimis.
CARD. Peccatum? Dices minime, Pater! iniu-
[riam
Tibi facis! Fuit mentis infirmitas,
Brevis molestiis et aberratio.
PONT. Suum me servum sublevat et recreat!
Oh! si fuisses! Voluit me gratia
Donare maxima, praeter fiduciam.
Eram post Christi sanctum sacrificium
Maestus ob cunctas ceteras molestias,
Precabar Caput precibus perpetuis,
Suum ne tamdiu gregem percuteret:
« Vides quot fluctibus tristis abripior:
Omnes elapsi truci sunt exsilio,
Meusque spiritus confectus, obrutus
Potest sufferre iam iam tot angustias ».
Et tunc serena de caelis adparuit
Mille spirituum choris circumdata
Dei Virgo Mater subridens dulciter,
Quae multis circa radiis splendidior,
Dixit manere Romam me propediem,
Novoque velle decorari nomine.
Quî? dixi... Et Illa... [1]
I. Tandem cecidit!
II. Ruit!
III. Superbum caput!
IV. Ipse captivus venit...
PONT. Quinam rerum rumor, strepitus gen-
[tium?
I. Est ista prorsus populorum novitas!
VOCES. Vivat noster Pater, noster et Pontifex!
Eum videre liberum nos volumus!
ALIAE VOCES. Vivat! Vivat! Ad maenianum
[veniat!
Ruit superbus imperator, furcifer!
Nostros qui filios bellis disperdidit!
CARD. Pater, Te populus vocat adsiduus;
Omnino decet morem eius prosequi.
OMNES. Vivat! Vivat! Ad moenianum Ponti-
[fex! [2]

(Ad proximum numerum).

[1] *Quasi ex improviso.*
[2] *Admiratus.*

[1] *Magnus hîc oritur rumor: hinc inde concurrunt Cubicularii, Sacerdotes aliique inclamantes.*
[2] *Aperiuntur fenestrae; Cubicularii praecedunt et aulaeum, honoris gratia, super podio extendunt. Mox inter populi silentium procedit Pontifex.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. I: *De salutatoriis formulis, De valetudine percontatio, Morbi, Medicamenta.* – Lib. 2,60.

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 200 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 400, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. X Romae, Mense Novembri MCMXXIII Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE EMERICO MADÁCH

CENTESIMO RECURRENTE ANNO

AB EIUS ORTU

Nullius poëtarum Hungaricorum, si Michaêlem Vörösmarty, Ioannem Arany et Alexandrum Petöfi exceperis, de cuius vita et carminibus in *Alma Roma* mentionem feci, fama nominis tam longe lateque diffusa est, quam Emerici Madách, scriptoris celeberrimi carminis scenici, quod *Tragoedia Hominis* (*Az ember tragédiája*) inscribitur.

Emericum Madách idem an. MDCCCXXIII, qui Petöfium, tulit, et quemadmodum pari tempore ortus, ita etiam quadam et propinquitate et erectione animi cum eo coniungitur. Et quum Petöfius suos et gentis suae affectus describendo civis mundi et incola evasit, Emericus Madách in suo carmine scenico id sibi proposuit, ut eius modi argumentum eligeret, quod ad omnes totius orbis terrarum gentes et homines pertineret.

Ex quo *Tragoediam Hominis* I. Arany, clarissimus ille poëta, in numerum retulit operum Hungaricae poëseos celeberrimorum; viri autem recentiores uno ore dicunt hoc carmen scenicum finibus Hungariae, nunc sane exiguis, contineri non posse, idque dignissimum esse, quod ubique terrarum assidue legatur.

Quod ad carminis propriam et singularem naturam attinet, hac de re alii aliter senserunt. Fuere, qui dicerent *Tragoediae Hominis* poëtam partim Victoris Hugo, celeberrimi poëtae Gallorum, opus epicum, quod *Legenda Saeculorum* (*La Légende des siècles*) inscribitur, prae oculis habuisse, partim nonnullos locos locutionesque ex carmine scenico Wolfgangi Goethe, *Faust*, derivasse.

At hac de re longam sane disputationem edidit Carolus Szász; ex qua colligi potest, esse quidem quamdam similitudinem carminis poëtae nostri cum operibus supradictis, sed quod ad primum attinet, opus Gallici poëtae autumno anni MDCCCLIX editum est; E. Madách vero iam illo ineunte anno opus aggressus fuerat eique primo vere insequentis anni ultimam manum imposuit.

Certissimum est, animum poëtae Hungarici in *Tragoedia Hominis* scribenda a duorum poëtarum exterorum operibus commotum esse, Byronis scilicet, gentis Britannicae poëtae, et Wolfgangi Goethe, poëtarum Germanicorum facile principis. Prioris fragmentum scenicum *Cain*, poste-

rioris carmen scenicum, quod *Faust* inscribitur, E. Madách sibi aliqua ex parte imitanda assumpsisse videtur; ita tamen, ut in rebus compluribus summique momenti omnino suus esse putandus sit. In exteriore parte manuscripti ipse scribit: « Coeperam a. MDCCCLIX 17 die mensis Februarii et perfeci a. MDCCCLX, 26 Martii » ; quibus colligi potest, quanta celeritate hoc opus excellentissimum fecerit.

Poëta carmen suum, quum a. MDCCCLXI, legatus oppidi Balassagyarmat una voce electus, Budapestinum in comitia regni est profectus, secum tulit et Ioanni illi Arany subiecit; qui scena prima lecta opus reliquit. Id non aliud, quam celeberrimi illius carminis, quod *Faust* inscribitur, imitationem vilem esse putabat. At integro opere iterum atque iterum diligentius evoluto, haec fere scripsit Michaëli Tampa et ipsi poëtae: « Quum de poësi mentionem faciam, tandem aliquando verum ingenium inveni ... Opus est carmen hoc scenicum aliqua ex parte *Fausti* illius simile, sed omnino sine cortice nare potest. Sententiarum sublimitate plenissimum est ... Primum ingenium est post Petöfium, qui omnino novam rationem suscipit. Dolendum est eum non esse satis exercitatum in versibus scribendis. Sed huic rei forsitan remedium inveniet ».

In epistola vero ad E. Madách paulo post data, animo firmo constantique enunciat *Tragoediam Hominis* cum conceptione, tum compositione insigne opus plane esse.

E. Madách antiquissima nobilique familia a. MDCCCXXIII, duodecimo Cal. Febr. natus est in pago Alsósztregova in comitatu Nogradiensi. Unus de maioribus eius, qui Radon de Oszlán appellabatur, nobilitatem ab Andrea II, rege Hungarico, anno MCCXXXV accepit. Puer, sex classes gymnasii domi frequentavit et tentationes in gymnasio scholarum Piarum Vaciensi (*Vácz*) felicissimo cum successu subiit. Philosophiam Pestini audivit a. MDCCCXXXVII. Infirma quum valetudine uteretur, mater sollicita ei mensam runcinandi emit, ut eum a libris dimidiam saltem horae partem averteret.

In litterarum Universitate Budapestinensi inter primos numeratus est, quum ibi eo tempore complures iuvenes eximii ingenii essent, quorum Melchior Lónyay et Iulius e comitibus Andrássy, posteriore aetate rerum externarum administer, memoratu dignissimi sunt.

Poëta noster iam a pueris in poësin ferebatur. Budapestini vero quum commoraretur, etiam theatrum libenti animo frequentabat.

Prima carmina eius typis mandata sunt an. MDCCCXL; qui liber inscribitur Flores lyrici (*Lantvirágok*). Rudimenta eius scenica iam « pessimismum », qui vocatur, redolent, quo animus eius liberari nunquam potuit.

A. MDCCCXLV uxorem duxit Elisabetham Fráter, quum annum ageret tertium supra vigesimum. Matrimonium vero infelix evasit. Hungari quum pro libertate defendenda arma cepissent, mors tum Mariae sororis, tum Pauli fratris luctum immensum ei attulerunt. Soror eiusque maritus filiusque a Valachis sunt trucidati; Paulus vero, vicecomes comitatus Nogradiensis, quum Windischgrätz duci Austriaco, patriae inimicissimo, se dedere noluisset, aufugere coactus, in diversis itineribus frigore tentatus diem obiit supremum.

Poëta ex cogitatione mortis dolore gravissimo est affectus; imo fere fascinabatur ita, ut una cum Byron eam fontem aeternitatis arbitraretur. Animus detrimentis propriis, mens sorte funesta gentis suae cruciabatur. Accessit, quod, quum Ioannem Rákóczi domo profugum propter persecutionem Austriacorum, hospitio excepisset; anno MDCCCLII in vincula coniectus est. Dum Posonii (*Pozsony*) et Budapestini per annum carcere includitur, uxor fidem fregit; quo factum est ut poëta a. MDCCCLIV ab ea discesserit.

Hinc praesertim repetendum, quod in *Tragoedia Hominis* Adam semper et ubique spe destituatur et quum sono excitetur, desperet ita, ut in se totum genus hominum perdere velit, ne ea, quae Pharaonis, Miltiadis, Sergioli, Tancredi, Keplerii, etc. partes agens experiretur, exitu comprobarentur. Adam consilium perficere non valet; Dominus ei commiseretur et consolatur: « O homo, pugna - ait - et perge fidenter!... ».

Quae praestantissima verba praecipue nostra aetate genti suae a poëta iterata videntur: o utinam! eamdem vim sint habitura!

Dr. VINCENTIUS LAKATOS.

DE RATIONE

GEOGRAPHIAE IN SCHOLIS TRADENDAE

Non semel in ALMAE ROMAE paginis doctorum hominum iustas querelas legi de rationibus, aliquot iam decennia, in scholas ordinis secundi illatis, linguam latinam adolescentes docendi; ex quibus fiat ut alumni nedum ament, nobilissimum illud et amplissimum studium odio demum habeant.

Liceat hodie mihi addere et geographiam, sive terrarum descriptionem, ita tradi in illis ludis passim solere, ut pueri identidem ab huiusmodi scientia potius avertantur, quam alliciantur utiliter.

Sunt scilicet magistri, qui trilustribus pueris fluminum nomina longissima serie expromunt, ubi omnes aquarum totius orbis cursus descripti alius post alium exhibentur, additis singulis urbium nominibus, quas flumina ipsa attingunt eorumque longitudine numeris expressa, et similia. Quid inde? Tot nominibus, tot numeris adulescentes defatigati studium plane derelinquunt.

Item et huiusmodi disciplinae tractatus complurimi, quibus maxime docentes utuntur, aridissimi sunt, terrarum vel civitatem imaginibus aere cusis et coloribus distinctis carentes omnino, quum neque tabulae, quae ex parietibus pendent, legi possint, sive quod discipulorum ab oculis nimis longinquae, sive quod huc illuc maculatae, vel tineis perforatae; quin etiam non raro accidit - liceat aperte fateri - ut mira animorum concordia hinc magistri, inde discipuli simul spernant.

Atqui athenaea novimus disciplinae huius rationem satis innovasse: steriles nominum series expunxisse, generales formas admovisse, quibus hominum gentiumque historiae explicarentur; peculiarem doctrinam de mundi ortu atque vicibus interrogasse, deque primaevis mundi phaenomenis, quae nuda terrarum disciplina non enodaret. Cuius quidem auxiliaris disciplinae praesidio alpium origines cognovimus, innotuitque quibus legibus a torrentibus valles adimpletae fuerint atque a lacubus adluentes terrae sint completae; et platearum glacialium vitam motusque vidimus, et quousque latius antiquitus eae sese portenderint, et quomodo exinanitae fuerint, et cortices multiplas, quibus montes constant, conflaverint.

Populorum pariter hominisque disciplina satis pretiosa documenta ad rem attulerunt, quibus leges sapientibus viris constituere datum est, quae populorum vitam constringunt, et elementa quibus alii seiunguntur ab aliis, et praecipuam singulorum indolem peculiaresque cuiusvis gentis fines, quos earum historiae proferunt.

Philosophus ille mentis acie praevalidus, Hippolytus Taine, non sine fortuna primus perscrutatus est quae et quanta ad hominum fata provehenda, terrarum, montium, aëris vel maris, vel tempesta-

tum influxus potuerint, ita ut inter homines atque naturae adspectus, quos circa vitam agunt, intimus abditusque nexus intercedere videatur. Quod plane co spicimus Indis contingere, qui nimia terrarum foecunditate aërisque suavitate enerves facti, ad labores inepti, ad bellum impares exterarum gentium iugum absque repulsa patiuntur.

En itaque quo factum sit ut terrarum haec doctrina ab omnibus disciplinis fuerit auxilio donata, seseque circum subsidiariam veluti doctrinarum seriem constitutam habuerit; ipsamque historiam, cui antea praecipue mancipio tradita fuerat, hodie, contra, necessario semper comitetur, ita ut Cousinius, Gallicus philosophus, conclamaverit: « Praebe mihi regionis formam, atque ego vicissim eius historiam enarrabo ».

Haec quae summatim attigi velim magistri sub oculis habeant, dum terram discipulis describere aggrediuntur: si studium hoc cum ceteris cuiusque ordinis apte sociaverint, non est dubium quin non praestans modo, sed et gratum et facile satis discipulis idem sint reddituri.

R. F.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta [1]

II.

Actio proprie dicta inchoatur quum Iesus, magna puerorum virûmque comitante caterva, ad magnificam Iudaeorum urbem principem, incredibili populi adclamantis laetitia, triumphans invehitur. Dum vero ad moenia accedit, item cives subito huc illuc cursitantes apparent, quo melius Magistrum optatissimum accipiant. Omnes certatim obvii ei fiunt, se se vestibus exuunt, ut eas ad eius pedes proiiciant; hîc stragulavides, illic tapet'a humi iactata, nec utique pauperiora, sed barbarica illa superbe depicta, quae in beatiorum aedibus mirari passim consuescimus. Interea pueri innumeri manibus per aërem palmas agitant, olivarum ficorumque ramulos, et innumerabiles vasto miscent in aëre voces.

Quum primum res ageretur, adfuit quoque insignis illa cantorum Romanorum « schola polyphonica », quae ovanter in omnibus Europae civitatibus fuerat accepta.

At prae ceteris infinita puerorum puellarumque turba notatur, quae dum Magistrum, quem unice deperit, adclamat, ad eum propius accedere festinans nititur. Et illico, ne umbra nigra desideretur, seorsum atque inani furore frementes oculisque lividis adsunt Scribae ac Pharisaei, qui rem taciti observant et dolos moliri opertos videntur. Proximat enim decima dies mensis *Nisan,* quum unaquaeque Hebraeorum familia ad agnum rite manducandum se se parat.

Et verax et vaticinatus Dei Agnus, hac ipsa hora, moriturus Urbem invehitur!... Quod equidem discrimen inter triumphum Iesu, et gloriosum Romanorum triumphum atque imperatorum, qui olim ovantes viderant aut forent in aevum Ierusalem visuri!

Mirus tamen est atque immensus actorum numerus, qui omnem spectantium exspectationem longissime superat; atque ita omnes personam suam sustinent, ut rem verissimam promant. Sunt enim duo millia circiter hominum. qui scenam ingrediuntur!

Adest simul, per actores, ut spectantium animos dulciter afficiant, nobilis visio. Rapidi apparent, et tamquam pulverem adhuc ungulis quatientes, equi depinguntur bigis

[1] Cfr. fasc. sup.

subvecti, a Satana atque a morte conducti, Nabuchodonosori servi, Pharaonum, Alexandri Magni, Antiochi, Pompei atque Flaviorum. Hi omnes inter veluti pulveris nebulam diffugiunt, quasi a Iesu humiliter triumphante exacti, qui vitam atque amorem spargens divus incedit.

Interea Iesus ex asello desiluerat, et Scribae lividis oculis animisque hostilibus eum undique adgrediuntur, incusantes quod talia sibi permitteret, quin imo tacita auctoritate sua hisce faveret inani veluti gloriola raptus.

Et turba timida iam ac mobilis animo nunc huc, nunc fluctuat illuc, et tacita sistit, haesitat, disserit et animosa demum male dilabitur.

At Iesus, omnia praesagiens, urbem peramanter contemplatus, illacrimat, quod infelix teterrimum omnium facinus praeparet; eique moerens ultimum diem et miserrimum praedicit.

Perperam vero ipsi haec accipiunt, nihil prorsus timescere videntur futuram urbis cladem atque ruinam per Romanorum exercitum. Dolent e contrario quod mercatores a templo expellat eorumque mensas ac merces male perdat tamquam domum Patris violassent.

Magistro interea, mutata scena, multi obferuntur aegroti, ut sanentur; quos ipse hilari vultu accipit, solatur, et curat; et nulla prope interposita mora, ad turbas accedit, quae eum undique quasi comprimunt atque irruentes urgent. Quas ipse mira pietate docet atque ad caelestia desideria erigit, caelorumque ianuas, obseratas, terrigenis prius propius esse aperiendas pollicetur. Eum auscultant perlubenter. Pueri denuo ex more irruentes Iesum circumeunt, premunt et insectantur. Adsunt et matres, quae infantes ultro suos obferunt, ut magister eos tenere accipiat eisque cuncta bona atque opportuna precetur.

Actus optime clauditur a Divino Magistro; qui caelesti lumine praefulgens, omnibus circa admirantibus, insignia illa ac novissima verba mortalibus profitetur: *Sinite parvulos venire ad me.*

Apostoli, qui maximo studio nituntur, ut illam puerorum turbam repellant, insigniter illius divina vocis auctoritate perculsi, graves graviterque desistunt, impense amoris oraculum admirantur et superni Magistri aspectu obstupescentes tacent.

Dum diem immortalem Magister tot operibus cumulat et divinis benefactis terminat, ex tenebris prosiliunt improbi adversarii, et ultima in Iesum dolis insidiantes, multa inter sese mussitantes, moliuntur:

Ibant obscuri sola sub nocte per umbram.

SUBALPINUS.

(*Ad proximum numerum*).

VERGILIUS ET MAECENAS

Carmen Alfonsi M. Casoli S. I., in certamine poëtico Hoeufftiano a. MCMXXII magna laude ornatum. [1]

Vesper erat: croceo nubes splendore nitebant
sole sub occiduo, qua lux fulgentibus aurea
ambibat radiis, caeli dum caerula lento
agmine findebant, pelagus ceu classis apertum.
Solus in excelso Maecenas forte cubiclo,
unde erat immensam late prospectus in urbem,
sederat immunis curaque solutus ab omni,
multa tamen secum reputans; cum servus adesse
Vergilium de more refert recipique rogare.

[1] Non sine moerenti animi perturbatione carmen hoc clarissimi poëtae, ad nos his diebus ultro missum, edimus, quod *Cycni cantus* vere appellari potest. Priusquam enim indicium de eo ab Amstelodamensibus iudicibus proferretur, auctor, Augustae Taurinorum repentino morbo impetitus, ad Superos evolabat!...

Annuit et laeto Maecenas excipit ore
gressibus incertis venientem et fronte reducta.[1]
— Salve, care mihi, cunctis et care poëta,
quo non alter erit potior cui dulce latina
adnuerit carmen, mirata vel ipsa, Camoena... —
Erubuit, qualis non cognito ab hospite [virgo
erubuisse solet, vultu laudata venusto:
at mox: — Sic cupido, Maecenas, dîque deae- [que
promere concedant quod vera haec omina [monstret.
Atque equidem vellem maiora audere... Pro- [fecto
cor tibi magnanimum mentemque dedere ca- [pacem,
Maecenas, Superi: manibus res publica firmis
consilioque tuo regitur secura per aequor,
quo tamen haud fluctus rabidum posuere fu- [rorem.
At solis tu armis, tu solo milite reris
constare imperii forte Augustique salutem.
Non ego sum sane qui contra dicere possim
experto rerum et longe longeque tuenti.
Paupere de genere et natum me patre colono
iam mirum Musis adeo placuisse latinis
ut tibi sim carus, tibi dulcis dicar amicus...
Ultra audere nefas, nec eges tu auctore poëta:
attamen... — Heic haesit turbatus et ora re- [pente
fixit humi tacitus. Cui blandis vocibus atque
leniter arridens Maecenas:
— Tene — reponit —
dissimulare, Maro? mihi tene abscondere sen- [sus
qui tua forte premunt iamdudum pectora? [notus
sic tibi Maecenas? quando non auribus hausi
consilia attentis, quae prudens quisque putaret
danda mihi summis etiam de rebus? id ipse
iam facias, oro, per siquid nomen amici
sacrum habet; audenter loquere, omnem pone [timorem. —

* * *

Tum caput attollens, attollens lumina vates
circumfusa novo, quali non ante, nitore:
— Pax opus Italiae: toto pax orbe vigebit,
pacata Italia. Nimium consuevit in armis
clade ferox multa ac lymphata cruore iuventus,
cui sola est iamnunc pugnare et vincere virtus,
solaque sunt lucri fons publicus arma et ho- [noris.
Vis una in pretio est: fac demum bella quie- [scant:
omnia seditio miscet miscetque tumultus.
Ah, non hoc Italis, Divi, evenisse sinatis!
nec genus hoc vitae nobis statuistis, opinor,
vivendum posthac. Hostes depellere, fines
tutari imperii, romanum reddere nomen
carum subiectis formidatumque superbis,
sed cuncta ut iusta composta pace fruantur,
hoc nostri fuit, hoc nostri sit muneris usque.
Perpetuas sed enim vires ad id unde trahe- [mus?
unde is amor patriae vivax et sanctus aletur
pro patria, qui dulce mori doceatque deco- [rum?
Anne putas patriae sincero ardescere amore,
qui leges temnit miserave cupidine victus,
in patriam furit, in patriam movet improbus [arma?... —

* * *

Substitit heic paullum. Totus pendebat ab [illo
Maecenas, sed adhuc quorsum Maro tenderet [anceps:
utque moras sensit, rupto sermone, trahen- [tem:
— Publi, quis sanus — dixit — non pacis [amator?
Augustus pacem, pacem nos quaerimus omnes.
At sunt qui malint bellis civilibus escam
praebere assiduam, sive illos incitet ira,
sive mala ambitio, quod non fortuna secunda
imperii summam demum permiserit ipsis.
Est equidem reor hoc pacis fundamen ha- [bendae,
Caesaris in partes si miles cesserit omnis.

[1] Cfr. Vergilianas Vitas veteres.

Iudice me, Caesar, fatis monstrantibus, est qui
sustentare queat romanae pondera molis
unus: dira manet nosmet nostrosque nepotes,
Caesare sublato, qua maior nulla ruina.
Hinc ego te, Publi, Varium Tuccamque ro- [gavi
saepius et Flaccum, prolixo ut carmine facta
magnanimi Augusti canerent populumque do- [cerent,
hunc, Divum instinctu, rerum imperioque po- [titum. —

* * *

— Atque ego (sic dexter mea vota secundet [Apollo)
— Vergilius trepidis sed claris vocibus infit —
Caesareas laudes et sceptra ex ordine longo
debita Caesaribus iam prima ab origine du- [cam.
Hoc operis meditor, nisi spes me ludit inanis,
forte quod invideat Latio vel Graia Camoena.
Sed prius est animos vulgi pacare tumentes
atque pio rursus pubem mollire labore.
Fac redeat campis bello distracta iuventus,
fac suus agricolis stet honos tranquillaque [vita,
ut laribus castis et inempta fruge beati
nil supra cupiant; pax terras alma reviset
et sponte imperio subdetur Caesaris orbis.
Quisquis amat campos tectumque fovere pa- [ternum,
ordinis ille tenax et servantissimus aequi:
nullaque res adeo potis est mansuescere corda,
quam placidae ante oculos species telluris [amoena.
Adde quod utilius nihil est: nam, pace se- [questra,
Italiae rursus flavescent messibus arva,
rursus oliva suis nigrescet splendida baccis...:
nam tu magna parens frugum, Saturnia tel- [*lus*... —[1]

[1] Haec et nonnulla quae sequuntur desumpta vel parce detorta a libro II Georgic. prudens lector agnoscet.

* * *

Plura locuturo vox imis faucibus haeret
perque genas subito lacrima infraenata perer- [rat.
Qua specie motus, dans collo brachia circum,
toto Vergilium Maecenas pectore stringit.
Deinde: - Quid est - inquit - cur sic turbaris, [amice?
Grata quidem semper, verum gratissima verba
haec tua sunt mihi. Ne pigeat quae mente [revolvis
credere carminibus: video tibi multa Camoe- [nas
inspirare animo, quae me secreta latebant.
Sed iamnunc, Publi, tua certus mente libens- [que
consilio excipio; Superosque, deosve deasve,
si qui sunt caelo,[1] teque ipsum, care poëta,
quem veneror, testor, (nam tu mihi magnus [Apollo)
me vires operamque meam sine fine daturum
ut, voti compos, laetam traducere vitam
agricolas videas et cultu hilarescere campos.
Ast ego quod iussis, tu carmine praecipe va- [tes,
carmine persuade... —
Tum paullum veste reducta,
Vergilius parvum premens de pectore librum:
- Hoc - ait - assiduo gratoque labore peregi
carmen iampridem de rure tibique dicavi:
quod si non renuis, si iudex excipis aequus,
forte aliud, menti quod nunc obvolvitur, ad- [dam... —

* * *

Excepit, libroque statim lecturus aperto
totus inhaesit eques penitusque absorptus in [illo est.
Forte locus suberat, quo vitam laudat agre- [stem
divinus vates, fortunatosque futuros
praedicat agricolas, *sua si bona norint.*

[1] Maecenatem deorum parcum cultorem, ne dicam contemptorem fuisse constat.

Ut totum attentis oculis et corde micante
perlegit tractum miri ad finem usque libelli,
tum caput attollens Maecenas:
– Aequoris – inquit –
Vergili, *adhuc spatium superest nec solvere colla*
tempus equum: dextra quae incepta fuere Mi-
[nerva,
perfice: sic iubeo, sic prudens quisque iube-
[bit,
cui decus et gentis cordi sit gloria nostrae.
Dulce etenim carmen, quantum non protulit
[aetas
ulla prius, credo, nec postera proferet ulla,
care poëta, tuum: nec pectora nostra poësis
blandior aut magis illapsa est hucusque ve-
[nusta.
Macte animo, Romae decus et spes altera,
[Publi —

* * *

Qualis ubi prima aurorae sub luce rubescit,
mox totum nitido caelum candore renidet,
lumine dein solis late perfunditur aureo:
sic vatis varium mutarunt ora colorem.
Assurgit: micuere oculi steteruntque capilli
et velut afflatus praesenti numine mentem:
– *Primus ego* – exclamat – *referam tibi Man-*
[*tua palmas,*
Primus ego, Italiae *magno percussus amore,*
Aonio i patriam *deducam vertice musas.*
Mox tamen ardentes adcingar dicere pugnas
Caesaris et sanctum divina ab origine nomen.
Quod tua, Maecenas, si haud mollia iussa se-
[cutus,
abripiar fatis, maiora infecta relinquens,
sat mihi laudis erit, sat erit mercedis id unum,
posterus et quotiens relegat mea carmina, di-
[cat:
– PACIS AMATOR ERAT: PACIS FUIT OMNIBUS
[AUCTOR,
REDDERET ITALIAE QUAM SOLUS CULTUS AGRO-
[RUM. –

Multo facilius invenit siderum conditorem humilis pietas, quam siderum ordinem superba curiositas.
S. Augustin, *Serm. de Eclip.*

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De una eademque apud omnes pronunciatione latina.

Iosepho Fornario, *ornatissimo viro et praeclaro Almae Romae Moderatori*, Emm. Jové C. M. F. *salutem.*

Haud quidem ex his ero, qui ad te Latinitatis assertorem egregium litteris non Latinis scribere ausim. Harum et ipse captus amore, longe lateque per orbem nostram linguam quam citissime velim diffusam, non tamen quoquo, sed perfectissimo modo. Ut hodie habet, quamvis eam nos iterum iterumque universalem praedicemus, nationalis inique perstabit, donec proscriptis eiusdem barbaris cuiusque gentis pronuntiationibus, una eademque classica, *scientifica* et historica tot saeculis situ occupata in vulgus propaletur, nosque eam priores perpalam et citra metum (quod ad me attinet sic praesto) ubicumque locorum proferamus. Me non latet equidem tota hac de re doctrina, seu conclusiones certae ex tot philologorum, praecipue Germanorum, sudatis laboribus, at quibus etiam nitantur illi argumentis oporteret dignoscere, nam clariores « Renatus » Latinitatis cultores atque veteres omnes grammatici, quibus utor quique sunt mihi in manibus, ad cultum recentem non suppetunt rei tanti momenti probandae.

Si Avalerius opem tulerit auctoribus illis Germanis, quos fortassis habebit, non multo labore, solidissimis argumentis omnium alphabeti Latini litterarum *substantialem* saltem geminam pronuntiationem definire atque fulcire in hac « Alma Roma » licebit.

Amici complures mihi dictitarunt atque scripserunt in huiusmodi re ephemeridem tuam primas habere partes, atque eius esse id negotii assumere et hanc pugnam potenter pugnare.

Quid tibi videtur? Meam qualemcumque operam in caussa tibi non defecturam assevero. In primo huius praeconii Latinitatis fasciculo aliquis ab Tasseto fuit sermo, qui ut notula ad sextae pagellae calcem a te, opinor, apposita, patuit tibi fuisse valde probatus. Quid quod in posterum ne verbum quidem de eo sit amplius in « Alma Roma » prolatum?

Spero fore ut, sicut ego ad te scribo, mihi tu pariter tuis litteris sententiam tuam aperias.

Bene vale.

Equidem, o Emmanuel dulcissime, hanc « Almae Romae » provinciam ingressus, quaestionem de latinae linguae una eademque pronunciatione vel a limine agitandam proposui, quamquam temere id facere sentiebam. Sane, in campum descendit nemo, fortasse quod in mentem sibi quisque revocaret atramenti flumina iam in eam diffusa esse, quum tamen nihil aliud quam laterem aliquis lavasset. Ecquis enim demum concederet unam vel alteram veram esse, et esse adhibendam latinam pronunciationem, tot saeculis elapsis et omnis generis ethnicis elementis in eam hîc illic insertis? Ad rem componendam necesse erit, aut ego fallor, ut omnes in catholicae ecclesiae sententiam veniant, de Romana pronunciatione ubique usurpanda, quae iam diu viget, amandatis omnino pro et contra disputationibus.

Sin minus, *Vasa* semper *Samos,* et *Crocum in Ciliciam.*

Vale, Superique tibi fortunent.

I. F.

De nuper natis nominibus latine reddendis.

Emm. Jové, C. M. F. *salutem d. plurimam* Herminio M. Iacobelli.

Paucis abhinc diebus Senecae librum de vitae brevitate oculis perlustrans, ad illud veneram: «Illum tu otiosum vocas, qui Corinthia, paucorum furore pretiosa anxia subtilitate concinnat et maiorem dierum partem in aeruginosis *lamellis* consumit?» (XII, 2). Hîc parumper a lectione destiti, id reputans cum animo meo: Quid? nonne hoc *lamellarum* nomine, plurali numero sumpto, fuit Senecae in mente illud quod est Italice *chincaglieria* exprimere? Sic ego censui. Quod si idem fuerit tibi visum, in novissimis tuis Latinitatis floribus cum *minutis* illis de quibus Fornarius egit, ne praetermittas velim.

Quisnam *linoleum* in vulgus prior invexerit prorsus ignoro; sed eum quemcumque Latinam puram vocem protulisse, nemo ibit inficias. Si ethimi enim dissolves elementa ex *lino* substantivo nomine, et ex *leo* adiectivo. quod idem valet ac leve, deduci facile perspicies. *Leve* autem vel *leum* a λεῖος graeco sunt, quod complanatum aliquid ac simul levigatum sonat; unde *lea,* si Calepino fidem adhibeamus, brassicae genus est latis foliis. Quid autem *linoleum* (*e* quidem producta), nisi textura quaedam ampla ex lino aliisque levigantibus elementis conflata, quorum singulos non opus est ne possibile quidem uno verbo explicare conceptus?

Quid iam de *lotteria?* Quum de singulis ante annum a te propositis verbis Latine reddendis quid saltem instituerim dicere, hoc etiam de *lotteria* accipe. Plautus habet in *Casina* (2, 4, 25 et 26):

Si id factum est, ecce me nullum.
Si non impetravit, specula etiam in sortitu est mihi.

Pro *lotteria* igitur *sortes* adhibe, nec *sortitus* tibi in contemptu sit.

Veniendum tandem ad *dulciarium;* sed hoc a me fiet, favente Deo, ante hilares Domini Natales, non alio tamen consilio quam ut varia emam inde scitamenta, quibus discipuli munerentur mei, atque oblectentur toto illo vacationum tempore.

Vale multum.

Vici, in Hispania.

BESTIOLAE IN IAPONIA CANTANTES.

Quae in superiore numero de Iaponia Anonymus ille retulit, mihi in mentem nonnulla revocarunt, venusta quidem ac delicata, quae de quibusdam bestiolis cantu apud Iaponenses insignibus legi. Si enim omnibus temporibus ac locis homines suavissimo avium cantu sunt delectati atque delectantur, Iaponiae tantum incolae, qui vel minima naturae maxime diligunt, hasce bestiolas suavi voce praeditas, permagni habent easque omni sollicitudine prosequuntur.

Eorum in haec parva animalia studium ex antiquis usque temporibus colligitur; sed centum circiter abhinc annis illa digna quoque sunt aestimata, quae non levis momenti commercium constituerent. Nostra autem aetate eo perventum est, ut in triginta sex foris Tokii in urbe praestantissima harum bestiolarum habeatur mercatus: ibi enim fere nulla reperitur domus, cuius fenestrae, perystilium, pergula, Maio labente, aut ineunte mense Iunio, minusculis non exornentur caveis, ex quibus musicarum, ut ita dicam, bestiolarum mirificus proficiscitur concentus, ita ut levibus ac suavibus sibilis, sonitibus tremulis, aut acutis, iisdemque liquidissimis, aër tota ferme nocte undique resonet. Quare aestivis diebus sub vesperam, quum canere incipiunt bestiolae, Tokii cives in pergulis, vel in perystiliis considunt, vel ex fenestris faciem exserunt, ut animum diurnis curis fatigatum tenui reficiant musica, quae sensu quodam campestris pacis eos afficere videatur.

Nono kalendas Iunias singulis annis, vespere, quas Tokii cives ferias ad templum *Mita* numinis celebrant, bestiolarum cantantium incipit haberi mercatus. Ex ligneis casulis seu tabernis passim exstructis exiles pendent caveolae, ubi exigui servantur cantores, qui multiplici et continuo vocum concentu adstantes allicere atque ad eos emendos invitare videntur. Innumerae ac diversissimae inter se caveae, omnesque arte exquisita sunt contextae; aliae enim domus vel templi exhibent formam, aliae currus, navis, turris, cornu, aut cuius tibi lubet rei: sunt etiam elegantiores caveae, quibus parvus mus, vel avis, vel vespertilio ex ligno sculptus ornamento est. Harum varium est pretium pro varietate operis atque difficultatibus.

Incredibile dictu est quot quantisque curis has bestiolas mercatores prosequantur, non solum quo citius, quam natura ferat, ex ovis arte fotis in lucem prodeant, sed etiam, quum adoleverint, ut musica si ita loqui fas est, instituantur disciplina: tibiis enim, seu fistulis ex calamo, cui nomen, *bambù*, confectis, eas summa diligentia ad cantum excitant, quem quodam modo ducunt ac moderantur, ut liquidior atque iucundior ex tenui gutture fundatur. Ex his, quae voce, forma, et colore in innumera constituuntur genera, corporis magnitudine et singulari quadam virtute bestiolam nota dignam existimant, cui nomen *Kutsuva-mushi*, siquidem eius sonitus non ex gutture, sed ex alis inter se confricandis proficiscitur atque hinnitui equi, ut aiunt, est fere persimilis. Cantus autem suavitate commendanda videtur quam dicunt bestiolam *Kirigirisu*, locustis similem nostrarum regionum: ex his tamen perexiguis cantoribus princeps iure merito *Suzu-mushi* habetur, cuius nomen significat « parvum tintinnabulum », quod eius vox cum acuto eodemque liquidissimo sonitu illius aenei instrumenti plane perfecteque comparetur.

Notandum, harum bestiolarum mares tantummodo vocis suavitate praeditos esse, quam omnino amittunt si cum femina coniungatur: itaque a feminis prohibeantur necesse est, si diutius servari velint. Parvis vescuntur cucumis fragmentis, quae saepe saepius sunt instauranda, quo suaviora ipsis praebeantur. X.

RUSTICATIO AUTUMNALIS

Quid, si miti hac autumni tempestate, villam amoenissimam invisamus? Bonus est nobis comes et descriptor Ioannes Barclaius, quem igitur sequemur, loci formam curiosis oculis lustrantes, quem ruens maris horror facit gratiorem. Non anxia arte quaesitus est decor; plura naturae debentur, cuius facilitas atque ingenium, omnes artificum labores praevertit.

Rusticus ad villam adscensus: obliquum colli latus sic dedit, ut circumvenire montem potius videatur, quam in illum eniti. Laevam itineris tegunt densi frutices, crebrarumque stirpium inaequali viriditate laetissimi. Tumuli illic leves, crescente molliter campo, donec oblongum et spissis opacum arboribus supercilium montis subito tumore consurgat. A dextra convalles visuntur, vinetis hortisque excultae, et in collium radicibus, qui dimidiatum orbem ducunt, uberrima pastu prata se eadem viriditatis hilaritate porrexerunt.

Sub ipso montis iugo sublimis et sponte extensa est planities, in qua villam condidere. Ad fores quum venimus, oblectant oculos alia loci forma, prospectusque in remota liberior. Quippe ante vestibulum patet hominum curruumque area capax, paucis, sed ingentibus, distincta arboribus, ad quarum umbram sedilia et lapideas mensas extulerunt, atque ut editus locus est, errorem fluvii in valle monstrat, montesque ex adverso praediis distinctos. Apparet inde et pars potissima urbis per suos colliculos et templorum fastigia elatae: si oculos longius miseris, altissimus quoque mons inculta hyeme et sterilibus saxis, per multos vertices in nubibus fractus; et delectat animum mutationem conspectus, et propinquam felicitatem blandius commendat asperitatis imagine.

Domus non ingens; sed debet artifici, quod venti, quicumque perflaverint, admissi, omnem aestum temperent, et triclinia lumen accipere possint solis radiis non obnoxium.

Hortus deinde modicus et porrectus in longum, Musis quidem est dignus. A domo in hunc porticus ducit, in qua et liceat convivari, aliquot signis et picturis exculta. Latus vero sinistrum hortilatus claudit montis vertex, non illi utique tantum horto, sed domui saltuisque perpetuo contiguus dorso, et dumtaxat parietis interiectu coercitus. Hanc partem fons amoenus decorat, e marmorei elephantis proboscide in tessellati operis alveum decurrens. At dextra ad prospectum vacua est, exiguo muro in hoc tantum erecto, ut lapsus in abruptum caveretur, et in eum innixi fruerentur vivarii subiecti spectaculo.

Nam mediocre stagnum coercent latericii aggeres.

Pisces in eo variae senectutis, quos ab horto, qui amet, praecipitato in aquam pane, potest inter se concitare ad certamen.

Porta ex horto ducit in exiguum saltum, quem facti manu colles virgultisque liberi secant.

Longum est singula memorare ut naturae inaequalitate locorum luserit; ut exiguo spatio retulerit omnes formas, quibus totae regiones variantur; ut sylvam ex aureis malis, hododaphe, lauro, pino subere, pene totam non mutarit innoxia hyems, et antra hîc manu aperta, dederint fontes, aut opacum subeuntibus frigus. Sed fons praecipue notabilis est, de industria sic ornatus, ut quae artifici essent sponte producta viderentur; quippe in arcum mons effosus modicam dat planitiem, exiguis lapidibus quasi temere stratam; atque utrimque lateribus saxa ingentia tamquam rupes ita natas admovent. Ubi is labor duodecim pedes in altum excreverat, semitam fecerunt, per quam locus circumiri facile posset: tam vero super hanc molem in gyrum arbores ita sunt

satae, ut inflexorum stipitum cacumina in subiectam aream verterentur: hae, ubi in procerum adolevere, speciem retulerunt iam iam cadentium stirpium, et suo pondere radices extra terram trahentium. Inter illius ruinae innoxias minas perit sub frontibus calor solis et laterum aggere primum, mox curvatis in hunc modum arboribus, denique increscentis collis mole, animus vere optimeque quiescit atque cuiusvis mundanae curae obliviscitur.

ANONYMUS.

VETERUM PRAECEPTA [1]

— Quisque suum noscat ingenium, et ad quas res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus; sin aliquando necessitas nos ad alia detruserit, omnis adhibenda erit cura, ut ea si non decore, at quam minime indecore facere possimus.

— In deliberando vitae cursu, ad suam cuique naturam consilium est omne revocandum.

— Publium Scipionem dicere solitum scripsit Cato, nunquam se minus otiosum, quam quum otiosus, nec minus solum quam quum solus esset. Magnifica vere vox, et magno viro ac sapiente digna; quae declarat, illum et in otio de negotiis agitare, et in solitudine secum loqui solitum.

— Ex oculorum obtutu, superciliorum aut remissione aut contentione, ex modestia, ex hilaritate, ex risu, ex reticentia et contentione vocis, ex submissione et et ceteris similibus facile iudicabimus quod eorum apte fiat, quod ab officio naturaque discrepet. Quo in genere non est incommodum, quale quid eorum sit, ex aliis iudicare; fit enim, nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismetipsis, si quid delinquatur.

— Ut pictores, et ii qui signa fabricant, et veri etiam poëtae suum quisque opus a vulgo considerari vult, ut si quid reprehendendum sit, a pluribus id corrigatur, iique secum et cum aliis quid in eo peccatum sit, exquirunt; sic aliorum iudicio permulta nobis et facienda, et non facienda, et mutanda et corrigenda sunt.

(Prosequetur).

[1] Ex Italico saec. XIV classico opere BARTHOLOMAEI A S CONCORDIO, cui titulus: *Gli ammaestramenti degli antichi.*

PRO IUNIORIBUS [1]

g) Iniqua Hannibalis condicio in Italia.

Interea in Italia, ut opes Romanorum crescebant, Hannibalis iniquior evadebat condicio. Hic etsi anno CCXII urbem Tarentum, arce excepta, expugnavit, tamen quod ad defensionem non satis habebat copiarum, impedire non poterat, ne urbes, quas antea ipse expugnasset, aut quae ultro ad se transissent, ab Romanis recuperarentur. Qui quum eodem anno coepissent omnibus viribus oppugnare Capuam, Hannibal ex Apulia ad urbem liberandam approperavit. Sed illi, ad excipiendum hostis impetum parati, non reliquerunt firma praesidia, quae ante urbem constituerant. Tum Hannibal, ut Romanos cogeret obsidione desistere per Sabellos, trans Anionem flumen ad ipsam urbem procedit. Sed Romani, quamquam hoste tam propinquo nonnihil terrebantur Hannibalemque ante portas esse conclamabant, tamen urbis fisi munitionibus, Campanum exercitum non revocant. Sic Hannibali nihil relinquebatur, nisi ut abiret et urbem Capuam fortunae committeret. Quae quum

[1] Cfr. fasc. super.

anno CCXI esset expugnata, Campani perfidiae acerbissimas dedere poenas: nam nonnulli ex tribunis et civibus interficiuntur, magna multitudinis pars in servitutem venduntur, forma civitatis tollitur.

Anno CCIX Q. Fabius praesidiariorum Bruttiorum proditione recuperavit Tarentum. Paullatim tota in Italia inferiore Hannibalis socii aut sponte aut vi coacti revertebantur ad Romanos. Sed hic in Apulia pugna superavit Marcellum, quem in praelio equitum Numidarum caesum honorifice curavit sepeliendum. Postremo nulla Hannibali reliqua erat hostis petendi facultas, nisi quod sperabat ab Hasdrubale fratre in Italiam duci posse copias subsidiarias ex Hispania.

Hîc enim ab initio Cn. Cornelius Scipio, quem brevi secutus est Publius frater, bellum gesserat adversus Hasdrubalem, quem anno CCXVI magna apud Hiberum victoria Italiae itinere prohibuerat. Sed quum diviso exercitu ad expugnandam Hispaniam Carthaginiensium separati procederent, anno CCXII victi ceciderunt. Tamen Romani hostem, id quod ad bellum Italicum summi momenti erat, trans Hiberum continebant. Anno CCX bello Hispanico praefectus est P. Cornelius Scipio, Publii filius, tum XXVII annorum adolescens.

Hic primum magnam ad Ticinum prae se tulerat virtutem, ubi patris vitam servaverat. Miles egregia praeditus fortitudine, praestantissimus imperator, homo rei publicae peritissimus, non videbatur cedere Hannibali, quo undecim annis minor natu erat. Quod Graece eruditus erat invisus erat plurimis senatoribus, qui antiquos Romanorum mores retinebant et Scipioni nimiam disciplinae militaris remissionem crimini dabant. Sed carissimus erat plebi, quae belli tropaeis obstupefacta adolescentem tot tamque miris ornatum facultatibus singulari deorum immortalium regi arbitrabatur praesidio. Etiam res a se feliciter gestas deorum adscribi volebat tutelae et opitulationi. In Hispania vero colebatur adeo, ut ei regis nomen deferretur. Eius res laudatae sunt a Polybio historico, et ab Ennio poëta, Scipionibus, qui bonis artibus favebant, familiaribus.

Anno CCX Scipio potestate proconsulari navigavit in Hispaniam. Anno CCIX audaci impetu cepit novam Carthaginem, principem Carthaginiensium in Hispania urbem. Anno proximo vicit Hasdrubalem ad Baeculam, quae urbs sita est in ipsa septentrionali Baetis fluminis, quod nunc *Guadalquivir* nominatur.

Postea, quum Hasdrubal discederet in Italiam, quo eum itinere Scipio prohibere non potuerat, diiudicata erat belli Hispaniensis fortuna. Nam quod mercenarii relicti inferiores erant, urbes singulatim expugnabantur: anno CCVI Mago, frater Annibalis, cessit etiam Gades, postremum Carthaginiensium robur.

De Romanorum victoriis.

a) Dum ea geruntur in Hispania, Romani, quum Hasdrubal eadem via atque XI annis ante frater eius veniret in Italiam, omnes vires et nervos intendere. Ne exercitus Carthaginiensium coniungerentur, M. Livium Salinatorem cons. contra Hasdrubalem appropinquantem miserunt in Umbriam: C. Claudium Neronem, eius collegam, contra Hannibalem.

Nero castra munivit e regione castrorum Hannibalis in Apulia, ubi hic fratris exspectabat legatos. Sed litterae, quibus Hasdrubal coniungendorum exercituum exponeret rationem, a Romanis militibus, qui in prima statione erant, interceptae fuere. Tum Nero cum delectis militibus castra necopinante Hannibale reliquit, ad Senam oppidum collegae sese adiunxit. Hasdrubal, quum animadvertisset auctum esse hostium numerum, declinare conabatur pugnam. Sed anno CCVII ad flumen Metaurum ad praelium coactus est. Exercitu victo, ipse caesus est.

Sic etiam belli Italici fortuna diiudicata erat. Hannibal ipse, conspecto cruento fratris capite, quod Romani in primas Carthaginiensium stationes iecerant, exclamasse dicitur: «Adgnosco fortunam Carthaginis!» Regressus in Bruttios fortissime resistebat Romanis.

Adhuc semel bellum exarsit in Italia Superiore. Nam Mago, amissa Hispania, exercitu in insulis Balearibus aucto, anno CCV appulit ad Genuam. Sed quum copiarum non satis esset, minoribus dumtaxat praeliis cum Romanis contendere poterat. Anno autem CCIII Carthaginenses, ut terram propriam, cui Scipio minabatur incursionem, tuerentur, ambos duces domum revocant. In reditu Mago acceptis interiit vulneribus.

b) Ab anno CCIV usque ad annum CCI bellum geritur in Africa. P. Cornelius Scipio, expugnator Hispaniae, in annum CCV adulescens consul creatus, tandem effecit, ut sibi darentur copiae Sicilienses, et ut sibi liceret bellum, sicut iam initio Sempronius voluisset, transferre in Africam. Adscitis voluntariis, anno CCIV appulit in Africam non longe a promontorio pulchro.

Huc parvam equitum turmam adduxit Masinissa, rex Numidarum, qui ad orientem solem incolebat, Carthaginiensibus inimicissimus, tum a Syphace Numidiae occidentalis rege, expulsus. Scipio hostes, noctu eorum combustis castris, vicit. Syphace capto, Numidae secuti sunt Masinissam, amicum populi Romani.

In his angustiis Hannibal in Africam reversus in Masinissae fines irrupit. Scipio, ut Socio ferret auxilium, castra posuit ad Bagradum flumen non longe ab Oppido Naraggara. Hannibal processit per urbem Zamam, ubi anno CCII decertatum est. Scipio post diuturnam pugnam eamque acerbam, quum equitatu superasset Poenum, magnam consecutus est victoriam.

c) Anno CCI composita pax est. Hannibal eo praelio pulsus revertit in urbem patriam, a qua XXXVI annos abfuerat. Ipse civibus suis, ut pacem facerent suasit. Hanc victor accepit, ne, ut nonnulli dicebant, belli compositi gloriam relinqueret successori, et his accepit condicionibus: ut Carthaginienses omnes traderent elephantos et, praeter decem, naves longas universas; ut intra L annos pro belli impensis solverent decem millia talentum, hoc est circiter L marcarum aurearum milliones; ne postea, priusquam Romani concessissent, bella inciperent, et ut finibus, quos ante id bellum habuissent, contenti, Masinissae agros ereptos redderent. – Is non solum recuperavit fines proprios, sed etiam partem maiorem eius terrae, quae Syphacis fuerat; minorem partem retinuit Syphacis filius. Scipioni honoris causa Africano cognomen inditum est.

Talem igitur istud bellum habuit exitum, ut Romani, quorum respublica visa esset aliquantum temporis interitura, ex diuturno bello victores auctique potentia abirent.

Victi erant Carthaginienses, qui simul appetivissent dominationem maris interni, qua est ad occidentem, et ita victi erant, ut nec in praesens nec in futurum nocerent.

Reliquae Siciliae partes Romanorum factae erant.

In Africa Romanum imperium receptum et a Carthaginensibus, qui, ne per sese inirent rationes cum gentibus exteris, humillimis Romanorum artabantur praescriptis, et a Numidis, quorum gerebant tutelam.

Italia septemtrionalis, antea vix superata, proximis decenniis omnis pacata muniebatur et coloniis: Mutina, Bononia, Parma in Gallorum, Aquileia in Venetorum finibus, aliis, et viis publicis v. g. via Aemilia, ex qua etiam nunc quaedam Italiae provincia nominatur.

A. HABERL.

ANNALES

Germaniae discrimina.

Dum post intermissum *passivum* illum in Ruhris provincia *renixum* cunctans Gallia a sua agendi ratione nil movetur, nova superveniunt Germaniae discrimina, eaque ab intestinis discordiis genita, quae ad civitatis secretionem in totidem status nulli subiectos tendunt. Hinc enim Bavaria

instaurationem regni affectare; inde Saxonia communisticam rempublicam, et Rhenania simul ad propriam popularem administrationem niti videntur. Gubernium Berolini sedens singulis hisce adspirationibus acriter obsistit, novarum civitatum moderatores a suis muneribus abdicare iubens seque supremis totius civitatis administris submittere; quin etiam factiosos Saxones militari manu impetit. In Rheni autem regione « unitarii » dicuntur fa ilius de separatistis rationem esse habituri, ni Gallicarum Belgicarumque copiarum favor non satis occultus his auxiliaretur.

Interea de damnorum refectione et de pretio victoribus in Germania solvendo quaestio semper agitatur; quam ad tandem aliquando dirimendam novus legatorum coetus, ex viris oeconomicarum rerum peritia probatis, propositus est, cuius et Americani legati participes fierent. Huiusmodi coetus munus erit Germanicam solvendi vim diligentissime inspiciendi, refectionum aequam et definitivam summam decernendi, et solutionis tempora atque rationes; certa denique pignora in tutelam ac praesidium constituendi. Relatum est Americam assensisse, dummodo tamen novus hic conventus a politicis negotiis abstineat et ad technicam rem unice incumbat: cui quidem consilio Anglia, Belgica et Italia accessere. Verum Gallia et Anglia in contentionibus circa legatorum electionem, laborum ordinem et fines tempus terunt, et dum Lutetiae Parisiorum et Londini consulitur... Saguntum expugnatur.

***

Conventus de Mauritanica urbe Tingi.

Alius interim conventus Parisiis est congregatus, isque legatorum ex Gallia, Hispania et Anglia, ut de Tingi, Mauritanica urbe, sanciant, utrum « internationalis », esse debeat, an inter Gallica dominia sit recensenda. Italia ab hoc congressu distinetur; quamquam credimus fore ut iudicium de re prolatum ei quoque subiiciatur, quippe quae et ipsa in Mediterraneo mari sua tutanda negotia habeat.

***

Novum Turcarum imperium.

Angora in urbe Turcarum legatorum coetus legibus ferendis Turcicam rempublicam promulgavit, cui Mustapha Kemal principem praefecit.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Macrosismum! Recentissimum hoc est doctrinae verbum; cuius sensum si cognoscere velis, non equidem in absurdis invenies, quum ad Graecos confugeris. *Μακρός* enim apud illos « magnus » sonat; *σεῖσμος* autem « concussio »; itaque *macrosismum* nihil aliud est quam magna concussio; subaudi « telluris », atque mysterium tibi erit patefactum. – Nonne igitur hoc macrosismum – dices – unum idemque est ac terrae motus? – Profecto est; verum logicum est quoque, quum in quodam doctorum coetu doctor aliquis loquatur, trita nomina, quibus ab incondito vulgo res appellantur, adhiberi non licere. Re quidem vera, studium quod insignis vir Adrianus Guebhard nonnullis abhinc diebus de Iaponico recenti macrosismo legit, insignibus exhibebatur viris bene barbatis atque optimis ocularibus vitris munitis, in sede scilicet supremae illius scientiae, quin etiam scientiarum, Gallicae academiae.

Neque solum huiusmodi vocabulum universo orbi auctor ille ibi revelavit, sed, idque longe mirabilius, causam Iaponici macrosismi ostendit fuisse – quisnam nedum crederet, sed cogitaret? – ... ciborum reliquias, Tokio, Yokoama aliasque per urbes illius civitatis effusas.

Num vobis est persuasum? Atqui et haec res facillima intellectu est. Extraordinaria rapiditate illis urbibus crescentibus, ciborum reliquiae ita cumulatae sunt, tantaque « vi stratificatrici et sedimenta-

ria » - verbis praelaudati sapientis utor - ut « nimis haec aspera humana colluvio humanitatis redundantis hydrostaticam libram subverterit ».

Hercle! haec est vera, singularis et inaudita doctrina, digna profecto quae in « Commentario officiali » ederetur, quemadmodum superioribus Kalendis Octobribus factum est. Pretium quidem est operis ut frustum inde colligam - frustum, imo micam, ne et ego macrosismi causa *Almae Romae* fiam - et referam, vocabulis quoque novis, ut res postulat, sine ulla nostrorum Tasseti, Jovè, Iacobelli, Haberli seu Avaleri, etc., ad rem disceptatione inducta: « Adhuc agitur tantum - ita ille - de ratione quodammodo *marginali* circa praesentem *diastrophismum,* cuius actio *geosinclinalis* hunc habere posset potius effectum, ut nempe per contusionem et expulsionem *abyssalium argillarum* sub diutina *superfectatione* subaqueae effusionis saxorum dense liquefactorum, in altum provocaret *sismicas* undas *tsunamizorum* ad aestuum libellum, qui interdum, absque terrestribus signis, e longinquo litora circumdant, gravitatis centri magnas e loco motiones indicantes in profundum, lenteque comparantes, non sine superficialibus recessionibus, linearum articularum terrestris crustae, insensibiles refectiones *isostaticas,* quibus favet flexibilitas atque continuitas primae ac resistentis structurae ab incandescenti *magmate* profectae .. ».

Post quae, planissimum cuique fit, quae tristissima Iaponiae recens acciderunt, ea domesticis sordibus omnino deberi; monitum profecto gravissimum et salutare familiarum matribus item ac sedulis ancillis, ne a fenestris thyrsos proiiciant.

***

Atque id eo magis, quum animalia subter plerumque desint, quae ea in lapsu rapere ac heluari possint, ut **simius,** de quo ita cecinit Bernerius noster:

Urbis ad ornatum quamplura palatia surgunt,
Quae multum ingenti mole, decoris habent!
Multiplicat magnas externa in fronte fenestras
Ipsa domus: media est ianua lata magis.
Sunt quaedam inferius positae, quas ferrea [crates
Ut tutas reddat, continuata replet.
Scilicet in virgas ferrum producitur, inde
Ignis et artis ope his forma rotunda datur.
Sunt confixae aliae, servatoque ordine rectae:
Has transversae aliae consimilesque secant:
Sic iunctis virgis quadrata foramina fiunt.
Hîc simii ad collum est ducta catena brevis.
Nam si haec longa nimis, nimis ille excur- [rere posset;
Civibus inde mali noxia causa foret.
Corpus habet simius, quod parvum est, felis [ad instar,
Et cineri similis cernitur esse color.
Compressae apparent nares, labiisque pro- [pinquis,
Exiguisque oculis aequa nigredo datur.
Suntque breves aures, est cervix parva, ro- [tunda,
Os latum, dentes parvuli acumen habent.
Ducitur in longum facies, quae proxima for- [mae est
Humanae, specimen scilicet huius habet.
Fronte capillatus; sicut ipsa occasio, calvus
Exstat retro: pilis posteriora carent.
Sic movet iste pedum articulos, ut quilibet [illos:
Ni sciret, parvas crederet esse manus.
Accedunt pueri, medioque in tramite sistunt
Non procul a simio, detur ut ansa ioco.
Corticibus poma expoliat circum undique [ductus
Culter, sic trahitur tota superficies.
Hanc puer ostendit simio. Is tunc ora rotun- [dat,
Collumque extendens vellet adire cibum.
Ast ille implicitum iacit in sublime; deorsum
Ut recta simio proximus inde cadat.
Tunc simius sese extollit, caput erigit, artus
Extendit, nunquam lumina fixa movet.
Sic oculis vorat ille prius, quam devoret ore
Proiectas epulas: sic mora dura nimis.
Corticis exspectat lapsum, occurritque ca- [denti;
Arripit et lacerat dentibus, inde vorat.
Forte alii baculum ostendunt, ictumque mi- [nantur:
Sibilat en simius; stridulus ore fremit.
Praecipiti saltu sursum sese evibrat; iret
Altius, at retrahit iuncta catena fugam.
Clausos ostendit dentes, labia inde frequenter
(Excitet ut rabiem) motu agitata quatit.
Deponunt illi baculum. Componitur iste,
Atque iterum ad nugas absque timore redit...
Forsan adolescens simium prope transit eundo,
Concinne exornat cui coma ficta caput.
Detecto capite incedit, nam pileus exstat
Cervici aestivo tempore saepe gravis.
Hic non advertens capiti superesse paratum
Ad fraudes hostem, tutus iter sequitur;
Callidus at simius caute hunc observat euntem
Visum dissimulans, insidiasque parans.
Primum humeros vertit, dein in longum evi- [brat artus
Extendens retro, quos habet ille, pedes.
Arripit hisce comam, rapit a cervice ferentis
Denudans huius, sed fugiendo, caput.
Attonito similis, nec furti conscius, haeret
Hic animo, tandem sentit abesse comam.
Tunc oculos effert, tunc furti agnoscitur au- [ctor,
Et verecunda nimis tunc tegit ora rubor.
At vacuam interea cervicem pileus implet;
Turpe sed illud adhuc cernitur esse caput.
Adstantes pueri irrident, augentque pudorem
Illi, qui in simium turpia verba iacit.
Dein lapidem impugnat, raptori destinat ictum;
Territus ergo minis proiicit ille comam.
Colligit implicitam, capitique citissimus illam
Aptat adolescens, indeque cautus abit.
Usque adeo ostentat vanas insania pompas,
Ut simii harum usus fiat in urbe iocus.
Et bene. Ludibrium quippe ornamenta me- [rentur,
Queis, quod turpe magis cernitur, esse dedit.
Sordida squallentes dant saepe cadavera crines,
Dona homines iactant haec speciosa nimis.
Continuo moritur qui mundo vivit. Eorum
Sic merito capiti mortis imago datur.

***

Iocosa

Pater Tuccium obiurgat quod nullum in schola progressum faciat. Cui filius:

— Exspecta parumper, atque videbis me super omnes comites meos extollentem...

— Fi! Ecquis tibi ad rem aëroplanum suppeditabit?

Mediae vocis cantor gravioris sonus cantori amico:

— Nuncium tibi affero, me in theatrum acceptum tandem fuisse.

— Eventum quidem singularem mihi narras...

— Moscoviae canam.

— Russia infortunatissima quidem omnium nationum est!...

***

Aenigmata

I

Quod tu despicis, aptius latebam,
Haerebam sociis, hero tuente,
Me mors exuit, inde trusit huc sors;
Quare nunc pateo iacens ineptum.

II

Immundum est *totum;* cervicem deripe, sa- [crum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I. (vulgo *Rebus*): *Sub tilia filia net subtilia fila.* - II. *Pars.*

IOSFOR.

MONITUM.

Anni exitu appropinquante, iterum iterumque socios rogamus, eosque, qui Commentarium nostrum iam diu retinentes, iuxta regulas pluries edictas, debitum nobiscum contraxerunt nec solverunt adhuc, velint, omni mora interrupta, Commentarii pretium ad nos mittere. Cogitent quot labores et sacrificia perpeti nos debeamus, in hoc omnium rerum impensa pecunia; tantum quidem onus sustinere ultra nequibimus, nisi operis nostri fautores non verbis, sed re operi ipsi succurrant.

A. R.

AD FONTEM BELLAQUEI 8]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

PONT. Vobis do gratias, qui pro Pontifice
Multas tulistis longo poenas tempore.
Utinam Deus poneret me liberum,
Meamque Romam perlustrarem denuo!
Feram sed usque filios in pectore,
Deum precabor pro vobis omnibus...
Iuvat sed ingredi vos domos tacite,
Ne quis in sensum convertat improbum,
Quod vos fecistis erga me Pontificem.
Deum devote simul deprecaminor,
Bene ut resolvat placuit quod melius
Pro Gallia primum, cunctis pro populis!
POPULUS. Vivat novus Pater noster et Ponti-
[fex! [1]

SCENA VIII.

CALLISTUS *et* ISIDORUS.

CALL. Heri modo mente quis coniectaverit
Novas tot res, tot aerumnarum copias?
Et ipse in turbidum reversus pulverem,
Brevi qui in solio splendebat tempore!
ISID. Et huc hostiliter captivus ducitur,
Ubi est iam passus tot labores Pontifex:
Hic nam peccavit, solvat poenitentiam.
CALL. Oh quam divinum cernitur iudicium!
ISID. Nunc certe Romam redibit Pater opti-
[mus!
CALL. Nos et Italiam laeti videbimus.

SCENA IX.

CARDINALIS PACCA *et* DICTI.

CARD. Datae sunt nuper Parisiis litterae,
Quibus libertas ceditur Pontifici.
Hic autem gratias dum reddit candide,
In primis addecet sicut semper Deo,
Elata voce clariore publicat,
Refert acceptam victoriam Virgini.
Id et Purpuratis praedicat Patribus,
Qui mox venerunt honoris gratia,
Suis ab exiliis, colendam Virginem,
Ubique gentium, festo novissimo,
Ut restet omnibus signum fiduciae.
Ut alter Illam dixerat Auxilium,
Ob profligatos hostes infensissimos,
Ad illas insulas, erant quae Echinades,
Sic libertatis adsit testimonium,
Festum dicatum divinae Virgini,
Ut sit Adiutrix Christiano Nomini.
Iam festum Nominis Vindobona me-
[morat,
Suum triumphos ceteros Rosarium,
Olim Saona, sic et fons Bellaquei
Potentiam dicet Mariae posteris.
Adest sed ipse Pontifex! Loquetur hîc.
Qui decor! Corporis maiestas! Sancti-
[tas
Pater...

SCENA X.

PONTIFEX *et* DICTI.

PONT. Lubet vobis paulisper alloqui
Meo quod affert delicium pectori.
Venit paullo ante nam divino numine.
Hoc omne, gratia, post Missam vide-
[ram...
Audivi vocem sapida dulcedine,
Quae forte pandit mox futuri ianuas:
Dabis tu Romae festum et cunctis gen-
[tibus.
Suum decorem gloriae novae dabit
Puer nasciturus... Plenus hic Virginis
Eam portabit, cunctis admirantibus,
Per illas plagas quas Columbus tradidit.

(Ad proximum numerum).

[1] *Omnes silentiose dilabuntur, et Pontifex in se multa revolvens, intrat in aedes, eumque ceteri sequuntur.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphem (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

AL

LATINI

Pretium annuae subn
pro Hispania pes
Gallia, Helvetia,
mite mittendum a

SOCIIS

En decimus
ad occasum ve
tat, quem tum
universae erect
In communi eni
pacis desiderio,
nos populos, ne
tum, sed, per F
Romanum Pont
in latinis ipsis ul
fraternitatis vi
conserte magis
gere; hinc in I
terarum ludis,
administros, ill
cultum renova
omni humanita
per saecula ma

Si unquam i
ac perficiendo c

Ann. X Romae, Mense Decembri MCMXXIII Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Gallia, Helvetia, Belgica ceterisque universi orbis nationibus franc. 15 *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

SOCIIS ET LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

En decimus vitae nostrae annus ad occasum vergit, et novus adventat, quem tum nobis tum latinitati universae erecta spe salutare iuvat. In communi enim tamdiu exoptatae pacis desiderio, hinc videmus latinos populos, neque in Europa tantum, sed, per Hispaniae regis apud Romanum Pontificem invocationem, in latinis ipsis ultimis Americae oris, fraternitatis vinculo et religionis conserte magis velle sese adstringere; hinc in Italiae et Galliae litterarum ludis, per rei publicae administros, illum latinae linguae cultum renovatum, ex quo tanta omni humanitati gloria et doctrina per saecula manavit.

Si unquam igitur in suscipiendo ac perficiendo opere hoc nostro, vel in maximis asperitatibus, et in ipsa contemptione, fides nobis fuit, inviolataque mansit forma illa, quam animo conceptam habebamus, quo magis fides ipsa crescere hodie debet, quum significatum tandem quodammodo inspiciamus, labores nostros non aegri somnia fuisse, cui vanae fingerentur species, neque eos inaniter fuisse consumptos?

Hanc quidem significationem quibus rationibus arrepturi simus, atque in rem transigere sit nobis consilium, sigillatim in proximo numero dicemus; iam inde vero ab hodierna die praedicamus, egere nos et consilio et opera; altero quo perfectius provinciam nostram gubernemus, altera ut materialibus difficultatibus occurramus. Sunt hae pecuniariae prae-

sertim, quae tamen superabuntur, si novi accedent socii, omnesque, et novi et veteres, suum solvant pro tempore debitum subnotationis pretium, quod, auctis licet publici cursus expensis, immutatum et in proximo anno relinquemus, iuxta normam iamdudum invectam, quae est prouti sequitur:

Pro Italia	libell.	12 —
» Gallia, Helvetia, Belgica . . .	franc.	15 —
» Hispania . . .	peset.	15 —
» Batavia	floren.	7,50
» Anglia	shell.	12.50
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada . .	doll.	3 —

Pro ceteris nationibus summa erit *Gallicos francos 15* exaequans.

Qui autem per civitatis alius pecuniam mittet, pretium idem aequabit cum permutationis pretio, die transmissionis vigente.

Quid igitur, si sociorum, quos habemus, unusquisque praeconem Almae Romae inter familiares amicosque sese faciat et unam saltem subnotationem novam procuret? Duplicatus erit sociorum numerus et commentarii nostri vis duplicata.

Quod felix, bonum, faustumque siet!

Alma Roma.

CERTAMEN POËTICUM LATINUM

Romae in singulos annos constitutum

Abhinc tres annos vita fungebatur vir clarissimus Theodoricus Ruspantinius, qui ad exemplum Hoeufftii illius Batavi, Romano athenaeo ingentem summam legavit, cuius fructus in praemium latini poëtici carminis quotannis cederent.

Regio decreto iuribus constitutionis huius approbatis, primum nuper huiusmodi certamen indictum est, iuxta regulas quae sequuntur:

1) Certaminis tum Itali cives tum peregrini participes esse poterunt.

2) Carmina quinquaginta saltem versibus constabunt et machina ad scribendum nitide impressa erunt, eorumque unumquodque - non enim plura simul missa recipientur - suis ipsius auctoris impensis ita hac inscriptione Romam mittetur: *Al Preside della Facoltà di Filosofia e Lettere della R. Università di Roma - Premio Ruspantini*, ut non ultra diem XXVIII mens. Februarii MCMXXIV ad suam designationem perveniant.

3) Singula carmina sententia munita erunt, quae involucro pariter inscribetur sigillis obsignato, schedulam occultante, ubi nomen et domicilium poëtae indicabitur.

4) Coetus, tribus viris constans a praedicta litterarum « Facultate » designatis, schedulas tantum aperiet sententiae respondentes tum carminis praemio ornati, tum proxime accedentium, quorum itaque auctores unice cognoscentur. *Praemium duorum millium italicarum libellarum*, ab athenaei arca solvendum, unum tamen et indivisibile erit, atque vel duobus tantum suffragiis latum, ac sine provocationis iure addicetur.

5) Coetus idem ad comparativum singulorum acceptorum carminum examen procedet, amandatis prius quae praeter constitutum tempus pervenerint, vel irregularitate alia laborarent; meliora designabit ex quibus optimum deliget, cui praemium attribuet, si praemio dignum illud existimaverit. Denique operis sui brevem relationem in vulgus edet.

6) Coetui facultas erit, si ipsi videatur, meliorum carminum editionem curare.

Nemini dubium esse potest, quin gestienti animo novi huius latini poëtici certaminis notitiam in hisce paginis referamus, eoque magis si certamen idem cum studiorum ratione apud nos recens praescripta comparemus, in quâ debitus honor latinae linguae est restitutus. Sit igitur hoc renascentis gloriosi spiritus novum indicium, sit omen et augurium, Romam hanc nostram ut semper fuit ita quotidie magis in posterum Matrem Almam futuram, quae non quidem armis possideat, sed arctissima sui religione cultos viros omnes teneat.

DE CARMINIBUS DAMASIANIS

Non abs erit de hoc argumento in commentario nostro hodie breviter disserere, dum hospitem Romae habemus acceptissimum Alfonsum XIII Hispanorum regem, eumque apud Summum Pontificem revocantem audivimus Ibericam erga Catholicam Ecclesiam adhaesionem iam a nationis primordiis nunquam fractam aut conversam, gloriasque et triumphos inde parta. In hisce enim et Damasus I pontifex, imo in primis adscribendus est, qui Romanam sedem quum saeculo p. Ch. IV fuerit moderatus, non operibus modo et fructibus Ecclesiae allatis refulsit, sed virtute, per quam in Sanctorum album est relatus, et scriptis, quorum celeberrima carmina exstiterunt, quippe quae non tantum doctrinae, sed historiae potissimum monumentum constituerint.

Equidem de Damasianis carminum litteraria ac poëtica indole severius, nec immerito prorsus, iudicari potuit: « Habuit - ita Ihm[1] - elegans in versibus componendis ingenium, teste Hieronymo;[2] cuius elegantiae re vera vestigia adsunt, quippe quum elegantem poëtam ille sit imitatus, Vergilium... Minime vero veri poëtae nomen meruit, id quod clamat carminum indoles, in quibus facile desideraveris non quidem studium brevitatis pietatisque, nec speciem quandam artis ad Vergilii exemplum formatae, sed ingenium sollertiamque ad inveniendum acutam, varietatemque colorum atque spiritum vere divinum: formulas enim locutionesque iterare solet, ut taedium paene adferat legentibus ». Item, si argumenta respexeris, res ab eo descripta non magni momenti fortasse inveneris; verum quum Damasus praecipua et celebratissima monumenta versibus curaverit exornanda, atque ideo certa de iis colligere notitias studuerit, eius carmina in historiae utilitatem pretiosissima cuique sunt iudicanda. Scimus imo et documentorum non fuisse incuriosum, et archiva restituisse, quemadmodum ipse fatetur:

Hinc pater (puer ?) exceptor, lector, levitâ, sacerdos...
Hinc mihi provecto Christus, cui summa potestas,
Sedis apostolicae voluit concedere honorem.
Archibis, fateor, volui nova condere tecta...
Quae proprium Damasi teneant per saecula nomen.[3]

Quonam vero modo usus sit Damasus notitiis vel sibi familiaribus, vel quas facile

[1] Max. Ihm, *Damasi epigrammata*, p. IX.

[2] S. Hieronymus a secretis Damasi fuit.

[3] Plerumque inter lectores tunc « exceptores » eligebantur, qui archivis et tribunalibus ecclesiasticis addicerentur (cfr. De Rossi, *Bibl. della Sede Apostolica* in *Studi e documenti di storia e di diritto*. - MDCCCLXXXIV, p. 335).

adquirere posset, ex ipsius pariter eruitur testimonio:

Vita fuit Marci quam novimus omnes,
(Marcelli) Damasus voluit comperta referre...

Quod autem sui temporis non fuit, id ex ore seniorum excepit:

Percussor retulit Damaso mihi, quum puer essem.

Quum vero non satis posset rem ab aequalibus cognoscere, tunc his utebatur formulis: Fama refert... Fertur ... et

Haec audita refert Damasus; probat omnia Christus.

Igitur quae narrat aut vulgo nota erant, aut scriptis tradita. Quod si obscura nobis quaedam eius verba sunt, suo tempore non ita, quia narrata plerumque facta aliunde fideles comperta habebant, et martyres celebrati ex rerum gestarum compagine facile dignosci poterant.

Itaque Damasi testimonium tamquam certissimum est habendum; quin etiam unicus exstitit aliquando, vel primus historiae testis. Ita in S. Tarcisii elogio:

Par meritum, quicumque legis, cognosce duorum,
Quis Damasus rector titulus post praemia reddit.
Iudaicus populus Stephanum meliora monentem
Perculerat saxis, tulerat qui ex hoste tropaeum,
Martyrium primus rapuit levita fidelis.
Tarcisium sanctum Christi sacramenta gerentem
Quum malesana manus premeret vulgare profanis;
Ipse animam potius voluit dimittere caesus,
Prodere quam canibus rabidis caelestia membra.

Ita etiam aliquando ex Damasianis carminibus quorumdam factorum, quae alia ex parte oblivioni sunt tradita, notitiam eruere fas est, ut in S. Eusebii epigrammate, ex quo non solum schismatis Heracliani notionem nacti sumus, sed et de Eusebii pontificis exilio, deque eius morte in Sicilia insula, ita ut huiusmodi inscriptio vere historica quaedam pagina dici debeat.

Identidem quod de S. Agnete epigramma scripsit, primum fortasse exstitit historiae illius virginis documentum, cui, aetate quidem aequalis, rerum vero scientia impar, laudatio a S. Ambrosio conscripta[1] addi potest:

Fama refert sanctos dudum retulisse parentes
Agnen, quum lugubres cantus tuba concrepuisset,
Nutricis gremium subito liquisse puellam,
Sponte trucis calcasse minas rabiemque tyranni;
Urere cum flammis voluisset nobile corpus,
Viribus immensum parvis superasse timorem,
Nudaque profusum crinem per membra dedisse,
Ne Domini templum facies peritura videret.
O veneranda mihi, sanctum decus, alma, pudoris,
Ut Damasi precibus faveas precor, inclyta martyr.

Denique Damasiana carmina permagni habenda sunt propter locorum indicationes. Quamquam revera pretium hoc plus minusve tenuatur, quum inscriptio prisco incisa lapidi suo loco haud fuerit semper inventa. Sic Damasianum carmen in pontificum hypogeo a I. B. De Rossi repertum, utique antea ex collectaneis notum erat, verum errorum contentionumque causa fuerat apud antiquitatis peritos circa praefati hypogei locum; quae eo usque perduravit donec ubi primitus situm esset, carmen in comperto tandem fecerit. Neque profecto exorta esset circa ipsum S. Damasi sepulcrum controversia, si inscriptio, quam Pontifex pro matre sua concinnaverat, suo inventa fuisset loco, non autem in calce dumtaxat cuiusdam cippi impressa.

Eodem autem loco ubi mater, et Damasi soror Irene sepulta est, cuius inscriptio, fraterni plena amoris, Damasi animum exquisitissimum nobis ostendit, ut eam referre operae pretium esse videatur:

Hoc tumulo sacrata Deo nunc membra quiescunt:
Hîc soror est Damasi; nomen si quaeris, Irene.
Voverat haec sese Christo, quum vita maneret,
Virginis ut meritum sanctus pudor ipse probaret.
Bis denas hiemes necdum compleverat aetas,
Egregios mores vitae praecesserat aetas,
Propositum mentis pietas veneranda puellae:
Magnificos fructus dederat melioribus annis.

[1] S. Ambros., *De virginibus*, lib. I, c. II.

Te germana soror[1] *nostri tunc testis amoris,*
Quum fugeret mundum, dedit mihi pignus honestum.
Quam sibi quum raperet melior tunc regia caeli,
Non timui mortem, caelos quod libera adiret,
Sed dolui, fateor, consortia perdere vitae.
Nunc venienti Deo nostri reminiscere, virgo,
Ut tua per Dominum praestet mihi facula lumen.

***

Centum circiter Damaso adscripta recensentur carmina, quae in quattuor dividi possunt classes. Harum prima epigrammata complectitur, quae, ut quorumdam sacrorum librorum capitibus praeponerentur perhibetur concinnasse; cuius generis duo tantum certa exempla supersunt, alterum Psalterio, alterum Pauli apostoli epistolis destinatum. Sequuntur quae Damasus conscripsit ut sepulcris monumentisque sacris praefigerentur, suntque multo ceteris numerosiores. Carmina moralia tertiam classem constituunt, cuiusmodi fuere versus *de virginitate*, nobis quidem ignoti, quos, scribens ad Eustochium de eodem argumento, Hieronymus legendos commendat. Item carmen ad quendam fratrem corripiendum, his verbis incipiens: *Tityre tu fido recubans sub tegmine Christi*, et *Liber Damasi papae de vitiis*, cuius nihil ad nos usque pervenit. Denique addenda sunt carmina in Christi laudem scripta, quae Damasi operibus hîc illic ab editoribus adnumerata videmus.

Verum, si secundam excipias classem, non pauca Damasi propria haudquaquam reperiuntur; itaque diligenter ei adlaborandum est, qui his carminibus uti in suis investigationibus velit. Clarissimus Christianae antiquitatis magister, I. B. De Rossi, hîc etiam plures tradidit rationes ad vera Damasi carmina a spuriis discernenda, quas quidem breviter referendo finem nostris hisce verbis imponemus:

Tres igitur notae sunt, quae genuina Damasi carmina efficiunt: explicitum auctoris testimonium, stylus, literarum forma, si marmore incisa sint.

Ad primam quod attinet, Damasus saepe semetipsum auctorem sui carminis praedicat. Quum vero Damasus non semper nomen suum inter versus inseruerit, sed aliquando extra carmen, velut in dedicatione seu nuncupatione apposuerit, non proinde statim de alicuius epigrammatis falsa origine, si mentio illa desit, sententia ferenda est. Ex adverso fieri sane potuit ut, ad auctoritatem sibi conciliandam, scriptores quidam per fraudem Damasi nomen suis carminibus affixerint, quemadmodum verisimile est de S. Agathae hymno evenisse, qui, pro Damasiano aliquando habitus, Damasum manifesto non sapit; sed etiam ut alius eodem Damasi nomine appellatus carminis concinnator exstiterit. Etenim Damasi cuiusdam episcopi, a papa diversi, in quadam inscriptione veteris ecclesiae consecrationem referente, mentio reperitur: *Da Damaso vitam post mortem, Christe Redemptor;* necnon ad alium Damasum Portuensem episcopum, quem nonnulli eumdem fuisse ac Formosum episcopum deinde papam, arbitrati sunt, nonnullae falsae de morte S. Hieronymi litterae inscribuntur. Alius denique commemoratur Damasus, iuris canonici peritissimus, qui recentiore aetate, saeculo nempe XIV, floruit. In his igitur quae ad indubia Damasi nostri opera recognoscenda pertinent, summa sedulitate procedendum. Certissimum vero hac in re criterium interdum habemus, earum scilicet literarum exemplar, quae, a Furio Dionysio Filocalo, earum auctore, nomen sortitae, Damasianorum marmorum quasi sunt propriae. Qui quidem Filocalus eximius quoque, sicut hodie dicitur, calligra-

[1] Nonnulli legunt *Germana soror;* nomen scilicet alterius Damasi sororis, quae, moriens paullo ante Irenen, hanc ut *pignus honestum* fratri commendasset. Quum *germana soror* legatur, intelligendum est a Damasi matre moriente, filiam Irenen virginem Deo devotam (*pignus honestum*) fratri commendasse.

phus et computator exstitit, atque Liberii iussu, kalendarium ecclesiasticum anno CCCXXXVI, ut videtur, exaratum, perfectius et ad annum usque CCCLIV deductum renovavit.

**

DE LATINAE LINGUAE PRONUNCIATIONE

Non parvi momenti quaestio iterum prolata est: quibus tandem rebus latinarum nitatur genuinarum vocum ac sonorum cognitio? De sermonis enim eius vita tunc agitur, aut de oblivione, cuius dubitari liceat, utrum sana maneant, an tabuerint antiquitus elementa? At quae vis latinae sit cuique tribuenda literae, ipsa verborum demonstrat fabrica, tum modificata cantatio, post graeca comprobat scriptura. Universarum profecto gentium communibus vocem latinam constare elementis, ii prorsus audiunt, qui cum Brachmanum et Iaponensium sonis, hesperios quoque veteris et novi conferunt continentis. Quid autem praecipuum et universum, genuinumque singula nostra viginti:

a, e, i, o, u; b, c, d, f, g, h.

et reliqua, sonent elementa? Grammaticus nemo nescit viator.

Quorum (pauca tamen, quoniam gentes a natura vique sua propria, novos ad usus alienos detorsere) vitium manifestum, facilis et emendatio est.

Nam C litteram, quis doctus dubitet, fuisse loco *gamma* scriptam (ut in Caio) antiquitus, sed inde nunc et in posterum pro *cappa* stare? G vero, quis nesciat, apud auctores latinos sonare ubique asperum, *gammaque* vim servare?

Vim certam tribuendam cuique litterae perstans verborum postulat fabrica. Mens enim sermonis artifex, quae scribit, ea dicens, a *capi*endo *cepi,* minime vero *tshepi,* trahit. Pari ratione, qui pi*sh*em di*tsh*erent, et pi*sh*atorem di*tsh*ant oportet. Non secus ac Angli; *fish* atque *fisher* aiunt; et Galli similiter, vocabulorum incorruptis ubique radicibus: *gage, gageure; verge, verger; vergue, envergure.* Quae flectendis lex in verbis, orbi perpetua quum sit atque universa, Urbi etiam oportet observetur. Postremo qui nominatur Marcus, « Marce » vocatus audiat oportet.

Barbari deinceps soni ma*dzh*is, ra*tsi*o, etiam de versu peccant, quia syllabas duplici falso litera producunt breves:

Nec *măgis* incepto. V. Sit pro *rătione* voluntas. I.

Non syllabae modo quidem, verum etiam solae vocales, rite correptae aut productae, conferunt orationi lucem. *Os* enim producit *o,* si ab *ōre;* si ab *ŏsse,* corripit. *Occĭdit* a cadendo dicunt, sed a caedendo: *occīdit.* A *pătris* est brevis, sed longus sonus *mātris. Es* corripitur, quum *sis,* sed ab *ēsu* producitur. *Mālus* est arbor, quum *mălus* sit non bonus.

Mala mali malo mala contulit omnia mundo.

Versus est a pueris elementariis diu decantatus. *Cŏrōna* corripit *o* prius, posteriusque producit. Inde vox gallica *couronne* duos habet sonos inter se dissimiles.

Elementa *e, o* longa graece per *η, ω*; brevia per *ε, ο,* scribuntur. Et enim congruunt latina cum graecis:

Ἔξεστιν δοῦναι χῆνσον Καίσαρι;
Licet dari CENSUM CAESARI?

Hanc sententiam, cum Gallis nobis, habuit, in his commentariis, Donaldus Macrae scotus.

Valete, boni, et verum amate.

I. TASSET.

DIVERSORIUM BETHLEHEMITICUM

Non erat eis locus in diversorio.
(Luc., II, 7).

« Ut ridet mihi sors hodie, labente Decembri!
Hospitium non ante meum tam densa replevit
turba viatorum, quibus haec est omnibus una
vox: *Age, da coenam; da, caupo, molle cubile.*
Hospite nulla vacat mihi cella, nec angulus ullus;
fervet item mulis stabulum, fervetque caballis.
Me fortunatum! sub Davidis auspice signo
amplam qui teneo cauponam, rector Isacus.
Iamque mihi Caesar minus est invisus Hebraeo:
quippe, recenseri Romanum dum iubet orbem,
ille simul mea cauponis conclavia stipat
hospitibus, quibus est siclis bene farta crumena ».

His sibimet verbis noster gratatur Isacus,
ante fores spatians, plantas ne mordeat algor;
frigus et a manibus depellit, saepe fricatis
inque sinum ductis, ubi cara crumena tepescit.

En senior sub vespere vir iuvenilis et uxor
accedunt: pedes it sponsus, dum fertur asello
sponsa comes, iamiam paritura et lassa viarum.
Advena tum senior, Iosephus nomine, sistens
sic affatur herum: « Dic, sodes, est-ne vaciva
cella tibi, nobis quae det sub nocte receptum?
Davidis, ut video, tua fert Domus hospita signum;
at nos Davidico sumus ambo sanguine creti,
etsi nunc adigor tractare fabrilia, pauper.
Pauperibus, quaeso, tua comiter ostia pande,
magnaque Rex caeli tibi reddet praemia largo ».

« Sero tu - respondet herus - me talia poscis:
cella nec una vacat, domus est mihi plenior ovo,
nilque loci superest; aliam tibi quaere tabernam ».

Cella tamen superabat adhuc ornatior, ex qua
pingue tenax herus ardebat decerpere lucrum.
Noverat id Ioseph qui, durum pectus herile
increpitans: « Ah! si scires - ait - hospes avare,
quem tu nunc abigis! cui, vecors, tecta recusas!
Adstat namque tibi (submisso haec murmure profert)
adstat, quem veteres gestîbant cernere nostri,
nec potuere, patres; *quo viso,* sidere tamquam
scintillante procul, *gaudebat, ovabat Abramus.* [1]
At, nummis inhians, hodiernum semen Abrami
letales generi tenebras sectatur, et almam
respuit (heu!) Lucem, qua destitui mala mors est ». [2]
His dictis, Iosephus abit, iam nocte subortâ.

Nox eadem spectris cauponem terruit atris
stertentem, neque terrores aurora fugavit.
Pastor enim Gedeon, gregibus praefectus Isaci,
advolat, et portenta refert quae viderat ipse.
« Hesterna quum nocte tuas - (ita narrat anhelus) -
lustrarem caulas, visurus an undique clausa
septa forent, subitus radiavit in aethere fulgor,
qualem nulla potest virtus progignere solis.
Obstupui primum; mox ore manuque sodales
excussi, circum sopitos, upiliones.
Cunctis tum nobis cernentibus obvius ecce
fit chorus angelicus qui, dum liquidas secat auras,
alis innixus niveo candore coruscis,
hoc sonat aethereum per rura silentia carmen:

[1] « Abraham, pater vester, exsultavit ut videret diem meum; vidit, et gavisus est » (IOAN., VIII, 56).

[2] « Erat Lux vera...; in propria venit, et sui eum non receperunt » (IOAN., I. 9-11).

Gloriam Regis superûm canamus,
Caelites; ac tu, populata bellis,
Terra, caelestem tibi nunc obortam
concine pacem.
Pacis est auctor modo natus Infans,
Patris aeterni soboles, et idem
Virginis proles: Ovium magistri,
visite natum.
Ille, cum magnus sit, amore vestrûm [1]
factus est parvus; locuples, egere
maluit; nascens, stabulum boantum
legit in aulam.
Asseres nudos rigidumque foenum
vertit in cunas; neque culcitella
suppetit, nec qui focus aut amictus
frigora pellat...
Ut siluit caeleste melos, properavimus [omnes
ad cunas Pueri; quo viso, fulgida caeli
limina credidimus nobis patuisse beatis.
Messias etenim, quem praecinuere prophetae,
Messias, nostrae praecellens gloria gentis,
heic aderat, Deus omnipotens et amabilis In- [fans.
Tu quoque ne tardes, here, natum visere Nu- [men,
orans ut tua tecta hospes dignetur adire.
Cum Puero veniat mater, tutorque paternus
qui tecum dixit iam se prius esse locutum ». [2]
« At tu deliras, Gedeon, – ita voce reponit
irata caupo –; tua narra somnia bardis,
non quibus est cerebrum capitis sub vertice [sanum.
Messiam mihi ne cantes, natalia tecta
cui bubile dedit! Phy! non ego sordida tracto.
Audi: dives erit Messias armipotensque,
totam qui sibi subiiciet nobisque subactam
tradet Iudaeis, rediturus ad aethera, terram ».
Dixerat haec caupo, Pharisaeus nempe su- [perbus
et qui, nummosus, gaudebat vivere laute.
Molli *durus erat sermo* [1] quo, teste propheta,
Emmanuel, nascens, humilem sibi quaereret [ortum.
« Erras, o vates – (refero cauponia dicta) –
erras, qui breve *Virgultum* scribis fore Chri- [stum,
radix cui tenuis *sub humo sitiente* sepulta. [2]
Dic potius Libani Cedrum, quae fixerit altas
late radices, et nubes vertice tangat.
Erras, qui Christo vitam portendis egenam,
opprobriis saturam, multoque gravique labore
afflictam, series tandem cui longa dolorum
diraque succedat mors. [3] Ecquis talia credat?
Annos da potius regnanti splendide agendos
inter delicias et opes clarosque triumphos ».
Attamen intima vox, dum frivola garrit Isa- [cus,
arguit os petulans poenasque minatur acer- [bas.
Scilicet audacem turbant effata prophetae
et quae rettulerat Gedeon portenta; sed eheu!
auri sacra fames generisque superbia vicit,
vela superponens oculis, impervia luci.

Rursus at anxietas animum perstrinxit He- [braei,
quum venere viri tres ex Oriente profecti,
prodigiosa quibus de caelo stella praeibat.
His famulatus erat multus dromadumque ca- [terva;
thus phaleratus equus myrrhamque vehebat [et aurum.
Ad sua tecta viros ubi tendere cernit Isacus,
gaudet et occurrit, sua laudans atria, quae [nec

[1] Cum pronomina *nos* et *vos* duplicem habeant genitivum *nostrî* et *nostrûm* ac *vestrî* et *vestrûm*, malui hîc adhibere formam *vestrûm*, qua certius significatur numerus pluralis. Quae forma etiam usurpatur post nomina, quae non sint partitiva, uti apud Ciceronem (*Philipp.*, IV, 1): « Frequentia *vestrûm* incredibilis ».

[2] Si cui altiores aequo videantur sermones, quos in ore Pastorum posui, perpendat ea quae de iisdem Evangelista asserit: « Et reversi sunt Pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant » (Luc., II, 20).

[1] « Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? » (Ioan., VI, 61).

[2] « Et ascendit sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti » (Is., LIII, 61).

[3] Isaias, per totum cap. LIII.

dedeceant reges. Cui trini: « Regius estne
hospes forte tibi? Nam regem quaerimus ipsi
nuper Iudaeis natum, cui, dona ferentes,
nos quoque, gens peregrina licet, parebimus [ultro ».
Ut tunc poenituit cauponem tecta negasse
Davidico Ioseph atque incunabula Christo!
Ditem namque domum, vacuam sed Rege [puello,
deseruere Magi, quos aucto stella nitore
ad rude mox stabulum perduxit semirutum- [que,
quam sibi Rex regum natalem legerat aulam.
Ingressis Puer arrisit, manibusque tenellis
acclines mulsit frontes; simul ipsius ora
effudere iubar, solitum sub pectore condi,
mons quod et adstupuit post trina decennia [Thabor.
Noctes interea binas exegit Isacus
insomnes, curis agitatus et usque minacem
spreti Messiae sibi visus cernere vultum.
Agnoscit tandem (Solyma quod in urbe mi- [nistri
agnovere sacri supremus et ipse sacerdos)
illuxisse diem, quo *Iustum roscidus aether*
deplueret; [1] divum quo *gigneret Emmanuelem*
parva quidem *Bethlem, praelata sed urbibus* [*amplis.* [2]
« Cras – ita tunc statuit caupo – cras lurida [tecta
invisam Pueri, cui gratis molle cubile
apricamque dabo stratamque tapetibus aulam,
cuius fama rei decus addet opesque taber- [nae ».
Sic vafer Hebraeus, sua largiri bona visus,
in nova lucra parat convertere dona vel ipsa!
Ergo sole novo vix orto, prospera quaeque
praecipiens animo, festinus pergit Isacus
quo, tres ante dies, properârat pompa Mago- [rum.
Apparet stabulum rimosum, cuius et hiscit
ianua triste gemens, Borea succussa reflante.
Huc ingressus homo, praesentes limine in [ipso
obscuri tecti clamosa voce salutat...
Nulla tamen resalutat vox; frustraque reces- [sum
attonitus caupo, discurrens, inspicit omnem.
Incola nullus adest, vacat et praesepe Puello.
Bos tantum superest asinusque; et cornibus [ille,
calcibus hic importunum depellit Hebraeum.
Paucas ante horas, dum nox incumberet [agris,
admonitus Ioseph e caelo clam Pharaonis
fugerat ad terras, Pueri dux atque parentis;
fugerat ipsa trias, caelo monitore, Magorum,
iussa aliud per iter remeare ad patria regna.
Quis lamenta viri dicat, deserta videntis
limina? Discindit vestes et « Vae mihi! — [clamat —
qui decus amisi quod perdurasset in aevum,
et mihi fortunas peperisset praeter hono- [rem! »
Cauponam repetens, haec corde dolente re- [volvit;
haec vigil, haec mediis in somnis usque re- [tractat,
anxia mens donec, noctes cruciata diesque,
exspes insanit, tenebris immersa profundis.

Sic eheu! caligat adhuc hodiernus He- [braeus,
Biblia qui dum sacra legit, signantia Christi
effigiem, signata tamen non perspicit ora,
ante oculos quia velamen protendit avitum. [1]
Ocius o utinam cadat atrum denique velum!
Ocius Abrami, caelesti lumine tacta,
posteritas sapiat, iam Regi subdita Christo! [2]

Franc. Xav. Reuss.

[1] « Rorate, caeli, desuper et nubes pluant iustum » (Is., XLV, 8).

[2] Matth., II, 6. – Mich., V, 2.

[1] « Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum (i. e. filiorum Israel) » (II *Cor.*, III, 13-15).

[2] « Caecitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret » (*Rom.*, XI, 24, 25).

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

Quomodo hodiernae cupediae nonnullae latine dici possint.

EMM. IOVÉ, C. M. F. *plurimam salutem dicit* HERMINIO M. IACOBELLI.

Iterum ad te, mi bone. Remunerationis ergo ut alumnis meis cupedias comparārem de dulciario hoc mense adeundo iam tandem cogitaveram. Nonne satius est discipulos praemio prosequi bene de magistro meritos, quam merendos? Si ergo ut Horatius habet: (*Satyr.* I, 1, 25):

Pueris olim dant crustula blandi
doctores, elementa velint ut discere prima,

quidni ut iidem posthac impensius discere pergant?

Id autem consilii meis patefeceram, quum statim eorum plerique mihi, se prius singula pulchralia (*bombones*) Latine scire velle propriis appellare nominibus significarunt, quam eorum quodpiam degustare. Ipse vero non facile esse recentibus pastillis priscas coaptare voces, subinde singillatim Forcellinium volvere, iisdem denique committere, ut quae velint eiuscemodi verba ab Hispanica in Latinam translata linguam, scripto, id quod factum est, quantocius traderent.

En tibi quas ultro ac perlubenti animo didicerunt voces:

Turrón = lucuns
Confite = dulciolum
Caramelo = bellarium
Requesón = lactarium
Bizcodro = biscoctus (sup. panicellus)
Melindre = lucunculus
Mantecado = laganum
Confitura = cydoniatum (VIVES)
Hojaldre = artolaganum
Galleta = scriblita
Rosquilla = crustulum
Pastilla = trochiscus
Regaliz = nectarea
Jarabe = syrupus
Postres = tragemata.

Est et apud Catalaunos pastillorum genus quoddam, quod in Hispanica lingua propria, ni fallimur, caret voce, ipsi tamen *caraquinyoli* vocant; cui quidem Latinus ille Plauti *laterculus*, ex eius externa cum parvulo lateri similitudine, meo tamen iudicio, apprime respondet.

Vide, bone vir, quam auspicati nobis, tot his cupediis, adventent Natales Domini! Eorum libenter divinum Infantulum alumni mei participem proculdubio efficient. Tuque valeas, neque optimi loquuntes deficiant.

Vici, in Hispania.

COMMUNIA VITAE

CORNELIUS.[1]

CORNELIUS, *puer decem annos natus, primis litteris institutus atque ingenue a parentibus educatus, solus in exedra secum volutat habitum superiore nocte somnium*: Me felicem! Nae, ego quidem sum cunctis beatior homo! Gaudio inexplicabili redundat animus! Hactenus nunquam par mihi laetitia! Heu! quam pulcher puerulus Ille, quam mihi carus! Ocelli mei, te perit cor meum! O vera mundi salus! O parvule, vel potius magne Iudaeorum Messia! Nequaquam, mihi crede: nunquam in aevum tuus labetur pectore vultus! Quid? in compitis amiculi concrepant? Mea nil refert: homines colludant invicem! Sinite, sinite me frui! Hodie haudquaquam lusum descendam; quin posthac, opinor, ludicra nulla iuvabunt quando, euge! in memetipso beatus ero (*Gressus audiuntur illic prope*). Atat, huc in exedram quispiam adventat. Laetitiam quoad potero meam celabo.

Est Cornelii Pater, qui ianuam cubiculi aliquantulum reserans: Hem, Corneliole, tu solus hîc?

CORN. Admodum, mi Pater.

PAT. Serio inquam: non placet.

COR. Hei mihi! quidni, obsecro? Ne autuma me mali quicquam admittere.

PAT. Quid ergo agitur?

COR. Plane dicam: nihil.

PAT. Magno opere miror profecto quod, ut assolet, id temporis hodie paribus non collusites.

COR. Non iuvant ludicra.

PAT. Tanto nequior! Puerum solitarium timeo. Cedo mihi; quamdudum est quum de schola excessisti?

COR. Quod puto, horae prope dimidium.

PAT. Et tamdiu quin rem ullam gesseris? An iussus a praeceptore lectioni non satis scitae rursus operam dare, qui adhuc in manibus gestes libros?

COR Minime quidem, Pater carissime.

PAT. Tibi ergo caput utique dolet.

COR. Non ita sane: verum dico.

PAT. Ni caput doleat, certo aliqua laboras infirmitate.

COR. O mi Pater! Corporis omnino nulla; fortassis animo non satis valeo.

PAT. Caeli boni! Numquid tristis?

COR. Quaeso, oculos in me converte et vide quam sim laetus.

PAT. Quid tibi igitur? Da mihi, fili.

COR. Euge! prae gaudio dicere nequeo.

PAT. Profecto sensum tuum hodie minime calleo. Sed quid cesso? Ipsum te mater quaeritabat tua et ex moeniano modo vocitabat. Nescio quod mandatum tibi commissum volet: ad eam propera atque huc iterum redito.

COR. Ultro procurram. Illic sum atque hîc sum (*Discedit Cornelius*).

PAT. *per exedram deambulans:* Quid tandem obvenerit Cornelio meo? Eius rosea ut nunquam splendet facies, coruscant oculi, totus ille apparet caelesti aura circumdatus..... A primo mane nihil ferme loquitur, quin tamen nubes ulla eius lepidam obtenebret frontem; sed contra diem perpetem blando omnibus subridet ore..... In prandio nec cibus, nec potus fuit ei quicquam..... Parce edens non patefecit more quid ei placeret, quid displiceret..... Obtutum saepe numero in certum defigens locum, ea quae ante pedes sunt nihili prorsus facere videtur. Quandoque vel sibi non satis constare dicas..... Quid hoc sibi volet, quod hac nempe hora et in hocce situ praeter naturam eum solum invenerim? Quid, quod ei ludicra minime iam placeant?..... Commodum meridie mater eius, remoto arbitro, mihi quicquam huiusmodi significavit, quod tum enimvero flocci aestimavi. Nunc tamen istuc qualecumque est cognitum demum volo. Ubi igitur ad me redierit uti id sciam sedulam operam dabo. Sed ellum audio! Ad fores matrem appellat. Rursus ad me festinat puer.

Revertitur Cornelius: Fausta tibi omnia, mi Pater.

PAT. Tibique faustissima, fili.

COR. Ecce mandatum matris sum exsequutus.

PAT. O mi bone! Quidnam id fuit?

COR. Me monitum misit fratres sicubi eos reperirem ne sextae puncto cenae deficerent.

PAT. Invenistine eos?

COR. Ita quidem et opinione celerius; scilicet in foro erant.

(Ad proximum numerum). E, IOVÉ.

[1] Fabula quae in ephebeis facile agi poterit, Nataliciis Domini vacationibus admodum opportune.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.

Qui alias in hoc ipso commentario verborum seriem retuli, quae ex graeco fonte deducta in hodiernos sermones invecta sunt, quum tamen suam exprimendi rationem apud Latinos haberent, [1] seriem alteram componere sategi, eamque tum ex vocabulis quae vulgo *postclassica* nuncupantur, tum ex novis sine ulla necessitate in latinum inductis, quippe quae ad rem exprimendam suum iam in aurea aetate haberent. Hanc vero iunioribus eo consilio dedicare malui, ut vix ad latinitatem accedentes non solum latine scribere, sed pure, incorrupte scribere addiscant; alphabetico autem ordine vocabula ipsa digessi, quo facilius, pro opportunitate, ea cuique adire liceat.

Prima igitur ex iis quae sequuntur barbara vox est; quae deinceps prope est, vere latina:

Ab antiquo - Antiquitus.

Abbas, Abbatissa - Coenobii antistes; Monachorum praefectus; Moderatrix (rectrix) sanctimonialium.

Abbreviare - Scripturae compendio uti; Per notas scribere; Sermonem incidere (in brevius cogere, - quum de sermonis summa agatur).

Abdicare ab aliqua re - Abdicare se aliqua re.

Abditus - (in voce comparativa et superlativa) Occultior, Occultissimus.

Aberratio - Error; Erratum.

Ab initio mundi - Post homines natos; Post hominum memoriam.

Ab initio rem repetere - A capite (ab ultima aetate, memoria); Altius rem arcessere; Ab origine primisque causis rem repetere.

[1] Cfr. huius anni fasc. I et II.

Ab invicem - Inter se (timere, distare, etc.).

Abnegare - Negare; Denegare; Recusare.

Abolere - Delere; Tollere; Abrogare (legem); Dirimere; Extinguere.

Abominabilis, Abominatio, Abominosus - Detestabilis; Detestandus; Exsecrabilis; Abominandus.

Abscindere (reditum, annonam) - Receptu commeatuque aliquem intercludere.

Absentare se - Subducere se.

Absolvere ab haeresi - Ecclesiae reconciliare.

Absolute - Praecise; Simpliciter (negare).

Absone - Absurde.

Absurditas - Insulsitas; Perversitas; Pravitas. - Atque in «sensu concreto»: Res (ratio) absurda; Monstrum; Ineptiae; Absurda; Inepta (neutr. plur.).

Abusive - Perverse abuti.

Abyssus - Vorago; Profundum. - Si de inferis: Tartarus.

Accentuare - Syllabam vocis sono efferre; Acuere syllabam.

Accentus - Sonus; Intentio vocis.

Acceptare officium - Suscipere munus.

Accessibilis - Aditu facilis; Ad quem aditus (accessus) patet.

Accipere aliquid bene (male) - In bonam (malam) partem accipere; Sine offensione (amice) accipere.

Acclinis - Inclinatus; Reclinatus.

Acervare - Cumulare.

Acquisitio - Adeptio; Comparatio.

Activitas - Sollertia; Industria; Studium; Alacritas.

Activus - Industrius; Gnavus; Strenuus; Impiger, etc. [1]

Adaptatus - Accŏmodatus.

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] *Activus* tamen admittitur in stylo philosophico atque grammaticali. Ita: philnsophia activa, verba activa.

ANNALES

Regii in Italia hospites.

Inter tot anxia atque periculorum plena, quae singulis mensibus recolere cogimur, laeto quidem animo primas dare hodie iuvat peregrinationi, quam Alfonsus XIII, Hispanorum rex, eiusque uxor in Italiam proximis his diebus fecere; quippe quae tum fraternitatis vincula inter latinos populos ubique terrarum effusos roboravit, tum verae pacis certa pignora apud immortalem Romam, totius orbis matrem et caput, constitui debere et vere posse, manifesto edocuit. Id profecto est probatum ex appellatione praesertim, quam rex ad pedes Supremi Pontificis, nobilissime ac filiali devotione habuit, ubi Christianorum omnium vocem expressam quidem dixeris; atque in oratione qua ei Pius PP. XI respondit: Hispanorum enim merita celebrans, eorum maxime quae per saecula fidelibus suis toto orbe diffusis in exemplum Ecclesia proposuit, communionem omnium gentium apud ipsam revocavit, cuius in ulnis, tamquam in parentis amantissimae complexu, iustitiae et paci unice inter se liceat osculari.

Consensus et plausus, qui Romae, Bononiae, Florentiae, Neapoli augustos hospites comitati sunt plane evicerunt antiquam sanguinis communionem inter Italum populum et Hispanum fuisse ex intimo recognitam atque firmiter instauratam.

***

Germanici motus.

Quae Germanicae reipublicae administri de Bavaria timebant, factum est; quamquam per breve temporis spatium: Berolinensis enim victoria demum successit, contra seditiosorum factionem - quae, capto Monacensis civitatis gubernio eique Hirtler praeposito, Berlinum armata manu petere contendebat, - recedentibus Karr populi legato supremo, Lossow militum praefecto, ipsoque illo duce Ludendorff, qui ad Germanicarum copiarum summum imperium redire affectabat. Non inde tamen deducendum est Bavarensium «nationalistarum» desideria esse consopita; quod quidem inquietos consociatarum nationum animos tenet; praesertim Galliae. Quin etiam aliud ad augendos timores accessit; reditum dicimus ex Batavia in Germaniam principis Guilelmi, quondam imperatoris, maximi natu filii, quem Gallia impedire omni opere tentavit. Germanorum vero administer primus intercessionibus respondit, vetari non posse quominus Germanicus civis ad suam familiam rediret ut cum ea coniunctissime viveret; ceterum suam futuram esse curam ne is interpositam fidem de detrectata imperii haereditate sit unquam fracturus.

***

Conventus de reparandis damnis a Germania in bello factis.

Contra ea, quae dictitabantur, stetit Civitatum foederatarum Americae Septemtrionalis, circa huiusmodi Conventus participationem, negativum responsum: iudicarunt nempe eae vanum eundem futurum conventum, quum eius actio inter propositos a Gallia fines contineretur. Quid igitur?...

Interea consociatae nationes resumi in Germania iusserunt recognitiones militares; sed de sanctionibus infligendis si hae violationem aliquam invenerint, decernetur in posterum ..... quomodo .... etc. Certe, praeter Galliam, omnes sentire videntur ad regionum occupationem non ultra esse deveniendum, sine Versaliensis foederis vitiatione.

Controversia denique alia his diebus orta est ex negotiationibus inter Galliam

et Rhenanos fodinarum dominos initis, ex quarum fructibus ipsa Gallia et Belgica expensas compensare unice sibi praesumunt, quibus in Ruhris provinciae occupatione occurrerunt. Anglia praesertim refragatur fructus illos omnes in communium damnorum refectione esse erogandos. Quaestio dicitur a coetu peritorum, ad huiusmodi argumenta tractanda constituto, iri definitum.

***

Inquietae Graecorum res.

Civiles Graecorum res inquiete satis peraguntur: posita enim quaestio est de ipso civitatis regimine, utrum scilicet regium perpetuandum ulterius sit, an popolare sufficiendum; eaque dirimenda proponitur comitiis proxime habendis.

Profecto et novus annus nova nec fortasse opinata afferet!

Kalendis Decemb. MCMXXIII.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Qui per diaria passim patienter et sedulo investigo nuperrima eaque miranda sapientum inventa, ut de iis vos, lectores mei fidelissimi, singulis mensibus participes faciam, hodie Anglicum quemdam medicum vobis celebrandum propono, qui librum his diebus edidit **de musices virtute ad medendum morbis**. Fidem suam ille interponit, tibiae sonitu atque choro opportune adhibitis, sese aegrotos ad extremum vitae adductos a certa morte eripuisse; musice pariter alios viperae morsu venenatos fecisse sanos; quin etiam cymbalissando centenos furenti mente captos in nosocomio quodam flexisse, et ad priscam valetudinem illis viam aperuisse.

Qui vero effectus plane revocat in mentem nihil prorsus sub sole novi haberi; nonne et Saul, ille biblicus rex, eamdem medicinam est dum viveret atque felici quidem exitu expertus? Primum *Regum* librum revocare iuvat (cap. XVI, 14 et sq.): «..... Exagitabat eum (Saul) spiritus nequam a Domino. Dixeruntque servi Saul ad eum: Ecce spiritus Dei malus exagitat te. Iubeat dominus noster, et servi tui, qui coram te sunt, quaerent hominem scientem psallere cithara, ut quando arripuerit te spiritus Domini malus, psallat manu sua, et levius feras. Et ait Saul ad servos suos: Providete ergo mihi aliquem bene psallentem, et adducite eum ad me». Tum David venit «et stetit coram eo: et ille dilexit eum nimis, et factus est eius armiger... Igitur quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, David tollebat citharam, et percutiebat manu sua, et refocillabatur Saul et levius habebat; recedebat enim ab eo spiritus malus».

Vetus igitur remedium musices, quae – ipso Cicerone teste – et incitet languentes, et languefaciat excitatos, et tum remittat animos, tum contrahat. Ceterum musica ipsa clamorum plena, quae nos demum obtundit, nonne ex hoc ipso indubium influxum, imo musicae potentiam in nostram *φυχήν* indicat?

Atque, bona clarissimi medici pace, addam in ipsis alpestribus oppidis morem esse passim, ut quum quis venefici alicuius animalis morsu sit laceratus, cuius toxicum sanguinis infrigidationem, torporem, somnium, mortem sit inducturum, infelix ille homo sine intermissione et requie hac illac circumducatur magna stipante caterva clamantium et instrumenta omnis generis percutientium, quae impediant quominus ei obdormire contingat. Et haec pariter profecto est musica curatio.

Dummodo ne Anglicus noster medicus doctrina sua panacen illam tamen reperit ad omnes morbos tum corporis tum animi sanandos, quam ut inquirerent per tot saecula tot viri sudarunt et alserunt. Si ita fuerit, res optimum mihi praebet argumentum, ut non solum adventantes Natales Christi ferias et novum annum, sed aevum integrum, – et nisi, lectores mei humanissimi, sufficiat, ultra, – vobis adprecer inter cantus, fistulas, citharas, sambucas, psalteria et symphonias beatissime traducenda.

***

Ad Bernerium interim redeamus – heu, pauca eius restant adhuc carmina! – qui, opportune pro anni tempore **nivales ludos** hodie nostris oculis supponit:

Saepius hiberna dum tempestate rigescit
Aer, concreta a frigore grando ruit.
Obstrepit illa cadens, terret facto impete [gentes,
Quippe domos, terram, gramina lapsa [ferit.
Descensu sed saepe levi cecidisse repertum [est
(Raro licet Romae) nocte silente nives.
Mane superficies albescere tota viarum
Cernitur, et tunc fit magnus in Urbe iocus.
Vulgarem visa alliciunt spectacula gentem,
Nempe huic materies lusibus apta datur.
Incipit ergo nives manibus tractare frequen- [ter;
Utraque sed nimis frigore concutitur.
Motus at assiduus facit insensibile frigus;
Imo agitata diu fit calefacta manus.
Arripit ista nives, quas comprimit, inde ro- [tundat,
Donec nix formet consolidata globum.
Hos qui multiplicant vicina ad bella parantur:
En tandem medio in tramite pugna ferox.
Hic iacit in socium, cui pectora pulsat; et [alter
Concutit huic ictu nobiliore caput.
Occupat interea, facto clamore, fenestras
Gens non vulgaris: ludere et ipsa cupit.
In plures concreta globos nix ergo, deorsum
Dum ruit, impulsus crescit eundo magis.
Forsan adolescens transit, cui serica vestis
Ornat membra, implet cui coma pulcra [caput.
Hinc globus offendit: rabidas tunc evomit [iras
Circum se volvens protinus, ore minax.
Certior at tandem factus, quod fecerit ictum
(Dum ipse oculos effert) foemina pulcra, [silet.
Oscula dat manibus, sic gratus reddere gsa- [tes
Curat, detectum flectit et inde caput.
Tunc parte ex alia cervix detecta vibrato
Concutitur globulo; territus ille stupet:
Apponit capiti dextram prius, inde galerum,
Nec retro vertens lumina, cautus abit.
Sibilat interea populus, nec desinit, ictum
Tam bene vibranti plaudere tota cohors.
Sunt pueri, queis forte placet melioribus uti
Ingenii studiis, dum cecidere nives.
Has primo cumulant, uli lata est semita par- [vum
In montem; grande hinc ergo paratur [opus.
Compressam hanc molem paullatim vertere [tentant
In simulacrum ingens, nec caret arte iocus.
Formam hominis, quamvis ruditer, bene sci- [licet aptant
His nivibus: plausus excipit iste labor.
Sero abeunt pueri, sed moles mane liquescit
Tota: opus et grande hoc labitur inter [aquas.
Quid magnum latet hac ludi puerilis in arte?
Scilicet humanas nos docet ille vices.
Saepe laborat homo, simulacra et mente fi- [gurat,
Quae vanae fiunt ambitionis ope.
Sunt haec divitiae; sunt, qui quaeruntur, [honores;
Ast in corde hominis nihil, nisi imago, [datur.

Cernimus illa cito nivis evanescere ad instar:
Quae spes longa struit, destruit hora bre-[vis.
Quae virtus format simulacra, perennia fiunt;
Quae facit ambitio, sunt simulacra nivis.

***

Iocosa

Pater Tuccio a schola redeunti:

– Verumne in schola nunc et Gallicam linguam praecipi?

Tuccius: – Quinimo in ea iam tantos feci progressus, ut pignore certare possim, si Lutetiam Parisiorum petiverim, me optime ab illis civibus intellectum iri.

Pater: – Demus igitur te in Parisiensem ferriviae stationem pervenisse: quomodo aurigam compellaveris, qui te ad diversorium aliquod adducat?

Tuccius, gravis et manum protendens ad accitus modum: – Piss, piss!...

Tuccius Patri:

– Ludimagister a me petiit nativitatis meae testimonium... An ita caecutit, ut non videat me natum iam diu esse?

***

Aenigmata

I.

Si abscidis *caput* et partem mihi *visceris* unam,
Infensus fidei surget, amice, nimis.
Quod fuit abscissum nobis supereminet am-[plum;
Herbam dant nocuam *viscera cum capite.*
Est opifex *totum;* manibus dureque laborat.
Comparo, si iungam *viscera, crura, pedes*

II.

In pratis errat *totum; caput* aufer, in aula.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Os;* 2) *H-ara.*

Iosfor.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

Arens Iukanthor, *La cantate Angkoréenne.* (Lutetiae Parisiorum edid. E. Figuière – 17, Champagne – Première, XIVe).

M. D'Herbigny S. I., Président de l'Institut Pontifical Oriental, *L'Unité dans le Christ* (Romae, edid. Pontificium Institutum Orientale, Piazza della Pilotta, 35. – Ven. fr. 3).

Dossier Américain de « L'orthodoxie Panukrainienne ». Dix-huit documents inédits traduits de l'ukrainien par le Prince Pierre Volkonsky et le Père Michel D'Herbigny S. I. (Indidem. – Ven. fr. 8).

G. Hofmann S. I., *S. Iosaphat.* (Indidem. Ven. fr. 5.

Giovanni Faldella, *Idee comiche, economiche e morali attraverso i secoli.* Lettera ad Achille Giovanni Cagna (Florentiae, 1923).

Libera a pittaciis responsa.

Andr. Hab.... *Siegburg.* – Litteras tuas, in quas summam *miliardorum centum* prodige effudisti – (o quam ditissimus es factus!) – grato animo accepi, eoque magis quod et mihi dederunt copiam te ex imagine cognoscendi, cuius e scriptis exquisitum animum satis iamdiu perspectum habebam. Gratias itaque amplissimas tibi reddo, votaque nuncupo ut quam optimam corporis integritatem vultu ostendis – (hercle! et ingenii abunde versutus expromeris!) –, eadem, vel in motione tua perpetua, fruaris in aevum. Epistola ad proximum numerum deleganda fuit; serius enim, quam ut pro hoc numero par esset, advenit: *reliqua* autem *bella* post editum integrum antibarbarum, cui hodie dedimus initium. Vale, meque mutuo diligere pergas.

Ad. Kozl..., *Petricovii* – Tibi morem gessi; sed si res non bene successura sit, ne angaris nimis; Deus providebit!

A Secretis.

Dr. Iosephus Fornari, *Sponsor.*

Romae. – Typis Polyglottis Vaticanis.

INDEX RERUM VOL. X

(An. X — Fasc. I-XII).

PAG.

Alloquia sociis et lectoribus. 1, 37, 125, 179, 181

Annales.
9, 32, 50, 68, 86, 102, 122, 137, 158, 176, 203

Apologetica.
Ad pacis regnum auspicandum (*Romanus*). 3
Crucis signum multis iam ante Christum saeculis tamquam vitae nota habitum (*X*). 41
De crucis cultu apud Sinas (*Senior*). . . 79

Archaeologicae res.
De nonnullis Apostolorum Petri et Pauli repraesentationibus in Christianorum coemeteriis (*X*). 94
Vide etiam **Apologetica, Litterae et Philologia.**

Ars.
De aesthetica voluptate, quae vulgo « gustus aestheticus » dicitur (*G. Lepore*). 26, 43, 81, 113, 145
S. Alfonsus M. De Ligorio musices non minus quam carminum auctor (*Fr. Xav. Reuss*) 40
De Iesu Christi Passione Augustae Taurinorum ex vero efficta (*Subalpinus*). 148, 160

Carmina.
Carmen saeculare (*C. Mambretti*) 8
Pio XI P. M. annum emenso primum ex quo in cathedram Petri ascendit (*F. X. Reuss*). 19
Parasceve erat (*A. Basili*). 42
Francisco Salesio tertio pleno saeculo ab eius obitu (*I. Fratini*). 63
In Vultures!... (*I. Cacace*). 83
Spes Vergiliana (*F. S. Alessio*) 99
In lychnum quem matronae Mediolanenses ad sepulcrum militum Goritiae nuper excitarunt (*A. Nardis*) 115
V. S. Dei Theresiae a Iesu Infante Beatorum Caelitum albo a Pio XI P. M. nuper adscriptae (*I. Fratini*). 118
In hypogeum ad S. Callisti (*A. Crivellius*). 150
Passer ad coenam (*A. Nardis*). 152
Vergilius et Maecenas (*A. M. Càsoli*) . . 167
Diversorium Bethlehemiticum (*F. X. Reuss*). 197

Communia vitae.
Verba ex graeco fonte deducta et in hodiernos sermones invecta, quae tamen suam exprimendi rationem apud Latinos habent (*I. F.*). 7, 30
Gratulatio (*E. Iovè*) 49, 65, 85
Cornelius (*E. Iovè*) 200

Epistolare Sociorum commercium.
Epistolae *Emmanuelis Iovè:*
De nuper natis nominibus latine reddendis 28, 62, 171
De novis verbis in latinum sermonem inducendis 136
De novis rebus latine exprimendis . . . 153
De una eademque apud omnes pronunciatione latina (cum responsione *I. F.*). . 170
Quomodo hodiernae cupediae nonnullae latine dici possint 200
Epistolae *Iacobi Tasset:*
De nuper natis nominibus latine reddendis 44, 86
Epistola *Francisci Aurelii Recalde* . . . 119
Epistola *A. Haberl:*
Quomodo latine dicenda sit *Statistica* . . 137
Epistola *H. M. Iacobelli* de perspicuo dicendi genere 153

Historica.
Nicolaus Copernicus (*I. B. Francesia*) . . 59
Primum concilium oecumenicum in occidente, cuius annus saecularis octavus celebratur (*P. Bacic*) 76, 92
Raymundus Strauch (*E. Iovè*) 97
Ioannes Petrus Aloisius Praenestinus (*I. B. Francesia*) 115
De Emerico Madách centesimo recurrente anno ab eius ortu (*V. Lakatos*) 163

Libera a pittaciis responsa 206

Libri dono accepti. . 53, 107, 125, 161, 206

Litterae et Philologia.
Nuper nata nomina latine reddita (*I. Fornari*) 4, 45
Nostrae res (*A. Haberl*) 22, 154
Quanti intersit ut in Seminariis latinitatis studium impensius colatur (*Herm. M. Iacobelli*) 24
De poëtarum elegiacorum comparationibus (*A. Aureli*):
Marmor 25
Theatrum, Ludi 58

PAG.

De rebus latinis in Britannia hodie agitatis (*D. Macrae*) 73
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXII 84
De studio litterarum latinarum in scholis ordinis secundi (*P. D. V.*) 91
Ad latinam adolescentium institutionem informandam (*P.*) 109
De Alexandro Petöfi, Hungaricae libertatis poëta (*V. Lakatos*) 127
De quadam inscriptione insigniter deformata (*I. B. Francesia*) 151
Calepino tributum (*I. Tasset*). 152
Certamen poëticum latinum Romae in singulos annos constitutum 192
De carminibus Damasianis 193
De latinae linguae pronunciatione (*I. Tasset*) 196
Vide etiam **Epistolare Sociorum commercium, Historica.**

Necrologium.

Iosephus Puppo (*I. B. Francesia*) 158

Oeconomicae et Sociales quaestiones.

Quibus principiis niti debeat vera nationum societas (*E. Hugon*) 20, 37, 55

Pro iunioribus.

De secundo bello Punico, quod etiam Hannibalis bellum vocatur (*A. Haberl*). . 31, 48, 67, 157, 174
Parvum antibarbarum (*I. F.*) 202

Roma Sacra.

Ssmi D. N. Pii Pp. XI litterae encyclicae *Ubi arcano* de pace Christi in regno Christi quaerenda 10
Ssmi D. N. Pii Pp. XI allocutio habita in Sacro Consistorio d. XXIII mens. Maii MCMXXIII 103
Ssmi D. N. Pii Pp. XI litterae encyclicae saeculo quarto exeunte a Sanctorum Caelitum honoribus Thomae Aquinati decretis. 138

Scenicae fabulae.

Leo IV. Actio dramatica (*I. B. Francesia*). 36
Ad fontem Bellaquaei. Actio dramatica (*I. B. Francesia*) . 54, 72, 90, 108, 126, 144, 162, 180
Cornelius (*E. Iovè*) 200

Vacui temporis hora *(Iosfor).*

Novus annus. 17
Lucta pugnis pugnata 33

PAG.

Quo ritu sit dormiendum. 51
Hospitium peregrinorum et convalescentium Romae 70
Morborum progressus. 88
Leguminum et fructuum in hominem influxus 106
Telegraphus apud Afros 123
Sodalitas chilogrammatum centum . . . 159
Ignem gladio omnes scrutamur 160
Macrosismum 177
De musices virtute ad medendum morbis . 204
Iosephi Berneri carmina ludicra:
Publicis in plateis assatas castaneas vendentes 18
Luctae ludus 34
Mos puerorum feria V et VI Maioris quae dicitur Hebdomadis, dum aera campana silent. 52
Paschales peregrinorum dapes, Romae . . 70
Emporium in romano campo Florae. . . 88
Canis sportulam domini ferens. 106
Ars equitandi 124
De zetario fucato 160
Simius 177
Nivales ludi 205
Iocosa . 18, 35, 53, 71, 89, 107, 124, 161, 179, 206
Aenigmata 18, 35, 53, 71, 89, 107, 124, 161, 179, 206


Varia.

De contrahendis per Columbanos mentis operibus in summam (*I. Tasset*) . . . 4
Ex Polonia (*Ioan.*) 6
Floralia (*Anonymus*):
Hyacinthum - Paeonia - Lychnis Byzantina. 46
De narcisso - Tulipa 64
Lilium regium. 83
De viribus naturae (*A. Haberl*). 110
Ludicrae pugnae ad Padum (*Subalpinus*). 118, 134
De rosa aurea (*E. Iovè*) 120
Recens de schola conventus (*I. B. F.*) . . 130
Publici cursus vicissitudines (*X*) 131
Vaticanae militares copiae (*I. A. C.*) . . . 134
De Iaponiorum novissima calamitate (*Anonymus*) 155
De ratione geographiae in scholis tradendae (*R. F.*) 165
Bestiolae in Iaponia cantantes (*X*) . . . 172
Rusticatio autumnalis (*Anonymus*). . . . 173
Veterum praecepta (Ex italico classico opere Bartholomaei a S. Concordio cui titulus *Gli ammaestramenti degli antichi*) . . 174

PAG.
. . . 51
valescen-
. . . 70
. . . 88
m influ-
. . . 106
. . . 123
. . . 159
. . . 160
. . . 177
morbis . 204
eas ven-
. . . 18
. . . 34
ris quae
campana
. . . 52
mae . . 70
ae. . . 88
. . . 106
. . . 124
. . . 160
. . . 177
. . . 205
, 161, 179, 206
, 161, 179, 206
s mentis
) . . . 4
. . . 6
yzantina. 46
. . . 64
. . . 83
. . . 110
alpinus). 118, 134
. . . 120
F.) . . 130
. . . 131
.) . . . 134
ate (*Ano-*
. . . 155
radendae
. . . 165
. . . 172
. . . 173
ico opere
ui titulus
chi) . . 174

ANN. XI - FASC. I MENSE IANUARIO MCMXXIV

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Ianuario MCMXXIV Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,50; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

"ALMA ROMA,,
IN ANNUM MCMXXIV

In superiore commentarii nostri fasciculo, qui ultimus erat decennii non sine laboribus, verum etiam et non sine intima animi expletione superati, causas edicebamus quibus novum annum nobis erecta spe salutare liceret. Eas non hodie ingeremus, sed, quem ad modum promittebamus, rationes significabimus, quibus opus nostrum hoc anno erimus expleturi.

Primo igitur firmum manebit propositum nostrum summum, re ostendere, in commentario exarando, latinam linguam amplissimam semper, nobilem, divitem, flexibilem aptissimamque ad omnia vel hodiernae vitae exprimenda exstare, ita ut sermo universalis, doctorum saltem virorum, facile haberi possit. Itaque in nostris paginis, ut huc usque factum est, res omnis generis latine expressae tractabuntur, a litteris ad bonas artes, a civilibus ad oeconomicas et sociales quaestiones, ad historias, carmina, fabulas, ludicra; eaque omnia per eventuum, temporum rerumque opportunitatem ita distributa, ut varia in unitate, una in varietate componantur. In renascenti autem feliciter latinitatis cultu, aliquid utile sine intermissione iis praesertim qui ad latinitatem nuper accesserint offeremus: iam parvum *antibarbarum* inchoavimus; sequentur philologicae notae, praecepta quae ad latinam orationem componendam suadeant, imo auxilientur, et similia. Et quum, in litterarum praesertim ludis, roma-

nae vitae, quae actu fuerit, cognitio maxime commendatur, hanc quoque provinciam nobis assumemus, ea vero peculiari ratione, ut vetera cum novis comparemus; quod quidem optimam praebebit occasionem tum ignota plerumque tot vocabula, ut ita dicamus « domestica », ediscendi, tum nova inducendi; ex quo ad finem nostrum supremum, quem supra revocavimus, erimus iterum adducti.

Non tamen eos nos reputabimus, qui quasi ex cathedra sublati certam doctrinam docere autumemus; imo grati iis erimus, qui, prouti per « Epistolare sociorum commercium » superiore anno factum est, in certamen descendant, sua proponant, nostra et aliena exagitent, expendant; nihil enim magis a nobis exoptari potest, quam ut commentarius noster fiat ampla et fructuosa latinitatis palaestra.

Haec brevi, candide et ad summam relata in annum MCMXXIV suscepta a nobis consilia; quae sociorum favorem sibi conciliatura confidimus. Quam profecto benevolentiam et gratiam nobis ipsi demonstrabunt sua cuiusque participatione, sive scriptis sive subnotationes augendo: hae enim unicam nostram vim constituunt. Quisque itaque satagat ut unum saltem socium novum ALMAE ROMAE acquirat vel, minimum, aliquem nobis indicet ad quem specimina commentarii mittere possimus non sine spe eum in nostram societatem adnumerari posse: tenuis quidem singulis labor; uberes vero in capite fructus!

***

Sed iam consociationis regulas repetere iuvat:

Pretium subnotationis ALMAE ROMAE commentarii in annum MCMXXIV erit:

Pro Italia	libell.	12 —
» Helvetia	franc.	15 —
» Hispania	peset.	15 —
» Batavia	floren.	7,50
» Anglia	shell.	12,50
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	doll.	3 —

Pro ceteris nationibus erit summa *Italicas libellas 20* exaequans. Qui autem per pecuniam alius civitatis pretium mittat, idem aequabit cum permutationis pretio die transmissionis vigente; et *qui acceptilationis testimonium desideret, pro eodem addat publici cursus pretium.* Omnia autem per eundem publicum cursum, sive per syngraphan apud aliquam Nummariam Mensam in Urbe exigenda *recto tramite* mittantur ad IOSEPHUM FORNARI, Equitem Torquatum, ALMAE ROMAE commentarii moderatorem atque administratorem, *Romae, 12 - Via del Governo Vecchio, 96.*

Praeterea hae consociationis antiquae leges immutatae sunto:

1. *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2. *Qui* ALMAE ROMAE *specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* - (quod nullo impendio facere poterat: quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) - *tamquam socius valide reputabitur.*

***

Monemus autem socios, et veteres et recentiores, apud Administratorem nostrum acquirere sese posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendas, FRIDIANUM et FRANCISCULI PRANDIUM, singulas pretio libell. 2; ambas pretio libell. 3,50; tum opusculum quod inscribitur COMMUNIA VITAE, *fasc. II,* continens phrases et formulas latinas *de omnis generis officiis,* pretio libell. 3; tum denique Herminii Iacobelli librum, cui titulus IN CAMPO LATINITATIS NOVI FLORES, recentiorum rerum lexicon parvum et perutile, pretio libell. 4 si tegumento solutum; libell. 5, si xylina structura aureoque vel argenteo titulo eleganter ita contextum, ut memoriae ergo atque donationis praemiique gratia optime offerri possit. *Iis vero qui extra Urbem omnes hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium,* iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.

Quod si quis *integram* ALMAE ROMAE *commentarii collectionem* habere sibi cupiat - (eius enim nonnulla adhuc supersunt exemplaria) - mittat libell. 225 si in Italia, idemque pretium duplicatum, libell. scilicet 450, si ex exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

***

Post haec, o socii et lectores humanissimi, valete, vosmet et nos rebus servate secundis!

ALMA ROMA.

De numerosa latina oratione

Quoniam oratio per aures in animos transfunditur, aures autem numeris ita capiuntur ut Aristoxenus, philosophus non ignobilis, animam harmoniam quamdam dicere non dubitaverit, numeris quibusdam quasi pedibus feratur, et aures perfecto quodam, ut ita dicamus, rotundo verborum ambitu impleat necesse est; qui quidem quum pro qualitate materiae nunc tardius incedit, nunc celerius currit, tum graviorem, tum acutiorem harmoniam, sive concentum ex sese parit. Quum ita instabilis est, ut tenorem servare nullum queat, et incomposito verborum strepitu inanem quamdam et immodulatum sonum efficit, ab auribus confestim animoque respuitur. Quod si id aures iudi-

care, nisi doctae atque assuetue sint, plane non possint, sentiunt tamen optimum illum atque absolutissimum sonum quoquo modo etiam indoctae. Sed ut in musica minima quaeque deprehendere nisi peritissimus artis nequit, sic in hac re ultimam illam atque absolutissimam perfectionem intelligere aures nisi assuetae omnino non possunt.

Haec quae dicimus, eo quidem spectant, ut intelligamus nobis artificio ac praeceptis ullis numerosam orationem aut nostram facere, aut cognoscere alienam non licere, nisi aures numerosis orationibus audiendis longa consuetudine sonum illum optimum a minus bono discernere discamus.

Quamquam autem neque qui audiunt nostro tempore numeros satis intelligunt, neque qui dicunt aut scribunt eos magnopere curant, tamen vel ut cognoscamus quid nobis scribendo servandum sit, si optimos imitari velimus, vel ut eorum in scriptis artificium, atque observationem perpendamus, pauca de numeris ex Ciceronis praescriptis, ex *Oratore* praesertim et *De oratore,* et Quinctiliani, in hisce paginis perstringere non inutile iudicavimus.

***

Orationem igitur apud Graecos omnium primi Thrasymachus Chalcedonius et Leontinus Gorgias numeris adstrinxere ut cum poëtas cum voluptate, se cum severitate audiri viderent, et voluptati audientium varietatique consulerent. Gorgias autem paribus paria reddere et contrariis contraria referre primus instituit, eaque re ad vitium usque est delectatus. Isocrates deinde moderatione quadam adhibita, rem maxime excoluit.

Latini eam rem tantopere admirati sunt, ut quum aliquid numerose cecidisset, tota concio pariter exclamaret. Caius quidem Gracchus, dum oraret, servum cum organo quodam post se habere solitus esse dicitur, qui ei numeros modosque succineret.

Cicero vero in eo genere palmam videtur fuisse assequutus: nihil enim, etiam in familiaribus epistolis quotidianoque sermone, non numerosum efferebat.

Ne tamen quis credat totam orationem numeris, tamquam versus, adstringendam esse; sed ita a principio fluere ac ferri debet comprehensio, ut deponi et quiescere in fine, non cadere aut proiici videatur. Et quamquam clausula ipsa, id est finis comprehensionis, maxime debet esse numerosa, cetera tamen omnia, quae ad finem illum ducunt, numeris et modulis quibusdam carere non debent, ita ut auditor aut lector a principio videre finem illum atque exspectare videatur.

Neque hoc sane difficile factu est illis, qui se in scribendo exercuere. Nam ubi primum sententia mente concepta est, confestim verba ultro sese offerunt, et in ordinem et numerum quemdam digerunt. Requirunt autem non eosdem omnia numeros, sed alios alia pro diversitate materiae et orationis genere. Contentiones enim celerius currere, narrationes tardius ferri debent: tarditatem autem orationi et gravitatem spondeus in primis afferet, qui duabus syllabis longis constat; celeritatem paean maxime conficiet, qui tribus brevibus et longa, vel in principio (- *vvv*) vel in fine posita (*vvv* -), continetur; dactylus autem, quae longa et duabus brevibus conficitur (- *vv*), utrique generi etiam accommodatur.

Iambus, qui ex brevi et longa est (*v* -), demisso et humili sermoni aptissimum est, ac propterea eo maxime comici utuntur.

Principia a longis, ut plurimum, syllabis facienda sunt; raro a brevibus. Itaque paean ille, qui primam longam et tres breves habet, et in principio et in medio passim optime collocatur, in fine decet. Alterum, qui tres breves et longam postremam habet, in fine Cicero non valde probat: nam ultimam syllabam ne in versu quidem, quanta sit, referre arbitratur; dum Quinctilianus longam esse censet oportere. Nos Ciceroni, qui plurimum dixit et scripsit, magis accedendum esse putamus.

Cavendum autem est ne hexametri versus principium initio dicendi aut scribendi faciamus; sicut etiam finis hexametri et pentametri est vitiosus. Clausula, contra, optime definit in dichoreum, id est in duos trocheos (- *v* - *v*), ut « Patris sapientiam, filii temeritas comprobavit ». Trocheus enim ex longa et brevi conficitur (- *v*). Sed videndum est, ne frequentior idem finis, quamvis optimus sit, satietatem afferat: afferunt enim etiam optima satietatem.

Laudabilis est etiam in fine creticus, qui ex longa, brevi et longa conficitur (- *v* -), si ante se habeat vel dactylum, vel pyrrichium, qui duas breves (*vv*), vel tribrachum, qui tres item breves habet (*vvv*); quale est: « Quamdiu tantas iniurias patiemur? » et: « Facite, ut bonos servare videamur ».

Geminatus etiam idem optime claudit, ut: « Virtus est servare quamplurimos ». Patitur etiam ante se anapaestum, qui duabus brevibus et longa conficitur (*vv* -), ut: « De viro loquar non solum bono, verum etiam nobili ».

Dactylus quoque non male claudit, si eum iambus, vel creticus antecedat, ut: « Hoc nostra ratione concluditur »; male autem si spondeus, vel trocheus antecederet, quale esset: « Hoc ratione nostra concluditur », vel: « Hoc nostra ratione clauditur ».

Illud tamen advertendum est, pedes omnes, si dictionibus singulis contineantur, pessime orationem inchoare et claudere, ut in Iugurthini belli principio apud Sallustium notat Quinctilianus: « Falsò quaeritur de natura sua genus humanum ».

Spondeus bene claudit, praesertim quae « incisa » nominantur, si eum antecedat creticus, ut: « Similis caussa »; item si anapaestus, ut: « Loquar de muliere, non solum nobili, sed etiam nota »; item si iambus, ut, « In optimum munus exerces »; qui molossus efficitur, quia ex tribus longis (- - -).

Spondeus optime quoque iambum praecedit, ut: « Iisdem in armis fuit », et: « Quid futurum sit, nescio »; contra, male claudit spondeus, si eum vel spondeus alter, vel pyrrichius, vel dactylus, vet paean, vel tribrachus antecesserit.

Amphibrachus etiam, qui longam inter duas breves habet (*v* - *v*), auctore Quinctiliano, etiam claudit non male, ut: « In Africa fuisse »: quamquam id ratione dichorei, qui eodem in loco est, fieri potuit.

De ceteris ad proximum numerum.

F. A. B.

De linguae latinae foecunditate

Versa et reversa, nondum mihi datum est (neque utrum alteri detur scio) linguam aliam invenire, quae sit tam dives quam latina. Unam eamdem sententiam innumeris prope modis, et semper copiose, ornateque dicere valet. Exemplo sit, praeter cetera, illud unum, vestigiis inhaerens Manutianis, Marci Tullii: *Tuae litterae me magnopere delectarunt.* Primum fac verba singillatim inspicias; dein integram simul orationem.

Tuae. - Tuae amplitudinis, celsitudinis, maiestatis, dominationis. Possumus etiam dicere: Laurentii litterae, Hieronymi litterae, vel Hieronymianae.

Litterae. - Epistola, tabellae, epistolium, tabellulae, schedae, scripta.

Me. - Animum meum, pectus meum, oculos meos, aut Hieronymi, vel Laurentî.

Magnopere. - Valde, vehementer, nimium, mire, mirifice, magnifice, summo-

pere, per omnem modum, supra modum, praeter modum, unice, haud mediocriter, non parum; non vulgariter, dici non potest quantopere; incredibile est dictu, verbis consequi nequeam...

Delectarunt. - Oblectarunt, recrearunt; voluptatem attulerunt, voluptati fuerunt; iucundae exstiterunt; voluptate perfuderunt, mellitissimae fuerunt; non iniucundae fuerunt, non insuaves.

En autem pluribus modis, integra propositio expressa: 1. Tuae me litterae magnopere delectarunt. - 2. Delectarunt mirum in modum tuae me litterae. - 3. Maiorem in modum me tuae delectarunt litterae. - 4. Tuis litteris sum magnopere delectatus. - 5. Delectatus sum maiorem in modum tuis litteris. - 6. Epistola tua me vehementer exhilaravit. - 7. Tua quidem epistola sum vehementer exhilaratus. - 8. Tuae litterulae non mediocriter animum meum refecerunt. - 9. Humanitatis tuae scriptis sum non mediocriter animo refectus. - 10. Ex amantissimis litteris tuis incredibilem cepi voluptatem. - 11. Amantissimae tuae litterae incredibilem mihi voluptatem attulerunt. - 12. Novam quandam laetitiam tuae schedae mihi peperererunt. - 13. Tuis ex schedis mirificam laetitiam concepi. - 14. Summum gaudium mihi tua scripta apportarunt. - 15. Tuis ex scriptis summum mihi gaudium allatum est. - 16. Excellentiae tuae litteris magnam hausimus voluptatem. - 17. Ex tuis litteris plurimum hausi voluptatis. - 18. Tuis ex scriptis haud vulgaris mihi voluptas accessit. - 19. Epistola tua sum unice delectatus. - 20. Ex N. N. litteris mirificum quoddam oblectamentum percepi. - 21. Tuae litterae sane quam delectavunt animum meum! - 22. Ineffabili gaudio tuae me schedulae perfuderunt. - 23. Tuis ex litteris nova quadam delectatione sum perfusus. - 24. Incredibili laetitia tua me scripta delibutum reddiderunt. - 25. Haud parum delectamenti tua mihi conciliavit epistola. - 26. Legendis tuis epistolis, oppido quam sum delectatus! - 27. Lectio tuarum litterarum singulari voluptate delinivit mentem meam. - 28. Admodum delectabilis mihi fuit tua epistola. - 29. Eximia quadam laetitia me tuae litterae affecerunt. - 30. Tuis ex litteris singulari sum affectus laetitia. - 31. Maximae voluptati mihi tua fuit epistola. - 32. Summo oblectamento mihi tua scripta fuerunt. - 33. Incredibili gaudio mihi tua fuit epistola. - 34. Nimis quantum iucunda nobis tua fuit epistola! - 35. Vix credas quantopere in tuis scriptis acquiescam; summae iucunditati nobis tua fuit epistola. - 36. Suavissimae mihi tuae fuerunt litterae. - 37. Tuis ex litteris singularis mihi profecta est laetitia. - 38. Tuae litterae fecerunt prorsus exilirem gaudio. - 39. Tuis acceptis litteris, laetitia gestiebam. - 40. Ubi mihi tuae sunt redditae litterae, laetitia sum expletus. - 41. Lectis tuis amantissimis litteris nova quadam laetitia sum affectus; acceptis litteris tuis incredibilis voluptas cepit animum meum. - 42. Inusitata laetitia me tua demulsit epistola. - 43. Quod ad me scripseris, id mihi tam iucundum fuit, quam quod iucundissimum. - 44. Quod ad me tuas dederis litteras, id vehementer fuit gratum. - 45. Quod me tuis dignatus es litteris, eo mihi nihil potuit accidere gratius. - 46. Tuae me litterulae oppido gaudibundum effecerunt. - 47. Tuis litteris oppido quantum laetabundus sum effectus! - 48. Quod me tuis litteris certiorem reddidisti, fuit id mihi non gratum modo, verum etiam iucundum. - 49. Cum tua ad me perferretur epistola, vidisses me gaudii magnitudine gestientem.

(Sequetur).

HERMINIUS M. IACOBELLI.

In hoc potissimum sita est hominum felicitas, si quisque ad hoc applicetur, ad quod est natura compositus.

LACTANTIUS.

IESU PUERO

In laboribus a iuventute mea.
(*Ps.* LXXXVII, 16).

Ut vere primo floscalus herbidi
Decorus agri candidulus nitet,
Sic natus effulget puellus
Candidior nivibus novellis.

At auster, eheu, verberat imbribus
Florem, malignis ac animis, novum,
Vix ortus e telluris alvo
Aethera dum bibit appetitum.

Iesum dolores sic puerum feri
Urgent, et aer rupe sub obvia
Ventis rigentem vexat acer,
Et paleae feriunt acutae.

Vix caste Bethles edite, devoves
Caput procellis: membra trementia
Vili tegis panno rudique,
Flebilis o periture quondam!

Addictus insons praeproperae neci,
Cogeris oras linquere protinus,
Infantium cruore late
Innocuo madidas recentum.

Aegyptus adstat iam tibi inhospita,
Adstant et aspri devia tramitis,
Noctisque sub caelo trahendae
Heu quoties gelido pericla!

Nunquam micabit propitius dies,
Aut hora felix: nec tibi, vespero
Surgente, decedent dolores,
Nec rutilum fugiente solem.

Ast eia quondam, prospice, parvule,
Aurora surget fulgidior: tibi
Cum laurus aeternos honores
Lethifero pariet triumpho.

Tuum secunde nomen in ultimas
Volabit oras: tunc ferus excidet
Daemon: triumphato valebis
Ipse redux dare iura mundo.

GALILAEUS VENTURINI S. I.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta [1]

III.

Sed ad novissimam scenam devenimus.

Iesus antequam opus suum adgreditur, a matre quodammodo facultatem petit, eamque profecturus in ipso aedium limine nobilis salutat. Haec vero acerbo nimis moerore perculsa, se se potius ultro victimam in eius locum devovet. Eam comitatur fidissima Magdalena, quae ad pedes Iesu provoluta, eos lacrimans osculatur quos iam sanguine foedatos clavisque perforatos miserrime cernit. Verum Iesus, placido vultu, paratus certae occumbere morti, Petrum et Ioannem pascham sibi ornaturos praemittit... Haud procul adparent Scribae et Pharisaei, qui in Caiphae aedibus, implacabili odio ferventes sanguineam suam pascham instituunt; dum ad urbis portam discipuli ex Magistri condicto, hominem offendunt, qui eos ad locum ducit, ubi pascha exornetur.

Huc quoque nobiles nonnullae civitatis mulieres Iesu fidissimae alumnae certatim Coenaculum parant, vestibus floribusque decorant. Maria Magdalena portat in ulnis ad comedendum Agnum candidum a lege praescriptum.

Hîc pulcre omnino, in parte posteriori scenae biblica cernitur visio de sacra Hebraeorum coena. Paterfamilias vetustus, a proceribus pluribus antiquis circumdatus, Dei promissa ex ordine promit, et longe Agnum portendit, qui aliquando mundi peccata abstulerit.

In altera parte secunda haec biblica praebetur visio. Est regio orientalis cum pascuis late virentibus. Inter greges undecim Iacobi filii versantur qui, apud ci-

[1] Cfr. fasc. mens. Novembris MCMXXIII.

sternam simul colloquentes de Iosephi nece conspirant. Hunc interea adgrediuntur et in cisternam interficiendum dimittunt... Verum illac Ismaëlitae mercatores, in camelis insidentes, Aegyptum petituri transeunt. Eis pro viginti nummulis argenteis Iosephum vendere cogitant, et simul interficiunt haedulum, eiusque sanguine, ad Iosephi mortem adsimulandam, vestem adspergunt.

Hoc autem propheticum episodium cum Iuda Iscariota optime componitur, qui vespere feriae quintae Iesum inimicis tradidit... Iesus vero cum discipulis in coenaculo versatur, ubi intima suis pandit.

Lotis interea omnium pedibus, superataque Petri pertinacia, una cum Iuda unum ex illis, quos fratres appellat, ipsum traditurum esse arcano ore portendit.

Paulo post, Iudas, pravi sui consilii maxime tenax, e coenaculo exiens, ad Caiphae aedes advolat, ut ultima cum sociis conspiret.

Sicque, dum foris omnia sunt perfidiae plena, arma strepunt, milites clamitant nigraque coniurantur consilia, in aedibus quietis est Iesus, qui, maxima animi lenitate ac divina magnitudine, sub panis specie et vini se se in alimentum, in pignus amoris porrigit. Undecim adorantes arcanum sibi calicem transmittunt, atque festinantes ad Iesum adcurrunt, ut suprema pacis verba caritatisque accipiant.

Sed alia alio loco succedit biblica visio.

Viros ac mulieres puerosque Hebraeos huc illuc vagantes cernimus, in amphoris colligentes nescio quid candentis, quod nix esse videtur, et universam planitiem exornat. At non est equidem nix, sed manna illud celebre montis Sinai, quod Eucharistiam, veracem caelorum panem, graphice refert. Hebraei ovantes, ferentes amphoras suas, huc illuc discurrunt.

Accedunt insuper nonnulla alia aevi christiani episodia, quae Eucharisticam coenam per saecula decorant.

Vix dici potest, qua mira mentis suavitate, omnia haec eleganti quodam artificio disposita ac varietate, spectatores accipiant iisque delectentur.

Sunt vero et « tabulae viventes » : vivae scilicet personae exponunt quod pictor egregiis coloribus in tabula depinxit. Atque adeo si quis nobile Scaevolae facinus referre voluerit, tot viri erunt in theatro quot sunt a pictore in tabula positi. Est autem equidem, meo iudicio, melior huiusce tabulae conditio, quae uno quasi tempore multas rerum vices ob oculos proponere possit, quod unum dumtaxat pictor vix distinctis variisque operibus repraesentabit.

Haec omnia oculis cernebamus in prima Taurinensi tabula, quae Tarcisii obitum feliciter exhibuit.

Puer Tarcisius, eximia facie praeditus et castissimis moribus, ut fortium panem ferat, postulat, iis qui ad martyrium in custodia apud Mamertinum servantur. Voti compos factus, ore sancte compositus, circumspectus, et lumine veluti radians incedit. At eum puerorum paganorum turba opperitur, eumque frustra tentat, ut ipsis rem sibi commissam concedat. Vulneribus propemodum obrutus humi procumbit puer, nec ulla improborum violentia ab adstrictis suis ulnis concreditum sibi munus auferri passus est. Illac forte Quadratus dux, Christi discipulus, transit, et, pueris hinc inde fusis, Tarcisium ad Christianos defert, eique leniter morituro Pontifex Maximus Eucharistiam ab ipso tam fortiter servatam in viaticum praebet.

Et ex altera parte simul vivens tabula adparet, quae prodigium refert quod Augustae Taurinorum accidit an. MCCCCLVIII. Platea est ad S. Silvestri satis ampla sed herbosa. Duo milites voluntarii currum ducunt sacris ornamentis onustum, quae a sacrario quodam abripuerant. Hîc iumentum sistit, et nullis pressus flagellis ultra progreditur.

Tunc, nulla hominum opera, a sarcinis hieratica extricatur, et servata hostia, civibus circum admirantibus, in aëre stat fulgida et pendula. Affulgentibus undique radiis, adcurrere, pueros admiratos cursitare clamantes, fenestras aperiri, et supremum urbis antistitem festinare, comitantibus clericis. Ipse in genua provolutus supponit calicem, et Hostia sensim descendit, et in calice placide sistit.

Haec autem quae longe patriae iucundissimam historiam referunt, mirum in modum placent, et quotquot sunt cives Taurinenses magna voce salutant, io triumphe canunt.

Ad finem quae dici potest Eucharistica actio festinat, et grata omnium admiratione Eucharisticos, quos vocant, Congressus innuit.

Incedunt quinque puellarum globi, quae festivis vestibus exornatae, totidem orbis terrarum plagas figurantes, flores plenis manibus spargunt, ante pompam populi romani, apud Constantinianum arcum, qui vicatim, multis concomitantibus Cardinalibus, per urbem progreditur! Quae pectorum omnium exsultatio!

Quod pro Romanorum profana laetitia olim poëta cecinit, parce quidem detortum, aptissime rem nostram proponit. Nam verae plebis christianissimae:

Laeta triumphum
Vox canit, et longae visunt Capitolia pompae.

Namque piarum turbarum cantus, qui apud augustum Christi Corpus extollitur, est eius hymni verax recordatio, quem ipse Iesus cum apostolis cecinit, antequam exit e coenaculo, ubi simul sanctitas inveniebatur et poenitentia, cum Matre augusta coniunctae et Maria Magdalena, quae ad Iesum pro hominum salute crucifigendum, grati animi munus, praeter omnium exspectationem, in antecessum solverunt.

Si de sacris hisce conventibus sermo esset, libero ore profitebor, Romam pietate civium et populi concursu in exemplum omnibus enituisse, laudemque ab ipso Pio XI P. M. amplissimam obtinuisse. At supra quam cuique credibile est, omnesque conventus supergressa est Genua. Ad ipsum enim illustrandum decorandumque concurrit duplex potestas, qua, improborum malitia res diu dissociatae, mirum in modum amice conspirarunt. Et res nuper impossibilis pacatae per omnes urbis vias, universa gestiente civitate, piorum turbae sunt progressae, per quinque et amplius horas, laetissime canentes. Quod vero miraculum adparuit, non modo pegmata sub noctem incensa sunt, et viae et domus urbis facibus cereisque colluxerunt, sed uno veluti flammarum incendio, lux electrica effulsit, et immensum ab omni hominum multitudine clamorem excitavit. Interea navis, cui nomen factum est a *Bucintoro* gloriose inter civium clamorem advenarumque admirationem, Christi corpus multis comitantibus Cardinalibus atque innumeris Episcopis, super fluctibus procedebat. Memoria huius diei nedum e cordibus Genuensium, sed Italorum excidat. Sic enim Itali pacem populis gloriamque sperare possunt, et cum ipsis haud poenitendos felicitatis fructus communicare. Et sub divino Crucis signaculo, navibus suis fortunatissimis auspicabitur:

Incute vim ventis submersasque obrue puppes.
(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuper natis verbis latine exprimendis, et de pronunciatione latina.

ANDREAS AVENARIUS S. V. D, EMMANUELI JOVÉ C. M. F. fratri sal.

Non fuisse tempus ad prius scribendum, haud scio an etiam Hispanis usitata

in tardis epistolis sit excusatio: ego certe aptissime verissimeque hoc ad te uti videor exordio, neque dubito, quin tibi excusatio probetur, simul audieris iam bis hoc me anno ex una domo in aliam translatum fuisse impositamque esse nuper huic homini, satis profecto iam scholis Latinis onerato et Graecis, curam sacrae viginti et amplius sacerdotum supellectilis.

Sed litteris tuis gratissimam quandam spirantibus suavitatem non respondere agrestis esset hominis minimeque eruditi.

Itaque, ut de *statistica* te absolvam, etsi *numerarium* appellari recte posse confiteor, tamen, mea quidem sententia, quamdiu scriptorum antiquorum suppetunt vocabula, non facile alia novabuntur. Quod autem vocem simplicem et distinctam eius notionis quaeri es arbitratus, rem postules et saepe satis difficilem et saepe minus Latinam. Haec enim eius sermonis natura est, ut, quod nos uno vocabulo et substantive ponimus, antiqui pluribus verbis circumscripserint. Quaere ex Cicerone, quem velit esse Latine, quem, *le but* Gallus, quem *finem* vocitat philosophus. *Id quod volo* dicet, vel: *quod mihi proposui,* vel similia. Redde, si placet, nominibus substantivis Hispanicis: « ea quae movent sensus » et « quae arte efficiuntur » et « qui reipublicae praesunt » et « dico quod sentio ». Multarum rerum notiones proprio nomine Latino carentes verborum adgnoscuntur cohaerentia, et eum maxime callere Latine dixerim, cui hodiernam linguam ad simplicitatem veterum revocare sit expeditissimum.

Quae res, quam sit difficilis vobis, quorum lingua maiorem partem sit Latina, non sentio, Germanis non facilem esse sentio. Igitur, quoties quis *statisticam* uno exigat verbo, nominemus *numerarium,* in continenti tamen sermone uti malo vocibus Mario Pavese, socio, propositis. Habebat autem, nisi fallor, illius epistolii autographum etiam *numerariam rationem,* qua ego ceteris accommodatius arbitror referri vim et significationem « statisticae », sed effugisse typothetam. Quin etiam perlectis tuis ad me litteris in novam incidi vocem, quam pro « statistica » rectissime poneremus: dicamus: *comparativas tabulas* e. g. criminum.

Illud tamen cave sis oblitus, mecum cantare hominibus Latine doctis, nisi forte ipse facere malueris, ut aliquando aliquis in lucem proferat lexicon novatorum verborum ad me, billionum et brevi trillionum terrae filium, ab auctore gratis mittendum.

Sed nativum animadverto vitium, ut, quoties diu tacitum est, in loquacitatem abeat oratio. Video enim epistolari contemptui esse brevitati, quod etiam de pronuntiatione respondendum esse decreveram; quae res, quum ad ceterorum flumina certe atramenti rivulum adferre deberet ex mea incipientem diaeta – intelligis me Fornarii sale opipare esse delectatum – tamen, quod meo rivulo nulla moveretur mola, tribus verbis me dicam Fornario assentiri. Finge, quod ne tam cito fiat, periculum nullum est, me iter facere Romam ex Germania, te eodem venire ex Hispania. Post Apostolorum limina necopinanti ingruemus Fornario loquemurque Latine, aut ego verbum dicam nullum. Erit unius horae spatiolo molesta peregrina pronuntiatio. Sed quod iam didicimus, quomodo *c* consonam proferre soleat Italus, brevi intelligemus Fornarium, praesertim si ille, qua esse in barbaros conveniat humanitate, distincte, aperte, producte loquetur. Quidquid est: Non tantum discrepare opinor pronuntiationem Latinam Germanorum aut Hispanorum ab Italorum, quantum unius et eiusdem saepe linguae dialectum unam ab alia. Si his ego hominibus repente Germanica vocabula proferre inciperem, qualia puer vel infans ex ore excepi parentum, hi me non melius intelligerent, quam ego illos in via quondam ferrea intelligebam Gallos, quum inter se Gallice loquerentur ut domi suae, in saltu Pyrenaeo, didicerant.

Angli certe, si velint intelligi, suam pronuntiationem plus aequo absonam commutent in Italicam. Idem, quantum possit obtineri, faciant ceteri! Sed non facient, mi Ioseph, nobis superstitibus, neque possunt facere aliorum hominum aliter comparatis linguis, palatis, labiis.

Rem Divinam feci semel anno proximo in quadam urbe Saraviae Gallis. Illi canunt *Gloria* et *Credo* et quosdam hymnos Latine, pronuntiantes verba Italice, hoc est *u* vocalem non Gallice flectentes, *c* consonam Italicam imitantes. Sed quum ventum esset ad psalmum *Laudate,* repente Italia vi consuetudinis explosa audires: *Lodate Dominom omnes jantes.*

Sed si quaeras, quinam mea sententia proxime accedant ad pronuntiationem antiquorum, sine cunctatione respondeam Germanos. Nam Germani neque supprimunt sonos, neque addunt, neque quae vox modo *e* fuit postea in *a* detorquent; *i* semper est *iota, g* semper *gamma.* Et rationem habent diligenter syllabarum quantitatis.

Sed ne Germanis quidem una est litterarum *t* et *c* pronuntiatio. Solemus enim *t,* si proxima vocalis est *i,* quae non sit longa neque habeat accentum, pronuntiare *zi,* itemque, *c* cum praecedit *e* vel *i,* vel *ae,* vel *y,* vel *eu,* vel *oe,* est *z.* Dicimus ergo: *fazio, laetizia, fezi, zizero zaelum, zyrus.* Sed non omnes ita. Nam quod Romanis antiquis *t* semper fuisse Graecorum *tau, c* semper *kappa,* neutrum *zeta* multis et firmis argumentis – quae fortasse Almae Romae lectoribus a me per occasionem proponentur – inlustratum est multi, antiquitatis cupidiores *Kikeronem* dicunt et *kaelum* et *laeti-τι-am.* Sibi habeant! Nos dum communi doctorum consulto alterutra pronuntiatio erit expuncta, sequemur regionem.

Sed quoniam plus fortasse responsum est, quam velles, finem faciam scribendi, quum etiam interrogavero:

Placetne tibi illum, quem Galli *refrain* appellant, quo poëtas lyricos uti solere non ignoras, *repetitorios versus* appellemus; vel si minus hoc placeat, quid placeat vocari aliud?

Ama me, ut adhuc fecisti, et vale.

COMMUNIA VITAE

CORNELIUS.[1]

Pat. Ergo iam de gymnasio egressi?

Cor. Haud dubium, Pater: ni fallor, id clauditur prope quintam.

Pat. Quid, malum, morantur in foro, Quintus et Titus? Num alea ludunt, quod saepe vetui?

Cor. Nullo modo: ipsi tibi in omnibus bene auscultant.

Pat. Cur cessant itaque domum redire?

Cor. Ha! eos animose confabulantes audivi de re mihi omnium gratissima, quae nunc me tenet suaviter alienatum: magna enim, magna de ea aliunde novi.

Pat. Animum tuum aperi tandem, fili. Quid illuc est?

Cor. Eorum praeceptorem de Iudaeorum Messia in mundum iam advento eos allocutum fuisse audivi.

Pat. Quid nunc?

Cor. Eho, si omnia noris! At quum loquar plane non mihi dabis fidem.

Pat. Ne pave, mi puer: te ultro auscultabo. Audacter loquere.

Cor. Quid, si dicam, me tantum Messiam in terris natum vidisse?

Pat. Bona fide?

[1] Cfr. fasc. sup.

COR. Bona, hercle. Ne putas tamen hisce oculis carneis id evenisse.

PAT. Quo pacto demum?

COR. Mirum, pulcherrimumque somniavi somnium.

PAT. Vah! fabulae, logi, somnia!

COR. Oh, quam claras res perspexi! Sed modo, mi Pater, licuit per te libere loqui.

PAT. Narra igitur, fili, narra somnium tuum, quod abs dubio lepidum erit!

COR. Somnium meum, obtestor, ne tibi sit fabulis. Id somniorum est genus, ad quae natura non utique pertinet, quaeque fiunt insuetum in modum.

PAT. Raro somnia exaequabunt factis. Tu nihilominus ocius incoepta narratiunculam tuam.

COR. Age nunc: vere, vere in mundo Messias adest, qui mihi cordi est, quemque oculis gestabo semper, oculis inquam animae.

PAT. Tibi Eum cordi esse optime novi ante hunc diem, idque eorum est omnium, qui fidenter desuper salutem spectant. Istaec commodum magna spes tua insigniter te delusit.

COR. O mi Pater! Si filium tuum patienter et peramanter exaudies, rem omnem quam verissume potero referam.

PAT. Ordire iam, ocule mi, et totum ordine fare.

COR. Heri pervesperi ut in lectulo corporis clausi oculos, mentis mirifice reserati sunt.

PAT. Quid tunc, mi Corneli?

COR. Mihi visus sum transvehi ad orientem versus.

PAT. Euge! euge fili! An recordaris vehiculi rationem?

COR. Ita subito ac divinitus factum est, ut illius noscendi nulla data fuerit potestas.

PAT. Optume est! Perge narrare, bone. Utrum finium saltem, ad quos adveneris sis adhuc memor?

COR. Palestinae scilicet: eius profecto regionis, de qua tu totiens verba fecisti.

PAT. O tellus vere desideratissima atque mihi optatissima, unde olim summa gentibus proveniet salus!

COR. Nempe Messias, nonne pater?

PAT. Ita enimvero, ut Iudaico populo omnium a Deo electissimo, centies polliciti sunt eius prophetae.

COR. An etiam praedixerint Bethlehem Iudae Eum nasciturum?

PAT. Ibidem, uti me non semel Rabbi docuere ante susceptam ab eis circumcissionem.

COR. Meminerin' quoque an in suburbiis oppidi illius?

PAT. Non recordor equidem illud unquam audisse.

COR. Ergo ex me scias, Eum hac nostra tempestate, alta nocte, clara sub luna extra muros Bethlehem, in spelunca praeterea parum aprica Messiam inquam vidisse tandem opacam huius mundi lucem.

PAT. Quid narras modo, animae mi?

COR. Plura nunc capias. Ubi mundo apparuit ex Maria Virgine, teste tantum Ioseph eius casto sponso, angeli parvulum suis excipiunt ulnis, aptatisque ante Matrem convolvunt pannulis.

PAT. O utinam mihi vera ac diu expectatissima pronuntiasses! Perge loqui quae plura noveris.

COR. Continuo (nunc ipsum res videre videor) Mater et eius putativus Pater, osculati atque amplexati pupulum, procumbunt in praesepe submissis paleis, cui bos et asinus utrinque spirantes quasi prudentes blando anhelitu suppeditabant calorem.

PAT. O res inauditas atque stupendas nimium!

COR. Ita Pater, ut audis.

(Ad proximum numerum).

E. IOVÈ.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Ad beneplacitum - Ad arbitrium (pro arbitrio).

Ad diem praefixam - Ad diem; Ad diem dictum; Ad statum diem.

Adhuc semel - Iterum.

Adinventio - Inventio.

Adorare - Venerari; Colere; Precari; Supplicare.

Adoratio - Veneratio; Cultus; Supplicatio.

Adversitas - Res adversae (afflictae, turbidae, asperae); Casus adversi.

Ad vivum (*exprimere*) - Scite (miro artificio) exprimere.

Adunare - Coniungere; Congregare.

Aedificationi esse alicui - Bono esse exemplo.

Aequaevus - Aequalis.

Aequanimitas - Aequitas animi; Aequo animo.

Aequator - Circulus aequinoctialis.

Aequilaterus (*Aequilateralis*) - Aequis lateribus.

Aeterne (*vivere*) - Aeternum esse; Agere vitam perpetuam.

Affabiliter - Comiter; Liberaliter; Benigne.

Affectatus - Curiosus (si de homine); Nimis exquisitus (si de re).

Affirmativus - Aiens; Affirmans. [2]

Agonizare - Animam agere.

Albedo - Candor; Albus color.

Aliqualiter (*Aliquatenus*) - Quodammodo; Aliqua ex parte.

Allocutio - Appellatio.

A longe - Procul; Eminus.

A longo tempore - Iamdudum; Pridem.

Altus - Magnus (e. gr. Magna opinio); Clarus (e. gr. Clara voce).

Alternatim - Alternis vocibus.

Amittere (*praelium, causam*) Acie vinci; Inferiorem discedere; Causa cadere.

Amodo - Deinceps; Posthac.

Amphibologia - Amphibolia.

Angariare - Cogere; Adigere; Compellere.

Animalculum - Bestiola.

Animare - Incitare; Animos implere (commovere). [1]

Animositas - Animus; Fortitudo. [2]

Antecessores - Maiores.

Ante omnia - Imprimis; Prae ceteris.

Antepenultimus - Tertius ab extremo.

Antiochenus - Antiochensis.

Annullare (*Annihilare*) - Delere; Exstinguere; Abrogare; Rescindere; Dissolvere.

Apostatare - Nuntium remittere religioni; Sacra eiurare; Deficere a fide (Christo) data.

Apparentia - Species.

Apparere (*in somnis*) - Videre secundum quietem; Spectaculum habere in somnis; Per quietem spectandum offerri.

Apparitio - Visus; Portentum; Spectrum.

Appellere - (Nauta appellit; navis appellitur).

Appetitus - Appetentia cibi; Cupiditas cibi appetendi [3] (*Appetitum stimulare* - Aviditatem excitare, facere).

Applausus - Plausus; Approbatio; Assensio; Clamores.

Apprehendere - Mente comprehendere; Percipere; Intelligere.

Appropriare - Suum facere; In suos usus convertere; Sibi aliquid vindicare; et similia.

Approximare (*Approximatio*) - Appropinquare; Appropinquatio (accessus).

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Decembris MCMXXIII.

[2] Contra, *Negativus - Negans.*

[1] Sed tamen: *Bene (melius) animatus.*

[2] Sed tamen: *Animosus; Animose.*

[3] Eius contrarium: *Fastidium cibi.*

Aptitudo - Habilitas.

Aquaticus - Aquatilis; In aqua vivens (habitans); Aquarum incola.

Archivum - Tabularium.

Armistitium - Induciae.

Articulus fidei (*legis*) - Caput doctrinae sacrae (legis);

Artificialis - Artificiosus; Quod habet artem.

Artisticus - Quod est artificio perfectum.

Attemperare - Moderari; Adaptare.

Attiguus - Finitimus; Vicinus.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

ANNALES

Annus MCMXXIII.

Qui nuper exactus est annus, si eventuum inopiam non certe est passus, eos tamen non vidit ad decretoriam aliquam solutionem adduxisse, si - Orientis discrimen exceperis, - graves illas quaestiones, quae post teterrimum bellum quinque iam annis agitantur.

Quae enim ad intimam Germanici populi vitam attinet atque totius Europae oeconomicam vim implicat - **controversiam** dicimus **de reficiendis damnis** ab illo bello partis - ea fere immobilis mansit, quamquam labores eiusdem populi, internationales contentiones, peritorum virorum studium et opera profecto non defuerint.

Sortes autem quibus illa controversia per annum MCMXXIII occurrit, pendere a singulari eoque formidabili certamine inter Galliam et Germaniam ita visae sunt, ut aliorum rationes nonnunquam posthabitae omnino apparerent. Annus ad rem componendam Lutetiae Parisiorum congregatos inveniebat populorum legatos, postquam superiore mense Decembri MCMXXII supremi eorum administri convenerant Londini, ubi Italici gubernii praeses rogationem proposuerat quae tum res foederatarum civitatum tueretur, tum Germanicae rei publicae veras condiciones libraret. Ea despecta, alteraque a Bonar Law in Parisiensi conventu frustra suffecta, conventus idem pyrrhonice, ut initium habuerat, concludebatur. Spes itaque vitandarum sanctionum, quas Gallia in Germaniam minitabatur, quum in irritum cessisset, Gallorum Belgarumque copiae in Ruhris provincia illi occupationi dabant initium, quae gradatim ad omnia loca ubi carbonis essent fodinae prolata est, eo declarato fine, ut technica, prouti dicunt, sanctio illic institueretur; cui quidem per viros arte spectatos participavit Italia, dum America agmina sua, quae ad Rhenum etiam tum erant, omnia retrahit.

Longum est vices commemorare ex hac occupatione profectae; vix enim ea incoepit, Germanorum Cancellarius Cuno protestatus est nihil inde de damnis iri compensatum; atque simul initium duxit passivus ille renixus, ex quo per menses undecim armata vis et cohibitio, seditiones ac tumultus hîc a « communistarum », illic a « nationalistarum » factionibus commota; discrimina denique inter Berolinense gubernium, firmum in suo munere rei publicae unitatem defendendi, et ceteras Germanorum nationes. Interim Germanorum nummus in dies valorem suum amittere, praeter quam quis mente sibi effingere posset, ita ut necessarium factum fuerit novam monetam creare, a nummaria mensa protectam, ad rem pariter instituta, et cum aureis Germanorum nummis aequatam Per menses identidem undecim conatus producti ad pactionem aliquam componendam inter Gallorum magistratus et fodinarum industriaeque operum Germanicos possessores; qui vix proximis diebus felici

exitu, ex parte saltem, coronati sunt. Quam quidem pactionem, quamvis ab ea Berolinense gubernium extraneum sese profiteretur, ut sequeretur necesse erat ipsius gubernii agendi rationis immutatio. A Cuno ad Stresemannum, ab hoc ad Marxium summa itaque imperii translata, atque tandem decreta passivi renixus cessatio; conditio prima haec a Gallis posita, ut recto tramite cum Germania ageretur. Verum huiusmodi pertractationes nondum coeptae sunt, quamquam Germanorum legatis Coetum de refectionibus constitutum adeundi facultas data fuit, ut rerum statum eidem exponant, neque facta est adhuc quaevis recessio in Ruhris provinciae occupatione.

Dum autem Galli et Belgae severam Versaliensis foederis applicationem repetunt, et Italia in sententia sua insistit ut reficiendorum damnorum quaestio cum generali quaestione debitorum solvendorum uniatur, dici non potest quid Foederatae Septentrionalis Americae civitates acturae sint: si enim Coodlige praeses, - qui Harding, d. II mens. Augusti vita functo, successit - visus est proposito adhaerere de debitis non remittendis, litteris tamen ad popularium legatorum Coetum missis declaravit Americanam gentem sese abstinere non posse, quin in civilem Europae statum inclinet animum suum.

Neque pariter praevidere facile licet quo se demum Angli vertant; si Baldvinus Bonar-Lawo publicis rebus moderandis successit, neque inde politica immutata est ratio de centrali, ut ita dicamus, illa Europae quaestione; in comitiis habitis die VI superioris mensis Decembris, quum victa fuerit « Conservatorum » pars, penes quos summa rerum erat, dubitari potest utrum administrorum collegium ex « Laboris » parte, quod iis fortasse substituetur, praedecessorum in via magis insistat, an ad nationem a Gallia separandam et ad subveniendum Germanis magis inclinet.

***

Quaestio unica, quae tandem anno MCMXXIII definita fuit, ut initio innuimus, Orientem spectat. Heic non minus longum, quam inutile, post factum, foret difficultates et pericula repetere, quae superanda fuere priusquam **Lausanense pacis foedus,** die XXIV superioris mensis Iulii, feriretur. Notandum vero est, foedus ipsum terminos foederis Sévres in urbe sancti d. X mens. Augusti MCMXX late invertisse, tum ob migrationem a Constantinopoli copiarum ex foederatis nationibus, tum ob regium Turcarum imperium in populare conversum.

Sed Lausanense idem foedus **Graecorum acrimoniam** exacuit in veros aut coniectos Graecae cladis auctores; ex quo factum est, ut Georgius II rex, - Constantini regis filius, an. MCMXXI vita functi in Italia exsulis, - a patria domo distineretur, et Venizelos ille hisce diebus revocaretur, cuius proposita, ad amissos a se iam honores recuperandos et augendos, nemini datum est coniicere.

***

Civiles eventus peculiari mentione dignos et **in Hispania** invenimus, ubi intestinae discordiae, acutae magis factae, praesertim quum in Mauritania res non certe favorabiles Hispanis cessissent, ad factum illud, feliciter bonum, adduxere, per quod, annuente rege, Primus de Rivera, militum praefectus, publicarum rerum gubernaculum repente assumpsit, et militarem dictaturam instituit. Animi - ut superiore anno in Italia per Benitum Musolinum, qui adhuc Italicas res firma manu et sagaci mente moderatur - brevi quieverunt, atque ita, ut Alfonsus rex una cum uxore et novo gubernii praeside Hispaniam aliquo tempore relinquere sine ullo timore potuerit, atque iter in Italiam suscipere, quo hospes acceptissimus advenit.

*
* *

Longe aliter **in Bulgaria,** ubi Stambulinski illius, tyrannidem affectantis, imperium conversum est, et is in fuga occisus. In proximis nationibus, **Austriam** et **Hungariam** vidimus summa ope eniti, ut pecuniae et rerum caritatem vincerent; ad idemque **Poloniam** satagere; ubi vero lugendum fuit Gabrielem Naurotowicz nefaria manu interemptum, vix paucis diebus post ad supremam civitatis praefecturam assumptum.

*
* *

Si denique **ad Russiam** nos convertamus, res inibi ita implicitae adhuc apparebunt, ut planum cuique fiat quibus rationibus ceterae nationes nondum cum illa commercium aliquod re constituerint. Quinimo et religiosus furor magis, exacto nuper anno, exarsit, qui eo usque pervenit, ut Butkiwietz catholicum antistitem violenta morte opprimeret, et Petropolitanum archiepiscopum pluresque pios sacerdotes nostros exilio aut carcere mulctaret, nulla ratione habita neque officiorum, quibus Summus Pontifex huiusmodi horrores impedire conatus est, neque sollicitudinis, qua benevolentissime Russicis omnis generis miseriis Ipse succurrit.

*
* *

Noluit tamen Pater Sanctissimus beneficia sua Russis imputare; imo vero in « **allocutione** » **ad Purpuratos Patres habita in Sacro consistorio** d. xx mens Decembris, quum in sacrum senatum cooptaret Evaristum Lucidi, Iudicem sacrarum cognitionum eumdemque Signaturae Apostolicae a secretis, et Aurelium Galli, Pontificis adiutorem ab epistolis ad Principes, publicis gratiis actis bonorum liberalitati, qua factum est ut ex ipsis paene mortis faucibus tot infelices homines inedia deficientes eriperentur, anxii animi sensus tantum expressit de salute administrorum sacrorum illorum in vinculis tabescentium, Deum obsecrans « ut bonorum militum virtutem sua gratia sustentet, laboresque immarcescibilis coronae fiducia consoletur ».

Recoluit insuper labentis anni eventus, quae animum Suum et solacio affecere, et Ecclesiae novos triumphos constituerunt; ut amor cultusque populorum increbescentes in Sanctissimam Eucharistiam, publice ac sollemniter praesertim significati in conventibus Parisiis et Genuae celebratis; et Catholicorum actio in religione promovenda; et tributi Thomae Aquinati honores in orbe universo, sexcentesimo recurrente anno ex quo in Sanctorum numerum is fuit adscriptus; pariterque saecularis martyrii commemoratio S. Iosaphat Kuncewicii; « nam quotquot in orientalibus ad oecumenicam Ecclesiae unitatem revocandis laborare consueverant, iisdem vitam virtutesque celebrantibus sanctissimi antistitis, qui unitatem ipsam tuendo ceciderit, multum inde animi ad tam salutare propositum urgendum videtur accessisse ». Neque omisit Pontifex commemorare ex Vicariatibus Apostolicis Syro-Malabaricis quatuor Sedes Episcopales fuisse institutas; et Hispanici regis visitationem; qui « quamdiu in hac alma Urbe commoratus est, et coram Nobis et in luce civitatis, fidei suae et obsequii in Apostolicam Sedem nobilissima dedit documenta, adeo ut Hispanicam ipsam nationem, Iesu Christo eiusque Vicario deditissimam, in suo rege facile agnoscere ».

Denique periucundum attulit nuncium, Hiberniae res feliciter iam coeptas esse componi, quemadmodum proxime docuit Cardinalis Archiepiscopis Armacani pastoralis epistola, idemque deinceps allati nuncii confirmarunt.

Faxint Superi ut ad exitum anni huius ineuntis nuncium illud a Summo Ecclesiae Pastore perferri tandem liceat, quod omnes bonae voluntatis homines iamdiu persequuntur: ut scilicet quavis contentionis acerbitate in animis remota, quae etiam nunc Paternae dilectioni lugenda fuit, res populorum omnium vel externae, vel domesticae, in certa ac firma pace fuerint demum compositae!

Kalendis Ianuariis MCMXXIV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Ad arma! o socii et lectores mei humanissimi; tempus enim est ut sine ulteriori mora ad publicam salutem servandam contra nostrarum urbium fragorem concurramus.

Stridor, non aures tantum dilacerans, curruum electrica virtute per ferreas axes in viis, in aëre, sub terra actorum; automobilium omnis generis, rhedarum, plaustrorum, ad effrenum cursum incussorum, tympanizatio et boatus, aedes a fundamentis concussantia; motocyclorum crepitus; tubarum et lituorum clangores; sibila, « syrenum » ululatus... Altissima urbis loca ascende, et multiplicem rumorum contentionem percipies ab urbe manantium, quos anhelantem eius spiritum dixeris.

Ad arma! inquam, Londinensem medicinae doctorem Spooner sequuti, qui in huiusmodi avernum studia sua convertit, exque stygia hac palude veneficos, praeter quam quod quisque crediderit, detraxit fructus, eorumque terribiles effectus revelavit. Ignoratis ne, in officinis ubi frenum nullum contra machinarum strepitum imponitur, hominum labores tertiam minorem partem operis reddere, quam in fabricis, ubi silentii aliquid obtineri potest? Scilicet nervi a necessaria quiete in illis ita excitantur, ut ad amentiam usque deveniri possit. Non equidem nugae aguntur!

Sed in inferiore America acute hercle! atque subtilius de re consultum est. Dum enim discordes fragores in nervorum tranquillitatem saeviunt, symphoniae, laborem sine intermissione comitantes, suis concentibus nervos et animos vicissim librare satagunt. Dummodo, credo, symphoniae illae a notissima nostri temporis musice abstineant!

Quidquid est, certe clarissimi doctoris ad populos appellatio amplissimo consensu coronanda est: in nulla enim urbe invenietur profecto homo, quem acroama illud usque ad nauseam non fastidiat.

*
* *

ANONYMUS ille meus, pro sua humanitate, ineuntis anni sollemnia mihi voluit precari, munusculumque addere, quod ex tempestate appellavit. Solitus omnia vobiscum mea dispertiri, en vobis idem hîc offero; po-sum enim, quia **mala** illa **medica, limonia** et **citrea,**.... tantum in scriptis erant, prouti sequitur, a P. Berettario deprompfa:

« Inter peregrina poma, quae ex alienis terris superiora saecula in Italiam primum, indeque in occiduas oras transportarunt, omnium nobilissima et praestantissima sunt, quibus ab acore in Italia est nomen. Eorum tria genera familiam ducunt: mala medica, limonia et citrea. Medica, quorum est maxima copia et usus frequentissimus, aurei coloris sunt, magnitudine et formis malis cotoneis similia: « aurancia » in Hetruria nominantur, et hoc nomen omnium maxime nobilitatum, ut festivo etiam colori nomen accesserit. Cortex ab interiore pomo facile avellitur, qui ex melle decoctus grati admodum saporis est, alias inutilis; carne admodum tenui, et gratissimi succi alias acidi, alias dulcis; uvae instar gravida. Citreis ac limoniis color idem flavus vergens ad albedinem; limonia vero ovali forma; cortice carneque non multum ab auranciis dissimilia; sed cortex non avellitur. Longe etiam nobiliori sapore odoreque citrea forma multo maiore rotundioraque: cortex extimus iis, non ut limoniis aequus et laevis, sed ali quanto callosior, et tuberculis quasi verrucis nonnihil inaequalis, verum ut limo-

niis corpus una cum cortice grato admodum sapore totum edule. Auranciorum limoniorumque magna copia; citrea rariora, nec ubique aeque proveniunt. His odor non modo ab auranciis et limoniis dissimilis, sed etiam ita gratus ac nobilis, ut ea tantum causa integra serventur, ut cubicula grato odore redoleant. Intus a cognatorum natura dissimilia, peponibus similiora; caro etiam peponum carne solidior: ab extimo cortice ad intimum sibi similis, nullo putamine. Et ut pepones angustum continendo semini in medio alvo sinum aperiunt, ita citrea succum omnium pretiosissimum cum semine concipiunt aluntque; qui conditus ex saccaro antidotum est adversus nonnullos morbos efficacissimum ».

Post quae libenter, vel citreo malo in antidotum prius sumpto, coenate!

***

Iocosa

Tuccius matri domo exeunti:

— Eccur, mamma, tecum non me adducis?

— Loci te taederet.

— An igitur in scholam ibis?

Tuccio Magister arithmeticam hanc quaestionem solvendam in schola publice proponit:

— Auriga passuum millia octo per unius horae spatium peragit; collega eius novem. Si primo millium passuum trium praestantia concedatur, ubinam alter alteri occurret?

Tuccius brevi rem meditatus:

— Ad cauponam, certe!

***

Aenigmata

I

Olim magna fui et dominam me noverat [orbis,
Et celebre meum est populo, et venerabile [nomen.
Si a tergo legeris, terrae dominabor et undis,
Nequitia et forma pariter spectandus, et arcu.
Transfer nunc notas: cernes (mirabile dictu!)
Virtutem, Poenos italis quae avertit ab oris.
Id rursum facias; vatis cognomen habebis,
Pascua, rura, duces qui summo carmine pangit.

II

Incipit a *primo* cupiens didicisse puellus,
Qui nondum teneras *alterius* lanugine vernat;
Nunc humeris *toto* loculum suspendere gestit,
Illo post lateri suspendit fervidus ensem.

Aenigmata in fasciculo mens. Decembris MCMXXIII proposita his respondent: 1) *Arius, Aer, Aera, Aerarius;* 2) *G-rex.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

IOAN. CHER..., *Bononiae.* – *Responsum* idem est ac responsoria epistola; *pittacia* autem membranae aut chartae particulae dicebantur, quae alicui rei pice (πίττα enim = pix) vel cera aliave re affingebantur, paucisque perscribebantur verbis. Pittacia igitur nonne et ea, quae *francobolli, timbre-poste* etc. vulgo appellantur, latine dicere possumus?... Iamque aperte habes. quid huius novi capitis inscriptio significet.

Dri. ATTILIO CION..., *Mutinae.* - Ob novum nobis socium acquisitum plures tibi habemus gratias et referimus. Utinam te plures imitentur!

Dri. HENR... PARK..., *Birmingham.* - De humanissimis animadversionibus tuis rationem habebimus. Quamquam, quot plures articulos de novis *rerum* vocabulis in commentarium inducere poterimus, quum in singulis fasciculis eorumdem articulorum saltem unus iamdiu sit? Scenicas autem fabulas soluta oratione pariter edidimus: *Fridianum, Francisculi prandium, Gratulationem* et novissime *Cornelium.* Quae autem exemplo protulisti istic agitata, nonne carminibus constant?... Rationem illam Cantabrigiensem docendi linguam latinam ignoro, tibique gratus ero si de ea aliquam mihi notitiam attuleris.

A SECRETIS.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Februario MCMXXIV Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PIO XI P. M.

SUPERNAE LUCIS ET PACIS VINDICI
ALTERO EXEUNTE ANNO
A SUMMO CHRISTIANORUM MAGISTERIO SUSCEPTO
D. VI. MENS. FEBR. MDCCCCXXIV.

Altor sol vitae, qui, qua late patet orbis,
illustras radiis cuncta salutiferis,
nil tu, per maria ac terras, miraberis usquam
splendidius cathedra, vera docente, Petri,
cinctus ubi PIUS UNDECIMUS *diademate trino*
aethereum toto fundit in orbe iubar.
Terrenas, quas nox peperit, sol discutit umbras;
errores stygios dissipat ore PIUS.

Quae nuper tonuere, silent nunc fulmina belli;
at stabili nunquam pace fruetur homo,
Pontificis nisi Romani documenta paterna
excipiant populi belligerique duces.
Tum, delapsa polo, nobis Pax alma redibit;
mutua tum sibi Ius oscula Paxque dabunt.
Annuat hisce tuis, PIE, *votis Conditor orbis;*
Pacifer et terram Christus ubique regat!

Mediolani.

CAESAR MAMBRETTI.

DE NIMIO STUDIORUM LABORE IN ADOLESCENTIBUS

Dum non apud Italos unos nos, ex novis rerum condicionibus recens factis, studiorum ratio immutatur, iuvat maxime quaestionem illam iterum agitare, de congruo, ut ita dicam, labore adolescentibus in studiorum curriculo dispertiendo. Non semel enim tum a magistris et scholarum moderatoribus, tum a medicis vel philosophis est audita querela, sive pueris, sive adolescentibus aut iuvenibus studiis operam dantibus, detrimentum valetudinis et ingenii contingere, vel imminere gravissimum; idque ex refertis nimis atque late congestis studiorum argumentis gigni, quae aetati impar onus ita efficiant, ut deinceps altiores investigationes et studia aggredi impossibile saepe iis fiat.

Iam suo tempore Herbertus Spencer non tam de infaustis tot malis, quae ex scholarum disciplina exsurgerent, mirabatur, quam de mira iuvenum virtute, qui ea tolerarent; deinde autem, a. MDCCCLXXXIII, Ioannes Forbes, tristi experientia edoctus, scholarum regiminis hos praecipuos esse fructus animadvertebat, virium imbecillitatem, pallentem vultum, infirmam plerumque valetudinem, ipsiusque mentis haud praeiudicia leviora. Adolescens enim nimis notionibus, quam deceat aetatem, quasi vi refertus, congenitam sibi aciem remittit, quum - et id etiam Spencer notaverat - optima sit computatrix natura, quae quum hinc videat se nimis oppressam et obrutam, ita ut vires insuetas impendere ad onus cogatur, mira fidelitate inde detrahit.

Nemini itaque est obliviscendum, hominis vires pro quavis aetate esse certis limitibus definitas, quas iuvat proinde prudenti et congrua exercitatione roborare; ea tamen lege, ut nec paululum quam par est exercitationes ingravescant, nisi periculum consumptionis quam proxime imminens placeat animadverti.

Inde plures morbi, quorum praecipua adnotabimus.

Atque in primis oculorum, qui ex deficiente quidem, vel male directo diei lumine, vel ab informibus notis, vel contagio provocantur; plerumque vero ex nimis diuturno studio; quod maxime de myopia, post annum primum in schola productum, experientia constat.

Praeterea vertebrarum dorsalis columna facile in unum vel alterum latus aliquantulum flectitur, et costarum ossa deformantur, et humeri a naturali situ recedunt. Horum sane exempla ex trecentis et quinquaginta exploratis iuvenibus ad duos supra sexaginta, ex totidem vero puellis ad centum et quinquaginta a Guillaume medico observata atque enumerata fuere. Virchovius autem atque Eklemburg scoliosim, idest columae vertebralis flexionem in latus, inter annos in scholis absumptos enasci et progredi tuto opinati sunt; immo in Helvetia et in Russia inter frequentiores adolescentium deformitates illae fuerunt inventae.

Broca, medicus et ille illustris, certis iam experimentis eruditus, cerebri calorem vel levissimo studio per gradus foveri repperit, admotisque statisticis, quas vulgo dicunt, tabulis, epistaxim, capitis dolores, cerebri inflammationes, atque huiusmodi cetera, discipulos communiter aggredi animadvertit. Quin etiam plerique sunt, qui, sive nimio mentis labore, sive periculi quotannis ineundi angore maximo, huiusmodi infirmitates contrahi asserant.

Nec satis; nam defatiganti huic nimio mentis studio animi morbi merito tribuuntur, ut *hyperesthesia* et *neuropathia*, quibus vel iuvenes vel magistri et doctores afficiuntur; eos inter, infirmitas pessima, consumptio illa cerebralis, qua ad mentis imbecillitatem viri ac mulieres redacti, cuiusvis non modo studii, sed et levissimae cogitationis impares evadunt, et amentium domus magis in dies adimplent. Sane, vis illa insueta, quae tenellis adhuc vel ineptis mentibus infertur, ut intellectus nondum ad studia maturus indigestis praeceptis compleatur, cerebri aciem cito defatigat et obtundit. « Prodigiosos pueros vidi - ait optime Fossangrivus - qui veluti Picus e Mirandula decimo nondum aetatis anno ab obstupentibus magistris et proximis celebrabantur; at cito mentis ineptitudo praecocis tanti laboris pretium fuit ».

Quibus, aliisque, quae brevitatis causa omittimus, perspectis, opportuna non semel invocata lex est, qua ante studia ineunda, delectus quodammodo tironum indiceretur, prout in militaribus assolet, atque inepti omnes acie ingenii vel nimis imbecillis viribus, repellerentur, ne maiorem sibi noxam studiorum labore irrogarent. Verum ex ipsa studiorum ratione remedium potius deducendum nobis videtur; ut scilicet acclinior et planior iuvenibus studiorum via sternatur, per quam, cumulandi disciplinas easque indigesta mole adolescentibus proponendi ratione omnino amandata, possint, aetate aucti, altiora intactis viribus aggredi et in humanae societatis bonum ea impendere dona, quae ex rationabili scholarum ordine non dissipata, sed vere roborata retulerint.

R. S.,
Medicinae doctor.

De numerosa latina oratione [1]

Quinctilianus item trochaeum et pyrrhichium, qui paeana conficiunt, optimo cadere existimat, ut: « Quanta eos a plebe romana maneret invidia »; quem tamen

[1] Cfr. fasc. sup.

pedem Cicero dicit vigere in principio; in fine iacere.

Bacchius, qui est ex brevi et duabus longis (*v* – –), etiam geminatus recte concludit, ut: « Quae ratio fuit, ut ab homine tibi amicissimo venenum timeres? ».

Trochaeus quoque non solum geminatus, ut diximus, sed etiam spondeo praecedente, recte cadit, ut: « Quod hic potest, nos possemus ».

Item pyrrhichius inter duos trochaecs, ut: «Scipio suos omnes virtute superavit».

Drochimum, qui est quinque syllabis, prima brevi, duabus longis, brevi, longa (*v* – – *v* –), existimat Cicero, si semel ponatur, esse non malum, ut: « Amicos tenes »; quamquam magis numerus, quam pes propter multitudinem syllabarum videri potest.

His vero clausulis si oratio variabitur, fiet ut et capiat lectorem, et satietati occurrat.

Quamvis autem fluere ita debeat omnis oratio, ut numeris quibusdam incedere videatur, diligentia tamen illa et ratio numerorum tribus in locis potissimum adhibenda est: quum aliquid laudare ornatius volumus, ut fecit Cicero in secunda accusationum in Verrem de Siciliae laudibus; aut quum narrandum est aliquid, quod plus dignitatis habeat, quam doloris, ut idem in quarta de Aetnensi Cerere, de Segestana Diana, de Syracusarum situ fecit; aut in amplificationibus et commiserationibus, ut idem pro Milone, pro Ligario et aliis iudiciis quamplurimis dixit. Tametsi se conatum esse et voluisse id assequi fatetur, nescire tamen se an sit consequutus; neque diu retinendam eam formam numerose dicendi idem Cicero arbitratur; sed transeundum ad ea, quae Graeci *κόμματα* et *κῶλα* vocant, nos « incisa » et « membra » appellamus: his oratio pulcherrime distinguitur. Sunt autem haec incisa breves quaedam orationes, quae vel interrogant, vel respondent, vel confutant, vel in-

dignantur, vel pronunciationem suspendunt, quale est illud apud Ciceronem: « Domus tibi deerat? At habebas. Pecunia superabat? At egebas ». Haec vulgo incisa dicuntur; quae quidem danda opera est, ut quam aptissime cadant.

Membra vero sententiae longiusculae sunt, quae quibusdam quasi nodis inter se connectuntur: « Incurristi amens in columnas, in alienos insanus insanisti ... »; sequitur deinde quaedam quasi columna, quae superiora continet, et comprehensionem concludit: « Depressam, caecam, iacentem domum pluris quam te, et quam fortunas tuas exstimasti ». Quae quidem comprehensio dichoreo finitur; superiora membra spondeo optime terminantur.

Historia, ut Quinctilianus scribit, non tam finitos numeros, quam orbem quemdam contextumque desiderat; nam omnia eius membra connexa sunt, et ipse rerum gestarum ordo per se lectorem capit ac detinet, proptereaque cum in omni scribendi genere, tum in historia vel maxime, quae rerum notitiam pollicetur, servanda perspicuitas est, atque omnis compositionis affectatio fugienda. Quo quidem in vitio maxime versari videtur Suetonius, qui dum brevis et non vulgaris esse voluit, obscurum se et nimis affectatum reddidit.

Omnis igitur oratio candorem quendam et sponte fluentem cursum habeat necesse est, qui non numerosus sit et similis numeroso: nihil enim est peius ac turpius quam si artificiose numeros consectari more poëtico videamur; nihil contra pulchrius atque artificiosius, quam quum ars in omni scribendi genere minime appareat, totaque compositio naturae quam maxime se accommodet. Quam quidem rem duabus nos rebus maxime consequemur: lectione, et scriptione.

Lectio non varia quotidie et diversa, sed simplex et unius generis esse debet, eiusque praesertim scriptoris, cuius in scribendo esse similes volumus : multum enim Plinius ait legendum esse, non multa. Eum autem esse Ciceronem nemo dubitat: ille enim se profecisse sciat - ait Quinctilianus - cui Cicero valde placebit.

Quod si historias scribere velimus, Caesar et Sallustius in primis legendi et imitandi occurrunt. Livius quoque, tametsi diversum ab his scribendi genus habeat, obtinet tamen in suo genere principatum: miram enim in scribendo maiestatem praesefert. Neque Curtius repudiandus videtur; proxime enim ad superiores illos accedit.

Exercitatio autem multiplex est: unusquisque enim suo genere delectatur. Sed illam primam atque utilissimam iure meritoque commendatur, ut epistolas in omni materia frequentissimas conscribamus, atque illis quodammodo vires quasi in campo aliquo comparemus: possumus enim illis omne scribendi genus experiri, et nos quasi ad veram pugnam praeparare.

Illa deinde optima exercitatio apparet, ut historias, sive communi lingua scriptas, sive barbare atque inornate compositas, latine reddamus. Nonnulli etiam latine scriptas in compendium redigunt, vel aliis verbis componunt; quae quidem si ex soluta oratione in solutam item orationem fiant, admitti posse nobis videntur; sin ex poëmate, pessima ac vitiosissima: alia est enim ratio poëmatis, alia solutae orationis.

Danda itaque opera est primum, ut optimum quemque imitandum nobis deligamus, deinde ut diutissime his, quibus diximus, rationibus exerceamur. Quae autem superius tradidimus praecepta ita teneamus, ita servemus, ut intelligamus neque sine his magnopere valere exercitationem, neque illa sine exercitatione multum ad scribendum conferre. Quod si ea cum exercitatione adsidua coniunxerimus, vetustam illam et perfectam scribendi rationem, qua illi, quos maxime admiramur, veteres utebantur, optime, ut est sperandum, atque absolutissime consequemur.

I. A. B.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta.[1]

IV.

Haud deerunt fortassis, qui me prolixiorem incusent in enucleanda insigni Taurinensi actione de Christo Patiente in urbe Ierusalem atque in me haud perperam aculeata illa Vergilii verba immittant: « Eia, age, segnes rumpe moras! ». Quae verba, vel potius verbera, me ad festinandum sollicitant, etiamsi saepe saepius haec mihi excusans scribenti memorem:

Curre, nec inceptum turba moretur iter!

Quid addam? Me peccasse fateor! Veniam attamen dabis, si vel tantillum reputes, viam longam admodum esse, rebus et satis pulchris confertam, quae, meo iudicio, essent omnino dicenda, eaque memoratu dignissima.

Posteri enim, aiunt, haud ita multo post, scire enixe postulabunt, quonam modo, hoc nostro tempore rebus saçris importuno et profanis inhaerentes, tot spectatores, licet multis negotiis pressos, per plurimos dies undique in theatrum irruisse, ut eadem actione adsidue fruerentur, iisdem personis agentibus, et modo pluviis perpetuis turbatos et modo radiis solis perustos, quum rapidus torrens sitientes Sirius Indos ardebat, nihilominus, in proposito manentes et numerosiores in dies actores adsiduis maioribusque plausibus accipere atque ad sidera tollere.

En facile responsum. Quidquid in frequentissimo theatro recentiores spectaculorum magistri facere consueverunt hoc tum scenarum apparatu, tum vestium elegantia ac demum personarum numero absque parsimonia perficiendum esse curarunt. Quae propterea rerum dicendarum multitudo, quae insuper uno eodemque temporis momento, ac prope incredibili celeritate nunc oculis sunt arripienda, et ipsa immensa actionis congeries spectatorum mentem prope modum obtundunt... Hinc, quo facilius rem omnem mente assequi possint, pluries ad theatrum itandum, ut omnia et singula connectantur.

Neque res taedium, maiorem potius dulcedinem animis generabat. Quum vero per noctem agebatur, et operarii officinatores, negotiis absoluti, hoc quoque delicio frui poterant, animorum etiam voluptas crescebat, tum ob magnum noctis silentium, tum ob faciliorem sensuum illusionem.

Omnia enim hominum recentiora inventa de *electricitate,* mirum in modum ad animos alliciendos amice conspirant, et omnes propemodum artes videntur, sororio veluti vinculo coniunctae, pulchriorem suavitatem afferre.

Quot simul machinae tacitae adhibebantur! Quae lucis varietas, quaeque rerum maxima virtus! Modo enim pallida erat, modo rubra, aliquando, ut res postulare videbatur, ex singulis actionis argumentis, at semper aptissime! Hinc inde reflectoriae machinae immensum veluti lucis pelagum super actoribus, et mira omnium animorum voluptate assidue iniiciunt, quum « lunam in nimbo nox intempesta tenebat ». Haec erant dicenda antequam ad *tertium actum* laborantes progredimur.

En tandem Iesus solus ad Olivarum hortum moestissimus accedit, ibique gravi terrore perculsus, orans, sudore sanguinis madescit. Ter sollicitus discipulos e somno excitat, dum e caelo Angelus eum solaturus labitur, et longius Iudas, cum barbaro militum manipulo, eum proditurus cautissime progreditur.

Dum haec moestissima aguntur, nova et longe alia rerum series ob oculos pan-

[1] Cfr. fasc. sup.

ditur. Ecce prior felix humani generis familia!

Quae pax circa volitat atque animorum concordia! At, ecce Cainus qui, fratrem occisurus, eum e parentum conspectu studiose trahit, ... dum in urbe Ierusalem gravissimum omnium facinus paratur. Verum Sanguis Iesu aptiorem in homines misericordiam referet, quam Abelis sanguis odium in auctorem criminis excitaverit!

Interea Iesus ad inimicos procedit. Omnia quae conceptissimis verbis sacri scriptores enarrare consueverunt, graphice explicantur; et dignissimos plausibus actores equidem praedicaveris, in sua quaque persona, quae minutissima repraesentat in Evangeliis descripta.

Qua oris vultusque maiestate Iesus ad milites accurrit, eosque uno verbo humi prosternit! Petrus vero, ut magistrum strenue defendat, gladio Malchum percutit, et subito graviter a Iesu corripitur! Pavidus fugit, at postea moestus Magistri vestigia persequitur, et in Synedrium timidissimus penetrat. Incredibilis hîc hominum multitudo fremens animis versatur, saevitque ignobile vulgus. Hîc Petrus, postquam ter se Iesum novisse negavit, in Iesum offendit. Oculis vultuque magistri commotus, flens se se a nefariis illis aedibus proripit...

Interea apud moenia urbis duae afflictissimae mulieres incedunt, Mater Iesu et Maria Magdalene! Hisce divinitus est obvius Petrus, qui illacrimans ad Matris pedes provolutus, peccatum libero ore fatetur, veniamque postulat.

Venit en forte Iudas, cui sic, Deo adiuvante, novissimum perfugium salutis exhibetur... Hic diu e contra tacitus stat, atque « atrocis odii tantos volvens sub pectore fluctus » furens Annae domum ingressus, pecuniam iratus proiicit...

Eum mulieres adspectu invitant, Ipsa divina Mater se veniam petituram pollicetur... At ille immobilis in odio obstinata mente permanens, omnia spernit, et tandem, agitante eum Satana, laqueo se suspendit.

Hîc optime ad visionem biblicam reditus.

Cainus huc illuc pererrat, nec ullam quietem invenit. Abelis enim imago eum quocumque insectatur. Ipse vero in proposito malo pertinax, potiusquam veniam demisse petat, praefert impie Dominum blasphemare atque necem subire.

Huic visioni altera succedit.

Qui tristis moeror! Iob in publico sterculino miserrime languescens, a familiaribus tribusque amicis turpiter corripitur, quibus se perperam innocentem praedicat. Quo purior at castior est Iesus, quem ille refert!

Post haec, seniores populi ad Praetorium incusantes Iesum adducunt.

Pilatus vero, dum in Iesum inquirit, ab uxore trepide monetur, ne eum condemnet atque in ruinam incidat. Qui prudenter occasionem adipiscitur et lubens ad Herodem eum iudicandum adduci iubet.

En Herodis aedes regales, in quibus rex luxuriosus et nece natorum sanguinolentus patens, pacem simulat, dum suorum criminum memoria miserum in modum animo laceratur.

Quid de Herode eiusque animi crudelitate memorem? Omnes de immanitate regis terrifice loquuntur, et propter filiorum internecionem vulgo dicitur melius suem esse quam Herodis filium. Et filios passim territantes ob eius saevitiem omnes scriptitant, et poëtae versibus exornant. Iuvat propterea haec in exemplum proferre:

... eis hiatum
In gremio matris formidat rusticus infans.

Eius aula luxuriam redolet atque crudelitatem. Quae ex ipsis foeminarum frontibus nequitia atque effusa lascivia pellucet!

Superbe Iesum excipit, atque adstantibus foeminis, summa curiositate interrogat. Iesus vero tacens hominis impudicitiam corrigit. Herodes perfurit, et se se ulcisci reputans, militibus eum ad illudendum tradit.

Pilatus denuo studet pro viribus Iesum liberare, atque tamquam ad ultimum perfugium, eum ad salvandum cum Barabba proponit. Fremit haec audiens populus « serpitque per agmina murmur ».

Silebo quae teterrima in Iesum moliuntur et palam actores vocibus et habitu parant; non vero incredibile puerorum studium, qui hinc inde irruentes, animosi in forum proripiunt, et milites questibus rogant, ut Iesum in libertatem vindicare velint: et ore et vultu modo a patribus, modo a scribis postulant queritantes: « Parce pias scelerare manus! ». Quamobrem Pilatus commotus, at virtute vacuus, puerorum fortitudinem admiratur, sed potius furorem populi pertimescens iniuste innocentem damnat.

Ut quodammodo spectatores aliquid solatii habeant, post tot teterrima hominum facinora, en visio suavissima in Iosephi opificis taberna. Quae habitantibus quies! Ioseph ad mensam operi incumbit, et in crucis formam forte trabem studiose runcinat. Nonnulli milites romani ei hoc opus conficiendum committunt. Iesus puer undecim annorum sub nutritii patris disciplina, cedrum illam inscius diligenter levigat, quae in eius necem divinitus destinatur. Virgo mater, haud longe sedens, tristis veluti futuri praescia, suspirans desinit stamina ducere. Timet enim ne illa ipsa sit Crux a Patre adsignata. Inter nubila, vix adparens, cernitur mira Angelorum turba, qui stupescentes sibi invicem crucem indicant, quae tot mysteria condit. Puer modo dulciter subridens, crucem suis manibus confectam hilari vultu osculatur. Interea Romani milites cruces commissas recipiunt, et suam Iesus salutat.

Mutatur scena, et Iesus, ab Herode reversus, suisque iterum vestibus indutus, crucem suam moriturus amplexatur.

Hîc biblica sequitur imago. Viri, mulieres, et pueri, venenosis vulneribus languescentes iacent, quibus Moyses, divinae misericordiae interpres, Crucem cum serpente aeneo in victoriae signum proponit. In eum qui religiose respicit, in pristinam salutem restituitur. Multi laetantes hoc signo respicientes sanantur.

(*Ad proximum numerum*).

SUBALPINUS.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

HERMINIUS M. IACOBELLI sodali optimo EMMANUELI JOVÉ C. M. F. salutem.

Maximas tibi gratias refero, mi Jovè, non solum quia ad litterarium periculum, de quo in Commentarii nostri fasc. XI ann. MCMXXII volens lubensque accessisti, sed etiam de amica sollicitudine tua, qua me semel invitas iterumque ad meam tandem sententiam aperiendam, de novis nominibus iamdiu propositis, latine redditis. Enimvero iamdiu edicendo paratus eram quid de illis modeste sentirem, et sentiam. Sed quum plerosque viderem innocenti certamine magnopere delectari, simul atque in diversa abeuntes, aliquantulum retardare malui, eo usque saltem placuerit praeclarissimis sociis, dulces rivos claudere, iucundaeque pugnae finem imponere. Interea ad pleniorem intelligentiam verborum, nonnulla desuper addam, quibus proposita interius videantur, meliusque eviscerentur.

Quid volunt Itali quando vocant *Chincaglieria?* In re mercatoria nomen indicat speciale diversarum genus mercium et parvi pretii, quae merces minime redderentur per vocabula *minutias, tricas,*

elegantias, nugas, hisque similia, adeo ut huiusmodi vox, labentibus annis, necessaria evaserit, in tantum, ut Fanfanius, quamvis illam notae dignam tradat, ipsam tamen minime respuat. Est illa quidem gallica genere, *quincaillerie,* sed iamdiu Ausoniae fines attigit, in eaque grata virescit.

Quid *Linoleum?* Extraria vox et ipsa, commercii commodo efficta; ex lino oleoque simul unitis constat. Mixtura est olearíis ex substantiis obstrictis (vulgo *ossidate*) subereque contuso, quae textura cannabina vel corchorea illinitur eo usque ut aliquid in promptu habeas, quod maioris firmitatis, longiorisque diuturnitatis exstet ceratis linteis, quae venundari solent. Pavimentis, tectoriis, mantelibus, aliisque adhibetur huiusmodi.

De *Statistica* autem dicam statim quod sentio: e latino status ab ἵστημι est quidquid opes constituit et nationis vires. A Moreau De Ioannes dicitur: « Quae res omnes reipublicae gestas numeris expositas amplectitur *scientia* ».

Duplici significatione accipi potest: pro hominum numeratione, et est *Civium recensio* vel *descriptio,* pro incolarum simul et bonorum reipublicae numeratione; *Publicae rei census.* Hinc etiam nomen *Statista* indicat *rerum civilium peritum,* et brevius *virum civilem.*

Iuvat nunc alia latine vertenda proponere, extra Italiam quidem nata; sed in Italia hospitaliter excepta.

Haec sunt:

I *Boxe* - II *Sport* - III *Nikel* - IV *Autobus* - V *Dreadnought.*

Cura diligenter valetudinem tuam et litterarum bono et tuo.

Magna est virtus si non laedas, a quo laesus es; magna est fortitudo, si etiam laesus remittas; magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas.

ISIDORUS, in *Soliloq.*

EX ITALIS URBIBUS

Ampla litoris Veneti instauratio.

In agro Portus Mauritii, vulgo *Portogruaro,* est celebris balneorum statio, ad quam, animi causa atque iocorum, beatiores homines, adpetente aestate, convenire quotannis consueverunt. Et ipsa occasio ac rerum circumstantium adspectus calumniantium invidiam olim acuebat. Namque haud longe, secus maris Adriatici litora, est ampla atque molesta admodum ariditas, quae etiam atque etiam labentibus saeculis, crevit ad Tilaventi fluminis exundationem, cuius aquae, potiusquam recto in mare influerent, sistentes inter scopulos, magnum terrarum spatium invaserunt:

Restagnantes gurgite vasto
Effigiem in pelagi lacus.

Quo nomine, qui peregrini ex ea parte Italiam peterent, vel qui occasione balneorum per otium diutius remanerent, hasce terreni miserias digito per irrisionem monstrabant; quotidie Italorum ignaviam insimulare videbantur, quod tam immensum agri spatium incultum paterentur, dum multi Itali, necessitate compulsi, longinquas Americanas regiones peterent. Oh felices Itali sua si bona noverint! Et alii populi etiam pauperiores hoc audacter fecerunt; et opera atque ingenio, quod natura ipsis recusaverat, abundantius compararunt.

Quod parum antea erat in votis, nunc nonnulli, ubi primum est profligatum terrimum gentium bellum, improbis diuturnisque difficultatibus rerum superatis, manum operi faciundo alacres admoverunt et ausu utique romano, suoque aere, opus inchoarunt. Hi enim, aiebant: Si fortuna, uti solet, audaces iuvabit, nos paucis post annis, et hoc magnificum opus absoluturos esse speramus. Quod faustum fuit et, Superis adiuvantibus, felicissimum.

Quamobrem, quod olim a Pio VI P. M. admirantibus populis, incoeptum est, et alii accesserunt, apud *Paludes Pontinas,* nostra aetate factum esse cernimus. Magnum enim spatium, ipso studio atque praescripto Leonardi a Vincis, inventisque recentioribus adaucto, iam mirum in modum colitur, seriturque, atque in hominum utilitatem est redactum.

Non est meum, et res a mea mente abest, cuncta hominum studia in medium referre; modo sed memorare. Paullo ante at tacite, a loco cui est nomen *Bevazzana,* in litore Venetorum ad portum *Lignanum,* grandis fluit amnis aquis iam stagnantibus confectus, et latissima agrorum planities videtur, in qua laetiores iam segetes crescunt, sata boumque labores prosperantur; hîc radiant flores et prati oculorum viva voluptas. Sed, labentibus annis, et alia passuum millia, in agricolarum auxilium vertentur. Namque in praesentiarum multi iam colliguntur frugum manipuli, audent et *tenui vitem committere sulco!*

Si patres e sepulcris capita forte tollerent, et tot filiorum bona viderent, quid dicerent? Sua iam litora noverint?

Unum restat, ut nostri in proposito maneant, et melius adlaborantes, aëris pestilentiam corrigant atque repellant. Quod faxit Deus.

SENIOR.

COMMUNIA VITAE

CORNELIUS.[1]

COR. Vos vicissim, fratres, salvere iubeo.

PAT. Quid vos extra domum sic est moratum?

QUIN. (*Sese purgare contendunt*). Cena nondum est omnino apparata.

TIT. Necdum sexta delapsa est, mi Pater, ad quam Mater nos per Cornelium excitavit domum.

PAT. (*Benigne adfatur*). Non est hoc quod a vobis quaero: satis novi equidem vos dicto admodum audientes esse.

COR. Atqui novisse vult Pater quid cum amicis collocuti modo fueritis.

PAT. Ita meh'rcule; nam egisse videmini iam nescio quid de Messia, ut Cornelius clepere potuit.

TIT. De Illo commodum totus fuit sermo a discessu nostro ex schola.

PAT. Miror profecto satis: ea cur ita?

QUIN. Nonne quidpiam ad tuas pervenit aures de luctuoso quodam facinore nuperrime apud Iudaeam perpetrato?

PAT. Audivi sane plura nec aliter fieri potuit.

TIT. In ore equidem est omni populo.

QUIN. En tibi fons prolixae conversationis nostrae.

PAT. Ecquid? (*ad Titum versus*) Quid causae fuit, mi Tite?

TIT. Dicam libens. Ludimagister, qui, ut nosti, res omnes ad medullam perscrutatur, nobis quoque huiusmodi luctuosi eventus causam penitus enodatam voluit.

QUIN. Certo scio, mi Pater, eam cognoscere tibi volupe fore.

PAT. Actutum res exequi ne cessetis rogo.

QUIN. Vin' tu, mi Tite, hanc Patri gratiam habere, an potius id officii pergrati quidem mihi concredis?

TIT. Tu procul dubio cuncta melius recordaberis.

QUIN. Est tibi gratia, frater. Tu vero quidquid me fugerit addito semper, ut Patri cumulate faciamus gratum.

COR. Mihi quoque gratissimum erit res tam iucundas percipere auribus.

PAT. Rumpe iam moras, Quinte carissime.

QUIN. Igitur ubi primum quisque alumnorum suum occupavit locum, ille ani-

[1] Cfr. fasc. sup.

mo aperte commoto cathedrae assidet.

TIT. Commotio alacris ostendebatur, nonne, mi bone?

QUIN. Sic enimvero. Postea calide ad hunc incoeptat modum: « Inscios vos non esse puto illius vere inhumanae caedis quam rumor quoque transvexit ».

TIT. Tum huic, Pater, annuimus plures, dum ille prosequitur sermonem suum.

QUIN. « Exsecranda - inquit - illa Herodis nequitia; sed hic eventus per se fatalis praeconium populis erit et quidam perceptibile satis adventi iam in mundum Messiae ».

TIT. « Quorsum tandem ista? » alius ad alium mussitabamus omnes. Sed ille... dicito, Quinte.

QUIN. Ille itaque tacitis respondens rogationibus nostris: « Vulgabitur - adiunxit - huius caedis causa, quae nulla est alia, ut traditur, quam Herodis timor de amittendo regno, nato denique rege a populo Israël spectatissimo, quem e vivis ipse sublatum statim voluit, ne capiti suo olim deficeret corona. Quum igitur Messias speraretur futurus orbis Servator, quaerentur undique signa praeclari huius adventus, quae adsunt hercle! eaque non obscura ».

PAT. Babae! Quinte fili! Numquid hucusque desideratur praeterea, mi Tite?

TIT. Minime quidem: bene procedit oratio.

QUIN. Deinde, ni fallor, coeperunt cuncti rogare, ut de argumento amplius dissereret. Nec fuit ille saepius rogandus, quippe cui commodum erat unum hoc in animo. Tunc porro sic ille profatur: « Apud Iudaeos complures exstant libri caelite inspirati numine, quos ideo sacros vocant, quosque ipsemet in graecum translatos saepicule volutavi manibus. Ex eis igitur evidentissime constat, divinum Regem universi orbis Dominatorem nunc temporis fuisse adventurum ». Tunc cuiusdam Iudaeorum magni Prophetae aliqua protulit graeca verba, quae statim in vernaculam linguam fideliter, quod asseruit, traduxit. Crucior vere ea memoria non tenere!

TIT. Ne te crucies; ea et alia in chartulis adnotavi sedulo.

QUIN. Probissime, mi frater: aspersisti aquam!

TIT. Suntne haec? *Ab exitu sermonis ut iterum aedificetur Ierusalem usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades septuaginta duae erunt.*

QUIN. Haec eadem, carissume: operae pretium erit tuas chartulas praesto habere ad ea quae sequentur.

TIT. Tu ergo narrare pergas dum ego in manibus retineam chartularium, ut verba textualia reddam.

QUIN. « Eas igitur hebdomades - addidit ille - nostris expleri temporibus omnes in unum testantur sapientes ». Deinde praeceptor altius procedens ex primo populi Hebraici libro, qui Genesis appellatur, aliud repetiit argumentum. Estne in chartulis?

TIT. En tibi: *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius donec veniat qui mittendus est, et Ipse erit spectatio gentium.* Annon id est?

QUIN. Ita certe: « Et sane - pergebat magister - quis non advertit animo hac nostra tempestate bonos omnes in mundo magnam instanter, instantissime salutem exspectare atque ideo eius Servatorem? ». « Id etiam temporis est - quod ipse ludimagister asserebat - nec noscitur aliud, quum gens nostra, imprudens equidem de Iudae genere sceptrum auferens, tradensque Herodi Idumaeo, hoc vaticinium certum effecit. Vosmetipsi nonne diebus utique nostris Iani fanum penitus conclusum videtis toto orbe in pace composito? Aures ergo admovete ad aliud Iudaeorum vatem, qui etiam de futuro canebat Messia ». Eius verba ipsemet probe recordor: *Orietur in diebus illis iustitia et abundantia pacis.* Nonne sunt haec verba, Tite?

TIT. Ita ut sonant, nec plus nec minus.

QUIN. Ille nimis multa addidit postea de sacris Iudaeorum libris, quae hîc meminisse opus quidem non est.

TIT. Quin citius ad nostros devenis vates?

QUIN. Sustine, Tite. Conquerebatur ludimagister quod fere omnia sibyllarum oracula deperdita forent quae tota de tanto Messia erant: « Quaedam - inquit - tantum Cumana Romae in Capitolio secreta asservantur, ex quibus aliquid ad Vergilii aures pervenit, quodque manifestum tradidit in eius eclogarum libro et quidem in quarta ecloga paucis abhinc annis evulgata ». Non pauci ex auditoribus eclogam illam secum ferre murmurabant, quos inter Titus, cui poëtae sunt in deliciis. Nonne, mi frater?

TIT. Eandem nunc nunc mea manu conscriptam gesto.

QUIN. Ipsam de caelite Rege ab initio usque ad finem agere exploratum omnino est.

TIT. Eccum. Si libet, Quinte, ipse legam Patri eos potissimum versiculos, ad quos attendere iussit ludimagister.

QUIN. Illud optimum censeo.

TIT. Pace vestra igitur. Vates sic orditur, quasi hucusque inaudita proferre vellet:

Sicelides Musae, paulo maiora canamus;

et inferius:

Ultima Cumaei venit iam carminis aetas
magnus ab integro saeclorum nascitur ordo;
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna.

QUIN. Animadvertas, mi Pater, hanc Virginem omnes qui sapiunt eius Matrem castissimam interpretari.

TIT.

Iam nova progenies caelo dimittitur alto.
Tu modo nascenti Puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surgens gens aurea mundo
casta fave, Lucina; tuus iam regnat Apollo.

QUIN. Hucusque de Eius auspicato adventu; nunc ea perlege quae ad Illius vitam attinent.

TIT. Aures, quaeso, arrigite:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri
irrita perpetua solvent formidine terras.
Ille Deûm vitam accipiet, Divisque videbit
permixtos heroas et ipse videbitur illis,
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

QUIN. Resiste, mi Tite. Quae sequuntur, Pater, sunt bona cuncta late atque poëtice descripta universo orbi ex Eius vita obventura. Illud tantum notatu dignum est:

... quae si poteris cognoscere virtus.

TIT. Sinite, Pater ac Frater, me venia vestra extremam huius eclogae partem recitare, ubi Vergilius Magni Regis cupiens faustos videre dies sublime concinit:

Aspice venturo laetentur ut omnia saeclo.
O mihi tam longae maneat pars ultima vitae
spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!
. . . . . .
Incipe, parve Puer, risu cognoscere Matrem.

QUIN. Sat plura, Tite care. Nos, optime Parens, arrectis omnia auscultantes auribus, longis subinde non potuimus non iterare sermonibus, sicque tota fugit non modo docendi hora, sed tempus etiam reliquum usque adhuc.

(*Ad proximum numerum*).

E. IOVÈ.

Nimium praeceps est, qui transire contendit, ubi conspexerit alium cecidisse.

S. AUGUSTIN. in *Serm. de Ascens.*

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Augmentare - Augere; Amplificare. [2]
Augmentum - Accessio; Incrementum.
Austeritas (*vitae*) - Victus cultusque asperior.
Auxiliator - Adiutor.
Axioma - Effatum; Pronunciatum.

Baccalaureus - Prima laurea donatus.
Balbuties - Linguae haesitantia.
Baptisma (*Baptismus*) - Sacrum lavacrum; Initia Christianorum; Sacra initiatio.
Baptisterium - Lavacrum; Fons salutaris lavacri.
Baptizare - Lavacro oblui sacro; Sacris Christianorum initiari.
Barbaricus - Barbarus.
Beatificare - Beatorum numero addere; Beatorum ordinibus adscribere; In Beatorum numero ponere; Beatorum caelestes honores decernere.
Benedicere - Bene precari; Pacem et veniam a Superis precari; Fausta cum prece dimittere.
Benedictus (*locus*) - Lustratus; Piatus; Expiatus.
Benefacere - Beneficium in aliquem conferre.
Benefactio - Beneficentia; Beneficium.
Benefactor - Beneficus; Munificus; Patronus.
Beneficium ecclesiasticum - Titulus; Census et munus Sacerdotis.
Beneplacitum - Arbitrium; Arbitratus; Voluntas; Nutus. [3]
Bene sit - Benigne sit.

[1] Cfr. fasc. sup.
[2] Ita *Augmentator* - Amplificator.
[3] Interdum etiam: Libido.

Bene vivere - Pure casteque vitam colere. [1]
Bestialis - Inhumanus; Ad naturam bestiarum accedens; Bestiis conveniens; Bestiarum more.
Bibere in salutem (*pro salute*) *aliorum* - Propinare alicui. [2]
Biblia - Divinae (Sacrae) litterae; Libri sacri; Codex sacrarum litterarum.
Bibliothecarius - Bibliothecae custos (praefectus); Curator (Magister) a bibliotheca.
Biformis - Biformatus.
Birretum - Quadratus pileolus; Quadratum galericulum. [3]
Blanditor - Adulator; Assentator.
Blasphemare - Maledictis Deum incessere; Impias in Superos voces (Impia verba) emittere (iactare); Scelesta lingua Deum lacessere.
Blasphemia - Exsecratio.
Boatus - Clamor magnus; Mugitus.
Bona conscientia - Animus integerrimus; Mens nullius culpae sibi conscia.
Bona opera - Pietatis studium; Morum sanctitas. - *B. o. facere:* Pietati (Morum sanctitati) studere; Virtutum officiis fungi.
Bonum latinum - Latinus; Latinitas.
Borealis - Aquilonius; Septentrionalis.
Brachium saeculare - Potestas (Imperium; Iurisdictio) magistratuum.
Breviare - Breve aliquid facere; In compendium redigere; Ad iustam brevitatem revocare.
Breviarium - Compendium; Epitome. [4]
Brutum - Bestia; Animal; Pecus.

[1] Vel, si ita res sit: Laute indulgenterque vivere.
[2] Etiam: « Bene tibi! Bene mihi! » atque si de absenti: « Bene Caio! Bene Caiae! ».
[3] *Birretum quod noctu capiti aptatur:* Nocturnus pileolus; Calantica ad noctem.
[4] Quum indicari velit Sacerdotum liber ita vulgo nuncupatus: « Codex sacrarum (statarum) precum; Sacer libellus sacerdotalibus horis ex formula persolvendis ».

Bulinum - Cestrum. [1]
Bulla - Pontificium (Publicum) diploma; Litterae Apostolicae (Pontificiae).
Burgus - Pagus; Vicus. [2]

Caecutire - Caecum esse; Oculis captum esse.
Caeremoniosus - In caeremoniis custodiendis diligentissimus; Caeremoniarum observantissimus. - Et etiam: Homo officiorum nimius; Ad satietatem officiosus; Immodicae urbanitatis homo; Urbanitatis plus nimio affectans.
Calculare - Computare; Ad calculum vocare; Calculum (Numerum) subducere. [3]
Calendarium - Fasti.
Calumniose - Per calumniam; Per iniuriam.
Calumniosus - Malignus; Criminosus.
Calvinista - Calvinianus.
Camaurus - Cidaris.
Cambium - Nummorum commutatio; Collybus.
Camera [4] - Cella; Cubiculum; Schola. [5]
Camerarius - Cubicularius; A cubiculo. [6]
Camerlingus - Quaestor; Praefectus (Praeses) aerarii.

[1] Inde: « Imagines cestro describere ». - *Bulino incidere:* Aera caesim punctimque caelare.
[2] Itaque Burgi incola: Paganus; Vicanus.
[3] Itaque *Calculatio* - Computatio; Calculus; Numeratio; Rationes (ex. gr. Astronomicae).
[4] « Camera » apud Latinos est « tectum incurvum ad formam testudinis ».
[5] Itaque: *Camera mortuaria* - Cella corporibus defunctorum ad tempus (pro tempore) adservandis. - *Camera Capitularis* - Schola Ordinis (Collegii) Patrum Canonicorum, etc. - Sed: *Camera Apostolica* - Mensa publica Pont. Max. - *Camerae Apostolicae Praeses* - Prior XII virorum Urbi curandae. - *Clericus Camerae* - Ex XII viris Urbi curandae. - *Clericorum Camerae Decanus* - Senior collegii Curatorum Urbis.
[6] Inde: *Camerarius secretus Summi Pontificis* - Cubicularius intimus Pontificis Maximi. - *Camerarius honoris* - Cubicularius honorario munere. - *Camerae Magister* - Magister admissionum (ab admissionibus) - *Camerae submagister* - Proximus ab admissione.

Campana - Aes campanum; Nola.
Campanile - Turris.
Campanula - Tintinnabulum.
Cancellaria - Curia; Tabularium publicum. [1]
Cancellarius - Ab actis; A diplomatis; Scriba. - Publici tabularii rector; et sim.
Canonizare - In sanctorum numerum referre; Sanctorum ordinibus adscribere; Caelestes religiones (honores) decernere.
Capessere (*opportunitatem; rationem*) - Arripere (Inire) rationis viam.
Capitale - Sors; Caput; Summa.
Capitalizare - Nummos expendere nominibus certis; Pecuniam in aliqua re occupare; Suas rationes in aliquam rem conferre.
Capitulatio - Pacis (Deditionis, et sim.) leges (condiciones). - *In capitulationem venire, Capitulare* - De conditionibus pacis (deditionis, etc.) agere.
Capitulus (*Canonicorum, et sim.*) - Collegium; Ordo. - Sacrum religiosae familiae comitium (concilium; religiosae familiae conventus).
Cappa (Canonicorum) - Pallium Canonicorum - *Cappa indutus* (*de religiosis sodalibus*) - Sodalis (Frater) albatus, atratus, russatus, et sim. pro vestis colore.
Cappella - Sacrarium; Cella; Aedicula. - Exempla: Cella maxima; Cella Sacramenti Augusti (Cella Corporis Christi); Cella corporum sanctorum; Cella familiae hypogeo imposita; Sacrarium avitum; Sacrarium privum; Aedicula Mariae Opiferae, etc.
Cappella Pontificia (*Papalis*) - In sacrarium pontificalis domus Purpuratorum Patrum conventus ad sacrum (vel: ad concionem, ad pompam et sacrum; ad parentalia .....; ad defunctorum expiatio-

[1] Sive, iuxta res, de quibus agitur: « Regium, Aulicum, Provinciale », etc.

nem, ad mysteria),[1] adstante Pontifice Maximo.[2]

Cappellanus - Curio minor; Adiutor Curionis; Curio sacra in subsidium administrans. - *Cappellanus militaris* - A sacris valetudinariorum militarium.

Cappuccinus (sodalis) - Sodalis franciscalis capulatus.

Capsa (nummaria) - Aerarium; Arca.[3]

Captivitas - Servitus; Servitutis conditio; Captivum esse.

Caput (alicuius Ordinis, Officii) - Princeps; Antistes; Praepositus; Magister.

Cardinalatus - Romana (Sacra) Purpura.[4]

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Conventus hic feria VI in Parasceve celebrabatur.

[2] Nisi intersit Pontifex, habebitur *Cappella Cardinalitia,* quae ita indicari potest: «Sacrum sollemne ad..., adstante Purpuratorum Patrum Senatu».

[3] Hinc: Arcarius; Praefectus (Quaestor) arcae publicae, militaris, pecuniae alimentariae, in subsidium egenorum, etc. - Arcarii libri sunt: Calendarium pecuniae - Codex accepti et expensi.

[4] Itaque: *Ad Cardinalatum promoveri* - Inter Purpuratos Patres adlegi (cooptari); In Purpuratorum Patrum sedes recipi; Meritorum fructum ferre Romanam purpuram, etc. - *Cardinalatum recusare* - Purpurae se honore abdicare.

ANNALES

Amicitiae et commercii foedera.

Faustis equidem auspiciis novus annus advenit; vidimus enim, non sine animi laetitia, nonnullas amicitiae et commercii initas conditiones, quae ad universam pacem tandem restituendam profecto ampliorem viam pandent. Primum igitur huiusmodi pactum obstrictum est a Gallis tum cum Polonorum, tum cum Czeco-Slovacorum civitate; quae quidem argumentum praebuerunt coniicendi, fore ut nulla deinceps aemulatio aut simultas institui possit inter maiorum Europearum nationum societatem et minorum pariter societatem constitutam. Quae quidem minorum nationum communitas Bellogradi die IX superioris mensis Ianuarii convenit ad mutua negotia amice disceptanda, ac praesertim de recognoscendo novo Russorum regimine, in respublicas tres distributo, Russicam, Ukrainam et Ruthenicam, quod iam Poloni ex parte sua comprobaverant.

Sed tamen maioris momenti habendum est foedus, quod Itali, die XXVIII eiusdem Ianuarii mensis, Romae ferierunt cum Slavorum legatis; quippe quod longo eique satis noto discrimini finem imposuit. Per idem foedus enim Flumen urbs Italiae addicta est, Baros portus Slavorum regno datum, qui itaque novum suum huic proximum non amplius creabunt; in Flumano autem portu in Slavorum commodum locaticia specie parvum navale per annos quinquaginta est concessum. Cautiones pariter statutae sunt tum de commerciis intra duos populos, tum de rationibus domi militiaeque servandis belli causa. Denique, Apostolica auctoritate assentiente, Slavonicis catholicae religioni addictis urbanum templum S. Hieronymi est attributum, tamquam propria nationis ecclesia.

***

Germanorum motus.

Germanorum populus civilibus discordiis etiamnunc agitatur. In Palatinato, seditiosa factio, quam aliunde excitatam dictitant, a Germanorum imperio illam regionem avellere conata est. Revera suis iuribus suisque legibus gubernium creatum est, eique Heinz praepositus, qui vero statim occisus est.

Interim Germanicae civitatis praesidi Franco-Belgarum litterae traditae tandem sunt, quibus recentibus Germanorum propositis circa debita solvenda atque damna reparanda negativum omnino fere responsum dabatur. Quod tamen non impedivit quominus peritorum collegium ad oeconomicam Germanorum hodiernam vim perpendendam constitutum, Berolini congregaretur munerique suo initium faceret.

***

Varia.

In Anglia, quemadmodum coniicere licebat, ad rerum summam «laboris, - quae dicitur, - pars» assumpta est. Ramsay Mac Donald, eiusdem partis praeses, administrorum collegio est praefectus; qui tamen prudentissime quidem, septem tantum ex viginti administris collegas ex socialistis delegit. Inter primores gubernii actus appellatio ad Gallos fuit, ut bona omnium voluntate finis tandem hodiernae Europae incertae conditioni per decretorium conventum brevi habendum imponatur.

In Russia vita functus est Vladimirus Ilitch Ulianoff ille, qui, cognomine Lenius, «Sovietorum» regiminis - quo exitu omnes sciunt - auctor fuit. Natus erat Simbirsk in oppido die X mensis Aprilis MDCCCLXX, et eius funera apotheosis fere exstiterunt.

In Graecia Venizelos praeses factus est «constituentis coetus» illius, cuius inter officia erit populum rogare de futuro civitatis regimine. Verum nuncia feruntur, ipsum valetudinis causa a munere sese abdicaturum.

In Italia denique ad diem VI futuri mensis Aprilis nova comitia indicta.

Kalendis Februariis MCMXXIV.

POPLICOLA.

Asperius nihil est humili tum quum surgit in altum.

CLAUD., lib. I.

Quo se fortuna vertit, eo se favor hominum inclinat.

IUST., lib. V

VACUI TEMPORIS HORA

In meis investigationibus, quas assidue exerceo, ut novum aliquid subinde vobis, o lectores mei humanissimi, offeram, nuper inveni Anglici cuiusdam doctoris effatum, inter physicas curationes et **risum** inscribendum esse, eoque magis quod, quum sumentibus nobis turbidam obnubilatamque faciem quinque equidem supra sexaginta vultus musculi contrahantur, vix tredecim ridentibus in aleam provocentur. Ex quibus concludere quoque licet, ad vitandam, praeter repugnantem adspectum, inutilem virium effusionem, omnia, quam maxime possimus, laeto vultu esse accipienda.

Esto quidem; sed quomodo risum educemus? En alius medicinae doctor, peritus non minus, qui nobis monet risus machinam ex uno nervo agitari, magnum scilicet zigomaticum illum, qui utramque genam in obliquum transit ac tamquam elastica machinatio tenditur inter zigomum et labrorum commissuram. Vix nervus ille trahitur, oris anguli zigoma versus levantur, fit inter labia genasque inflexio, vultusque risum edere incipit. Hîc vero alterius huius magistri doctrina alteri, ni fallor, adversari videtur. Nempe plures quam tredecim nervi seu musculi in campum descedunt; sunt primi abdominalis regionis, tergorum et renum; deinde vicissim adducuntur adspiratores et inspiratores musculi, atque diaphragma. Tum risus splenem dilatat, organicas functiones omnes excitans. Neque satis: acidi enim carbonici exhalatio, hilarantium impressionum influxu in respirationis viis augetur, quum, contra, tristi et inquieto animo minuitur.

Ceterum, quidquid de motorum musculorum numero est, id in tuto ponere licet, risum corpus reficere, ut sol domum reficit.

Neque inde mirum, si in amentium hospitiis comica spectacula infirmis praebentur; si oblectantes Indici *haschichi* et rubrae luces adhibeantur in morbosam melancholiam; si denique artificiosa, ut ita dicamus, laetitia excitetur gasiis hilarantibus, quae ex azoti protoxido gigni feruntur, efficiuntque ut qui aërem ex iis ducant omnino cachinnentur.

Hisce positis, ... risum teneatis, amici?

***

Quos hodie a Bernerio decerpsimus **festivi plausus,** a vulgaribus comestibilium venditoribus Romae fiebant, quum propria festa celebrarent, per Urbem properantes cum vexillis, tympanis aliisque instrumentis ad sonum aptis, et vate vulgariter canente, sistentes ante sociorum suorum apothecas, ludosque facientes quae a poëta nostro affabre, uti assolet, describuntur. Nunc mos in desuetudinem omnino cessit, quamvis eius reliquiae, bacchanalium praesertim tempore, nos, iuvenili admodum aetate nostra, vidimus, quemadmodum nec hodie difficile est, iisdem diebus, personato vati occurrere, mordacia carmina, argumentis ex tempore desumptis, per Urbis vias et plateas fundenti:

Quas agit et celebrat festivo tempore nugas
  Vulgus, vulgari carmine Musa canit.
Tympana rauca sonant, auresque fragore fatigant,
  Nec datur, alternis ictibus, ulla quies.
En quaedam apta sono instrumenta feruntur, et arcus:
  Dulcisona extensas percutit arte fides.
Vexillum oblongum pendet post terga ferentis
  Circuit, et sequitur plebis amica cohors.
Est pepo pictus ibi, quin longa cucurbita, frondes,
  Et poma et vendi quidquid ab arte solet.
Quisque colorata praecinctus veste videtur;
  Nam pompas pompis addere quisque amat.
Est rudis, oblongus, lateri haud bene proximus ensis;
  Corporis ad motum cuspide tangit humum.
Ante domum sistunt, habitant ubi forte sodales,
  Ut laus his detur, gloria, plausus, honor.
Hos quidam sequitur praestanti nomine vates,
  In laudem hic prompto carmine plura canit.
Est celeber, *Paulus* vulgo *Pianella* vocatur:
  Hic citharam celeri percutit ergo manu.
Elata dein voce canit, metroque canoro
  Laudandos celebrat versibus octo viros.
Horum virtutes, mores et nomina dicit:
  Uxorem pulchram, progeniemque canit.
Cunctorum nomen non est fortasse poëtae
  Notum, nam canit in pluribus ille locis.
Protinus assistens submissa voce sodalis,
  Quae ignorat vates nomina nota facit.
Vix audita, canens, confestim versibus aptat;
  Nam huius prompta nimis carmina ab ore fluunt.
Vespere mercedem docti capit ille laboris:
  Proh mirum! haec solum lucra poësis habet!
Dein ipso adstantes formant in tramite circum:
  Signifer est medius, ludere ut incipiat.
Brachium inest lateri, quin et curvatur in arcum;
  Altera vexillum sustinet inde manus.
Explicat, atque effert, dein huc deflectit, et illuc
  Motibus in variis regula certa datur.
Dextra sinistra movent servata lege vicissim,
  Ordine et alterno, haec proiicit, illa capit.
Depressum circumducit, terraeque propinquat,
  Aëris hoc facto murmure radit humum.
Extensum inde super vexillum membra ferun-tur;
  Imo cavent celeres hoc tetigisse pedes.
Proiicit in sublime, ruit, sed dextra parata est,
  Impugnatque iterum, ut grande sequatur opus.
Lusor et inclinans vexillum quemque salutat
  Nubibus, et socium sistere velle monet.

Membra sed in propriis non sese vestibus aptant:
  Sic ornamenta haec esse aliena putes.
Commodat Hebraeus vestes, mercede recepta:
  Se hisce rudes homines nobilitare putant.
Sed nimis oh quanti unius stat pompa diei!
  Usuras nimias gens inimica petit.
Album versicolor circumdat pluma galerum,
  Sectaque compositis fit nova barba comis.
Hic iam promptus adest, vexillumque impete iactum
  Excipit erecta, non sine laude, manu.
Vix operi finis, quum pro mercede laboris
  E sociis quidam praemia digna petunt.
Lata, rotunda, micans, argentea lamina fertur,
  Atque superficiem sparsa moneta tegit.
Hi quorum ante domum vexilli haec pompa peracta est:
  Instanti argentum tradere saepe solent.
Vespere de nummis tandem caupona triumphat:
  Sic, ut saepe solet, plebs sua lucra bibit.
Sic celebris transit sacrorum pompa dierum:
  Hoc celebrata magis, quo venerata minus.

***

Iocosa

Patri Tuccium obiurganti quod in studiorum periculo ne unum quidem responsum magistri interrogationibus fecerit,

Tuccius: Atqui tu bene noscis modestiam meam!

—

Tuccius: – Cupio imaginem meam photographice expressam, dum in pensa scholastica incumbo.

Pater: – Scilicet imaginem repentina luce effictam desideras.

***

Aenigmata

I (vulgo *Rebus*)

mo animi motus tu
ciliorum

II

(1) Condio idem et servo; (2) per me licet ire, redire.
(1 + 2) Utile nascor olus, sumque salutigerum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Roma, Amor, Mora, Maro;* 2) *A-mentum.*

Iosfor.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. Iac. Tas..., *Tornoduri.* – Ob novum acquisitum socium, plurimas tibi gratias habemus et referimus.

Cl. v. Emm. Io..., *Vici.* – Atqui subnotationis ratio, quam inivimus, ex iustitia manavit! Pecuniae enim pretium apud exteros augetur, non in sua cuiusque civitate. Si itaque in Italia, puta, Hispanica pecunia triplicato pretio emitur, Hispanus autem, pro quo nummus eiusdem valoris atque antea domi est, rem ab Italia acquirat eamque tanti solvat quanti Italicis nummis indicatur, nonne pretio ter viliori ipsam habebit quam Italus? Itaque compensationis lex hîc fit iustitiae lex. Ceterum amici tui ad eam, si iis placeat, rationem accedant quam « pro ceteris nationibus » in superiore fasciculo (pag. 2) indicavimus; idque sit gratia tua.

Iac. Fern..., *Barcinone.* – De fasciculo I libelli qui inscribitur *Communia vitae* his diebus exactum est. Curabimus ut exemplar saltem unum invenire alicubi possimus, ad faciendum tibi satis.

Dri. Vinc.... Lak...., *Kesz.* in *Hungaria.* – Scriptum tuum accepimus; nullam vero notitiam unquam de calumniosa illa in Hungaros accusatione, quam retundis. An ursi nasum ipsi nos tentemus?

A Secretis.

AD FONTEM BELLAQUEI 9

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

Gens omnis docet modulari Virginem,
Opem tulisset magno quod Pontifici,
Donari ac Ipso mox caelesti Numine,
Ecclesiae pravis commotae fluctibus,
Atque universis populis Auxilium,
Multis torquentur saepe qui molestiis.
O dies felix, memoranda fastis,
Qua Patri sedes Fidei magistrum,
Triste post lustrum, reducem beata
Sorte recepit! [1]

CARD. (*stupens*) Deus, Deus suo dedit Vicario
Aequum laboribus perlatis gaudium.

PONT. Iuvat proficisci: ne sit cunctatio!
Quod imperator propediem venerit
Et ut captivus... Fertur sic a nuntiis.
Adhuc si inveniret nos, malum crederet.
Eamus et nos, clanculum, festino pede.

SCENA XI.

TABELLARII *novis cum epistolis, deinde* CANCELLARIUS.

TAB. I. Tibi, Pater Sancte!
TAB. II. Pater Sanctissime!
PONT. [2] Proh dolor! Reges maneamus impe-
[rant,
Et hanc adpellant cunctationem gra-
[tiam.
Quid ne sint istae tricae magis timeo...

CARD. Nimis ne velim tangat te anxius timor!
Ad Urbem cito festinantes ibimus,
Sed iuxta veterum morem Pontificum.
Sic autumat regum fortasse arbitrium...
Tibi ergo nulla cordis sit molestia.
Eamus intus in sacrario potius;
Ibi Mariam fatigemus precibus,
Ut omnem nobis libertatem conferat.

CANCELLARIUS: (*ingrediens*) Adest hic alter
[regum tabellarius,
Fert qui Pontifici prementes litteras.

CARD. Fac ingrediatur huc ad nos illico!

TAB. III. Est omne regum nunc qui sunt Pa-
[risiis [1]
Hisce in epistolis scriptum consilium.

PONT. [2] « Deus, Tibi, Pater, cum salute optima
Quod optas omne donet abundantius.
Nos, qui Parisiis nunc versamur Prin-
[cipes,
Pacem ferentes, debellatis hostibus,
Romanum Principem sacrae reipublicae
Iubemus alacres salvere plurimum.
Deus qui cuncta regit sapientia,
Terra marique, duxit Te per aspera;
At admiranda cordis fortitudine
Tulisti probra, carceres, exilium.
Haec admiramur proni in reverentiam,
Et auspicamur dies felicissimos.
Tuis ut tandem terminus laboribus
Ponatur illico, iubemus, volumus;
Utere felix libertate, Pontifex,
Istis in aedibus Fontis Bellaquei;
Decent qui principem clarum prae ce-
[teris.
Erunt praesidio foederati principes,
Concordia mundum servant qui inco-
[lumem.

(Ad proximum numerum).

[1] *Pontifex sensim sine sensu in se ipsum revertitur.*
[2] *Litteras fractis aperit sigillis tremente manu, et legit.*

[1] *Praebet humili vultu litteras.*
[2] *Arripit litteras et legit.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Martio MCMXXIV Fasc. III

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE NOVA APUD ITALOS STUDIORUM RATIONE

Non semel neque iterum, sed saepe, et quidem sapientissimi viri, voce et scriptis, nos prope premebant, ut tandem nostram promeremus sententiam de nova apud Italos studiorum ratione invecta et de iis potissimum, quae ad cultum linguae latinae spectant.

Multi enim, qui rem leviter attingunt, nec altius considerare consueverunt, quos praeproperantes optime dixeris, quum primum lex in vulgus edita fuit, ut sidera Itali tandem digito tetigissent, omne nos iam tulisse punctum autumarunt ac propemodum « Io, triumphe » victorum more, proclamandum esse plus aequo censuere. Et hanc sibi victoriam retulisse perhibent, eo praesertim nomine, quod lingua latina, quae modo intermortua videbatur atque a scholis fere inter res inutiles reiecta, iterum in scholas nostras introgrediatur, atque in omnes quasi studiorum portiones principem prope locum obtineat.

Est utique maxima laude dignus, hoc praesertim saeculo, vir iste Ioannes Gentile, qui, supremus studiorum moderator, ut pro viribus Italorum litteris prospiceret, paterna veluti manu cives ad litterarum latinarum cognitionem, Pindarico ausu, princeps conducere tentat.

At licetne sententiam nostram expromere, licetne aperto ore fateri quid sit nobis laudandum quidve corripiendum?

In primis, libere testabor Administri consilium, bonum esse, felix fortunatumque reputandum, ut Italos universos moneat ad suorum patrum vestigia redeundum esse, ut alto ipsis sit persuasum hac in via fructus relaturos atque sapientiae veterum gloriam consecuturos.

Eoque magis nos laudi non parcimus, qui per quinquaginta et amplius annos, studia apud Italos ruere in peius lamentabamur, atque ut Cassandra, nunquam credita Teucris, quotidiano convicio efflagitabamus, ut studiorum ratione mutata, quibus prima aetatula debet impertiri, puerorum mentes doctrinis recte imbuerentur.

Abhinc enim quinquaginta et amplius annos, si de litteris sermo est, omnis Italia iis angoribus laborabat, ut optime eam componere potuisses cum poëtae versibus:

Nec longo quoties mutasti tempore leges,
Officium, mores, res, hominesque tuos!

Una equidem lex erat; sed adeo invectae sunt adnotationes, accessiones, additamenta, ut eam haec obruerent prope ac suffocarent. Quae quidem recentiora studiorum placita perpetuis obiurgationibus insimulabant omnes iudicii viri nostrae aetatis, inter quos est primus adnumerandus Thomas Vallaurius, qui rogatus olim ab amico, ut quidpiam de se scriberet sub imagine sua, arrepto calamo, subitariam inscriptionem exaravit: « Litteras latinas impense excoluit, a calumniantibus acerrime vindicavit ».

Ipse enim aiebat litteras latinas in Italia pestilenti tunc sidere afflatas esse et miserum in modum sese populis pauperes ostendere.

Et cum Vallaurio plerisque in hoc conveniendum fuit, acerrimum prope bellum omnes in litteras latinas indixisse, et magnam, quam patres sapientia haereditatem nobis attulerunt, atroci animo pravoque consilio deturbasse. Magna mihi copia est memorandi quot incommoda in civitatem inde redundarint. Sed hoc modo intelligi volo, ex eo tempore videlicet, scholas ordinis secundi apud nos adeo consenuisse, ut plerique adolescentes non modo latinae elegantiae, sed grammaticae saepe rationis ignari ex scholis prodirent, vixque unus et alter ex obvio quoque scriptore probabilem sensum tunc exsculperet. Quod quidem in medium proferre non auderem, nisi luculentis adeo testimoniis planum fieret. Pudet nos dicere, abhinc aliquot annos in anniversario illo certamine, in quod omnes descendebant lectissimi quique Itali adolescentes, ingenii et doctrinae suae specimen daturi, maxima candidatorum pars votis suis excidisse, et viros gravissimos, qui illorum dignitatis iudicium facere consueverunt, concordes testatos esse, fore ut hac puerili institutione, quae apud nos vigeret, extrema et Italis litteris pernicies portenderetur.

Litteris in Italia sic laborantibus, remedium aliquod novissime pro viribus adferre quidem studuit ipse Pius XI, Pontifex Maximus, qui paulo ante sublimia quaedam placita, elegantissime, more suo, portendebat, dicens: « Primum est de lingua latina studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo atque provehendo ».

Haec vero verba si pueris maxime favebant qui in Seminariis educantur ac litteris aluntur, nihil propemodum pro ceteris, qui ad gymnasia publica frequentissimi conveniunt.

Quod vero citra fidem mox erat, nunc factum iam esse autuma, quodque caput est, commodius, ita ut quicumque haec passim consideret, Superis gratias agere debeat, easque maximas.

In proxima enim maximaque rerum perturbatione, vir tandem exstitit forti ingenio praeditus atque constantia, qui res litterarias ad portum tandem salutis perducere fuerit nisus, et ad suprema litterarum gubernacula sedens, magnam omnium spem ad se concitavit, omniumque exspectationem, novissima lege prolata, in immensum auxit ac supergressus est.

Namque, omnibus improborum conatibus posthabitis, studia in aliquam libertatem vindicavit, Romanumque veterem sermonem ad honorem feliciter auspicatus revocare studuit.

Qua vero ratione? Et ea quidem est, quae voluntati, cui candide assentimur et plaudimus, omnino sit responsura? Alias videbimus.

I. B. FRANCESIA.

Oratio tempestiva, melior silentio.

PIUS II, *apud Plat.*

Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est.

LACTAN., lib. V.

Alteri vivas oportet, si tibi vis vivere.

SENEC., *Epist. XLIII.*

S. THOMAE AQUINATIS

Brevis chronographia vitae et operum sexto exeunte saeculo ex quo sanctorum ordinibus est adscriptus.

Magna sunt merita et beneficia S. Thomae Aquinatis in Ecclesiam catholicam et in hominum societatem. Nomen eius ubique resonat quippe:

Typum gessit luciferi,
Splendens in coetu nubium,
Plusquam doctores ceteri,
Purgans dogma gentilium.[1]

Nil ergo mirum, si universus Catholicorum orbis hoc anno laetitia gestit sextum annum saecularem celebrans, ex quo caelestes honores Ei decreti sunt. Iuvat igitur per occasionem brevem chronotaxim vitae eius sub oculis ponere, et quorundam operum, quae ipse composuit, titulos referre.

Non incongruum duco, hîc statim lectores admonere, non esse facile opus res gestas a sancto Thoma et opera ab ipso exarata, per certum temporis ordinem disponere: antiqui enim eius vitae scriptores, unde nobis notitia Thomae vitae est depromenda, in determinando tempore rerum ab illo gestarum solliciti non erant, licet in aliis rebus enarrandis conveniant.[2] - Posteriores biographi, praesertim a saec. XVIII conati sunt eius vitam et opera chronologice digerere, et ex hac parte multa quidem assecuti sunt, sed adhuc plura remanent incerta![1] Nostrum non est litem dirimere, nec tanti sumus, ut in hac quaestione aliis nostram opinionem imponamus; nos nostro labore in unum illud intendimus, ut conclusiones virorum eruditorum colligamus et brevem chronographiam vitae S. Thomae et praecipuorum eius operum comparemus.

***

Anno 1225. - Thomas nascitur in castro, qui ab Italis *Roccasecca* nuncupa-

---

[1] *Hymnus ad Matutinum, in Breviario O. Praed., die VII Martii.*

[2] PRAECIPUI BIOGRAPHI ANTIQUI: *Processus Canonizationis* (a. 1319), impressus in AA. SS. Mart. I, 3 edit. 684-714. - Desunt tamen multa, ex quibus quaedam supplevit St. BALUZIUS, *Vitae paparum avenionensium*, II, 7-9. - Fr. GUILELMUS DE TOCCO, O. P., aequalis s. Thomae, scripsit *Vitam B. Thomae de Aquino O. FF. Praedicat.*; - impressa in AA. SS. Mart., I, 656-684. - Fr. PTOLOMAEUS DE LUCCA, O. P., aequalis s. Thomae, scripsit *Historiam ecclesiasticam novam*, in qua de s. Thoma Aquinate et de eius operibus in diversis locis agit; edita apud A. MURATORI, *Scriptores rerum italicarum*, tom. XI, p. 1151 sqq. (Mediolani, 1727). - Fr. PETRUS CALO, O. P., aequalis s. Thomae, scripsit *Vitam s. Thomae* post annum 1318 at ante annum 1333; edita a Fr. D. PRUMMER, O. P., in *Fontes vitae s. Thomae Aquinatis*, fascicul. I, Tolosae, 1911. - Fr. BERNARDUS GUIDONIS, O. P. (obiit 1331), scripsit *Legendam s. Thomae de Aquino*, editam a *B. Mombritio in Sanctuarium seu vitae Sanctorum*; nova editio Parisiis, 1810, t. II, p. 565-588. - Cfr. P. MANDONNET, O. P. et I. DESTREZ, O. P., *Bibliographie thomiste*, Le Saulchoir, Kain, 1921, p. 17. Fr. PELSTER, S. J.; *Die ältesten Biographien des hl. Thomas von Aquin* in « Zeitschrift f. kath. Theologie », vol. XLIV (1920) p. 241 sqq. *Idem: La giovinezza di S. Tommaso d'Aquino; studio critico sulle fonti* - in *La Civiltà Cattolica*, vol. I (1923) p. 385 sqq. - H. DENIFLE, O. P. et T. CHATELAIN, *Chartularium Universitatis Parisiensis*, Parisiis, 1889, t. I.

[1] PRAECIPUI: J. QUÉTIF et J. ECHARD, O. P., *Scriptores Ordinis Praedicatorum*, Parisiis, 1719, t. I, 271 sqq. - Fr. B. DE RUBEIS, O. P., *De gestis et scriptis ac doctrina S. Thomae Aquinatis, dissertationes (32) criticae et apologeticae*, Venetiis, 1750, denuo impressae in editione Leoniana operum omnium S. Thomae, Romae, 1922, t. I, p. LV-CCCLXVI. - Fr. A. TOURON, *La vie de Saint Thomas d'Aquin avec un exposé de sa doctrine et ses ouvrages*, Paris, 1737. - P. J. CARLE, *Histoire de la vie et des écrits de St Thomas d'Aquin*. Paris, 1846. - K. WERNER, *Der heilige Thomas von Aquin*, Regensburg, 1858, t. I: *Leben und Schriften des hl. Thomas Aquinas*. - J. A. ENDRES, *Thomas von Aquin*, Mainz, 1910. - M. GRABMANN, *Thomas von Aquin*, Kempten u. München, 1917. - L. FERRETTI, O. P., *Vita dell'angelico dottore S. Tommaso d'Aquino*, Roma, 1923. - P. MANDONNET, O. P., *Des écrits authentiques de St Thomas d'Aquin*, Fribourg, 1910. - Fr. PELSTER, S. J., *Der Katalog des Bartholomaeus von Capua und die Echtheitsfrage bei den Schriften des hl. Thomas von Aquin*, in « Zeitschrift für kath.

tur, prope Aquinum in Campania.[1] Parentes illi fuerunt Landulfus, Comes Aquini, et Theodora ex Comitibus Theanensibus.

1230-1235. – Quinquennis a parentibus traditur monachis S. Benedicti de Monte Casino, pietate et litteris imbuendus.[2]

1235-1243. – Anno 1235, vel sequenti, mittitur Neapolim, ut curriculum studiorum perficiat. Apud illud athenaeum in trivio, seu in humanioribus litteris, praeceptorem habet Magistrum Martinum; in quadrivio, seu in philosophicis disciplinis, Magistrum Petrum de Hibernia. Dum Neapoli in studia incumbit, cum Fratribus Ordinis Praedicatorum consuetudinem init; amore erga eundem Ordinem captus, statuit humanis rebus valedicere et eidem Ordini nomen dare, quo melius studiis vacare et saluti aeternae securius prospicere possit.

1243. – Ingreditur Ordinem Praedicatorum et habitum recipit e manibus Fr. Thomae Agni de Lentino, qui postea factus est Hierosolymitanus patriarcha. Candida veste Praedicatorum redimitus, a Superioribus Romam mittitur, inde Parisios profecturus. Dum autem Parisios iter agit, a duobus fratribus, Landulfo et Reginaldo, qui in exercitu Friderici II imperatoris erant et in Tuscia morabantur, vi comprehenditur captivus, et ad parentes reducitur, qui filii ingressum in Ordinem Praedicatorum aegre tulerant. Iuvenis in paterna domo inclusus variis modis tentatur, ut a sancto proposito decedat; at ille firmus et constans in Christi vocatione persistit. Uno fere anno elapso, parentes inanem conatum experti, illi libertatem restituunt.

1244. – Thomas libertate donatus Neapolim ad Fratres Praedicatores convolat; dein Romam revertitur et eodem anno, cum Fr. Ioanne Teutonico, Generali Magistro Ordinis, Parisios venit studiis theologicis operam daturus.

1245-1248. – Moratur Parisiis in celebri conventu S. Iacobi Fratrum Ordinis sui; in studium divinae scientiae incumbit sub Magistro B. Alberto Magno, O. P.[1]

1248-1252. – Anno 1248 Parisios relinquit et cum Alberto Magno Coloniam petit, et ibi in studio generali nuper erecto usque ad annum 1251 vel 1252 probabiliter lectoris agit officium.[2]

1252. – A Superioribus Parisios iterum mittitur ad tradendas theologicas disciplinas et ad gradum magisterii in iis obtinendum. Iam circa hoc tempus incipit specimina edere ingenii sui. Primum opus litterarium ab illo compositum, quidam dicunt fuisse opusculum *De ente et essentia* et *De principiis naturae ad Fr. Silvestrum.*[1]

1252-1255. – Parisiis S. Scripturam interpretatur et libros Sententiarum Petri Lombardi. Quo tempore publici iuris facit suum *Commentum in quatuor libros Sententiarum Petri Lombardi.* Interea incipit certamen a quibusdam magistris Universitatis Parisiensis contra Fratres Ordinum Mendicantium indictum, praesertim contra Ordinem Praedicatorum. Dux Religiosos Mendicantes oppugnantium est Guilelmus a Sancto Amore, qui in suo opere *De periculis novissimorum temporum* invehit in Ordines ipsos.

1256. – Thomas adipiscitur gradum Magisterii in S. Theologia; at Magistri Universitatis Parisiensis Mendicantibus infensi illum in collegium professorum Universitatis admittere recusant. Haimericus tamen, Universitatis cancellarius legendi facultatem illi fecit; inde Haimericus a Summo Pontifice Alexandro IV laudatur, quod nempe « Thomae de Aquino, viro utique nobilitate generis et morum honestate conspicuo ac thesaurum litteralis scientiae per Dei gratiam assecuto, dederit licentiam in theologica facultate docendi »; itaque ipsi cancellario mandat « quatinus eundem Fratrem in praedicta facultate cito faciat regiminis habere principium ».[2] Hoc anno, a Moderatoribus suis vocatus, in Italiam venit, et Anagniae, ubi Summus Pontifex Alexander IV morabatur, una cum B. Alberto Magno et S. Bonaventura strenue Ordines Mendicantes defendit.[3] Tunc opusculum scribit *Contra impugnantes Dei cultum et religionem.* – Guilelmus a Sancto Amore et eius asseclae damnantur, et Thomas eodem anno Parisios revertitur, suas scholas prosequuturus.

1257. – Thomas rite agnoscitur Magister a collegio doctorum Universitatis; ideo mense Octobri anno scholastico initium facit sollemni oratione, quae *Principium* dicebatur.

1258. – Fit « Regens primarius » et interpretatur quosdam libros S. Scripturae.

1259. – Suas lectiones prosequitur et tempore Quadragesimae e suggestu verbum Dei annuntiat. In dominica Palmarum, quae erat d. IV Aprilis, dum publice concionatur, Guillotus, « bedellus » Universitatis scholarium nationis Picardorum, illum interrumpit, et quemdam libellum famosum a professoribus Ordinibus Mendicantibus infensis concinnatum publicat. Ob hanc causam eodem anno die 26 m. Iunii Summus Pontifex Alexander IV scribens episcopo Parisiensi, de hac re conqueritur et episcopo iniungit, ut huiusmodi offensionis reos puniat.[1] – His annis Thomas scribere aggreditur quasdam *Quaestiones disputatas;* componit *Expositionem in Evangelium S. Matthaei; Expositionem in librum Boetii de Hebdomadibus*, et in *librum de Trinitate;* manum admovet celeberrimo operi, cui titulus: *Summa contra Gentiles*, quod opus annis sequentibus ad finem perducit. – Hoc eodem anno adest capitulo generali Ord. Praedicat. celebrato Valencennis die 1 m. Iunii; ibique accipit mandatum ab ipso capitulo generali simul cum aliis quatuor Magistris Parisiensibus ex Ordine, nempe: B. Alberto Magno, Bonohomine Britone, Florentio

---

Theologie » t. XLI, (1912), p. 820 sqq. – A. Michelitsch, *Thomas Schriften,* Graz, 1913, t. I. – M. Grabmann, *Die echten Schriften des hl. Thomas von Aquin,* Münster, 1920. – J. Berthier, O. P., *S. Thomas Aquinas, Doctor communis Ecclesiae,* Romae, 1914, vol. I, p. XLI-LIII. – P. Mandonnet et J. Destrez, in opere supra citato p. IX-XXI.

[1] Annus eius nativitatis est incertus; biographi in eo determinando fluctuant inter annum 1224 et annum 1227. Ratio huius incertitudinis est, nullum adesse certum documentum de eius nativitate; e contrario, certi sumus de anno mortis eius, quae accidit a. 1274. Sed quum antiqui biographi referrent annum eius mortis, quidam ex illis dixerunt *obiisse 50 anno vitae suae* (Tholomaeus de Lucca); alii referunt illum mortuum esse *in 48 anno vitae suae* (Barthol. de Capua); alii *49 annum perfecisse et 50 inchoasse* (Guilel. de Thoco et Bernard. Guidonis). Hinc discrepantia inter biographos.

[2] Quidam putant parentes Thomam in monasterio Montis Casini tradidisse tamquam Oblatum S. Benedicti. De hac re cfr. auctorem anonymum: *Historica disquisitio de monachatu benedictino divi Thomae Aquinatis apud Cassinenses antequam ad Dominicanum Praedicatorum Ordinem se transferret,* impressa a. 1724; et Responsionem B. De Rubeis in opere supra citato: *Dissertatio I.*

[1] Alii dicunt Thomam brevi tempore Parisiis mansisse et statim illo anno Coloniam perrexisse, dein anno sequenti 1245 Parisios cum B. Alberto reversum fuisse. P. Denifle, in *Chartul. Universit. Paris.*, I, p. 307, n. 1, scribit: « Thomas circa an. 1248 Coloniam ad studendum missus est, ubi eodem tempore Albertus Magnus studium generale Ordinis pro Germania instituit ».

[2] Vide tamen notam praecedentem P. Denifle.

[1] Iuxta Quétif-Echard, l. c., p. 271, Thomas composuit iam Coloniae quum esset; alii autem aliter autumant.

[2] Denifle-Chatelain, o. c., p. 307.

[3] Sed Denifle scribit: « Adfuerunt tunc in curia inter alios Humbertus Mag. Ord. (Praed.), Albertus Magnus..., Thomas Aquinas..., minister gen. Ord. Min., scil. Ioannes de Parma (Thom. Cantimpr. *De apibus,* l. 2, c. 10, n. 23 ubi dicitur « Bonaventura »; ast Bonaventura an. 1257, febr. 2 in Ministrum Generalem electus est... » – Chartularium... p. 333, n. 5.

[1] Denifle-Chatelain, o. c., p. 390 sq.

Gallico et Petro de Tarentasia, conficiendi rationem studiorum pro Ordine Praedicatorum; quae ratio ab ipso capitulo generali rata habetur et Ordini praescribitur.[1]

1260 vel *1261.* - Revertitur in Italiam;[2] primum Romae docet, et scribit *Expositionem in Isaiam prophetam;* et alium *Commentarium in primum librum Sententiarum Petri Lombardi*, qui tamen periit.

1261-1264. - Anno 1261 eligitur in Summum Pontificem Urbanus IV, qui Thomam magni habet; et apud ipsum Thomas saepius moratur; curiam Pontificiam comitatur, et Urbeveteri, Anagniae, Viterbii, Perusii lectiones habet. Eodem tempore in curia quoque est Fr. Guilelmus de Moerbeka O. Praed., linguae graecae peritissimus; ab eo Thomas meliorem et magis fidelem versionem latinam operum Aristotelis exposcit, quod ille perficit. Nunc suis commentariis Thomas quaedam Aristotelis opera illustrat. Primi commentarii, quos Thomas tunc edidit, videntur fuisse: *Commentarius in octo libros physicorum* et *in decem libros Ethicorum.* Rogatus a Summo Pontifice Urbano IV, scribere incipit *Expositionem continuam in Evangelia,* quae dein dicta est *Catena aurea;* sed sub hoc Pontifice solam *Expositionem in Matthaeum* perficit. Iussu eiusdem Pontificis a. 1264 componit divinissimum illud *Officium de Corpore Christi,* et opusculum *Contra errores Graecorum.* Hoc temporis intervallo videtur scripsisse *Expositionem in librum Job;* opusculum *De rationibus fidei contra Graecos, Armenos et Saracenos ad cantorem Antiochenum* et fortasse illud, cui titulus: *Compendium theologiae ad Fr. Reginaldum socium suum carissimum;* necnon quasdam alias *Quaestiones disputatas.*

1265-1267. - Capitulum provinciale Provinciae Romanae Ord. Praed. celebratum Anagniae 1265 Thomae praecipit, ut studium Romae teneat; adduntque Definitores: « Et volumus quod Fratribus, qui stant secum ad studendum, provideatur in necessariis vestimentis a conventibus, de quorum predicatione traxerunt originem; si autem illi studentes inventi fuerint negligentes in studio, damus potestatem Fratri Thomae, quod ad conventus suos possit eos remittere ».[1] - Romae docet regitque scholas in coenobio S. Sabinae. Acceptissimus est novo Summo Pontifici Clementi IV (1265-1268), qui illum saepius in curia desiderat.

Ad finem adducit opus *Catenam auream;* prosequitur suos *Commentarios in opera Aristotelis, De sensu et sensato, De memoria et reminiscentia, in duodecim libros Metaphysicorum.* Concinnat *Expositionem in Ieremiam prophetam* et *in Threnos* eiusdem prophetae; conficit opusculum *De regimine principum ad regem Cypri.* Suo operi immortali, cui titulus: *Summa theologica,* dat initium; seriem *Quodlibetorum* determinat.[2]

1268. - Verisimiliter Viterbii moratur, ubi curia Pontificis translata est; ibi magisterium exercet; opera concinnare prosequitur. Fortasse hoc tempore scripsit etiam *Expositionem in primum et secundum librum posteriorum analyticorum.*

(*Ad proximum numerum*).

A. Bacic, O. P.

[1] Denifle-Chatelain, o. c., p. 385. B. Reichert, O. P., *Acta capitulorum generalium Ord. Praedic.*, Romae, 1898, vol. I, p. 94 sqq. - Sunt quidam auctores, qui Fr. Bonumhominem confundunt cum Fr. Florentio Gallico, quasi esset unus et idem homo, sed ab hoc errore iam Quetif-Echard monuit l. c., p. 140.

[2] P. Mandonnet, o. c., p. x-xi scribit Thomam in Italiam rediisse a. 1259 et quidem aestate illius anni.

[1] Denifle-Chatelain, o. c., p. 505, n. 5.

[2] Anno 1267 celebratum est capitulum generale Ord. Praed. Bononiae, iuxta quosdam etiam Thomas huic capitulo interfuit.

ALOISIO FILIO

QUI
IN LIBYAE AC ALBANIAE REGIONIBUS
STIPENDIA PRIMUM MERUERAT
CARSICIS DEIN LOCIS STRENUE PUGNANS
STRENUUS OCCIDIT
XVII KAL. OCT. A. MDCCCCXVI
VIX QUINQUE ET VIGINTI ANNOS NATUS

ELEGIA

Nocte quiescenti iuvenis splendore nitescens
monte velut Carso visus adesse mihi:
dulcis gnatus erat. Tum blanda audita sonare
vox est, oh mirum! corde micante meo.
— Permulto haec - dixit - rubuerunt sanguine [saxa,
sanguine quem vivax fudit amor patriae;
quosque una pariter fatum sociavit acerbum
sedes unde loquor condit habetque pia.
Leni per liquidum fertur Pax aethera pennâ:
stat cespes circum moesta sepulchra virens.
Ne sinito tumulis sculptum superaddere mar- [mor,
crux sola exornet rustica tecta super.
Haec loca praeclarae sunt signa perennia lau- [dis,
nullaque nos alio transvehat ambitio.
Heic me stare iuvat multis de millibus unum
Africa quem tenuit Chaoniumque solum.
Totus, cum adveni, bello exardescere Carsus
et dare Mors saevâ funera densa manu.
Fulgurat aethra tonans tellusque tremiscit ab [imo,
evomit atque hostis pestiferam nebulam.
Oh qui clamores, oh qui tristes ululatus
undique tolluntur flebilis et gemitus!
Sistere nemo tamen, nemo languere pavore,
aut, versis tergis, turpe referre gradus.
Progreditur pedetemptim nunc vigil itala pu- [bes,
addunt si quando ferrea vincla moram;
obicibus fractis, vallo nunc exilit alto
reclusasque audet pervolitare vias.
Vultu quisque hilari pugnat discrimina sper- [nens,
bellica nec cessat carmina concinere;
est et qui moriens monstret sua gaudia risu,
almae dum nomen murmurat Italiae.
Nono at mense mihi (currit iam septimus an- [nus)
ultima, care pater, pugna diesque fuit;
nam cecidi tactus displosae fragmine molis,
nec labro admovit dulce labrum genetrix.
Alta silentia nunc circum circumque tenebrae
nigraque caesorum corpora terra premit.
Quid? Quae, gleba viros, fortissima corda, [recondit
perpetuo est populis ara vocanda sacra.
Limina montana, externis iam transita tur- [mis
ac protrita plagae gramina laeta Padi!
Hinc nulli prorsus licet hosti scandere Bre- [num:
audax sit sane: terminus ire neget.
Suspice praecelsum tandem gestire Tridentum,
Baptisti, laqueus quem necuit, patriam.
Et gestit soror Adriaci regina liquoris
multaque, Tergestum, diraque passa diu.
Terque quaterque, o vos, gentes salvete re- [demptae;
sic nos extollat gloria parta nece.
Terge, parens, igitur lacrimas et mitte dolo- [res:
lamenta hinc absint, hinc ubi flere nefas.
Hymnos heroes poscunt viridesque coronas,
militi et ignoto plaude faveque mihi.
Voces nonne audis laetum clamare trium- [phum?
Ipse et io, genitor, quaeso, triumphe cane. —
Dulciloquus sermo penitus mea pectora movit
ac laxo somnum depulit ille sinu.
Eheu! somnia erant et fallax noctis imago,
finxit quam illudens spiritus ipse sibi.
Sed tamen, o nobis rerum dulcissime fili,
quam bene mulserunt cor tua sensa meum,
quam bene de cunctis moestum pepulere do- [lorem,
o patriae, o nostrae qui decus omne domus!

Mense Septembri 1923.

Iosephus Bozzi.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nominibus quibusdam peregrinis latine reddendis.

Viro clarissimo H. M. Iacobelli s. d. p. Iacobus Tasset.

Quae, novorum in campo latinitatis pergratus tu nobis cultor florum, aliena latine vertenda huic sodalitio nostro proposuisti vocabula, partim verbum verbo, partim singula pluribus, aut barbaro possumus retento reddere cognomento. Nihil enim est *la boxe* aliud nisi pugilatus, quum *the box* Anglis alapa sit vel colaphus, *to box* palma vel pugno ferire, et *the boxer* pugil.

A sport autem ludus lususque iisdem est, et ludere *to sport*.

Sed longe secus *nikel* metallum veteribus ignotum, fodinarum in Suecia genii cognomine gentibus plerisque innotuit, quo lingua nostra tamquam peregrino uti auxilio potest.

Ergo si fluentem per ignem medicatamque aquam id metallum translatum, in eis sederit, quae sunt adversus robiginem protegenda: ut telorum et ornatus equestris articuli, medicorumque ferramenta, *nicelo* sint ea demum licet circumlita. Et *nicelo pedes habebunt illitos* (sit gallicae plebis venia dicto), qui in nostram sententiam ire nolent.

Autobus, quum sit *ultro mobile vulgatum omnibus vehiculum,* non ubique definiendum, sed breviore iudicio plerumque notandum:

— Qua vectione licet hinc adire Tusculum?

— Vulgata per se mobili.

Res fluxas, quum innumerabiles singulis gentibus et saeculis appareant, consequi lingua totius orbis communis, eademque perennis, totidem verbis non potest. Quarum ergo genus et speciem binis nominibus significat, earum etiam varietates sigillatim vel barbaro notat cognomine. Itaque ad bellum quodam tempore valentissimum *dreadnought* dicitur genus navium, sicut olim turris natans *monitor* munitissima fuisse perhibetur, et rotundissima *popovka*. Vale.

Tornoduri scribeb. V Kal. Mart. MCMXXIV.

De una eademque pronunciatione latina ab omnibus adhibenda.

Andreae Avenario viro optimo Iosephus Fornari s. p. d.

Animum erigas, Avenari mi, namque et Angli sua lingua, palato et labiis latina verba Romano more pronunciare possunt. Testem ultro sese offert Finlay-Nair, *Vicecomes,* iam Anglici Imperii Cancellarius, nunc autem Praeses Scoticae Societatis ad classica studia fovenda. Qui quidem, in recenti societatis eiusdem annuo conventu, quum de renovando latinae linguae usu, eodemque maxime latine colloquendo, disceptaret, difficultatem aggressus de latini eloquii pronunciatione, acriter hanc sententiam tuitus est, debere tandem populos in id simul convenire, ut Romanam pronunciationem adhibeant. Neque id difficile actu fore; fecisse enim sese periculum apud Hagense illud supremum nationum tribunal, cuius ipse est pars: o mirum! latinum sermonem Anglico more proferens a nullo homine est intellectus; rem eamdem romana pronunciatione iteratam omnes optime perceperunt.

Commentarius *Universe,* haec producens, addit amplissimi viri monitum magni habendum esse. Sane, lingua latina Romana lingua est; nihil igitur congruum magis quam ut efferatur quemadmodum Romana Ecclesia effert, apud quam periit nunquam, immo in ritibus et alloquiis assidue exprompta est. Concludit autem hisce adamussim vorbis: « Quotquot phoneticae vetustioris antiquitatis exploratores adducere potuerunt aut poterunt argumenta de una alterave pronunciatione praeferenda, simplex magis experientissimumque erit latine loqui ut Romanae Ecclesiae Pontifex loquitur, quam ut loquuti olim... vel fortasse loquuti nunquam sunt, Cicero aut Quinctilianus ».

Quae et bona pace tua dicta sint, o rerum dulcissime; qui dum mihi assentiri profiteris asseveranti Romanam pronunciationem ubique usurpandam « amandatis omnino pro et contra disputationibus », cum Germanis tuis *iota, gamma, kappa* et huius generis scrupis, forte ne subsentiens quidem, ad veterem tundendam incudem redibas. Cura ut valeas.

EX ITALIS URBIBUS

Camulus (*Camogli*).

Haud ita procul a Genua, quae est caput Liguriae, secus littus, ad orientalem partem, posita est haec parvula urbs, quae nuper adhuc pagus, inter nobiliores collocari dignatur. Abhinc quinquaginta et amplius annos, quum universa Italiae pubes ad arma convolabat, et Camulus fortes genuit filios, qui in acie res pulcherrimas agentes, magnum sibi nomen virtute compararunt. Etiamnunc uno ore et alieni laudibus Simonem Schiaffino cumulant, qui, certus pro libertate dimicare, se se omnibus periculis obiectare non dubitavit. In media urbe posita ei est aenea statua, eo quidem ore atque habitu, quasi suos ad pugnam adhuc alacer evocet.

Olim agriculturam imprimis incolae exercebant, eorumque fructus erant passim in foris pulcherrima visu, et quod melius, omnium fere consensu, suavissima palato. At, labentibus annis, marisque opportunitatem nacti, ingenium suum quisque secutus quum res marinae in melius succederent, pene omnes ad nauticam rem se conferre cogitarunt.

Quo facto omnes prope Camulenses cives sunt nautae. Namque vel a teneris unguiculis ad mare ultro currentes, in periculis capessendis virtutem cum annis explicant, ibique varie et duriter pueritiam transigunt. Nuperrime in navibus piscatoriis Genuam petentes, ad unamquamque villulam prope littus stationem ponebant, et parvulis commerciis laeti, optimum sibi victum hac industria quaeritabant. Appetente vero aestate, et quum via ferrea longe adhuc esset, pira quaedam sapidissima ultra quaerentibus venditabant, quae per compita et vicos *Camolin,* idest *Camulini* etiamnunc appellantur. Ita hoc servat nomen et cultores ipsos adhuc

Hesperia in magna, si qua est ea gloria, signat!

At in praesenti, alio quidem animorum studio, per mare ad commercia exercenda contendunt. Si pauci olim erant ex civibus navium praefecti, qui ad extraneorum portus appellerent, et navim plerumque onerariam conscendebant; impigri nunc et propositi tenaces, ad maiora usque in dies assurgentes, magnam sibi fortunam nomenque collegerunt.

Quam multi, in ipso aetatis flore, navium navarchi recensentur! Totis nunc in rebus nauticis defixi, cives illi omnia in mari commoda sibi quaerere consueverunt. Hoc unum verbum dicam, solemne equidem nobisque gloriosum at verum: in omni fere orbis terrarum portu navem Camulensium affabre exornatam invenies.

Quae quum ita sint, facile tu ipse autumare poteris, quam indignum atque a veritate alienum de Liguribus Vergilius scripserit, praesertim si de Camulensibus sermo esset:

Vane Ligus, frustraque animis elate superbis!

Sunt enim Camulenses operosi, suis sibi manibus fortunam fingentes, suique securi ad meliora usque contendunt. Duri sunt in laboribus; et in consiliis suis firmi, nunquam in crastinum, quod hodie sit faciendum, differunt. Suis quoque impensis scholam aperuerunt pueris docendis, instruendis de re navali, loco illustri, omnique instrumento, ex recentiorum inventis, nitide exornandam curarunt; ex qua multi navitae illustriori nomine excesserunt.

Est et *Navigatorum societas,* quibus potissimum res demandatur, ut coniuncti nulla viarum asperitate, non itineris difficultatibus retardati, ignotas oras et longinqua maria lustrantes, vel remotissimas sibi terras tacito quodam foedere iungant. Hinc et apud Camulenses novae necessitates invectae, nova commoda excogitata; hinc latior incolarum cupiditatibus campus apertus, quibus explendis humani generis industria sic fuit acuenda, ut nihil iam ferme sit, quod hominum captum aut vires effugiat.

Camulenses, commerciorum ope, divitiis nunc maxime affluunt, ceteris circum incolis imperitant, et beatiorem vitam exigere videntur. Si vero in causas inquisiveris, ob quas parva haec civitas, exiguis initiis profecta, in tantam amplitudinem venerit, ut opibus maxime abundans et maiores vires quam ceterae possit expromere, facile cognoveris, a bello coepisse, quod memoria patrum acriter bellatum est ad Taurorum peninsulam, in quo primus Subalpinorum exercitus cum Gallis et Anglis sociatus insignem de Russis triumphum retulit. Tunc Camulenses, sociorum stipendiis ducti, eam sollertiam atque industriam exercuerunt, ut ex illa tempestate facile inter Ligures principes evaserint.

Sed in ipsis commerciis exercendis, cum perpetua in egenos libertate, Dei amorem studiumque religionis coniungunt. Sanctum Prosperum, Hispaniarum olim Episcopum, in primis excolunt, eumque inter caelites maximum sibi patronum exsistere autumant. Eius festum, quod in primum Augusti dominicum est indictum, solemnibus caeremoniis quotannis celebratur, ad quod omnes rite et certa quadam consuetudine conveniunt Camulenses, non modo circum habitantes, sed etiam qui peregre versantur. Maxime esset ipsis religioni si deessent, quum modo Lutetiae Parisiorum morarentur aut Londini. Uno verbo, ad Prosperum sanctissimum conversi, hoc semper opere dicunt:

Saevis, sanctissime Pater, periclis
Servati, facimus meritosque novamus honores.

Itaque omnibus rebus interceptis, ad «practicam» rectissime convolant et Religionis studium et patriae caritas eos aeque illa die ad suavissimi Patroni altaria trahit. Per idem tempus, universa gestiente civitate, atque incredibili advenarum frequentia, praestantissimus orator concionem sacram ad populum habet, et sacris persolutis, pegmata per noctem incensa, viae et domus urbis facibus cereisque collucescunt.

In proximo luco, haud ita procul elatius, est Sacellum, ubi plurima religione colitur Augusta Dei mater, cui est vulgo titulus *La madonna del Boschetto.* Piorum civium largitate cultuque splendidiore maxime exornata Virginis Matris imago, omnium latae devotorum pietas commendat, qui, per omnia maria pererrantes, uno ore a Virgine precantur, ut ad portum tandem patriae sanctos eos incolumesque reduces faciat. Sub eius patrocinio atque tutela nuper suis inopia et valetudine laborantibus, certis quoque amplissimis reditibus rite adtributis, aedes hospitales aperuerunt.

Sic innumeris divitiis aucti, Camulenses viam dum sibi ad commoda facile muniunt, iter ad caelestem patriam tutius sternere student.

SENIOR.

Tres fratres Sacerdotes parentum ante sepulchrum

Clausimus en vestrum, genitor genitrixque, [sepulchrum
fletibus aspersum roreque lustrifico.
Terni, vestra sumus proles, quibus unctio [sancta
iura sacerdotum contulit atque decus.
Ossa sed haec exsultant spe; radiabit et illis
quae iam nunc animas lux beat alma pias.
Aspice de caelo, pater, heu! nos undique telis
obiectos Satanae; supplicibus fer opem;
luctantes natos, si lassos forte videbis,
invictis armis usque tuere tuis.
Tu, qui Sedis eras Romanae miles et ultor[1]
et nunc bella geris sub Michaële duce,
protege nos, qui non legione meremur in una;
binos Francisci protege discipulos;
protege quem patrio praefecit Pastor ovili,
et quem Serica gens[2] *traxit ab Alsatia.*

FRANC. XAV. REUSS.

[1] Horum pater, Alsatinus, regnante Pio IX, miles erat Pontificius, legioni *Zuavorum* aggregatus.

[2] Qui hodie Sinenses (*Chinois*) appellantur, a priscis Romanis nominabantur Seres, aut Serica gens. Inde in Europam pervenit bombyx ille, seu vermis, qui *sericus* dicitur et fila producit, quibus texta serica (*étoffes de soie*) constant.

COMMUNIA VITAE

CORNELIUS.[1]

PAT. Periucunda mihi sunt abs dubio quae ex ludimagistro hodie de Messia cognovistis, mihique nunc accurate et peramanter retulistis; sed de tanto hoc Rege plura quam Cornelius novit nemo. O, accede huc, mi puer, ut caput tuum aliquantulum demulceam.

TIT. Istene? Quid sapit?

QUIN. Unde quicquam novisse potuit quum nec de quo agitur intellegit?

COR. Certe id scio et velim utique tanta et tam praeclara vos etiam vidisse.

TIT. Fafae! sanusne es, Corneli? Narra igitur res tuas nobis.

QUIN. Ipse somniaverit (*malitiose*).

COR. Somniavi equidem verum, pulcherrimumque somnium.

TIT. et QUIN. Ha! ha! ha! (*magnos edunt risus*).

QUIN. Tace iam et cenatum denique eamus; nonne, mi Pater?

TIT. Melius erit sane quam fabulas atque somnia audire.

PAT. (*ad Titum et Quintum*). Satius esset, filii, si de Cornelii somnio non adeo leviter iudicium vestrum ferretis.

Hîc ANGELUS *apparet.*

QUIN. Euge! quis homo?

TIT. Hominum formosissimus quidem est.

PAT. Quid ille huc ad nos?

ANG. Vobis precor omnia fausta.

QUIN. Et tibi nos vicissim, bone vir.

COR. Quis es, mi homo, et unde venisti?

ANG. O puer, quem caeli amant! Quod somnium superiore nocte habuisti, id reapse verum utique est.

PAT. (*Seorsum*). Astute clepsit homo, quae hucusque collocuti sumus.

COR. Quid narras, hospes amabilis?

ANG. Quod audis.

COR. Sed fratres mei ante res auditas iam eas mihi fabulis adscribunt.

QUIN. Quid sunt plerumque somnia, nisi mera phantasmata et vana rerum commenta?

ANG. Recte dicis, Quinte: plerumque commenta sunt, at non semper.

QUIN. Quid, amabo? unde me nosti?

ANG. Te quidem optime novi et Titum et Cornelium et Patrem et domum vestram totam, missusque sum ad

[1] Cfr. fasc. sup.

vos quo nihil haesitantes certiores redderemini de adventu auspicatissimo Messiae, qui genus reparabit hominum.

TIT. Certane omnino quae a ludimagistro audivimus?

ANG. Certissima cuncta, Tite.

PAT. Et obiecta in somnis puero meo suntne ita ut mihi ille protulit?

ANG. Ita prorsus sunt. Ut vestrum tamen plenum sit gaudium, haec itidem a me aecipite. (*Ad Cornelium*): Puer ille lepidissimus, Corneliole, quem in praesepe vidisti iacentem atque vagientem audisti, te aequis aspexit oculis, et ideo inter gentes prior eius lustrali ac salutari aqua aspergeris seu particeps ante omnes fies Eius supernae salutis. Tu quoque, Corneli Pater, vos, Quinte et Tite, domus tota atque cognati vestri, qui adeo de mundi liberatione sategistis semper et recta vestra agendi ratione Domino Israël placere studuistis, in regnum suum in aevum permansurum alteri a Cornelio suscepti eritis. A Deo tandem feliciter valete! (*Recedere annuit*).

QUIN. Mane, bone: ne discedas obsecro.

ANG. Quid maneam? (*Celeriter effugit*).

PAT. Qui nobiscum una cenes.

QUIN. (*prospiciens et circumspiciens*). Hei mihi! disparuit iam, nec usquam videtur in via.

PAT. Eho! quid illud est? Stupeo maxime!

COR. Age, mi Pater, accipe animum.

TIT. Quis unquam simile audivit et vidit?

QUIN. Vel animus me multum fallit, vel hoc profecto somnium utique est!

COR. Noli credere, Quinte; absque dubitatione hic ex eis est caelorum nuntiis, qui Angeli a Iudaeis nuncupantur, quique non semel apud hunc populum divina exsequuntur mandata.

TIT. Profecto eum mortalem nunquam haberem.

COR. Spe non infirma quidem opus est iam nostram praestolari salutem.

PAT. Pro certo habeo, Corneliole mi, haec non fuisse somnia et me quandoque visurum spero magna fieri apud vos. Nunc demum, filii, prodeamus hinc in nomine adventi Messiae, ut iamdiu apparatam frugalem cenam sumamus.

E. IOVÈ.

FINIS.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Cardinalis - Purpuratus romani pontificis; Pater purpuratus. - *Cardinalis Decanus* - Princeps sacri senatus. - *Cardinalis Vicarius* - Vice sacra fungens; Vice sacra antistes Urbis. - *Cardinalis Cancellarius* - Praepositus a diplomatis Pont. Max. - *Cardinalis Poenitentiarius* - Summus magister criminibus expiandis. - *Cardinalis Camerlingus* - Praefectus Curatorum Urbis et Vectigalium. - *Cardinalium collegium* - Sacer (Augustus) Patrum Purpuratorum Senatus. [2]

Caritatis Congregatio - Collegium rei subsidiariae administrandae; Praefecti (Curatores) rei subsidiariae egenorum.

Carnalis (*homo*) - Voluptatibus (Libidini) deditus.

Castellanus - Praefectus arcis; Praepositus subsidiariorum.

Catacumbae - Prima Christianorum hypogea; Arenariae.

Cathedra - Magisterium; [3] Thronus pontificalis.

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Cardinalem in pectore reservatum publicare.* - Purpuratum Patrem ante adlectum designatumque pronunciare.

[3] Itaque: *Cathedras augere* (*in athenaeis*) - Augere magisteria.

Cautela - Cautio.

Cellerarius - Dispensator; Curator; Procurator.

Censuaria pecunia - Census; Tributum; Vectigal. [1]

Certiorare - Certiorem aliquem facere.

Chinea - Equus albus. [2]

Christianitas - Res (Respublica; Civitas; Gens) Christiana; Christianorum coetus; Christianus orbis; Populus Christianus.

Christianus - Christi sectator; Christi disciplinam (Nomen christianum) professus; Christi institutis addictus; Christianae fidei cultor. [3]

Ciambellottus - Textilia ex serico et caprugineo stamine.

Ciamberlanus - Cubicularius; A cubiculo.

Circularis - Qui per circulum (per orbem) fertur. - *Litterae circulares:* Litterae uno exemplo scriptae (exemplo eodem redditae); Epistola formalis.

Circumlocutio - Verborum circuitio; Circumscriptio.

Circumstantia - Res.

Circumstantiae temporis (*temporum*) - Tempora; Temporis ratio.

Circumvallatio - Locus aggere ambitus; Limes extimus; Circuitus; Munimenta castrorum.

Civilitas - Humanitas; Comitas; Urbanitas.

[1] Inde: «Vectigalis» cui census est solvendus. (Ex. gr.: Hoc die a vectigalibus tributa conferuntur). - Nomenclator a censibus. - Rector provincialium a censu. - Ager vectigalis.

[2] *Chineae tributum solvere* - Equum album phaleratum ex vectigali lege ministrare.

[3] Inde: Christi (Christianis) institutionibus aliquem erudire. - Christi professionem amplecti; Ad Christianorum coetum adiungi; Sese ad Christum applicare; In Christi fidem concedere. - Gentes ex inani superstitione ad Christum (ad Christianos ritus) traducere; Inanium deorum cultores veteri superstitione liberare. - *Christiana religio* (*ecclesia*): Christi instituta.

Clarescere (*Inclarescere*) - Clarum fieri; Nobilitari.

Claudere (*epistolam*) - Epistolam obsignare.

Claustrum - Coenobium; Peristylium; Compluvium quadratum; Compluvium porticibus circumseptum.

Coacte - Per vim; Vi adactus (adductus).

Coaequalis (*Coaetaneus; Coaevus*) - Aequalis; Eiusdem temporis (aetatis).

Coelicus - Caelestis.

Coelitus - De caelo; Divinitus.

Coemeterium - Locus sepulcralis; Sepulcra.

Cohabitator - Contubernalis.

Cohaesio - Nexus.

Coincidere - Simul incidere; Idem valere; Eodem redire.

Colendissimus - Maxime colendus.

Collationare - Scripti fidem expendere; Recognoscere.

Collecta - Collectio; Collatio. [1]

Collectanea - Commentarii.

Collector - Adlector; Coactor. [2]

Combinare (*Combinatio*) - Iungere; Complecti; Connectere; Componere.

Comes - Comarchus; Toparcha.

Commendatarius (*abbas*) - Antistes fundis tuendis.

Commendator - Eques torquatus; Eques beneficiarius. [3]

Commensalis - Conviva; Sodalis.

Commentari - Explicare; Interpretari.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

[1] Si de pecunia: Pecunia (Stips) collatitia; Stipe collata; Aere collato,

[2] Ita: Coactor a portu vinario (vectigalium, etc.). - *Collector Spoliorum* - Adlector Caducorum Pontificis Maximi.

[3] Ex. gr.: Eques torquatus a Corona ferrea, Eques Melitensis Beneficiarius. - *Commendator primae classis:* Eques benef. ordinis primi. - *Commendator Sancti Spiritus* (Romae): Summus Magister Collegii S. Spiritus.

ANNALES

Germanorum res.

Civiles Germanorum seditiones sedatae omnino dicendae sunt: Palatinatum ad Germanicae civitatis instituta redit, pariterque Bavaria, ubi Von Karr dictator et Lessow, militum praefectus, suo utriusque munere sese abdicarunt; quod quidem non impediit, quominus Berolini contra eos et coniurationis socios proditionis quaestio decerneretur.

Interim peritorum collegium ad oeconomicas Germanorum res cognoscendas officium sibi commissum absolvit: eos dictitant in sententiam hanc venisse, posse Germanicam civitatem oeconomicum statum suum instaurare atque debita solvere, dummodo commerciorum libertas, praesertim in iis quae exportantur, ipsi restituatur; ceterum ferriviarum et portoriorum reditum satis sufficere ad pignora in creditorum favorem firmanda. Sperare inde iuvat, fore ut tandem aliquando compositionis via in tam arduo tamque diuturno discrimine inveniatur, per quam liceat hinc quoque exoptatam ab omnibus pacem appropinquantem videre.

***

Graecorum discordiae.

Post regem eiusque familiam a Graeca terra remotos, discordes magis civium animi facti sunt, quos dominari Venizelos non valuit, ad reipublicae gubernacula assumptus; qui infirmae valetudinis causam adducens, officium cum collegis dimisit. Ei Kafandaris successit, quem eius amicum praedicant, non vero eadem auctoritate pollentem. Certe hinc liberae civitatis, inde regis fautorum motus in dies nunciantur, neque fas est coniicere quando et quomodo res una vel altera ratione definiantur.

In Russia.

***

Lenino illi, cuius obitum in superiore eventuum recensione nostra nunciavimus, Rycoff tamquam summus *Sovietorum* praeses suffectus est, ab ipso Lenino designatus. Eius maxima cura in primis fuit, ut a ceteris populis novus Russicarum rerum status sanciretur, simulque commercii foedera ferirentur; quod revera cum Anglis, Italis, et novissime cum Norvegis, iam factum est.

***

Wodrovii Wilson mors.

III Non. Febr. diem obiit supremum Wodrovius Wilson, qui in recenti immani bello Civitatum Foederatarum Septentrionalis Americae Praeses, obtinere visus est, ut suum nomen quasi exspectati pacis arbitri longe lateque vulgo insonaret. Res vero spem fefellit; neque aliter esse poterat. Si enim bona illum voluntas non defecit, defecit quidem ita ingenium, quo ad effectum adduci voluntas illa deberet, ut perperam inter belli rationum scopulos ea frangeretur, quos Europa posuerat, quibus firmiter adhaesit, quo demum Wilsonum eiusque civitatem, pecunia primum ac deinde militibus, attraxit. Inde contigit ut quae in iudicio facta est pars, eadem arbitri partes gerere nequiret, eiusque nisus inter vana rhetorices artificia necessario cederent, neque inde re perfici possent. Scilicet praemissa de pace poni quidem poterant: animus vero et res, studia et quaestus, corporea - ut ita dicamus - belli vulnera, corporeaeque pacis refectiones omnia ad arbitrium suum convertebant. Itaque floribus carpendis Wilsonus intendere apparuit, non evellendis radicibus, in quas profecto, et ante ipsum, magnanimae mentis aciem sapientissime adiecerat ille unus, qui studio partium omnino exspers, quippe omnium pater et Christi

vices in terris gerens, praeter et ultra hominum cupiditates loqui poterat et fuerat loquutus: Benedictus. XV P. M.

Wodrovius Wilson, cui implacabile historiae fatum, quod certe nollet, datum est perspicere, fortasse ex hoc visu et ipse est fractus!

Kalendis Martiis MCMXXIV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Locum libenter concedo solito illi Anonymo meo, qui hodie duarum machinarum descriptionem, utramque proculdubio venustam, ad me misit *Almae Romae* lectoribus proponendas, quas apud Albertum de Albertis scriptorem saec. XVI invenit. Altera **de horologio** est, non quidem solare illud, cuius exactam effictionem Cassiodorus in I suarum epistolarum libro reliquit; sed rotis circumactum, prouti etiamnunc non est difficile in nostris domibus - ne dicam in turribus - invenire. « Operae pretium est - ita noster - horologium, miri artificii instrumentum e ferro chalybeque conflatum, vestris oculis accurata inspectione subiicere. In eiusmodi machinamento dentatae aliquot rotae, striato axis verticillo interiecto, mutuo commissae et foederatae, gravibusque suspensae ponderibus, in orbem sensim sine sensu volvuntur. Ferrea in medio columella, subtili haerens filo, tenuique lamina transversa in capite intersecta, atque exemptilibus plumbeis glandibus hinc atque inde ex ea pendentibus librata, totius moderatrix temporis, in subiectos orbes incidit; binisque ligulis in eorum dentes, quasi fraenis ex intervallo iniectis, rotas in gyrum raptas, descripta ad numerum sustinet et relaxat. Tandem ubi princeps rota penitus circomvoluta est, cavam in crenam decidente sufflamine, libramentis ad terram festinato decursu recellentibus, illico solvitur machina, malleumque versatilem incitato verbere in tintinnabulum ex aere campano fusum impellit, quotque ictus malleus infligit, totidem horas tundendo designat. Hoc instrumentum, ad dimetienda temporum spatia excogitatum, tot in rotas ac ferramenta graphice descriptum, magnum sagaxque artificis, qui id fabricavit, ingenium insigniter demonstrat ».

***

Altera descriptio est **de sphaera Archimedis, quam « armillarem » vulgo nuncupamus:**

« Volubilem illam Archimedis sphaeram, quaeso vos, tot in circulos, minores, maiores, maximosque descriptam, tot in orbes tributam, tam variis discretam figuris intuemini. Illam aequas in partes aequatore divisam, obversis hinc atque illinc verticibus axe intercurrente suspensam, orbe finiente intersectam in medio, transversa zona, velut fascia circumvestitam contemplemini. Illam labentis caeli circuitus aemulari; illam errantium siderum cursum referre; illam pares imparesque planetarum motus exprimere; illam solis ac lunae vices reddere animadvertite. Quem nostri tanta orbiculorum multitudo, tam recto composita ordine, tam certis terminata finibus, tam iustis librata momentis admiratione non impleat? Cui adeo imperito tanta partium congeries, sibi ubique tam pulchre consentiens, ingeniosi artificis perspicacem mentem non expingat? ».

***

Perspicax vero non minus mens fuisse mihi videtur artificis illius, de quo memini me legisse apud Guinisium, quippe qui **crystallinam molem caeli instar ela-**

boratam suo tempore effinxit, in qua scilicet orbium moles inclusit; cursum solis et lunae, siderum moras conversionesque distinxit; caelo aerem supposuit tenuissime explicatum, cuius superior regio salubris atque innocens libera semper esset a turbis atque turbinibus; inferior mutationibus obnoxia modo luce blandissima speciose rideret, modo cogeretur in nubes, modo tempestatibus ageretur, rigeret modo procellis imbribusque diffluerent, tonaret, fulguraret, mentita quoque fulmina contorqueret. Neque satis: in media enim mole Chosroën ille insculpsit e gemma, veluti Deum operi immissum suo ac supercilio terrarum domino sustinentem omnia, moventem ac dexterae iubentis imperio moderantem.

***

Quidquid fuit, nos ad Bernerium nostrum redimus, heu! ut illi valedicamus, seu, rectius, ut suavissimi viri dimissionem accipiamus. Ludicra enim eius poësis absoluta est, quum reliqua pauca, quae ultra supersunt, ad rem nostram non faciant. Carmen hoc postremum popularium illorum mores affabre depingit, qui **Romanenses** (vulgo *Romaneschi*) vocantur. Profecto eorum vestes longe aliae hodie sunt, sed sermo et singularis eorum loquutio nostris quoque diebus trans Tiberim audiri potest, ut est a nostro ad unguem relata:

Quaedam Romana lecta est ex plebe iuventus,
Moribus et risum provocat illa suis.
Praecipuum cuncti servant in vestibus usum,
Praecipuoque illas more modoque ferunt.
Pileus est albus, coepe olim parvus ad instar,
Ingentem molem nunc mage latus habet.
Hic capiti super impositus calcatur, et usque
Ad frontem mediam tempora clausa premit.
Elevat inde manus partem, quae proxima fronti est;
Sic speciosa magis gentibus ora patent.
Supra exstant rubri ligamina pulchra coloris;
Contexta ex auro cingula saepe micant.
Pallium inest humeris, quod non circumdat utrosque,
Ex uno tantum, sed prope pendet unum.
Colligit hoc medium, secat, et curvatur in arcum
Brachium, agit cuncta haec nempe sinistra manus.
Irrequieta nimis, sed libera dextra movetur,
Componit barbam saepius atque comam.
Avvinctus lateri est gladius, qui longior exstans
Corporis ad motum cuspide tangit humum.
Ante ora e collo, nodum formantia, pendent
Lina; liquore albo consolidata tument.
Dum properant, gravis est incessus, membraque vertunt
Hinc inde: in motu creditur esse lepor.
Ast mage iucundum est illos audire loquentes,
Quippe novo ad libitum nomine plura vocant.
Pileus hoc ergo *fungus* sermone vocatur,
Pallium at inde *Petri* nobile nomen habet.
Dicitur ast oculus *laterna*, *cucurbita* cervix,
Barbaque *famosae* nomine dicta fuit.
Allicit illorum mire me forma loquendi:
Bis quaedam repetunt verba, modusque placet.
Haec ait, infestum si quis forte increpat hostem,
Rixandi tenuis dum sibi causa datur:
— « Iam quid habes? Quid? Vis mecum contendere? mecum?
Improbe! Pone minas, pone; veni ergo, veni.
Frango caput, frango saxorum turbine; notum
Est cunctis, notum, robur in Urbe meum.
Solus ego in septem, solus, sum denique victor;
Non ego, dant hostes terga pedesque fugae.
Sum Romanus, sum natus de sanguine Troiae,
Transtiberinus ego nempe *ciumaca* vocor.
Accedunt; nam nemo potest me vincere, nemo:
Gloria proh nostri! prohque serena dies! »

Haec speciosa nimis, quin turgida verba profatur,
Quisque loquendo facit mira; operando nihil.
Qui vibrat ore minas, manibus nunquam ille timendus;
Et sit, verba quibus plurima, nulla fides.

***

Iocosa

Vere novo, Magister Tuccio:
— Quonam anni tempore rerum universitas pulcherrima tibi videtur?
Tuccius:
— Tempore feriarum!

—

Magister de piscibus sermonem habet:
— Hoc est inter animantia piscibus peculiare, ut muti sint.
— Hercle! credo - Tuccius interfatur.
— Ut istud dicis?
— Papae! Ecquis sub aqua loqui possit?

***

Aenigmata

I.

Tota fere in *primo* consistit vita; *secundum* sanguinis a vitio est; *integrum* ubique vides.

II.

Pronomen monosyllabicum duplicabo. Quid inde nascitur? Aethiopes quam coluere, dea.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) (vulgo *Rebus*) *In motu superciliorun praebentur animi motus*; 2) *Sal-via.*

IOSFOR.

Tuta vita est, in qua nihil fit quod timeas; quae compensatur mentis placiditate; levatur usu; sustentatur ocio; non occupatur alienis molestiis; non urgetur urbanis discursibus.

AMBROS. in *Epist.*

Libera a pittaciis responsa.

Cl. w. AD. KOZL..., *Petricovii*, et PH. REB..., *Bruchmulbach.* – Accepimus et gratias referimus.

Cl. v. RAIM. BERT..., *S. Viti ad Tilaventum.* – Usque ad mensem Octobrem 1925.

Cl. v. AD. BART..., *Prunetae.* – Subnotationem solvisti usque ad ann. 1921. De certamine illo poëtico scripsimus mense Decembri 1923, pag. 192.

Cl. v. EM. IO..., Vici. – Tibi morem gessimus; sed *Macius* ille nonne summam *peset.* quindecim spoponderat?

Cl. v. C. P. CLAUS..., *Faaborg.* – Recentissimam, quod quidem sciam, « grammaticam classicae latinitatis » latine scripsit I. Llobera, S. I., ediditque Barcinone Eugenius Subirana bibliopola, a quo repetere poteris. Philosophiae ac theologiae opera, latine pariter exarata, innumera prope sunt, quam ut indicem tibi proponam. Catalogos quaeras ab editoribus Pustet (Monachii), Desclée (Tournai in Belgica), Marietti (Augustae Taurinorum), etc.

A SECRETIS.

Libri recens dono accepti.

G. B. LEMOYNE. *Il metodo educativo di Don Bosco.* – Augustae Taurin. edit. Societas Internationalis Editrix, Corso Regina Margherita, 174 (Ven. lib. 2,50).

LUIGI ASIOLI. *Storia sacra*, con illustrazioni di A. Nardi. – Indidem (Ven. lib. 5).

Teol. SECONDO CARPANO, Insegnante nelle scuole municipali di Torino. *Programmi particolareggiati di religione per le scuole elementari.* – Indidem (Ven. lib. 2,50).

AD FONTEM BELLAQUEI 9]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

Petes si Romam, plaudimus cum po-
[pulo,
Suum qui laetus possidebit Principem,
Qui iam refulgens meritis, virtutibus,
Redit martyrii redimitus laurea.
O Pater, vale! Passus qui Calvarium,
Accedas Thabor, auspicamur fervidi.
Nobis implora Deus sit propitius,
Cuius potentia vicisse credimus.
Deus te populis servet incolumem ».
Quae magna verba! Pectus quam exhi-
[larant!

CARD. Et ipsi Reges, Romae qui contrarii
Nostrae sunt in Fide, admirati maxime
Tuam sunt, Pater, firmam fortitudi-
[nem,
Votis precantur fervidis, assiduis,
Ut Urbem tandem videas liberrime.

PONT. Quae regum felix cordium mutatio!
Agedum! curemus ut festino tempore,
Paremus quaeque necessaria itineri.
Quae nempe potius sunt necessaria?
Proficiscenti quid praeter Officium?
Officium sumam, linquamus cetera!
Enim me tellus flammis urit Gallica!
Manet me Roma, summum Capitolium,
Illic Petri sedes, refulgens meritis
Apostolorum sapientia et sanguine.
Illic Sanctorum circumfusa gloria,
Virtute pergit alacris ad sidera. [1]

SCENA XII.

CETERI praeter PONTIFICEM.

CALL. Eundum certe?
ISID. Videtur certissimum.
Rhedae parantur, viduli, marsupia...

CALL. Hic autem pagus notus vix extraneis
Iis, qui legunt gallicas historias,
Erit mox cunctis gentibus notissimus.
ISID. Ubi fuit Petrus, semper Ecclesia!
CALL. At imperator?
ISID. In quam sortem cecidit!
CALL. Dicunt venisse, sed mutato nomine,
Napoleonem... Nugae nunc, gerrae et
[fabulae
Volant per vicos, angiportus, compita,
Per aèrem volant ut frondis folia.
Eum laudant isti, praedicant strenuum,
Et hi superbe turbant et dilacerant...
Solet sic mundus monumenta evertere,
Sua quae succensus manu sustulerat.
Miser, quem plebis plausus sollicitat!...
Brevi nam tollit, pellit mox in pulverem.
ISID. Manet captivus ille in istis aedibus,
Cui vix Europa sat fuit superbia!
CALL. Reges victores ineunt consilia
Secreto, et omnibus remotis arbitris,
Et ipsa pendet istoc a consilio;
Ipsi nam consulunt quid sit in posterum.
CALL. Quid est potentium vis? Vaga inanitas!
ISID. Erat heri rex, regum potentissimus...
Et in praesentia? Captivus omnium!
CALL. Ibi sed Pontifex captivus gemuit,
Et contumeliis pressus, ludibriis,
Fuit, quod semper ludus Providentiae,
Istis in aedibus captivus truditur.
(Magnus fit hoc momento multarum gentium rumor foris adclamantium).
« Vivat noster Pater, noster et Ponti-
[fex! »

(Ad proximum numerum).

[1] *Introgreditur cum Cardinali.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

AL

LATI

Pretium annuae su
pro Hispania
Helvetia franc.
tramite mitten

AESTHE

**De exqui
animi v
quae**

Vim creand
voci addita pot
appellant: quae
quo *geno*, hoc e
darum rerum
Romanos non
mussim hodier
aequaret. Prim
alii indiscrimi
*eximiam indo
divinam vim,*
etc. nuncuparu

Cui mens divin

Quapropter
tione hominem
ac praestanti
divino quodam
si in eo *Geniu*
uti fabulabantu

*Est Deus in n
Sedibus aetl*

[1] Ovid., *Art. A*

Ann. XI Romae, Mense Aprili MCMXXIV Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AESTHETICAE NOTAE

De exquisita eaque singulari animi virtute in pulchrum, quae « Genius » dicitur.

Vim creandi pulchras res, nova latinae voci addita potestate, recentiores *Genium* appellant: quae vox orta videtur ab antiquo *geno*, hoc est *gigno*, quod vim gignendarum rerum denotat. Apud Graecos et Romanos non fuit usitata vox, quae adamussim hodiernam *Genii* significationem aequaret. Primi enim dixere εὐφυίαν, quod alii indiscriminatim *bonam, egregiam, eximiam indolem, ingenii dexteritatem, divinam vim, mentis sacrum impetum* etc. nuncuparunt. *Genio* alludit dictum:

Cui mens divinior et os magna sonaturum ...

Quapropter communi *Genii* appellatione hominem significamus felici natura ac praestanti ingenii vi praeditum, qui divino quodam spiritu afflatus videtur, ac si in eo *Genius*, vel numen adsit amicum, uti fabulabantur Ethnici:

Est Deus in nobis, et sunt commercia caeli:
Sedibus aethereis spiritus ille veni'.[1]

[1] OVID., *Art. Amat.*, l. III, v. 525.

Qui tali aguntur virtute, virium alacritate, mentis acumine animique calore et propensione ad certa opera artis refertos ita se praebent, ut intueri, concipere ac procreare sublimia opera valeant, quae nequeunt ceteri homines quovis nisu et studio, quavis longa educatione.

Difficile quidem est brevem exactamque *genii* definitionem digerere: non enim de una facultate et operatione sermo est; sed de compluribus corporis animique potentiis in unum conspirantibus.

Quae *genium* constituunt *elementa*, ea quae sequuntur apparent:

a) Exquisita et fidelis sentiendi facultas, quae per aurium oculorumque praesertim ministerium venustiores ex sensibilibus obiectis formas colligat, in se exprimat, ac retineat. Qui corruptum sensum aliquem externum habet, impar invenitur ad producendam pulchritudinem, quam ministerio illius sensus mens ex sensibilibus rebus sibi compararet. Ita surdus a nativitate nequit sonitus speciem efformare; attamen eximius pictor vel sculptor evadere potest.

Praesertim sensus interni quodammodo vividiores et promptiores esse debent in functionibus suis: inter hos praeeminet phantasia una cum aestimativa.

b) *Actuosa excogitandi virtus,* cuius est praeteritarum et praesentium rerum formas in unum redigere, novas et commendabiles efformare, easque omnes componere, dividere, extendere, symbolis ac aptis signis exornare, usque dum elaboratam habeat eximiam formam illam, quae vulgo *Ideale* dicitur, et est perfectus in aliquo rerum ordine typus, iuxta quem extrinsecus prodit opus.

c) *Singulare intelligendi acumen.* Mens enim principatum tenet inter omnes animi facultates; quapropter debet omnibus dominari et praeeminere. Namque, licet in artefactis creandis videatur excogitandi vis excellere, haec tamen semper intellectui subditur.

Perspicacia et tranquillitas mentis phantasiae opus et regit, et expolit, et perficit; secus, laxatis habenis, in intemperatum et abnorme cogitatio miserrime labitur.

Quod quidem intelligendi acumen ab *ingenio* differt eique longe praestat: *genius* ad pulchra efficienda alacris est, plerumque temporis ictu operatur; *ingenium* diuturna maturitate et meditatione vix minimum pulchritudinis opus absolvere nititur;

d) *Affectio* denique seu *animi commotio.* In contemplatione eximiae formae sibi conceptae mens congaudet, voluntas rapitur, amor fervet. Genio praecellens vir, interno quo aestuat ardore, requiem non invenit nisi animata ac veluti spirantia sua opera reddat. In absumptam materiam cupit viventem infundere animam; etenim sine vita aut nulla est pulchritudo, aut brevi languescit.

Ex complexu et harmonica coaptatione praedictorum elementorum constituitur itaque *genius,* qui proinde definiri potest: *Vix creatrix et depictrix eximiarum rerum,* seu *singularis humanae mentis vis creandi nova, eaque convenienter repraesentandi. Genius* igitur non est peculiaris et distincta facultas, neque organica neque spiritualis.

Sequitur inde, proprietates ex genii natura manentes tres esse: *foecunditatem, novitatem,* et, sit venia verbo, *exemplaritatem.* Genius est quasi arbor luxurians, quae novos atque iucundos fructus producit. Artifex eximiae rei studiosus vir est ingentis industriae multiformisque virtutis, externa obstacula nescit, quae ingrata offerat materies vincit, animique lassitudines exsuperat; usque dum incoeptum perficiat opus, magna alacritate molitur, summa parique dexteritate.

Novitas genii in eo consistit, ut artifex propriam eximiam formam concipiat a ceteris exsistentibus formis distinctam eamque libere in effectum adducat mediis sibi gratis. Genius est exlex, seu melius, est lex et norma sibi: unicam sequitur regulam, quam natura in eius corde insculpsit; eamque iugiter intuetur, dum immortalia opera pangit. Et hic est Heraclius lapis, quo verax discernitur genius; genius enim fallax usitatas leges in arte, statutosque consuetudine limites transgrediens, misere in imum delabitur et serpit humi. Ex adverso, verax genius, spretis compedibus. ut expedita avis, in aëra sublevatur.

Hinc *exemplaritas*, quam diximus, qua Genii opera « classica » iure appellantur, meritoque ut *prototypi, formae stabiles, exemplaria* aemulationis et imitationis habentur.[1]

Quod autem de libertate genii assertum est, non adeo intelligendum ac si artifex firmissimas regulas exemplaque maiorum ipse condemnet, et nulla ductus experientia, nullaque educatione suffultus,

[1] Differunt multum *exemplum* et *exemplar*: illud est quod rei probandae vel illustrandae causa adhibetur: hoc autem est, ex quo similis efficitur aliqua species, quae idem est quod Graecis *ἀπόγραφον* Laintis *transcriptum,* Italis *copia* significat.

opera monstruosa concinnet. Hoc absonum rationi esset atque alienum ab Horatii monitu:

... ego nec studium sine divite vena,
Nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res et coniurat amice.

Quapropter et ipse genius in conficiendis exornandisque suis operibus educatione et diutinis exercitationibus necesse habet, ut subiecta materies suo « typo ideali » apprime respondeat. Ad rem Tullius: « Quum ad naturam eximiam atque illustrem accesserit ratio quaedam confirmatioque doctrinae, tum illud nescio quid praeclarum ac singulare solet exsistere ».[2]

Sed contemnuntur a genio leges conventionales, arbitrariae, quae artifici impedimento sunt atque damno; nec non servilis plurimorum illa imitatio, contra quam inclamat Horatius:

O imitatores, servum pecus...

(Ad proximum numerum).

G. Lepore.

[1] *De Arte poët*, v. 409-11.
[2] *Pro Archia poeta.*

S. THOMAE AQUINATIS[3]

Brevis chronographia vitae et operum sexto exeunte saeculo ex quo sanctorum ordinibus est adscriptus.

[3] Cfr. fasc. sup.

1269. – Hoc anno invenimus illum in capitulo generali Ord. Praed. Parisiis celebrato ad diem XII m. Maii; in illo capitulo respondet cum quibusdam aliis magistris ad quaestionem illis a capitulo propositam *De secreto naturali.*[4]

[4] Quétif-Echard, l. c., p. 280.

1269-1271. – Secundo legit in Universitate Parisiensi; fructus sui ingenii auget, at eius doctrina multos et potentes adversarios nanciscitur. Imprimis antiqui adversarii Ordinum religiosorum denuo caput extollunt, Ordines Mendicantes scriptis impetunt; praesertim Nicolaus Lexoviensis et Gerardus de Abbatisvilla, Magistri Parisienses. Thomas contra huiusmodi hostes scribit opuscula: *De perfectione vitae spiritualis* et *Contra pestiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingressu.*

Hac aetate in scholis Parisiensibus periculosae Averroisticae assertiones traduntur, quas praesertim Magister Sigerus de Brabantia disseminat; contra has doctrinas Thomas insurgit et opusculum *De unitate intellectus contra Averroistas* edit.[1] Asseclae scholae antiquae: « Augustinismi », inter quos praecipuas partes gerebat Ioannes Peckham, O. M., Thomam accusant, quasi erroneas doctrinas doceat; ideo etiam contra hos verbo et scriptis doctrinam Aristotelicam a se propugnatam defendit.[2]

His annis inter alia videtur edidisse *Expositiones operum Aristotelis in libros perihermeneias; in libros Meteorologicorum; in librum de anima; in libros Politicorum.* Probabile est hoc tempore scripsisse quoque *Commentarium in librum de Causis; Expositionem in psalmos David; Commentarios in plures epistolas S. Pauli Apostoli;* opuscula: *Responsio ad Fr. Ioannem Vercellensem de XLII articulis* et *De regimine Iudaeorum ad comitissam Flandriae.* Quasdam novas etiam *Quaestiones disputatas* componit, et seriem *Quodlibetorum* edit. His annis opus suum praecipuum *Summam theologicam* prosequitur. – Dum Parisiis degit, acceptissimus est in aula s. regis Ludovici, qui a Thoma saepius consilium quaerit.

[1] Denifle-Chatelain, o. c., p. 487.
[2] Ibid., p. 635, n. 3.

1272. - Vocatus a Moderatoribus in Italiam revertitur, at sui ipsius magnum desiderium Parisiis relinquit; ideo « Universitas artistarum » enixe rogat capitulum generale Ord. Praedicatorum Florentiae hoc anno congregatum, ut Fr. Thomam Parisios ad docendum remittat. - Interea in eadem civitate Provincia Romana Fratrum Praedicatorum, ad quam Thomas pertinebat, hoc anno celebrat suum capitulum provinciale, quod ipsi rursum mandat « quod teneat studium Romae », et statuit: « Studium generale Theologiae quantum ad locum et personas et numerum studentium committimus plenarie Fratri Thomae de Aquino ».[1]

At iam Carolus I, utriusque Siciliae rex instanter ab Ordine postulat, ut Thomas Neapolim mittatur, ut in illa Universitate doceat. Caroli vota praevalent; Thomas Neapolim proficiscitur, assignato illi a rege « honorario unciae auri unius quolibet mense ».[2]

1272-1273. - Neapoli Theologiam docet; conciones ad populum tenet, praesertim tempore Quadragesimae anni 1273. Dum Neapoli moratur, vocem ab imagine Crucifixi audit sibi dicentem: *Thoma, bene scripsisti de me. Quam recipies a me pro tuo labore mercedem?* Cui Thomas respondit: *Domine, non nisi te.*[3] Opera ingenii sui hoc tempore esse videntur: *Expositio Aristotelis in libros de caelo et mundo;* in eiusdem *libros de generatione et corruptione;* diversa opuscula, inter quae *Expositio super symbolum Apostolorum; Expositio orationis dominicae; Expositio salutationis angelicae.* Prosequitur opus *Summam theologicam* et quidem *tertiam partem* eiusdem *Summae.* Sed mense decembri anno 1273 cessat ab operibus conscribendis, seu, ut habetur in Processu Inquisitionis de eius vita, ab illo tempore « non scripsit, neque dictavit aliquid, imo suspendit organa scriptionis in *Tertia parte Summae* in tractatu *De Poenitentia* ».[1]

1274. - Gregorius X Summus Pontifex (1271-1276) vocat Thomam ad Concilium oecumenicum hoc anno Lugduni celebrandum; et ipse mense Februario Neapolim relinquit et iter in Galliam arripit; sed iam in principio itineris infirmatur; ideo cogitur diverti in Abbatiam Ordinis Cisterciensium Fossae novae. Ibi morbo de die in diem ingravescente, coram Sanctissimo Eucharistiae Sacramento sibi allato, genuflexus sic Christum in Eucharistia alloquitur: « Sumo te pretium redemptionis meae; sumo te viaticum peregrinationis meae, pro cuius amore studui, vigilavi et laboravi et praedicavi et docui; nihil unquam contra te dixi, sed si quid dixi ignorans; nec sum pertinax in sensu meo, sed si quid male dixi, totum relinquo correctioni Ecclesiae Romanae ».[2] Tandem ad ultimum finem vitae suae devenit, et die VII m. Martii candidam animam Deo restituit.

***

Post mortem Thomae Aquinatis, percrebrescente fama summae eius virtutis et illam Deo confirmante miraculis, Ioannes XXII, Summus Pontifex (1316-1334), illum anno 1323 die XVIII Iulii sollemniter Sanctorum fastis adscripsit. - In « bulla canonizationis » inter alia testimonia de eius sanctitate prolata, etiam hanc laudem de illius doctrina cecinit: « Laetetur itaque Mater Ecclesia, exsultet Italia, parens Campania iucundetur; Praedicatorum sacer Ordo iam iubilet, Religiosorum devotio

[1] Ibid., p. 505, n. 5.

[2] Quétif-Echard, o. c., p. 282.

[3] Guilelmus de Tocco in *Acta SS. Mart.,* I, p. 669, n. 34.

[1] *Acta SS. Mart.,* I, p. 711, n. 79.

[2] Testimonium Bartholom. Logothetae in *Acta SS. Mart.,* I, p. 711, n. 80.

concrepet, Doctorum turba complaudat, animentur ad studia iuvenes, provecti non torpeant, senes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non deserant, mandata Dei seduli exsequantur. Nam dedit illi Deus cor, ad praecepta et legem vitae et disciplinae et sapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Ecclesiae aperuit os eius et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus, stolam gloriae induit illum. Nam Veritas, quae est Christus, ipsa veris, non fictis Doctoribus pollicetur: Qui elucidant me vitam aeternam habebunt ».[1]

***

Doctorem numeris omnibus absolutum illum theologi Medii Aevi existimabant, qui sciret « instruere ut Hieronymus, destruere ut Lactantius, adstruere ut Augustinus »; haec autem omnia S. Thomas in suis operibus praestitit; ideo statim post eius mortem illum vocare coeperunt *Doctorem communem,* seu *Doctorem universalem Ecclesiae.*[2] Quum autem eius doctrina sit eximia, sublimis, « orthodoxa », etiam titulum *Doctoris Angelici* adeptus est; hac autem doctrina Thomas « rigat totam Sanctam Ecclesiam »;[3] ideo Pius V Summus Pontifex an. 1567, die XI m. Aprilis titulum Doctoris Angelici ei confirmavit eumque inter *magnos Ecclesiae Doctores* adscripsit.[4]

Iam vero Ioannes XXII haec verba in Thomae praeconium dixerat: « Ipse plus illuminavit Ecclesiam quam omnes alii Doctores; in eius libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae ».[5] Haec autem verba saecula quae subsequuta sunt comproba-

[1] Berthier, o. c., p. 49.

[2] Berthier, o. c., p. LV sqq.

[3] *Officium in eius festo, Brev. Ord. Praed.*

[4] Berthier, o. c., p. 97 sq.

[5] *Acta SS. Mart.,* I, p. 680, n. 81.

runt; ideo Leo XIII Summus Pontifex, anno 1880, die IV m. Augusti, Thomam *Patronum catholicarum scholarum* declaravit.

In doctrina autem S. Thomae peculiaris quaedam claritas perspicitur et concinnitas, ita ut de illa in liturgia Ecclesiae dicitur: « Stilus brevis, grata facundia, celsa, clara, firma sententia »;[1] et « eius doctrina », - ait Innocentius VI, - « prae ceteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam, qui eam tenuerit, inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus ».[2] Merito igitur hoc anno iubilari sexto ex quo in Sanctorum numerum est relatus, Summus Pontifex Pius XI, quem Deus diutissime sospitet, ut omnes ad eius virtutes et doctrinam sequendam excitaret, Thomam *in exemplar sanctitatis, doctrinae et Ducem studiorum* ex specula suprema fidei ostendit.[3]

A. Bacic, O. P.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta.[4]

V.

Appropinquat ultimum Hierosolymorum facinus, quum Iesus, eorum opera, sceleratis manibus, in Calvario occiditur. *Non moror ulterius describere talia verbis!* Adparet in primis, atque incredibili prope virorum mulierumque multitudine

[1] *Officium in eius festo, Brev. Ord. Praed.*

[2] Citatus a Leone XIII in bulla *Aeterni Patris* apud Berthier, o. c., p. 191.

[3] Lit. Encyc. « Studiorum Ducem », d. d. 29 Iun. 1923.

[4] Cfr. fasc. mens. Februarii.

pressus, Iesus, qui varie quamquam laborans, mirum in modum hilari vultu, viam dolorosam arripit. Eum, legionarii illudere certantes, praecedunt, paribusque adsistunt in armis. Verum ex omnium vultu facile cognoscere possumus, ipsos hoc aegre admittere, et quasi spiritu praesentiant hominem innocentem ad necem trahere.

Sed visio biblica hîc occurrit. Ob oculos adstat mons Moria, ubi ab Abraham modesta ara adstruitur, et innocens, docilis Isaacus cernitur, qui ad sacrificium humeris ligna gerit, gaudensque gradu incedit, ut Iesus baiulat Crucem. Quae vultus orisque utrius innocentia!

Pater cum famulis, iumentoque tacitus ad montem adscendit, atque insolabiliter de filii sacrificio dolens; inter eundum, multaque gemens filium hilarem miratus adspicit, et aequo animo ac voce supplici Deum adorat...

Modo, mutatis rebus, Iesum, per vias Ierusalem transeuntem cernis, terque, crucis pondere pressum, humi procumbere. Sunt Ei obvia primum crinibus mulieres passis, suppliciter tristes et tunsae pectora palmis; adsunt et pueri, qui Iesum fidissime diligunt, ob insignem atque adsiduam dilectionem in ipsos Magistri; ecce denique Mater, cui prae ceteris:

Lumina maestis
Stant immota genis!

Verum legionarii, quum pertimescant, ne Iesus in medio itinere laboribus obrutus occumbat, obvium quemdam, cui est nomen Simon a Cyrene, adstringunt, seu potius angariant, ut suis humeris Crucem Iesu imponat. Hîc altera mulier Iesu vultum, sanguine madentem, linteo misericorditer abstergit; sicque imaginem eius divinitus retrahit, quae, ipso dedecore atque ludibrio, pretiosior cariorque efficitur.

Et hominum turba, quae nuper per urbis moenia tegeretur, in Calvariae verticem incomposita irruit.

Heraclius, ut perhibent, qui, labente septimo Christiano saeculo, ad gubernacula rerum Constantinopoli sedebat, adiuvante Deo, insignem illam de Persis victoriam retulit, qua Crucem sanctam ab ipsis paulo ante Ierusalem raptam, glorianter in suum locum ponere statuit. Multi adstant Episcopi, principes, proceres, monachi sacraeque virgines, qui in magna civium advenarumque exsultantia, circumstant Imperatori ad Calvarium incedenti. Verum dum pompa tot virorum illustris progreditur, imperator, purpureis vestibus indutus, aureaque corona multis gemmis contexta, unus, divina quadam occulta potestate impeditus, ne uno quidem gradu, e loco dimoveri potest.

Rem omnes mirantur, et manus oculosque precantes ad sidera tollunt, ne peior in ipsos, magno triumpho laetantes, nova calamitas incidat.

Tunc, silentibus omnibus, Zaccharias, sanctissimus Ierosolymarum episcopus, imperatorem, hisce verbis, solemniter admonet: « Alia equidem veste, imperator, Magister ad Calvarium incessit! Vide, isto triumphali ornatu in Cruce ferenda, quam parum Iesu Christi paupertatem atque humilitatem imitere! ». Quae Heraclius Christiano more accepit, et abiecto amplissimo regalique vestitu, detractisque calceis, ac plebeio sic amictu indutus, viam facile arripuit, et plaudente omni late hominum multitudine, in eodem Calvariae situ Crucem statuit, unde fuerat a Persis asportata.

Haec historica commemoratio spectantium oculis offertur. Iesus denique defatigatus ad Calvarium pervenit. Ibi Eum rustice vestibus exuunt milites et cruci affigunt. Duo latrones funibus modo adligantur; Iesus e contra, ut omnis Hebraeorum saevities expleatur, clavis barbare crucifigitur.

Non vana tum historica alia comparatio subiicitur.

Inter praeclaras Christianas virgines, quae passim in historiis memorantur, propius ad divinum Christi exemplar accedentes, Ioannam de Arcu, omnes recentiores ponere haud dubitarunt. Et ipsa innocens, criminisque pura, hilaris eademque fortis, in rogo, pravo iudicio damnata, dulcis et moriens pro inimicis adprecatur, et maximo animi solatio, piaculum se mortis pro patria libenter exhibet.

Nec verba in eam probrosa defuerunt, quae morienti ultima acerbiora, si fieri posset, reddere certarent. Sunt in primis milites Angli, qui, undique videndi studio circumfusi ruunt, et barbare ad innocentis virginis rogum clamore vocati, novis vulneribus vexant eique illudunt.

Et septem Christi morientis mirabilia verba, quae, labentibus annis, semper esse visa sunt divini Eius amoris pignora erga homines, optimis dignisque luminibus illustrantur. Et primum memoratur: *Pater, dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt!*

Quod mandatum tam nobile atque antea propemodum gentibus incredibile, mirabiliter secuti sunt quotquot, divini Magistri vestigiis insistentes, ardenti studio veniam suis persecutoribus facile concesserunt.

In primis itaque celebratur exemplum Sancti Stephani, qui ipso christiani Nominis initio, vel inter immanem lapidum grandinem in eum immissam, hilari vultu occumbens, a Iesu Christo enixe atque elata voce veniam pro percussoribus postulat.

Altera viventium tabula praebetur a Ioanne Gualberto, patritio Florentino, qui inter armigeros suos incedens, in via ad Sancti Miniati, est forte obvius consanguineo suo, qui antea unicum eius fratrem occiderat. Quum neuter alterum declinare posset, ob sanctae Crucis reverentiam, quam homicida supplex, mortem iam subiturus, brachiis signabat, vitam ei clementer indulget, et gladium ad Crucifixi pedes, sui ipsius victor, gloriose deponit.

Interea, quasi in animi recreationem, in monte Moria, Abraham filio suo revelat, ipsum esse Deo immolandum. Atque ideo eum vestibus exuit et super lapideam aram lignis circumdatam mox ignibus comburendum suaviter collocat. Et Isaac, *spes tanta nepotum,* hilari vultu ac patri mirum in modum oboediens (nec ei mors gravis est), stat, ultima exspectans Dum autem pater arrepto gladio in eo est ut filium percutiat, Angelus divinitus e caelo splendescens delapsus, gladium e manibus arripit, et haec solemniter dicit: « Ne plura, Abraham; haec tua oboedientia placita est satis Deo! ».

Pro filio tunc Abraham arietem immolat, quem in spinis viderat forte implicatum.

At non ita Pater caelestis! Ipse immolari iubet Primogenitum suum, qui moriturus, clamore magno dicit, se mandatis patris docilem praebere. Quid enim sibi volunt verba: *In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum?*

In monte Calvario quot miserrima! Utique sunt lacrimae rerum! Ipsi milites, moestiores et manibus sua pectora percutientes, et varia confusi rerum imagine descendunt. Et sol iterum radiatus, antequam ad occasum pervenit, tres cruces splendido lumine decorat.

Per arva camposque multae late hominum larvae vagare videntur. Nonnullae admodum mulieres in Calvario restant et tacitus ipse Iohannes!

Mox per silentium manus militum proruit, qui sude crura latronum morientium barbare frangit. Iesu autem iam demortui pectus lancea vulnerat.

Nicodemus et Iosephus ab Arimathea, quum a Pilato corpus Iesu requisissent, a Cruce religiosi deponunt.

Interim nova visio biblica adparet.

Iacob, populi Israelis pater, e paterna domo secedens, ad palmam in deserto sistit, ibique super lapide caput dormiens

declinat. Per quietem lapis ille mirum in modum splendescit, atque primus est scalae illius mirabilis gradus, quae ad caelum tendit ac demum se se inter nubila condit. Per hanc vero scalam angeli caelestes cernuntur, quorum alii adscendunt, alii descendunt. Crucem affabre significant, quae cum superis homines conciliavit.

Iesus interea a Cruce detractus, inter perdolentis Matris ulnas pie deponitur. Hinc inde mulieres devotae linteis sacrum Corpus involvunt balsamisque condiunt.

Tenebrae et solitudo circumdant umbra magna flebile Christi sepulcrum. Verum, immani omnium indignatione, redeunt Pharisaei cum militibus, ut Romanorum imperatoris signis monumentum defendant.

Sicque odium vel a prima Redemptionis aetate ad illud monumentum vigilat, quod amor per saecula ab hostium incursionibus vindicat.

Iam iam, post multa saecula, parva equitum peditumque manus emicat, qui, cruce signati, arduum Christiani Nominis votum adimplent, ut Ierusalem a barbarorum captivitate liberent.

Dum historica haec scena optime revocatur, in extrema theatri parte adsunt tres cruces immobiles. Maria, Mater perdolens a sepulcro miserrime redux, ad latera Iohannis apostoli, transit secus Crucem divino iam corpore carentem, eamque complexa, amarissime deflet.

Omnes spectatores magno moerore et ipsi compulsi tacite observant, et maesti mente mortem Christi revolvunt. Per omnem locum *crudelis ubique*

Luctus, ubique pavor et plurima mortis imago.

(Ad proximum numerum).

SUBALPINUS.

Educatio et disciplina mores facit; et id sapit unusquisque, quod didicit.

SENEC., *De moribus.*

PRO LEGE SANCTA ...

Enses minaces, telaque dexteris
Saevis relucent: funereae cruces,
Et ferreae virgae parantur:
En prope flamma inimica stridit.
Torvum tuentes dira satellites
Tormenta tractant: turbidus imminet
Clamatque iudex: imprecantis
Vox resonat fremitusque vulgi.
Quo, quo apparatus pertinet horridus?
Quo tendit ardens impietas? metu
Quae corda franget? quos retundet
Imperiis animos iniquis?
Proh spes inanes et furor impotens!
Vis nulla mentem Christicolae quatit.
Ducturus aeternos in oris
Sidereis animus triumphos
Iram profanam spernit et impetum,
Qui sola possit corpora sternere.
Defessa languent barbarorum
Brachia carnificum, at vigescunt
Devota morti pectora martyrum.
Cerno puellas funibus asperis
Ad poenam adurgeri, cruentos
Accipitrum velut inter ungues
Mites columbas: quae tamen artubus
Vincunt tenellis non muliebriter
Acres dolores, donec altae
Impavidas feriant secures.
Vultu sereno stant pueri, velut
Agni luporum praeda rapacium:
Non sexus illam, hunc non senecta
A trepido revocat periclo.
Pro lege sancta fundere sanguinem
Dulce et decorum est. Additur, additur
Divina virtus atque robur
Magnanimis fidei patronis.
Felix ut arbor relligio Dei,
Imbuta multo sanguine martyrum,
« Per damna per caedes ab ipso
Ducit opes animumque ferro ».
Umbra hospitali nunc tegit undique
Fructuque gentes recreat uberi,
Et maximis tentata ventis
Crescit adhuc renovatque vires.

A. BASILI.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

I.

Quomodo latine dici possit illud quod Galli *refrain* appellant.

ANDREAE AVENARIO S. V. D, socio carissimo atque observando, EMM. IOVÉ, C. M. F., s. p. d.

Quamvis id tituli satis ubique tritum, ut ex tuis apparet, quod nimirum tempus ad reddendas non suppetat litteras, flocci semper esse faciendum audieram; in te tamen eo probabilius duco, quo apud me collega in cathedra carissimus, qui iisdem ac tu premitur oneribus, adeo non vacet usque, ut fere nec sibi vivat.

Ideo enimvero pleniore epistolio ad me tuo, quo primum sum recreatus, fecisti mihi gratius; satis etenim eiusmodi significabas non tibi iniucundas fuisse meas priores. Quod ni iam ab exordio bene habuissem perspectum, certo ex novissima, qua epistulam absolvisti, paragrapho, omnis mihi ambiguitas fuisset deponenda. Cogebar enim a te, id quod placuit, meam discipuli tui de Latine vertendo vocabulo gallico *refrain*, apud nostrates autem *estribillo*, dicere sententiam. [1]

Placetne tibi - ais - *repetitorios versus* appellemus? Quin placeat quum tu ita sentias? Licet enim adiectivum illud *repetitorius* in lexicis minime reperiam, Latinos, quod opinor, canones haud excedit.

Si meo tamen instituto malim uti, quod te non praeterit, id ego nominis per *postcinium* novatum quodammodo vocabulum in Latium verterem. Rationem expostules? Bene habet.

Hispanus ipse Vivis nostratis oblector doctrinis, qui scriptor in exemplum facundus atque disertus, affectatae puritatis scrupulis angi nunquam est passus. Ille ergo sic loquitur (*De disciplina artium*, l. II): « Quaedam vel verba vel loquendi formulae apud aliquem unum (scriptorem) tantum inveniuntur, qui si perisset, nos quae sunt germane Romana ex civitate expelleremus. Itaque in his quae dicenda sunt nova, ut ex ipsis veteribus et receptissimis, oportet analogiam non parum valere ».

Analogiam - inquit - oportet non parum valere. En tibi igitur fons inexhaustus equidem ut negotium quodlibet recens iuventum (quin immo et antiquum etiam ab his qui exstant auctoribus forte non expressum, plures namque sunt quorum opera saltem ex parte periere) recte et vel nominibus suis si plurimum exquiras, Latine valeas notare.

Nec temere parum Latinas censere licet voces, quae ex veteribus scriptis a lexicographis nobis sedulo sunt traditae; nam ut in eodem loco praefatus Vives asserit: « Plus tertia parte bonorum vocabulorum ex aerario linguae Latinae reiecimus tanquam adulterinos nummos et in tanta egestate fastidiosi, pauperiores in dies fimus, dum unusquisque quo diligentior videatur aerarii praefectus aliquid repudiat, *nemo infert*. Ideo sermonis inopia cotidie laboramus ».

Haec omnia ad *postcinium* refero.

Optime nosti, mi Avenari, huius efficti nominis radicales voces apud veteres minime compositionem refugisse. Habeas ut proposito meo aptiora adhibeam exempla *postcantativa* carmina apud Marium Victorinum (L. I *De Poetice*). « Quae (carmina) mutuo adnexa ita ex se pendent, ut alterum sine altero audiri non possit, προῳδικά et ἐπῳδικά vocaverunt, id est antecantativa et *postcantativa*... antecantativum erit trimeter iambicus ut

Ibis liburnis inter alta navium

erit dimeter *postcantativum*

Amice, propugnacula.

[1] Cfr. fasc. sup. mensis Ian., pag. 11.

Non secus Apuleius *gallicinium* meminit, Symmachus *tricinium*, atque *bicinium* Isidorus. Ex his si ad notitiam Latine explicandam, quae ex Gallico *refrain* comparatur, per novatum verbum *postcinium* devenias, numquid imperitiae insimulaberis vel etiam temeritatis? De re autem satis.

Antequam epistulam occludo, te hac etiam interrogationem tenebo:

Pro *autobus* a Iacobelli proposito novo vocabulo dicere ausis Latine *autoveham*, sicut pro nostro *tranvia* iamdiu *electriveha* fuit pervulgatum?

Meus in te est animus qui fuit, quemque esse cupis. Vale.

Vici in Hispania.

II.

De nominibus quibusdam peregrinis latine redditis.

Herminius M Iacobelli praeclarissimo I. Tassetio s.

Iis quae Tibi de extrariis nominibus in Italia hospitaliter receptis latine dicendis lepide disserere placuit epist. X Kal. Mart. nuper elapsi, pauca superaddam. Primum de *la boxe* inquis, nil aliud esse nisi pugilatus; « *to boxe* palma est vel pugno ferire; *the boxer*, pugil ». Igitur ex his omnibus dicere optime poterimus *boxe* idem significare ac *pugilum certamen*, vel etiam, si cui melius arriserit, *pugna pugnis pugnata*.

Sport. Anglica et ipsa vox, latino genere nata aliarum quoque linguarum communis. Contracta, seu breviata syncopa, refert vocabula *disport - desport*, ab Italis appellata *diporto*. Latius solatium dici poterit vel ludus. Propius vero *Gymnicum certamen*, et plural. *Gymnici lusus*.

Nikel, metalli species albi, argento proxima, auroque longe vilior, cuius perhibetur inventor Cromsted. Suevicae originis verbum reddi potest *Nikelium - nikelina pecunia* vel *nikelia*.

Autobus. Omnibus vehiculum nimis genericum mihi videtur: praefero dictiones: *omnibus automobus - omnibus automaton*.

Dreadnought (*dred-noot*) nomen est Anglorum proprium, quod sonat idem ac « sine timore »; hinc navem, quam Anglis placuit *dreadnought* titulo decorare, politiores latinarum litterarum cultores, penes quos ius est et norma dicendi, quorumque sequi vestigia manibus pedibusque cuique suprema lex esse deberet, appellationibus hisce nobilitant: *navis intrepida - impavida navis*. - Vale et salve.

Roma dabam postridie Kal. Apriles MCMXXIV.

COMMUNIA VITAE

De nonnullis praeceptis ab iis tenendis, qui ad latinitatem accedunt.

Quum proximis hisce diebus libros pervolutarem, qui mihi praesto forent operi, cui manus sum appositurus, ut scilicet latina colloquia communem vitam respicientia vel ipse componerem, vel a clarissimis scriptoribus tradita, et apud alios commentarios a me edita in hodiernos mores accommodata, in *Almae Romae* paginis per Ordinem collecta referrem, in raro illo volumine, quod inscribitur: *Antonii Van Torre Dialogi familiares litterarum tironibus in pietatis, scholae, ludorum exercitationum utiles et necessarii*, legere occurrit legum quasi decalogum, quod magister discipulo imprimis commendat ad latinitatis studium accedenti, et mihi visum est ante omnia lectorum oculis subiicere.

Est autem prouti sequitur. Loquitur magister:

« Linguae latinae studiosus, ad decem praecepta Dei, has decem sequentes leges adiiciat oportet:

I. Discipulus magistrum amato et colito, non secus ac ministrum munerum Dei et parentem animorum.

II. In scholam tamquam in templum venerabundus introito.

III. Quidquid ibi accepturus es, persuasum habeto cultum esse animi, et hinc viam monstrari, qua Deo placeas et ad illum pervenias, in quo est extrema beatitudo.

IV. Puer audito praeceptorem attentus, in eumque intuetor, nisi quum inspiciendus erit liber, aut scribendum.

V. Discito recte scribere et celeriter.

VI. Auditam praelectionem accurate a te ipse reposcito: lectio namque non prodest continuo ut audita est, nisi identidem recolendo altius memoriae imprimatur.

VII. Latine semper loquitor, etiam inter lusum; quod si quis loqui erubescat, huic linguae est facundia desperanda.

VIII. Quoties porro ex sacris litteris aliquid audies, Deum ipsum audire te arbitrator.

IX. Consuescito rectam intentionem studiis tuis praefigere; imo nihil propter humanam mercedem agere.

X. Duo verba alte animo insculpito: *Ad maiorem Dei gloriam;* alterum: *Nulla dies sine linea* ».

Quum autem discipulus deinceps promittat magistro: « Praecepta haec decem mandabo memoriae »; subdit alter: « Imo vero manda exequutioni: ita enim in litterarum studio virtutumque proficies ».

Quae ut novi tirones pariter faciant, ex mea parte etiam atque etiam ipse ego rogo.

I. F.

- *Ab alio expectes alteri quod facias.*
- *Ad poenitendum properat cito qui iudicat.*

P. Syrius.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Commentator - Explanator; Interpres.

Commissarius - Legatus; Procurator; Curator. [2]

Commissio - Mandatum; Missum; Iussum; Negotium.

Communicare - Sacram synaxim (Christi corpus; caelestis panis alimenta; dona mensae divinae) alicui praebere (impertire; largiri); - Sacra synaxi (Divina dape) aliquem pascere (reficere). - Porrigere manu sua populo bona caelestis convivii. - Ad sacram synaxim (mensam; panem caelestem) accedere; Dominicum corpus participare; Caelesti pabulo (caelestibus epulis) pasci; Divino pane recreari; Christi corporis usurpare mysteria; Caelesti mensae accumbere; Divinum cibum capessere.

Communio - Caelestis convivii pastio. [3]

Communio generalis - Populi coetus ad epulum caeleste celebrandum; Epulum Christi frequenti populi divisum; Conventus populi ad Christi corpus participandum; Eucharistiae (Christi coenae) celebritas; Sacrum convivium frequenti populo datum.

Communio paschalis - Sancta de altari libare acto Paschate; Festis paschalibus domum caeleste gustare; Pascha

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Commissarius generalis armorum:* Praepositus rei bellicae. - *Comm. navalis:* Praepositus rei navali; Praefectus orae maritimae; Praefectus classis et orae maritimae; Praefectus arcis et orae maritimae. - Identidem: Praepositus arci urbanae; Praefectus vehiculorum; Praefectus alimentarius (annonae); Legatus militaris; Curator aquarum et aggerum publicorum; Curator haereditatis, castrensis commeatus, etc.

[3] Ita: Pueri mystici epuli exspertes; Pacem sanctis de altari libatis alicui vita functo adprecari; Criminum confessione rite absoluti sancta de altari reverenter libare; Qui admissis expiatis sancta libarit, huic supplicanti poenae omnis remissio est.

agere; Divinae Paschalis mensae convivam esse; Paschate indicto, caelesti convivio interesse (adesse); Per Paschales ferias caelestis epulis participem exstare.[1]

Communiter - Plerumque; Vulgo.

Comparative - Comparate.

Comparere (*ante aliquem*) - Sistere se alicui.

Compassio - Misericordia; Commiseratio.

Compati - Misereri; Misericordia moveri (capi; affici); Dolere casum (vices) alterius.

Complexio - Corporis habitus (habitudo); Corporis constitutio; Humorum temperamentum.

Complices (*rei; sceleris*) - Socii; Participes rei (popularis coniurationis); Coniurati.

Computatio - Ratio. (*Computationem facere:* Exsequi numerum; Inire et subducere rationes notis).[2]

Computista - Computator; Ratiocinator; A rationibus; Procurator a rationibus.

Conceptus (*animi*) - Cogitatio; Cogitatum; Propositum; Consilium; Notio; Vis. - *Conceptus mentis:* Sensus (Cogitata) mentis.

Concernere - Spectare; Attinere.

Concilium oecumenicum - Totius ecclesiae synodus (Ecclesiae concilium) magnum; Synodus ex universa Christiana republica coacta.[3]

Concivis - Civis suus; Civis qui eiusdem civitatis est; Municeps.

Conclave - Locus, in quo Sacer Purpuratorum Senatus convenit novum demortuo Pontifici suffecturi; Sacrum Vaticanae domus comitium.

Concupiscentia - Cupiditas; Animi libido.

Condolere - Pari dolore affici; Prope (aeque) dolere; Alicuius doloribus congruere.

Conestabilis - Comes stabilis.

Confabulatio - Collocutio; Sermones.

Confessionem (*sacram facere*) - Poenitentiae sacramentum obire; Admissa rite accusare (apud Sacerdotem exponere; aperire; nunciare); Animi maculas detergere; Animi noxas abstergere; Animi sordes apud Sacerdotem expiare.[1]

Confidens - Fidelis; Fidus; Intimus, Consiliorum vel sermorum conscius (particeps); Amicus magno usu probatus et intime coniunctus (quocum arcana omnia communicamus).

Confidentia - Collocutio; Sermones.

Confines - Fines; Confinia; Terminus.[2]

Confirmationis Sacramentum - Sacrum chrisma; Mystica christiani militis inunctio; Christianae palestrae oleum ad animorum certamen ineundum.[3]

---

[1] Hinc: Pascha quod egeris, tesseram habe de mensa Domini; Disce ex tessera datum mihi Paschale donum.

[2] Et etiam: Tabulas accepti et expensi conficere; Codicem accepti et expensi exhibere, etc.

[3] Itaque: *Concilium nationale, provinciale* - Gentis (Gentile) concilium; Nationis vel Provinciae Synodus. - Concilium ex tota provincia coauntibus Episcopis. - Et: Concilium convocare (cogere; habere); Concilium omnium episcoporum celebrare. - *S. Congregationis Concilii Praefectus* (Romae): Praefectus S. Consilii Tridentinis decretis interpretandis.

[1] Itaque: *Confessio generalis* - Per sacram totius anteactae vitae accusationem contractas animi sordes eluere; Sacerdoti (apud Sacerdotem) totius vitae noxas rursus explicare; De tota vita rite confiteri; A puero admissa per accusationem expiare (delere; obliterare; expungere). - *Confessionale:* Tribunal admissis expiandis. - *Confessor, Confessarius:* Sacrae Poenitentiae administer (exceptor). - *Ille mihi Confessarius est:* Mihi solet operam dare confitenti; Illum habeo conscientiae meae iudicem. - *Confessio* (templum subterraneum): Hypogeum. - *Confessio* (in basilica Sancti Petri, Romae): Sepulcrum apostolicum.

[2] *Legati ad publicum confinem constituendum, tegendum* - Legati locis publicis adiudicandis; Curatores locorum publicorum. - *Praefectus S. Congregationis Confinium* (Romae): Praefectus S. Consilii finium regundorum.

[3] Itaque: Sacro confirmationis oleo (almo chrismate) iniungi; Sacro chrismate imbui; Christi signo consignari (obsignari).

Confiscare - Publicare; Publice proscribere; In aerarium redigere.

Confoederare - Foedere iungere.[1]

Conformis - Congruens; Conveniens.

Confortare - Corroborare; Confirmare.[2]

Confrater - Frater; Collega; Sodalis.[3]

Confraternitas - Sodalium collegium; Sodalitas.[4]

(Ad proximum numeram).

I. F.

ANNALES

Germanorum Gallorumque res.

Proditionis quaestio in Bavaricae seditionis auctores Berolini agitata, tamquam causticae spumae bullam evanuisse dicendum est: sontes enim vel minima, vel nulla poena mulctati sunt.

Quin etiam huiusmodi iudicium effecit, ut nationalistarum pars vires aperte resumeret; quod quidem opportunam occasionem Gallis praebuit ut firmum consilium suum iterarent a dura adversus Germanos agendi ratione minime recedendi. Neque inde hoc solum: accessit etiam Germanicum propositum militaribus cautionibus sese opponendi donec hae nationum societati non committantur; denique mora a peritis interposita referendi circa oeconomicum civitatis statum; ex qua coniicere licuit, hunc re vera longe alium esse quam qui praedicabatur. Poincaré igitur, gubernii praesidis munus, quo sese cum collegis abdicaverat, resumens, in publico legatorum coetu affirmare inter plausus potuit a Ruhris provincia Gallos pro debiti solutione tantum recessuros: non enim licere contra incertas promissiones pignora certa dimittere.

In altum igitur semper navis evehitur.

---

[1] Itaque: *Confoederatio:* Foedus; *Confoederatus:* Foederatus.

[2] Sed qui vulgo *Confortator* dicitur: Capite damnatis opitulans. - *Confortatorum collegium:* Collegium sodalium capite damnatis opitulantium.

[3] Ita: Sodales (Fratres) Mariales, Antoniani, Petriani, Vexillarii (Italice: *del Gonfalone*), etc.; et ex vestium colore: Albati, Pullati (Atrati), Russati. - *Sodalibus defunctis parentare:* Ad altare sacris operantes functis vita sodalibus opem a Deo rite implorare. - *Confratres congregati:* Sodales conscripti; *Novi,* adlecti.

[4] *Confraternitatis Priores* - Magistri Sodalium; Magisterium Collegii. - *Confraternitatis Notarius, Secretarius:* Tabellio, Scriba Collegii.

* * *

Ex Oriente.

Administrorum collegium, cui Kafandaris fuerat in Graecia praepositus, post paucos dies novo locum cessit, praeside Papanastasios, qui magna agendi praecipitavit tempus. Populi scitum scilicet in posterum differens, illico popularem civitatem regio imperio suffecit.

Ex improviso pariter Turcicae reipublicae rectores Angora in urbe congregati supremam *caliphi* - ita suo sermone nuncupabant - animorum potestatem abrogarunt, et Abdul Mejid Effendi, qui eam nunc exercebat, in exilium pepulerunt. Is in Helvetiam se contulit, unde intercessionis edictum ad omnes Islamicos fideles promulgavit et religiosum conventum ad rem indixit. Arabes interim *caliphatum* professi sunt Mesopotamiae, Transiordanae et Hegiar regionum Hussein regi. De eadem re denique dictitant Gallos exsuli Tunesis sedem ultro daturos, ubi ministerio suo sub eorum tutela sit Abdul functurus.

* * *

Flumen urbs Italico regno addicta.

Die XVI superioris mensis Martii Flumen urbs, adstante Italorum rege, Italico regno sollemniter addicta est. Ita tandem civitas per saecula a matre sua avulsa, quum tamen animum, linguam moresque non

amisisset, in parentis amantissimae ulnas rediit; quod felix, bonum fortunatumque sit!

***

Ex aedibus Vaticanis.

In Vaticanis aedibus, die XXIII sacrum habitum est consistorium, in quo Romana Purpura decorati sunt Georgius Gulielmus Mundelein, Archiepiscopus Chicagiensis, et Patricius Iosephus Hayes, Archiepiscopus Neo Eboracensis. In oratione a Summo Pontifice habita, quum is eventus respiceret, qui recens facti essent, laetabilem exitum recoluit Epistolae encyclicae mense Ianuario ad Galliae episcopos missae, in qua gravissimum *Consociationum dioecesanarum* negotium ita tandem diremptum nuntiabatur, ut eas posthac liceret experiri. Laetabilem exitum dixit, quum, quidquid visum est, rebus diu multumque perpensis decernere, populi Gallici consensus et publicae gratae voluntatis significationes exceperint.

Aliud praeterea, quasi e terrarum orbis theatro, obiectum est communis catholicorum fidei suave spectaculum pleno altero ab inito ipsius Pii XI pontificatus anno, quum singulari pietatis exemplo ubique gentium illa dies commemorata est, itemque dies ille, passim per omnes actus regiones, qui « Poutificis diçs » tam venuste nuncupari consuevit.

Laeta ista sane et cum catholici nominis dignitate utilitatibusque coniuncta; sed his alia comitari non desinunt, quae magnam miserationem iniiciant et commoveant; ut religiosorum virorum et sacerdotum in Russia captivitas permanens; eoque magis quod - ait Pontifex - peculiari aliquo intercedenti iure non omnino carere videamur.

« Est praeterea - pergit - ingens eorum numerus, qui veritatis caritatisque cupidi, unitatem pacemque sitientes, ab haeresi et schismate in Nos et hanc Apostolicam Sedem suspiciunt, quasi sparsae dissipataeque oves, quae dominici ovilis desiderio teneantur. Vix attinet dicere quam vehementer eos amplexari aveamus; quodsi iteratae per Nos Summi uniusque Pastoris invitationi: *Venite ad me omnes,* properando ad Nos accessu respondeant, iam paternis eos allocuturi sumus verbis: *Omnia mea tua sunt.* In quo catholicis omnibus gratiam habebimus maximam, quotquot dissidentibus a se fratribus, divina gratia instincti, ad germanae adeptionem fidei viam munire contenderint, praeiudicatas convellendo opiniones, integram tradendo catholicam doctrinam, eamque discipulorum Christi notam, quae caritas est, in se potissimum exhibendo. Frequentissimos denique utriusque sexus orbos ac derelictos, debiles atque aegros, pueros et senes, ad inopiam et squalorem ab aurea saepenumero mediocritate et vel ab ipsa fortunarum copia prolapsos, ut angustiis suis leniendis nonnihil opis petant, ad Nos confugere cernimus.

« Quod autem illa, quam eus Vicario in terris suo universalem paternitatem demandavit, ab omnibus naturali veluti sensu agnoscitur, tam grande id profecto est, tam magnificum quam quod maxime. At hoc ipsum paternitatis officium nimium quantum Romano Pontifici importaret moeroris atque angustiarum, nisi adforent qui, illius paternitatis apprime conscii quia in domo Patris sunt, egestati miserorum levandae facultates sumptusque suppeditarent. Itaque filii per terrarum orbem Nostri, qui sunt, Dei providentia re familiari locupletiores, fratribus adversa fortuna utentibus sic consulunt, ut per communem Patrem subvenire malint. Qua quidem re cum magnopere commoveamur, adiutoribus istis sociisque beneficentiae Nostrae memorem Nostrum significamus animum; misericordiam enim tot filiis Nostris adhibitam tamquam Nobismet ipsis tributam existimamus ».

Ex his peculiari laudis mentione digni incolae Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis.

Quum autem res propius circumspiceret, Summus Ecclesiae Pastor laetatus est quod in Italorum scholas una cum sanctissima Christi Crucifixi Imagine, signo ac monumento redemptionis humanae, doctrinae christianae institutionem remigrasset. « Verum - addit - hac in re Nobis non licet, quemadmodum velimus, omni esse sollicitudine vacuis; nam etsi confidimus, quibus de religiosa eiusmodi institutione regunda tradendave mandetur, eos et parate et sincere et salva officii conscientia rem tanti momenti adgressuros, ipsum tamen postulat, quo fungimur, apostolicum ministerium, ut Venerabiles Fratres Italiae Episcopos, clerum et patres matresque familias in visceribus Christi obtestemur ne securi torpescant neve de nativo iure suo vigilandi et pro necessitate expostulandi detrahi quicquam patiantur....

« Huc accedit quod non modo curis ac sollicitudinibus, ut supra diximus, verum etiam maerore afficimur ob civium cum civibus simultates ac potissimum ob vim haud raro personis, locis rebusque sacris, praetereaque iis illatam sodalitatibus, quae, quamquam religiosae ac sacrae per se non sunt, arcte tamen cum Religione et ecclesiastica hierarchia cohaerent, qua praeeunte et duce, remoto quovis partium rerumque publicarum studio, ad catholice sentiendum ac vivendum homines singulos societatemque domesticam et civitatem adducere nituntur. Quod enim perspicue atque plus semel ediximus, nulli prorsus licere, ad consilia dumtaxat politica vel ad fovendam partium quarumlibet causam, cum auctoritate sacra, tum catholica actione abuti, - idque ne fieret pro facultate prohibuimus, - idcirco impositas Religioni iniurias aut vim personis, rebus institutisque cum ea coniunctis, per speciem publicarum rationum adhibitam, iure optimo conquerimur atque improbamus. Nonnulla quidem ad exitum aut nuperrime perducta aut mox perducenda libenter fatemur non iucunda accidisse, ut intermissam - quae utinam funditus retractetur - notissimam legem, unde satis gravia operibus legatisque piis impenderent detrimenta, ut maioris pecuniae assignationem clero sustentando, etsi ad annum tantummodo, prorogatam, decretamque sacris eius ministeriis tuendis militiae vacationem. At nolimus silendo eam invehere opinionem, Apostolicam Sedem cuipiam renuntiasse aut renuntiare vel ius suum de iis rebus decernendi quae ad se unice pertinent, itemque, quicquid concessum concedendumve in futurum tempus, alio id nomine, quam inchoatae restitutionis, in acceptum imputare posse ».

Ultima orationis pars illuc spectavit, ut ea commemorarentur quae sive in effectu iam, sive proxime futura sunt atque spem bonam continent meliorum temporum: in his et Concilium Plenarium primum quod apud Sinarum populos haud ita multo post habebitur, et Urbana sollemnia novo alio pleno saeculo a veneratione inita in imaginem beatae Mariae in Porticu « Salutis populi Romani », et a dedicata primum lateranensi basilica; et novus qui recurret Annus Sanctus. et Expositio, quam vocant, Missionaria in ipsis Vaticanis aedibus comparata; ex quibus spe erigi licet futurum ut sacri piacularisque anni MCMXXV cursus « sic ad regnum Dei proferendum pacemque inter homines conciliandam conferat, ut optatissima Nobis ac precibus invocata nostris, *pax Christi in regno Christi* opinione citius affulgeat ».

Quod faxit Deus!

Kalendis Aprilibus MCMXXIV.

POPLICOLA.

Aliena nobis, nostra plus aliis placent.

P. SYRIUS.

VACUI TEMPORIS HORA

Eureka! Nova eaque decretoria morborum **medela** in America tandem reperta est, **per oscitationem**. Qui eam invenit, M. Key doctor, ita ratiocinatur: Quid est oscitatio? Nihil aliud quam medium ad quod inscii accedimus, ut a corpore coacervata venena depellamus. Oscitamur enim quum cibos non bene confecimus, oscitamur quum somno urgemur, oscitamur desidia, taedio; uno verbo, quum corpus nostrum, levi quidem, at indubio veneficio absumitur; tum oscitatio a pulmonibus aërem venenis corruptum excludit. Hercle! quis neget eam maxime providam medicinam exstare? Quum autem tantam afferat utilitatem, ecquid eam quam saepissime provocare non studebimus?

In haec itaque considerationem suam intendens, Keius ille accuratam oscitandi rationem constituit, gymnicosque quasi ludos, per quos omnes modos omnesque circumstantias promoventes, oscitationem suscitemus.

O felices vos Americae incolae, quibus in taedium animam vertere adhuc est datum! Scilicet in vobis poni semper potest animi status omnino diversus, qui ultro commoveri possit, exsultare, inverti, felicitatem sibi comparare. Nobis ex adverso cineream, ut ita dicam, pullam, sine ulla fulguratione vitam viventibus, iam non amplius conceditur sensuum varietatem percipere: vere chronico morbo affecti vocari quimus, ita ut humanissimus Key doctor frustra, credo, laboraret ad depellenda per oscitationes venena in corporibus nostris congesta.

Quid igitur nobis? Quia taedio nulla iam est potestas ora nostra laxandi, ad ieiunia et vigilia confugiamus?

Nobis enim haec saltem praecipere possumus: « Neque hodie, neque cras edam aut dormiam, ut tandem hietem »; veluti dicamus: « Potionem chamaemelii aut pugillulum *aspirinae* sumam, quo perfrictione hac convalescam ». Quum vero in dies, ob maiorem venenorum congestionem, impellens magis oscitationis necessitas fiet, illuc homines pervenient, ut diutius cibo sese abstinentes et vigilantes inedia conficiantur in ipso desiderio rebelli corpori titillationem concitandi, qua tandem hiare ipsis detur.

Dummodo ne in Keianis consultis et hoc sit: lectio latinorum articulorum meorum; quo quidem non lectorum tantum saluti, sed, - quod bonum fortunatumque fuerit - novorum sociorum accessione, et *Almae Romae* aerarii satis erit perspectum.

***

Dum indesinenter persequor quid Bernerii ludicris poëmatiis sufficiam, en in investigationibus meis nonnullae rerum poëticae descriptiones mihi occurrerunt, quae hisce paginis non indignae viderentur. Eas colligere sategi, quarum primae de ludis sunt: hodie igitur **pilae ludus** sit locus, auctore Laurentio le Brun:

Iamque calent lusorum animi: color ardet in [ore,
Iu vultu sanguis rubet, omnesque occupat [artus:
Praecipites hinc inde ruunt, cursuque sequaci
Atque oculis sphaerae volucri vigilantibus [instant.
Quisque sibi et ludo intentus, quascumque [rotetur
Missilis in partes globus, huc toto impete [fertur,
Huc avidus currit, nec raro fallitur ipsa
Dextera ludentum, dum sese librat in ictus.
Aut etenim tantum casu pila pulsa secundo
Mittitur, aut dubio declinat verbera saltu,
Aut oculos iuvenum, cursusque eludit inanes
Flexibus obliquis, aut in medium acta fora- [men
Non ultra resilit, si quisquam audentior alta
Reticulum dextra extulerit, sphaeramque vo- [lantem
Non patiatur humum declivi tangere lapsu.
Quisque suas implet partes, cupidusque videri
Exserit intentas curvato corpore vires,
Flexibilemque manum, quoties pila pulsa re- [sultat
Longius a latere in protensos explicat ictus;
Si contra premitur, subitoque in pectore saltu
Subsiliat pila, toto habilem cum corpore dex- [tram
Contrahit, adductisque globum toto impete [nervis
Torquet in aërios tractus: hic circinat orbes,
Multiplicesque dolos, ludentum ut lumina fal- [lat.
Huic fugitiva volat, dextramque exosa sequa- [cem
Fertur in oppositam partem; nec tutius illi
Stare datur, firmamque negat pars altera se- [dem.
Nusquam tuta quies; premitur, semperque [receptis
Obteritur plagis, ictusque reciprocat ictum. ...

***

Iocosa

Tuccius si in schola est praesens, non equidem adest. Id sensit et hodie magister, qui postquam diu explicavit aquam inveniri posse in statu solido, liquido et aëriformi, ab eo improviso petit:

— Heus tu! Quibus igitur in statibus aqua reperiri potest?

Tuccius sine cunctatione:

— Aqua in omnibus Europae statibus invenitur... et etiam Americae!

—

Paulo post idem magister, quo planius doceret hominem esse « omnivorum », idque per exempla monstraret, Tuccium interrogavit:

— Quomodo, Tucci, vocabis gallinam?

— « Omnivoram ».

— Undenam hoc?

— Quia omnia comedit.

— Nos autem quae comedimus?

— Omnia pariter.

— Gratia Superis! Ergo nos sumus...

— Gallinae!

Non multum abfuit quia Mentor ille... intermortuus caderet!

***

Aenigmata

I.

Recte me legito: sortes praedico futuras.
Ad nihilum redigor, retrorsum si legor a te.

II.

A teneo: summum numen colo thure fra- [grante;
E teneo: pingues pasco boves et oves.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cor-pus;* 2) *Is-is.*

IOSFOR.

Libri recens dono accepti.

CROEGAERT A. *Alla fonte della pietà liturgica.* Saggio di volgarizzazione dottrinale. Traduzione italiana sulla seconda edizione francese per D. Ludovico Penel de Beaufin, O. S. B. - Augustae Taurin. edid. P. Marietti, 1922. - Ven. lib. 3.

TONOLO Sac. D. FRANCESCO. *Le Messe Domenicali.* Considerazioni sulle Messe di ogni Domenica e delle principali Feste del Signore. - Indidem. - Ven. lib. 3,50.

PINY O. P. *La chiave del puro amore,* ossia il modo ed il segreto di amar Dio soffrendo; d'amar sempre, soffrendo sempre. - Indidem. - Ven. lib. 4.

Uffizio della Settimana Santa e dell'Ottava di Pasqua. Testo latino-italiano con brevi spiegazioni e note storico-liturgiche. - Indidem. - Ven. lib. 6,50.

AD FONTEM BELLAQUEI 11]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA.

Callistus et Isidorus nesciunt quid sit agendum; procedunt ad fenestras et taciti observant: postea dicit

CALL. Quae multitudo gentium!
ISID. Qui strepitus!
CALL. Feruntur alacres ad portam ferream...
ISID. Quid inspecturi?
CALL. Patrem? Quaenam novitas?
Sciunt profecturum...
ISID. Timent quam proxime.
CALL. Eum salutare volunt sollemniter.
ISID. Amor qui gentis!
CALL. Quam devotus, optimus!
Hilari vultu semper et cum plausibus
Eum salutabant et citra invidiam.
ISID. Ne vocem tollerent, vetabant milites;
Sed illi fortius tunc vocem tollere,
Et benedicta postulare impavidi.
Enim quid est viris quam virtus dul-
[cior?
CALL. O mores hominum! O magna tem-
[pora!

SCENA ULTIMA.

PONTIFEX, CARDINALES *et* CETERI.

(Crepat ostium, et adparat Pontifex, qui patribus Cardinalibus circumdatus et iam viatorum habitu indutus, hilari adspectu procedit).

CALL.[1] Adest en Pontifex!
Vox populi Salus Pontifici!
Iubemus ipsum salutare plurimum!
Eum videre salutaturi volumus...

Magnum fit silentium in multitudine, et Pontifex, ex ipso aedium podio, clara voce, quasi ingemiscens ob immensum amoris ac reverentiae testimonium, sic alloquitur:

Me vultis admodum postremo cernere?
En adsum! Fausta laetus vobis auspi-
[cor,
Deusque vestra prosperet negotia,
Agros, vineta, gentium commercia;
Et Galliam reddat felicem, strenuam,
In dulci pace tute, honeste positam.
Vos sed relinquo, filii carissimi,
Meam peto Romam, sedem Pontificum...
At nescio Deus quid det in posterum...
In Sede Petri dummodo sim cupio,
Et illic ultimum fato concedere.
Illic decet mori: apud Petri tumulum,
Fuit qui successor grandis Apostoli.
Et illinc vestram visitabo denuo
Urbem, quae properet coronam fulgidam
Iis pugnarunt qui pro Deo fortiter.
Precabor visam vos ut inter caelites,
Ubi loquamur alacres de angustiis
Nobis quae tantum meruere praemium.
Oh dulcis Fontis regio Bellaquei,
Deus te semper prosperet muneribus,
Mille pro gratiis latis Pontifici!
Ipsa Virgo Mater vos usque sospitet,
Quam vobis ambio votis perpetuis.
Vobis aeternum praesens sit auxilium
Ipsa, quae fecit liberum Pontificem,
Tuetur omnes in terrestri exilio,
Ducat securos alacres ad sidera.

Tunc Pontifex divino afflatus Spiritu, oculis in caelum elevatis, sonora vox verba benedictionis sacra pronunciat, et populus animis concordibus hymnum festivum intonat:

O dies felix memoranda fastis,
Qua Petri sedes fidei magistrum
Triste post lustrum reducem beata
sorte recepit!

Dum hymnus canitur et leniter voces cantorum evanescere videntur, aulaeum lente descendit.


FINIS.

[1] *Elata voce ad populum conversus exclamat.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Maio MCMXXIV Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

RES NOSTRA

Qui ad latinitatem tuendam provehendamque operam, quaecumque ea est, iam diu navamus, summa quidem animi laetitia exsultamus, quum recolere occurrit, quae cum laboribus nostris propius ad rem conspirent et ad optatum finem consequendum facilius atque citius adducant.

Hodie igitur iterum et imprimis commemorare in nostris paginis iuvat Sanctissimi et doctissimi Illius, qui ad Petri gubernacula sedet, Pii Pp. XI, sollicitudinem. Quum enim nuper apostolicam epistolam daret ad summos Moderatores Ordinum Regularium aliarumque sodalitatum religiosorum virorum, in eaque eruditionem, sacram praesertim, vel a puerili institutione, enixe commendasset, ea revocans quae de linguae latinae studio in aliis apostolicis litteris catholicos Antistites iam monuerat,[1] eadem ut in litterariis religiosorum ludis serventur suadet ac praecipit. « Nam – inquit – ad vestros quoque ea Codicis lex pertinet, quae de sacrorum alumnis edicit: " Linguas praesertim latinam et patriam... accurate edi-

[1] Cf. *Alma Roma* ann. IX, fasc. VIII-IX.

scant „.[1] Quanti autem momenti sit, iuvenes religiosos latini esse bene gnaros sermonis, id non modo declarat, quod eo ipso Ecclesia utitur veluti ministro et vinculo unitatis, sed etiam quia latine Biblia legimus, latine et psallimus et litamus et sacris ritibus paene omnibus perfungimur. Hoc praeterea accedit, quod Romanus Pontifex latine universum alloquitur docetque catholicum orbem, neque alium sane adhibet Romana Curia sermonem, quum negotia expedit ac decreta conficit, quae fidelium communitatis intersunt. Qui autem linguam latinam non calleant, iis quidem ad copiosa Patrum Doctorumque Ecclesiae volumina difficilior est aditus, quorum plerique non alia usi sunt scribendi ratione ut christianam sapientiam proponerent ac tuerentur. Quare cordi vobis esto, ut clerici vestri, qui in ministeriis Ecclesiae futuri aliquando sunt, eiusdem linguae scientiam atque usum quam accuratissime percipiant ».

*
* *

Sed est aliud; idque ex Anglia, unde consolatorii nuncii afferuntur, latinitatis praecones in dies crescere impigre et va-

[1] C. I. C. can. 1364, 2.

lide confirmantes latinam linguam tamquam universalem - prouti vulgo dicunt - esse adhibendam.

Est profecto id notabile maxime, Anglos hanc causam prae ceteris sibi defendendam sumpsisse, qui insignia sua per omnem orbem statuerunt.

Latina lingua - recens diaria scribebant, quibus est titulus *Univers* - non mortua est, imo vivit in amplissima, quam habet orbis, societate; vivit ex remotissimo tempore, nec unquam interruptionem ullam passa est.

In ipsis transfigurationibus, quas latina lingua, non aliter ac quaevis alia lingua, subiit, semper Catholica Ecclesia exstitit, quae rectoris atque moderatoris officium apud eam exercuit, tanta quidem auctoritate, quantam nullam apud ceteras linguas quaelibet academia habuit.

Catholica Ecclesia omni tempore collegio doctissimorum hominum floruit; omnibus itaque habenda est tamquam oraculum sapientissimum maximoque pollens imperio. Quis autem contenderet hodie apud Anglos Chauceri linguam usurpandam esse, vel apud Gallos Villoni? Quod autem ad latinam pronunciationem spectat, disputare quaenam ea Ciceronis aetate haberetur, prorsus otiosum est: una nostris diebus praevalere debet: quam alma profert Roma.

Alius autem commentarius *Tablet*, placere sibi testatus est quod Turcae recenti lege constituerint et pro lingua sua latinarum literarum usum, ominaturque ut Germani quoque, Gothicis literis amandatis, latinis utantur: ita literarum ordo primum saltem vinculum fiet, quod omnes gentes adstringat. Notae enim latinae in universum inductae, viam sternere poterunt ad amplissimam usuque versabilem linguam latinam inter omnes populos tamquam communem usurpandam. Dies ille fortasse abest adhuc; multis vero nostrum sperare licet fore ut eousque vivant, donec videant latinum sermonem omnium nationum sermonem factum.

Dederint ne Superi et nobis, qui eximiam hanc formam tot iam annis animo conceptam habuimus, tantumque pro ea sudavimus et alsimus, auspicatissimum illum diem feliciter videre?

A. R.

DE ANNO SANCTO

QUI DICITUR IUBILAEI

Die XXIX huius mensis Maii, in festo Dominicae Ascensionis, Universale Iubilaeum anni « sancti » MCMXXV indicetur, quod apostolicae litterae praenuntiabunt. Iuvat nonnulla de re tanti apud Christianos momenti in nostris paginis attingere.

Apud omnes gentes tempus quoddam et loca Divis gratiora constituta iam ab inde fuere: hinc templa, hinc festi dies. Hoc autem quum fuerit apud omnes gentes commune, dubitant sapientes utrum habendum sit quasi a natura humana sensus erumpens, vel divini cuiusdam praecepti primis parentibus impositi quasi constans et probata traditio. Utramque putamus teneri posse sententiam, quarum altera alteram confirmet atque tueatur.

Scimus enim saecularia fuisse carmina, in quibus ista leguntur:

. . . . . *O colendi*
Semper, et culti, date, quae precamur
Tempora sacro;
Quos sibyllini monuere versus
Virgines lectas, puerosque castos
Dis, quibus septem placuere colles
Dicere carmen.[1]

Sed luculentissime haec omnia simul apparent in XXV *Levitici*. Quum enim Deus septimum cuiusque hebdomadae diem cultui suo et requiei gentium vindicaverit - (quippe « Sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter Sabbatum)[1] - itemque septimum quemque annum, quo nefas esset colere terram et ad labores animalia cogere; pollicebatur namque se affore his verbis: « Dabo benedictionem meam vobis anno sexto, et faciet fructus trium annorum »;[2] haec Moysi praecepit:[3] « Numerabis... septem hebdomadas annorum, id est septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem; et clanges buccina mense septimo, decima die mensis, propitiationis tempore in universa terra vestra. Sanctificabisque annum quinquagesimum, et vocabis remissionem cunctis habitatoribus terrae tuae; ipse est enim iubilaeus. Revertetur homo ad possessionem suam, et unusquisque rediet ad familiam pristinam; quia iubilaeus est et quinquagesimus annus. Non seretis, neque metetis sponte in agro nascentia, et primitias vindemiae non colligetis, ob sanctificationem iubilaei; sed statim oblata comedetis. Anno iubilaei redient omnes ad possessiones suas ».

***

De nominis origine credendum est hoc inditum a buccina, qua clangebatur, quaeque *iobel*, hoc est *cornu arietis*, propter similitudinem curvamque formam vocabatur; nisi magis placeat illud erutum a *iob* et *el*, quasi *gemitus potens*, vel *potentis*; quae origo pariter quadrat et cum populo *potenter gementi* in poenitentia sanctificationis, ut non dicamus de *potentibus populi*, nempe *divitibus, qui gemerent* ob restitutionem fundorum, domorum, agrorum pristinis dominis vel singulis familiis, quae inopia cogente vendiderant. Hinc et nonnulli etiam voluere decretum nomen a *iubilo*, hoc est a laetitia paupe-

rum sua recuperantium; nonnulli vero a verbo *hobil*, quod indicat *portare* et *adducere*, quia et ad unumquemque sua, et unusquisque ad sua reducebantur.

Quidquid est de etymologica quaestione, ad unum tamen vergit quodvis sumatur etymon, idque satis superque. Nil mirum igitur si Christi Ecclesia, quodam haereditario iure omnia occupans Ecclesiae Mosaicae, solemnitatem hanc sibi propriam assumpserit. Qua de re praetervecta idololatricae, arianae, mahumetanae persequutionis sanguinolenta saecula, atque ea saecula, quae propitiationis demum fuere, quum armata manu sanguinem effusura suum catholica gens Christi sepulcrum liberatura requisivit, animum advertit ad hunc redemptionis et reductionis annum, quo gratis venumdati Satanae sine argento redimerentur.

***

Est autem et aliud. Gentes christiani orbis ad centrum christianae religionis vocabantur, novum quasi hospitio vinculum societatis et amicitiae initurae.

Itaque quod haereses, quod barbari fregerant hospitium, fracta Urbe penitusque deleta, iterum instaurabatur, et vetus ad Urbem via populis iterum sternebatur, qua non vincti venirent, et soluti redirent, sed qua, unde leges olim et humanitatem acceperant, mores et religionem et charitatem referrent.

Pollicitus igitur supremam indulgentiam auctoritate clavigeri Petri, Bonifacius PP. VIII, anno Domini MCCXCV, ad Apostolorum limina Christifideles omnes accivit, statuens ut saeculari quovis anno sollemne restitueretur, primumque *iubilaeum* huiusmodi annus millesimus ac trecentesimus vidit. Hisce annuis Dantes Alighierius interfuit, qui frequentiam populorum tantam fuisse narrat, ut necesse fuerit ligneis muris pontem Aelium in longum dividere, ne adeuntium et red-

[1] HORATIUS, *Carmen saeculare*.

[1] MARC., II, 27.
[2] *Lev.*, 25, 21.
[3] Ibid., 8 et seq.

euntium a Vaticana basilica stipatae turbae occurrentes et prementes, in mortem potius, quam in peregrinationem ferrentur. Hinc euntibus dextera, regredientibus pars laeva absque periculo tota patebat.

Xystus PP. IV, sui pontificatus anno secundo, nempe anno MCCCCLXXIII, primus iubilaei nomen ad significandam remissionem peccatorum plenissimam dicitur invexisse, apostolicis litteris in orbem diffusis. Iam vero Clemens VI anno MCCCXLIX iubilaeum christianum non in saecularem, sed in quinquagesimum revocaverat annum, ut quisque posset adesse, quum rara sit hominis saecularis aetas, et, si proxima saeculo, confecta iam senio, nec diuturnis itineribus idonea. Gregorius autem XI in trigesimum quemque ac tertium annum constituit; denique Paulus II in vigesimum quintum quemque annum iubilarem cyclum contraxit.

***

Qui proxime indicetur *annus sanctus*, seu *iubilaei*, vigesimus secundus numero erit. Horum autem seriem habemus prouti sequitur:

I	Iubilaeum	Bonifacio VIII Pontifice, anno MCCC.
II	»	Clemente VI Pont., anno MCCCL.
III	»	Bonifacio IX Pont., anno MCCCXC.
IV	»	Bonifacio eodem IX Pont., an. MCCCC.
V	»	Martino V Pont., anno MCCCCXXIII,
VI	»	Nicolao V Pont.. anno MCCCCL.
VII	»	Xysto IV Pont., anno MCCCCLXXV.
VIII	»	Alexandro VI Pont., anno MD.
IX	»	Clemente VII Pont., anno MDXXV.
X	»	Iulio III Pont., anno MDL.
XI	»	Gregorio XIII Pont., anno MDLXXV.
XII	»	Clemente VIII Pont., anno MDC.
XIII	»	Urbano VIII Pont., anno MDCXXV.
XIV.	»	Innocentio X Pont., anno MDCL.
XV	»	Clemente X Pont., anno MDCLXXV.
XVI	»	Innocentio XII et Clemente XII PP., anno MDCC.
XVII	»	Benedicto XIII Pont., anno MDCCXXV.
XVIII	»	Benedicto XIV Pont., anno MDCCL.
XIX	»	Clemente XIV Pont., anno MDCCLXXV.
XX	»	Leone XII Pont., anno MDCCCXXV.
XXI	»	Leone XIII Pont., anno MDCCCC.
XXII	»	Pio XI Pont., anno MDCCCCXXV.

***

Aliquid historicae integritati detraxerimus, si, quae Bonifacius PP. VIII indicens hanc salutaris et saecularis anni indulgentiam professus est, praetereamus.

Hic enim non novum aliquid indicere se declaravit, probavitque testimonio seniorum hominum, quos inter quidam septimum supra centesimum annum agens, qui uno animo affirmabant quolibet pereunte saeculo morem fuisse Christianis Romanam urbem et limina Apostolorum adire, ut veniam indulgentiamque peccatorum plenissimam adipiscerentur. Haec autem perspicere licet in exordio « Bullae » Bonifacianae, quam in S. Consistorio d. XXII mens. Februarii ann. MCCC edixit.[1] Haec autem non modo a Navarro,[2] a Benzonio,[3] a Vittorellio, a Turrecremata, a Zaccaria[4] firmantur; sed non desunt, - quos inter Petavius Dionysius in suo *Rationario temporum* - qui opinentur iubilaria haec sollemnia iam ab Apostolis constituta, bisque primo in Ecclesiae saeculo celebrata. Quibus placeat, doctissimum purpuratum Patrem Iacobum Caietanum,[5] Febeium,[6] Petra,[7] Riganti,[8] Manni,[9] ut quaerant rogamus; facile quippe haurient quae summatim nobis delibare vix licuit; ideoque rei studiosos ad illa volumina delegamus.

***

Ut finem dicendi faciamus, nonnulla addemus de caraemoniis, quibus *annus sanctus* indicitur.

---

[1] *Extravag. antiquor., De poenitentia et remissione.*

[2] *De iubilaeo*, n. 1.

[3] Lib. III, c. 4.

[4] *De anno sancto*, lib. I, p. I.

[5] *De centesimo seu iubilaeo anno*, in *Bibl. Patr.*, vol. XXV.

[6] *De anno iubilaei.*

[7] *In const. VII, Bonifacii PP. VIII.*

[8] *Regula Cancellaeiae*, tit. IV, 54, n. 34.

[9] *Storia dell'anno santo.*

Die itaque Ascensionis Domini memoriae recolendae dicato, annus sanctus « Abbreviatori Curiae », « cappa » induto, a Summo Pontifice benedictione recepta, promulgandus datur. Hic urbanis antistitibus plurimis comitantibus, in Vaticanam basilicam descendit, et porticum recto tramite petit, ibique ex ambone, ad hoc antea parato, coram populo, adstantibus « S. Palatii cursoribus », pontificium chirographum de anni iubilaris indictione legit. Tunc datis exemplaribus litteris, Cursores abeunt eas in tres basilicas maiores, nempe S. Ioannis, Liberianam, et S. Pauli, laturi, ubi magno eodem ritu iubilaeum pariter promulgabitur. Denique litterarum apostolicarum exemplaria uniuscuiusque basilicae valvis affiguntur.

Ad haec igitur sollemnia quum nos paramus, spe erigimur fore ut proximus iubilaei annus, praeteritorum ad instar, frequentia gentium omnium nationum, omnisque civilis ordinis insignis evadat, longius et latius et potius memorandum.

P. D. V.

DE IESU CHRISTI PASSIONE

Augustae Taurinorum insigniter ex vero efficta.[1]

VI.

Festino pede et nos ad finem cum *Actione* procedimus. Scena est nunc vasta admodum planities cum colliculis, et interdum multis herbis floribusque consita. Ex auctoris consilio hic esset *Limbus*, et gentilium more lucus ille infernus, quem Elysium vocabant, amoena illa vireta « fortunatorum nemorum sedesque beatas ». Hîc enim cernitur Adamus et Abel, et sanctissimi viri qui, nati melioribus annis, in spem Christi venturi crescentes, religionem Dei mordicus sequerentur. Si autem ipsi *pedibus plaudunt choreas* et carmina dicunt, maxima iam animorum commotione Salvatorem propiorem exspectant. In gramineis effusi palaestris, adstant, austeriori equidem adspectu decori, et pulcra iam fiducia nitescentes, complures et veteres philosophi, quosque antiqua aluit sapientia, tum e Graecis, tum e Romanis, qui magna animi fiducia ovantem principem praestolantur.

Alia ex parte pulcherrima puerorum cohors, et in primis gloriosus ille infantium Hebraeorum manipulus, qui ab Herode, impio rege, interfecti, omnem late planitiem iucunditate vestiunt. Ipsi, uti flores lectissimi, hîc atque illic soluti, quem moriendo sunt taciti confessi, veneraturi moram ultra ferre nescientes, carmina modulantur.

Ad Ierusalem interea sancto Iesu sepulcro seduli advigilant milites romani, qui nesciunt magnam Angelorum multitudinem adesse ac monumentum honoris causa protegere.

Eodem tempore apud *Limbum* splendescens Angelus apparet dicens proxime Redemptorem adventurum, a quatuor millibus annis, longo sane desiderio, exspectatum.

Quod nuncium primum, ob ipsam rei magnitudinem, terrore quasi perculsi, taciti cunctantur, sed mox ingenti clamore gaudentes salutant.

Universa hominum turba effusa in ipsum incondite ruit, et cum multis variisque verbis compellunt, ut de Redemptore aliquid clarius ex ordine loquatur. Molliter autem eos verbis tenet, itemque, ut honeste eum accipiant, etiam atque etiam hortatur. Ipso adhuc loquente, ex improvviso, magna circumdatus angelorum multitudine, Iesus apparet, lumine circumfusus. Ei

Splendidus ex humeris nodo dependet amictus.

---

[1] Cfr. fasc. sup.

Incredibili gaudio gestientes, omnes Iesu obvii fiunt, et ad sanctos eius pedes provoluti, certatim amplexari ac venerari Eum nituntur. Quos itaque amice salutat, allevat, eosque laetari iubet. Pueros in primis dulci salutat alloquio, amplexatur, qui cum palmis coronisque summo studio Eum decorant.

Immensa puerorum hominumque multitudo, uno Augelorum nutu, festinans e Limbo excedit, dum poli claris undique luminiibus mirum in modum splendescunt.

At, haec dum laetissima cernuntur, miro sane apparatu animorumque stupore, duae umbrae, seu potius turbidi lemures, ex infernis rupibus erumpunt, turpiter simul complexae inter cypressus accedunt, ex quibus tristes Electorum pompam lividis oculis adspiciunt. Iudas est, qui tenaciter Satanae adstrictus, ad Iesum se se convertere videtur, quoniam ad eius prope terga pervenit. Hinc Iesus, misericordia in miserum commotus, placidis eum oculis adspicit, quasi, si fieri posset, proditorem ad veniam quoque reduceret. At Iudas, ex ipsis cypressibus, truculentus circumspectat, auri coecus amore immaniusque scelus mente revolvens, odio recenti abripitur, Christum, converso tergore, contemnit totumque se se Satanae adstringit, atque ita

Invaditque celer ripas inamabilis undae.

Haec iusta sontis poena graviter spectatores perculit; at dum omnes moesti ultima teterrima hominis mente revolvunt, suavissima novarum rerum scena ob oculos adsurgit.

Albescit..... Milites romani ad sepulcrum, ob immanem terrae motum, nimio timore perculsi, humi procumbunt... Et ecce Angelus, fulgidus adspectu et nivea veste indutus, e caelo descendit, et divina sua virgula lapidem sepulcri revolvit, cuius pars interior vacua iam videtur. Imo defuncti adhuc recentis posita linteamina ordinatim cernuntur. Tunc milites expergefacti rapidissime fugiunt.

Simplices rerumque insciae ad Calvarium prodeunt mulieres, lintea ferentes cum aromatibus. Celerius praecurrit Magdalena, quae sepulcrum vacuum inveniens, amore acta, miserum in modum timet, ne Magistri Corpus nefarii abstulerint. Mille tunc dubiis commota, Apostolos monitura, ad coenaculum festinanter adcurrit. Ibi Petrus et Ioannes sunt, pio ore cum Maria Matre colloquentes, quae in tot rerum perturbatione semper quieta fuit et secura, tum apud crucem tum apud ipsum sepulcrum. Parem atroci tempore animum in omnibus exhibuit, et, dum cuncti trepidantes a fide recedunt, ipsa admodum firmissima manet.

In his ex improviso Magdalena illacrimans intervenit, quae gravi moerore deducta refert sepulcrum violatum sese invenisse corpusque Magistri inde miserrime abreptum.

Apostoli, haud mora, cum ipsa proficiscuntur, rapidisque se passibus ad monumentum conferunt. Hoc temporis momento inopinatus, radiis gloriaque refulgens, adparet Iesus, ut matris amorem eiusque magnos dolores ad Crucem perlatos soletur, et quodammodo compenset. Quis autem verbis posset Genitricis solatium expromere? Forte recensebat animo quo Eum primum est amplexata adoravitque in praesepe ad Betlehem... et miro admodum artificio coenaculi conclave evanescit, et admirantibus spectatoribus, longe Praesepe cum Matre designatur, quae ad infantis incunabula vigilat cum pastoribus.

Apostoli stant, excepto Thoma, simul in coenaculo. Et ecce ante eos redivivus Iesus, qui leniter eos alloquens, ut vulnera sua videant atque manibus palpent invitat: mensae accumbit; et Sancti Spiritus afflatu, eis divinum admissa solvendi munus tradit. Quasi uno eodemque tempore se se comitem adiungit duobus discipulis, qui sub vesperum ad Emmaus peregrinantur. Cur sint moesti curiosius inquirit, eosque, ut ita dicam, severior monet, ne sint in posterum increduli! Domum ingressus, quum in eo sit, ut panem in mensa positum frangat, se se manifestat, et omnes hilares, lubentes, laetificantes faciens, ab oculis eorum evanuit.

Hi, subito cursu simul regressi ad coenaculum anhelantes perveniunt, et novo ac maiori gaudio gestientes, accipiunt Iesum apostolis adparuisse. In his ecce Thomas, qui ultro cunctans, ut se se quodammodo defendat, fidem suam Apostolis confirmantibus, pertinax recusat.

Pharisaei cum lictoribus et aliquot militibus, qui mox custodierant monumentum, magno armorum strepitu, impetum faciunt in coenaculum, ex quo paulo ante Apostoli excesserant. Rerum necessitate coacti, a militibus quaeritant ut dicant, ipsis dormientibus, venisse Apostolos et corpus magistri fraudulenter abstulisse.

Octo diebus post, discipuli sunt in coenaculo cum Thoma, et ecce Iesus, qui apostolum incredulum eximia animi caritate salutat, eique vulnera universa revelat.

Interea scena in media, sed interiori loco, litus maris Tiberiadis conspicitur. Omnia circum essent deserta, nisi longinque in viridi litoris ora adpareret parvulus pastor cum pecoribus.

Cymba exigua in aquis navigat celeris, quae vix septem sustinet piscatores; namque tota nocte ne unum quidem pisciculum ceperant. Ad litus autem comparet Iesus omnibus adhuc ignotus, qui piscatores, amica voce, monet, ut retia ad laevam confidenter tendant; quo facto antiqua apostolorum retia immensis piscibus paene franguntur. Ioannes iunior itemque sanctior Magistrum prior agnoscit, et submisse eum Petro ostendit, qui, nulla mora se se in mare deiciens, ad litus ante omnes adventurum confidit.

Cymba vero, ob magnam piscium multitudinem, quasi vinculis retenta, leniter super aequora fluit, seroque ad oram invehitur. Christus interea suis ipse manibus mensam parat. Hilari vultu dulcique alloquio, apostolos ad litora appulsos apud se accumbere iubet, et secum pisces nescio quo modo receptos manducare.

Hic stupor et reverentia Apostolos fortiter occupat, qui multa recentia facta memorantes rerumque gravitatem, verba propemodum et suspiria retinent, corde suspensi quid eos in proximum maneat. Magnum circa silentium: nihil exauditur quam aquarum rumor pecudumque balatus. Brevi post tempore, Iesus surgit, et Petrum seorsum vocat.

Hoc est sublimis eademque memorialis veniae hora, qua triplex Petri negatio, triplici quoque professione insigniter redimitur...

— *Amas me?* ait Magister.

Cui Petrus animose respondit: - *Scis enim Domine!*

Sic divinus artifex, ad summa perfectionis fastigia rem suam perducere cupiens, Pastorem supremum instituit, atque immortalem sibi Vicarium proposuit, qui labentibus saeculis, gloriosam Pontificum Maximorum progeniem inivit, quam per saecula divinitus stantem venti undique reflantes, nec labefactare potuerunt nec loco dimovere.

***

In via Appia, maxima illa via Ausoniae, per quam duces ad Capitolia euntes transierunt, et secus quam nonnullorum sepulchra urbs grata ponenda curavit, Petrus, Galileae olim piscator, deambulat, ibique, certus cuilibet se obiectare periculo et mori etiam paratus, divinis quibusdam ominibus efflatus, Magistrum advenientem placidus exspectat.

Ab eiusdem manibus, divinis radiis refulgentibus, Crucem diu quaesitam libenti animo accipit; quacum sibi Romam sanguine coniungit, atque in omnem late orbem terrarum dominabitur.

*
* *

Actio nostra ad finem tandem splendide procedit. Et nos et omnes, ore pleno clamamus:

I, nunc magnificos, victor, molire triumphos!

Adsunt inter innumeram Angelorum multitudinem Cherubim et Seraphim, qui Passionis Christi instrumenta per aërem volitantes ferunt; et caelesti quadam harmonia formosum resonare docent Christi triumphum! Mox ipse Iesus, ab Apostolis circumdatus, qui pro Eucharistico munere splendidas gratias agunt, et Angeli qui signa Sacramenti portendunt. Et Dei virtus maxime splendescit in theca aurea, quae in altari hostia salutaris populo adoranda proponitur: sunt inferius homines qui adhuc in terris vivunt, et superius caelicolae; mox Salvator, cui homines humi provoluti in obsequium atque amorem aeternas gratias agunt, in aeternum acturi. Stat fulgida in caelo Crux, magnum clementiae pignus, ad quam Constantinus imperator, qui quum suos adversarios fudit et longo marte est dominatus, imperium cum Christo reconciliavit et ad orbem universum

Divinum attollit optatae pacis Olivum!

Interea numerosa cantorum schola perfusis undique gaudiis, verba illa, cum magno clamore, proferunt: *Tu Rex Gloriae, Christe!* In his toto caelo lux plurima emicat et fulgens radius supra Christi caput adest, qui populo indulgens benedicit oranti. Hic surgens et ultra incredibili laetitia gestiens, Iesum Salvatorem gratus salutat. Hisce vocibus spectatorum vox ingeminatur, quae actoribus longo plaudit clamore.

Quid dicam amplius? Unum deesse mihi videtur, et mihi omnes facile concesserunt, Vaticani scilicet clivi cacumina exsilire et continuo per trepidas auras vocem exaudiri:

Ethnica Roma ruit, Christi nunc Roma triumphat!

Addeturne haec scena Mediolani, ubi dicunt proxime sublime spectaculum iri iteratum?

SENIOR.

GEORGIO GULIELMO MUNDELEIN

ARCHIEPISCOPO CHICAGIEN.

ET

PATRITIO IOSEPHO HAYES

ARCHIEPISCOPO NEO-EBORACEN.

IN PURPURATORUM PATRUM COETUM NUPER EVECTIS

Salvete vos, bini sacrorum Antistites,
quos Aequor huc Atlanticum
advexit ad Petri Cathedram, fallere
itemque falli nesciam.

Qui Pontifex toti praeest Ecclesiae
vos in suum dignissimos
legit Senatum, qua sub ostro Sanctitas
nitescit et Scientia.

Salvete, Patres purpurati! nobile
salvete Par et Arcadum!
Longos in annos vita vestra limpidi
decurrat instar fluminis.

Vestros et agros irriget salubriter
messemque gignat uberem,
quae ter beatos vos manet, caelestibus
in horreis recondita.

FRANC. XAV. REUSS.

DE « FOLLILUDIO »

Nescio quis furor pilaris excultas ubique gentes temporibus nostris invasit. Si magnas urbes, si populos perlustres et pagos, non unum saepe, sed plura sphaeristeria reperies, quibus cum puellae tum maxime utuntur iuvenes, ut suas exerceant vires, roborentque artus atque suae ipsorum industriae signa imprimis praebeant spectanda. Eae in ludo spatiantur, cui *tennis* est anglicum nomen, quodque utpote ab neolatinis omnibus receptum linguis neque graeco-latinae declinationi repugnans, in novata recte latinitate locum obtinere permiserim. Hi autem se ludo exagitant, cuius nomen, anglicum etiam, Latina lingua non capit: *foot-ball* nimirum, nec unquam a Romanis populis sine difficultate profertur.

Utrumque ludendi genus, quod paucis abhinc annis totum in gyrum pervaluit orbem, mirum quantum habeat antiquitatis. De *tenni* lectores nostri humanissimi fortassis mente tenebunt quid a Iosphore conscriptore, anno huius *Almae Romae* VII fasciculo autem XI, fuerit allatum ex Alberto de Albertis qui, ut compertum habeo, mundo apparuit exeunte saeculo decimo quarto.

Age vero, superioribus his diebus necopinanti mihi ecce se praebet in manibus frustulum ex musei Britannici manuscripto accurate decerptum et per Bollandianos auctores in suis *Analectis* (7, XLII, fasc. I, II) pervulgatum, quod saeculo quintodecimo a Iohanne quodam non satis noto, exaratum fuisse constat, et est apprime de *foot-ball*.

Antequam ad eius transcriptionem devenio atque nomen detegam, genericis saltem iuvat ludicrum illum describere notis, quamvis certo scio me, qui eiusmodi numquam adstiti palaestrae, omnino imparem esse.

Adulescentes igitur vegeti in duas distributi partes, ex utraque tamen undecim, intra amplam aream consistunt et capite et brachiis et pedibus praesertim magnam pilam, seu follem, hinc inde tundendo ac retundendo summa contendunt ope, ut in adversam portam, quam appellant, semel atque iterum, dum sors aut potius peritia ferat, intra certum temporis intervallum immittant. Interea populus confertissimus intra septa reclusus, aut sedens, aut stans, pro soluta ab unaquaque stipe alternis ludi vicibus toto intendit animo et magnis subinde clamoribus aethera complet. Nec mirum sane; leges lusionis eiusmodi optime callens, felices noscitat aut infelices exitus: unde fit ut gnaros ambabus plaudat manibus ignarosque fremitu displodat.

Quodsi haec ludendi ratio a nostris summis laudibus nunc cumulatur, a priscis, Anglis saltem, magnis exsecrationibus impetebatur. Laudatum itaque Iohannem illum audiamus, quum tamen eius verbis nec assentiri nec dissentiri velimus: « Est enim – (ludus, quem ipse *pedipiludium* vocaverat) – quo solent adolescentes rustici et lascivi ingentem pilam non iactando in aëra sed solotenus volutando, nec manibus quidem sed pedibus pulsitando atque versando propellere. Ludus, inquam, exsecrabilis satis et, meo sane iudicio, omni genere ludorum rusticior, inhonestior quoque et vilior, qui et raro absque ipsorum ludentium damno, calamitate aut dispendio aliquo terminatur. Sed quid? Iam assignatis limitibus et ludo inito, quum contra se invicem calcitrantes fortiter concertarent et is, de quo nobis sermo est, concertantibus se medium miscuisset, ecce unus, nescio quis, colludentium ex adverso veniens frustrata percussione in pilam, fortuito in hominem pedem dedit ».

Rogabit quispiam cur eodem quo Iohannes ille *pedipiludii* vocabulo *foot-ball* ego vocare recusem. Haec sunt in caussa. Romani, qui duplicem vocem in unam

conflari saepicule sustinebant, vix aut ne vix quidem triplicem coadunari patiebantur. Hoc autem usu veniret in *pedipiludio* quo ex *pede, pila* et *ludo* nemo succrescere non videt. Rursus haec pila, quae brachiis et calce percutitur, uno verbo, *folle* nempe, designari, cum alias, etiam ex Forcellino constat. « Follis, inquit, pilae fuit genus omnium maximum ex aluta vento inflata, quod etiam hodie Italis plurimo est in usu ». Quidni igitur pro *pedipiludio,* linguae aliquatenus difficili nomine, *folliludium* non usurpabimus? Ex *folle* habes etiam composita nomina *folligenam* atque *folligerum;* ex ludo similiter *anteludium, diludium, praeludium.*

Vici in Hispania. EMM. IOVÉ.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

Nuper nata nomina latine reddita.

De *Almae Romae* Commentario ann. IX, fasc. XI a nobis proposito certamine satis iam superque fuit disputatum. Omnibus et singulis de inibi allatis nominibus quid quisque cogitaret, quidve sentiret, libere iam datum est aperire. Quamobrem licuit sociorum strenuissimis, in sensu suo forsan abundantibus, in diversas abire sententias. Vera hinc propriaque verborum significatione declarata, quod fasc. II super. Februarii factum videtur, quaelibet animorum discrepantia evanescat necesse est. Vobis igitur, optimi laborum socii, qui tamdiu in praeclaro agone mecum insudastis, libenter addico quae sequuntur, de quibus nota dictionaria silent, nomina:[1]

1) *Automobilismo* sensu peritiae vel artis automaton ducendi, *ars automaton* vel *automatica ars;* si cui tamen placeat etiam, *automobilismus.*

2) *Ciclista.* – *Vox Urbis,* gratae memoriae commentarius, vocem habet *Cyclista, cyclistae.* Tullius refert *Tabellarius,* Vergilius *Nuncius;* sed haec pluribus nimis generalia videbuntur.

3) *Chincaglieria.* – *Nugarum emporium, Nugatoria taberna.* Etiam *Chincagliere: Nugivendus* et *Nugivendulus, i.* cum Plauto; cum Ovidio autem *Nugigerulus a, um* (subint. homo), qui nempe gerit et venumdat nugas, crepundia eorumque simila.

4. *Linoleum.* - Verbum non immutarem quum latine sonet; iuxta tamen rem significatam dici poterit: *Glutine oleoque mixtum xylinum.*

5) *Bomboniera.* – *Dulciaria theca* – *Pila dulcifera* a gallica voce *Bonbon,* quam nostrorum puelli clamant incipientes loqui, *bobbona,* veluti *rem bonam.* Ego a clariss. soc. libenter recipiam non pulchralia tantum, sed et *caocaticas parvulas,* sed et *frustula,* et *charamellas, amygdalas,* puerorum delicias; quum haec, aliaque id genus possit ac soleat *bomboniera* in sinu gestare suo: libentius autem *dulciarium locellum,* quo italice appellatur *borsetta di dolci*: libentissime tandem *dulciarium* pro quo tabernam dulcium nostrates intendunt, quamque *pasticceria* vocant, aliique *dolceria.*

Itaque pro tanta dulcedine dulcissimis sodalibus gratias profiteor dulciores.

H. M. IACOBELLI.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Confundere - Perturbare; Ima summis miscere; Rem re permiscere.

Confusus - Stupidus; Stupefactus.

Congenitus - Ingenitus; Innatus; Insitus.

Congregatio - Collegium; Consilium; Societas; Coetus.[1]

Congrue - Congruenter.

Congruus - Congruens.

Coniecturare - Coniicere; Coniecturam facere; Coniectura aliquid assequi.

Coniugare - Declinare.

Coniugatio - Declinatio.

Coniventia - Indulgentia; Venia.[2]

Conregnare - Simul regnare.

Conscientiam examinare - In se ipsum diligenter inquirere; In omnia dicta, facta, cogitata sua descendere; Se ipsum ad calculos vocare; Actionum suarum cognitionem intimam exercere; Vitae rationem ab se repetere (reposcere); Animi latebras scrutari.[3]

Consectaneus - Consequens.

Consectarius - Assectator.

Consequenter - Porro; Quod ex eo consequitur.

Conservatorium - Gynaeceum (Domus; Hospitium) puellis tutandis (puellis e plebe a pupillatu instituendis).

Consiliator - Consiliarius; A consiliis.

Consistorium - Purpuratorum Patrum consilium.[1]

Consonantia - Concentus; Consensus.

Consuetus (sum) - Consuevi.[2]

Consultor - A consiliis.[3]

Contemporaneus - Eiusdem temporis (aetatis).

Contentiosus - Pugnans; Contentionis amans.

Conterraneus - Civis; Popularis; Eiusdem civitatis.

Contestabilis - Comes in regno (regni) stabilis.

Contiguus - Proximus; Vicinus.

Continue - Continenter; Assidue.

Contractus - Res contracta.

Contradicere (alicui) - Contra aliquem dicere; Alicui adversari - *Contradicere sibi:* Pugnantia loqui; Secum ipso pugnare.

Contradictio - Repugnantia.[4]

Contributio - Collatio.[5]

Contributum - Tributum; Vectigal.

Controverti - In controversia esse; In controversiam venire (deduci, vocari).

Conventus - Collegium; Coenobium; Domus; Familia.

Conventio - Conventus; Conventum.

Conversa (in religiosa familia) - Monialis quae aliis famulatur.

Conversus (id.) - Accensus familiae...

Conversari (cum aliquo) - Uti aliquo.

Conversatio - Consuetudo; Usus.

Convitiari - Praescindere convitio.

Convivens - Contubernalis.

---

[1] Videsis Alm. Rom. ann. X. fasc. II.

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] *Sacrae Congregationes Romanae:* Sacrum (quaque) Consilium. Ita *Congregatio Concilii:* S. C. Tridentinis decretis interpretandis - *Congr. Indicis:* S. C. iudicum librorum notandorum. - *C. S. Officii:* S. C. perduellibus Ecclesiae vindicandis. - *Congr. de Propaganda Fide:* S. C. christiano nomini propagando. - *C. Rituum:* S. C. legitimis ritibus cognoscendis. - Itemque: S. C. rei Lauretanae regendae, Sacramentorum legibus dandis, recognoscendis; Studiis moderandis, etc. Et superioribus temporibus: S. C. publicis sumptibus minuendis (vulgo *S Congregazione del Buon Governo*); S. C. finium regundorum (vulgo *S. C. dei Confini*); Consilium regium Provinciarum (vulgo *Congregazione di Stato*); S. C. ad Ecclesiae iura retinenda (vulgo *della Immunità*).

[2] Et etiam circumscriptio cum « conivere ».

[3] *Ex conscientia affirmare* - Sincera fide asserere rem ita esse; Fide interposita affirmare rem ita se habere; Ita profecto se res habet (Sic prorsus habet res; Ita est). - *Multae conscientiae vir* - Vir iustus (castus) et integer; Qui in omnibus sincera fide (ex aequi et recti legibus) agit; Aequi et recti amans. - *Sine conscientia homo* - Homo perfidus (impius; improbus; scelestus; nefarius); Homo qui nihil probi, nihil sinceri praefert animo (in quo nullum nec recti, nec aequi studium neque sensus est).

[1] Hinc: Purpuratos Patres in consilium vocare. - *Advocatus consistorialis:* Advocatus apud consilium Principis.

[2] *Consueto more.* Meo (tuo, suo) more.

[3] *Consultor sacrae Congregationis Romae* - Iudex.

[4] Sive circumscriptio cum « repugnare ».

[5] Itaque: Ex pecunia publica et conlaticia.

Cooperari - Una operari.

Coopertorium - Tegumentum; Operculum.

Coordinare - Coniungere; Componere.[1]

Copia - Exemplum.[2]

Copparius - A cyatho; A potione.

Cor - Animus; Ratio; Mens.[3]

Cordolium - Animi moeror; Languor.

Corona rosarii - Corolla precatoria (precaria); Sertum ex globulis ad dinumerandas preces.[4]

Coronae haeres - Rex destinatus.

Coronare (aliquem regem) - Regem creare; Insignibus regiis exornare; Insigne regium imponere.

Corpus - Collegium; Decuria. - *Corporis milites:* Cohors Praetoria. - *Corporis necessitates:* Necessaria vitae praesidia; Res ad vitam (ad usus necessarios) requisitae - *Corpus Domini:* Festum Corporis Christi; Sollemnia ob Corpus Christi nobis divinitus datum; Sollemnia Sacramenti Augusti.

Correcte - Emendate; Pure.

Correctura - Correctio; Emendatio.

Correctionis domus - Custodiarium ad pueros exercendos et coercendos.

Creatura - Homo; Animal; Res; Naturae rerum mobiles (mortales).

Credentiarius - Cellarius; A cellariis.

Criminalis - Capitalis.

Crucem facere (sibi) - Se cruce signare; Crucem a fronte ad pectus digitis designare; Crucis signum pectori imprimere; Crucis signo se munire; Se Christiano more insignire. - *Alicui:* Signum crucis Christiano ritu alicui ducere (exprimere); Signum crucis digito in fronte effingere.

Cruciati (milites) - Sacra Crucigerorum militia; Tesserarius sacrae crucis exercitus; Sacri belli milites.[1]

Crucifigere - Cruci affigere (sufficere); In crucem tollere (agere); Cruce afficere.

Cum tempore - Progressu temporis; Procedente tempore; Tempore.

Cumulatim - Cumulate.

Cupido - Cupiditas.

Curatus - Curio.[2]

Curialis - Causidicus.

Custos (locorum et variarum rerum) - Aedituus (Aeditumus) - Atriensis - A pinacothecis - A custodia armorum - Praepositus auri escarii - Scriniarius ab epistolis - Custos sacrarii, etc.

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Eadem ratione: *Subordinare* - Subicere.

[2] *Copia alicuius libri* - Codex apographus - *Originalia et copiae:* Autographi codices atque apographi. - Phrases ad rem: Tabellio rogatus hoc exemplum edidi; Scriba descripsi et recognovi. - *Copista:* Librarius ad manum.

[3] Itaque: *Ex corde* - Ex animo; Pleno studii animo; Ex intimo animi sensu; Libenti (Propenso) animo; Propensissima voluntate; Egregia animi alacritate. - Et etiam: Intimos animi sensus alicui aperire; Expromere animi sensa; Mentis cogitata patefacere; Cogitationes animi declarare.

[4] Hinc: Corollae precatoriae (sacrae) globulos percurrere (decurrere; volvere); Statum precum numerum calculis absolvere; Ad calculos preces dinumerare.

[1] Itaque; Dare nomen crucigerorum militiae; Inducere crucem tesserariam; Inire Crucigerorum militiam.

[2] *Curatus decanus* Senior curionum. - *C. a populo electus:* Curio a populo. - *Vicecuratus:* Curio sacra in subsidium administrans.

De linguae latinae foecunditate [1]

50. Litteris tuis nihil afferri potuit optatius. - 51. Epistola tua ad nos venit vehementer exspectata. - 52. Litteris tuis nihil afferri potuit desideratius. - 53. Non possunt non esse iucundissimae N. N. litterae. - 54. Non iniucunda mihi tua fuit epistola. - 55. Neutiquam insuaves mihi tuae venerunt litterae. - 56. Haud quaquam

[1] Videsis, fasc. I, an. nuper incoepti.

ingrata mihi tua scripta acciderunt. - 57. Tam mihi dulcis tua fuit epistola, quam ea, quae sunt dulcissima. - 58. Litteras tuas multa cum voluptate perlegi. - 59. Epistolam tuam non sine summa voluptate recepi. - 60. Qui mihi tuas reddidit litteras, is mihi gaudiorum cumulum detulit. - 61. Dictu mirum, quam me tua coeperit epistola. - 62. Schedae, quas abs te missas accepi, nova quadam gaudiorum luce pectus meum serenarunt. - 63. Litterae tuae quidquid in animo moeroris erat, id omne protinus excusserunt. - 64. Miram animo persensi voluptatem, quum tua nobis redderetur epistola. - 65. Tuis ex litteris voluptas insolita animo intercessit meo. - 66. Tuae litterae fuerunt in causa, ut affatim gauderem. - 67. Tuis litteris effectum est, ut totus exsultarim gaudio. - 68. Dici vix queat, quantum mihi laetitiae tuis ex litteris obortum sit. - 69. Vix possim sermone consequi, quantum gaudiorum ex tua mihi natum sit epistola. - 70. Dictu mirum est, quantum voluptatum nobis ex tuis affulserit litteris. - 71. Deum immortalem! quam ingens gaudium nobis ex tua provenit epistola. - 72. Papae! quantas laetitiae causas nobis tuae litterae suppeditarunt. - 73. Deus bone, quantumvis gaudiorum tua mihi scripta suppeditarunt. - 74. Maiorem laetitiam tuae mihi tabellae attulerunt, quam ut explicari possim. - 75. Plurimum voluptatis nobis tuus tabellarius apportavit. - 76. Vix credas, quantum laetitiae acervum litterae tuae in animum invexerunt meum. - 77. Vix eloqui nequeo, quantis gaudiis me tua oneravit epistola. - 78. Tuae me litterae gaudiis onustum reddidere. - 79. Tuis litteris valde sum gavisus. - 80. Tuis unice sum delectatus litteris. - 81. Tua scripta nobis uberrimam laetitiae copiam offuderunt. - 82. Laetissima mihi tua fuit epistola. - 83. Tuis litteris factum est, ut prorsus frontem experrexerim. - 84. Visis tuis litteris, protinus animi mei frontem explicui. - 85. Inter legendum ea, quae ad me scripsisti, mira quedam voluptas animo obrepsit meo. - 86. Simul atque tuas inspexissem litteras, nova quaedam gaudiorum vis mentem occupavit meam. - 87. Inspectis tuis litteris, incredibilis quidam aestus laetitiae pectus subiit meum. - 88. Acceptis humanissimis litteris tuis, immensa quaedam laetitia me totum obsedit. - 89. Emoriar, si quisquam accidit iucundius tuis litteris. - 90. Dispeream, si quid in vita suavius obtigit tuis litteris. - 91. Ita me caeli ament, ut nihil ante haec accidit tuis litteris gratius. - 92. Cave credas rem ullam obici a fortuna posse iucundiorem, quam tuae sunt litterae. - 93. Quam ipse carus es animo meo, tam me iuvant tuae litterae! - 94. Papae! quantum gaudiorum, tua mihi excitabat epistola! - 95. Quantum risus, quantum plausus, quantum tripudiorum tuae nobis attulerunt litterae! - 96. Elegantissimas tuas litteras legens, insolita quadam laetitia tangebar. - 97. Calamus tuus me gaudiis exsaturavit. - 98. Multam voluptatem mihi tua praebuit epistola.

(*Etiam atque etiam*).

HERMINIUS M. IACOBELLI.

AESTHETICAE NOTAE

De exquisita eaque singulari animi virtute in pulchrum, quae « Genius » dicitur. [1]

Cicero loquens de Phidiae simulacris, « quibus nihil in illo genere perfectius videmus », ait: « Nec vero ille artifex quum faceret Iovis formam aut Minervae, contemplabatur aliquid e quo similitudinem duceret: sed ipsius in mente insidebat *species pulchritudinis eximia* quaedam, quam intuens in ea defixus, ad illius

[1] Cfr. fasc. sup.

similitudinem artem et manum dirigebat».[1] Pariter Bonarrotus rogatus quidnam eum duceret in delineandis suis simulacris: «Quaedam - ait - *idea*». Raphaël testatur se in efformatione *Galateae* usum fuisse *quadam idea.*[2]

Haec «eximia species», haec «quaedam idea» a recentioribus vulgo «*Ideale*» vocatur. Non est quaevis forma, typus vel exemplar, sed utique forma eximia, typus perfectus, fulgidum exemplar, quod artifex sibi effingit et mente gerit. Evehere ad praecellentem gradum proprietates perfectionesque, quae hîc illic in individuis unius vel alterius speciei, alicuius ordinis vigere cernuntur, easque colligere et exprimere in uno aliquo, et ab eo removere omnes imperfectiones est quod «*Idealizare*» in arte appellatur. Hoc modo *genii vir* non fidele quidpiam pingit, sed ipsam quasi fidelitatem; non levem, prudentem, magnanimum, astutum, heroicum, pium...; sed levitatem, prudentiam, magnanimitatem, heroa, pietatem.

Sed, est et creatrix Genii actio, est quaedam generatio, qua *ideale* concipitur, foecundatur, animatur; haec *inspiratio* dicitur. In spirituali hac generatione, quae uno temporis momento habetur, simul concipiuntur materia et eximia forma. Attamen tempus inspirationis perdurare censetur usque ad operis perfectam efformationem. Id est: in primo istanti *idea concepta* velut semen invenitur, quod decursu temporis expletur, evolvitur usque ad completum typum. Durante inspirationis statu, omnes hominis facultates, in uno defixae centro, in maxima versantur tensione atque eodem inflantur spiritu; artifex enim febrim, debilitatem ex labore nimio, irritationem sensuum, aestum, delirium pati quoque solet. Inspiratio potiusquam reflexionis et libertatis, intuitionis, spontanea actio reputatur. Genius intrinseca ac nativa sua virtute operatur; attamen saepius indiget ut extrinsecus foecundetur.

Quamquam Genius nullius praeiudicii et consuetudinis est servus; nullo civium ardore et tumultu, nullo minitantis morbi pavore, nullo rigido Aristarcho quatitur: sua fretus potentia et tenax propositi vir, etiam si *fractus illabatur orbis*, impavidus ferietur ruinis. Solitarius saepe deget, multitudinis clamores fugit, unde turba hominum illum fatuum et delirum putat.

Nihilominus et Genius valetudini, temperamento, sexui, aetati, institutioni, abnormi rei plus minusve concedit atque solvit tributum: hoc vero non prohibet quominus nova quaeque confingat. Hinc diversitate qualitatum, varia artificum indoles: alius musicus, alius poëta; alius blandus, alius austerus; alius comicus, alius tragicus..... Felices ii pauci, quibus natura simul donavit multiformis virtutis suae thesauros. Versatilis esse Genius potest,[1] non vero universalis, qui scilicet eunctas in omni genere artis eximias illas formas creare et repraesentare valeat.

Ex huiusmodi operum diversitate exsurgit quaedam Genii partitio – ut verba vulgo commodemus – in *artisticum, scientificum et practicum* (operosum).

Primus summopere refulget *imaginandi facultate*, qua artes pulchrae florescunt; secundus *ratiocinandi vi*, qua disciplinae procreantur; tertius *voluntatis robore*, quo illustria gesta patrantur. Aliis verbis: supremus gradus synthesis, quae est specialis mentis operatio, qua diversa phantasmata, intellectiones, volitiones ad unum reducuntur, Genios discriminat.

[1] *Orator ad M. Brutum.*

[2] *Epistola ad Comitem Castiglione.*

[1] Italorum Genius *per antonomasiam* versatilis est: pulchra habemus exempla illorum, qui fuere modo pictores, modo sculptores, modo poëtae, architecti, musici, ceramistae, gemmarii etc., uti Cimabue, Giotto, Leonardus a Vincis, Bonarrotus, Della Robbia, Cellini, Salvator Rosa, Bernini.

Supremo gradu synthesis, quae repraesentationes sensibiles inter sese dissociatas ita componit, ut aliquid novum phantasma efformet, exornantur sculptores, pictores, poëtae... Supremo gradu synthesis inter intellectiones, iudicia, conclusiones, demonstrationes.. philosophi mathematici praeeminent. Supremus gradus synthesis inter volitiones distinguit legislatores, duces militum, politicae societatis auctores, religionis reformatores.

Circa mores, Genius dicitur *bonus* vel *malus;* bonus ad humani generis perfectionem suam praestantiam dirigit: malus vero fallaci mente, perverso corde ad ruinam incitat.

Restat ut de Genii origine et causis dicamus; ne vero longiores hodie simus, hoc argumentum ad alium numerum delegamus.

G. Lepore.

AD MORIMUNDUM

Quid sibi vult hoc nomen *Morimundum?* Si verbi originem inquiras, hunc fortasse sensum eruere poteris, ita voluisse locum appellare, ubi aliquot homines, terrenis cunctis cupiditatibus ablegatis, mundo pectore, Deo omnimode inservientes, ad caelestem patriam unice contendunt. Alii vero, et melioribus fatis innixi, hoc nomen inditum fuisse dicunt a primis religiosis, qui pium locum obtinuerunt, et a patria, in Gallia, *Morimond,* olim profecti, novis aedibus patrium suo nomen de nomine finxerunt.

Gens Viscontea, tot egregiis facinoribus illustris, vel a saeculo duodecimo Christiano, aliorum eius aetatis vestigia ingressa, hanc domum religiosam aedificandam curavit, amplissimis iuribus, honoribus et privilegiis honestavit, ut omnes qui mortalia contemnerent, illuc, tamquam ad tutissimum salutis portum, recipere se possent.

Haec sacra domus Cartusianorum tibi ab urbe Insubrum capite *Albiatum Grassum* profecturo, in medio quasi itinere ad laevam latissime patet. Ibi enim olim amplum erat devotumque coenobium, ibi et centum et amplius viri ad caelestia unice spectantes, Deo inserviebant atque hominibus. Saepissime fiebat, ut in illis difficillimis temporibus, et principes civilium iactationum defessi, ibi animabus requiem quaererent, quam frustra in rebus publicis praeoptabant. Ibi invictos ab illecebris cunctis sese exhibentes, praeclarum se praestabant magnarum virtutum exemplar, et umbratili unice vita fungentes, volventes revolventesque sacra volumina, ita in studia incumbebant, ut ad populum egregie saepe orarent, et nulla potentiorum audacia perterriti, non rebus dubiis, nec perditorum contumeliis fracti, animis nova spe recreatis, pacem ac tranquillitatem adferrent. Ad haec hominibus, praeter omnium opinionem, graves difficultates eluctantibus, verba in aeternum profutura, libero ore proferebant. Sic laude virtutum hominumque frequentia creverat, ut cum percelebri Ticinensi Cartusia de principatu decertare videretur. Omnia circum pietatem redolebant, otium animis christianae ecclesiae iucundum ferebat atque immensa agrorum planities in pauperum commodum redacta, Mediolanensium nomen renovabat.

Ad haec

Arbor ibi niveis uberrime pomi,
Ardua morus erat,

quae beatiorum epulas recreare ad emolumentum pauperum consueverunt. Miseri et incolae sub devotorum virorum studio praescriptoque agros colere, novum solum terque quaterque exscindere, et vites teneras ulmis adnectere, unde datis temporibus, et larga messis hilararet in arvis, ad late populi fortunam augendam. Reli-

giosi enim non sibi adlaborabant sed aliis, et quidquid ex solo producunt, ad alienas manus profluit.

Haud ita procul a Francisco primo, Gallorum rege, olim cum Carolo V infeliciter pugnatum est, et eorum milites morbis vulneribusque confecti in fratrum amplexu et munificentia hospitium et salutem ultra receperunt.

Aedificii, quod praeter fratrum cellulas, *monumentum* esse *aere perennius* videbatur, *regalique situ Pyramidum altius,* nunc ex tot rerum divitiis locique sanctitate unum restat, templum scilicet, amplum equidem, picturis exornatum et statuis, quod, licet temporis iniuria atque squalore, antiquam nobilitatis memoriam exhibet. Cetera, etsi pulcherrima sanctissimae domus ornamenta, veluti pulvis, evanuerunt.

Nec autem Rutuli hoc fecerunt, sed ipsi Christiani, qui a Gallia prolapsi, omnia populati sunt, et patriam falso ac philosophiam professi, omnia dilapidaverunt atque ad nihil redegerunt.

Quam recte, quam iure: *Ubi solitudinem fecerunt, ibi pacem adpellant!*

In barbarorum calumniam adhuc templum remanet, cum turri sacra, quae in levissima agri planitie posita, ad Ticinum flumen pertinet. Nullum transactae dignitatis vestigium refulget, sed parvula quaedam et raris habitata mapalia tectis, quae viatoribus dicunt: Hîc *Morimundum* fuit!

SUBALPINUS.

ANNALES

Germanorum res.

Peritorum collegium ad oeconomicam Germaniae vim inquirendam constitutum, iudicium suum tandem aperuit, rationesque protulit per quas, iuxta mentem suam, Germanis pecuniam ad belli damna resarcienda solvere potestas fieret. Certas nempe singulorum annorum solutiones in singulorum victorum utilitatem proposuit, novasque pactiones, et eas decretorias, in quibus refectiones omnes in unum conglobarentur. Sed de amburenti, ut ita dicam, illa Germanici territorii pignoris quaestione ne verbum quidem; ita ut si Galli ex huiusmodi sententia satis contenti appareant, de Germanis idem dici nequeat. Ceterae vero nationes fere omnes peritorum cogitatis prorsus assensere, praeter Belgicam, quae ab iisdem peritis requisivit, ut et rationes quoque significarent quibus in rem deductiones suas transducere crederent.

***

In Graecia.

Graeci administri regimen populare a se inductum nunc firmare satagunt, imprimis aliarum nationum eius approbationem sollicitantes; quam quidem iam ab Italia, Anglia, Gallia, Belgica et etiam a Turcis obtinuere.

***

Proximi conventus.

Interim novi conventus nunciantur inter primos Europaearum gentium administros: Londini, Belgarum - qui iam Lutetiae Parisiorum cum Poincaré colloquium habuere - cum Mac Donald, Anglicarum rerum supremo moderatore; qui vice sua Gallos inviset, postquam illic populi comitia fuerint rogata. Alius conventus Mediolani erit cum Benito Mussolini, Italici gubernii praeside, qui iam favorem civium suorum in comitiis die VI Aprilis habitis amplissime confirmatum sibi vidit.

Faxint Superi, ut quae vota de vera atque diuturna pacis compositione tamdiu ab omnibus nuncupantur, tandem aliquando efficax rex consequatur.

Kalendis Maiis MCMXXIV.

POPLICOLA.

HORAE SUBSECIVAE

Coena Modiliani.

Nil te parcius est, Modiliane,
Qui coenas semel in die libenter.
Hora post mediam diem peracta,
Mensae lancibus, amphoris refertae,
Thecis pixidibusque mox recumbis,
Alec, pernaque ius praeit, botyrum,
Et prunum, botulusque, crustulumque;
Quam circumdat olus venit bovilla
Elixa, assaque, succulentiorque.
Haec acris sequitur phalanx volucrum
Cum pulli, vituli suisque et agni.
Istis mystica nec deest placenta:
Ponuntur casei, tuceta, mala,
Et mons astapidum atque amygdalorum,
Inter Burdigalense, Tusculanum,
Rhenanum, Siculum atque Veliternum.
Hora denique tinniente sexta,
Gustans salgama, nectar et pitissans,
Surgis nempe levis, Modiliane.
Haec ructans Arabamque thermopotas,
Et sugens calamos trabes vaporas.
His coenas semel in die libenter;
His vivis satis in die libenter;
Quid te parcius est Modiliane?

F. X. B.

SACERDOTI EX ORDINE S. FRANCISCI

INTER EQUITES CORONAE ITALICAE ADLECTO.

Fratrum Minorum pauperem
qui fers cucullum, Candide,
domique gaudes et foris
pedester ire ac nudipes:

Quid nunc ages, diplomate
incorporatus regio
inter Sodales, queis decus
et ius equestre contigit?

Ibis-ne vectus hinc equo?
tectusque tibialibus
suras? pedesque calceis
nigrante BRILL [1] *splendentibus?*

Addes-ne calcar aureum
tuis cothurnis, cornipes
ut discat acer Africum
Eurumque cursu vincere?

Non haec revolvis pectore:
Equestris in te dignitas
nil a severis detrahet
Fratrum Minorum moribus.

Diploma namque charteum
tibi quid affert? Non equum,
nec calcar aut ephippia,
nec ocreas aut calceos.

Unam, levi cum taenia,
metallicam donat crucem;
sed ditiorem tradidit
Seraphicus tibi Pater,

Qui, sacra nactus Stigmata,
Alverniano e vertice
suo refert in corpore
Impressa Christi vulnera.

FRANC. XAV. REUSS.

[1] Ceroma splendidi nigroris calceis illitum, cuius nunc fama volat per orbem.

***

Aenigmata

I

Masculus immineo pelago; si *foemina* campis;
Neutrum sum fructus. Vox inimica Deo est
Quarto sonans pariter; *quinto* dum voce ciebis
Singula, prae reliquis desiderata leges.
Sic nomen verbumque simul me habuere Quirites,
Quinque notis tantum nomina quinque ferens.

II

Sum verbum? Raucam vocem designo canis nam.
Sum nomen? Fuge me, ne spoliere bonis!

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: I) *Omen, Nemo;* II) *Fanum, Fenum.*

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

LEPIDUM CAVILLUM [1]

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

PROLOGUS. [1]

Sumus Collegii nos alumni plurimi,
Bonis qui litteris navamus operam;
Amoenis rebus acrius si possumus.
Ego at qui missus ad vos sum pro ceteris
Alloquor vobiscum ore confidentius.
Atque ita gratias mereo quam maximas,
Istoc nam seculo nituntur homines,
Verbis ingenium velare cautius...
Sumus sinceri mea nos modestia!
Sic irridemns, et libenter ludimus
Nostros quos simplices socios offendimus;
Datur nam rarior ridendi occasio...
At hodie... dicam vestris in auribus,
Ne quis, nec aër ipse verba accipiat...
Est ipse in causa maximus Superior,
Hanc qui piscatus est balenam maximam.
Erit si causa ridendi, vos dicite.
Nostro in Collegio, multis iam temporibus,
Agit curator coercendis mercibus,
Bonus, prudentia cunctis notissimus...
Dolis in fingendis aptus, intelligens;
Hinc magnam sibi suscitat invidiam.
Est qui triumphis invidat huiusmodi,
Et ipse Oeconomus Collegii veteris...
In illis nascitur bella aemulatio.
Modo iste litteris accusat alterum,
Modo ille nititur alternis fraudibus,
Suis ut illudat hunc sycophantiis.
Hinc inde vigilant apertis oculis;
Timent ne callidus serpens insinuet...
Hostes adrectis auribus dum remanent,
Student certatim pellere adversarium,
Venit obscuris litteris epistola:
« Domi quatuordecim nobis sunt cadavera;
Istuc sepultum septem libenter mittimus ».
Rector, qui cuncta pensat et recogitat,
Hoc mane forte recipit epistolam
Tectumque novit Collegii nuncium...
Moerore tactus, moestus infortunio,
Scribit ne mittant: exspectent et litteras!
Illinc rescribitur, currenti calamo:
« Omnino serius! Missa sunt omnia ».
Gravis tunc animi fit perturbatio;
Tractatur tacite saepe cum medico,
(Nullus ne resciat grave infortunium,
Et nos moestitia gravemur maxima)
Quid sit agendum rebus sic in arduis,
Et qui soletur diligentius mittitur...
Astant interdum ceteroquin mortui!
Ut sint, et actio quae vertatur bellule,
Est accipienda vacivis auribus...
Sic omnis currit actio brevissima.

[1] Erit *Prologus* unus ex Collegii alumnis.

PERSONAE ACTIONIS.

RECTOR COLLEGII.
PROCURATOR.
MEDICUS.
IANITOR.
PAROCHUS
PRAETOR.
PUER TELEGRAPHI.
PUER STATIONIS.
BAIULUS.
IUVENES.

SCENA I.


IANITOR, *qui deambulans et manu tenens litteras secum loquitur.*

Qui est quod video meis nunc oculis?
Meisque propriis auribus sentio?
Hae, quas silentii dicebas antea
Fores, nunc resonant multis clamoribus...
Et ipse Rector, percrebrescit undique
Verbis et tussi, mutus qui nuper erat.
Quid est? Et unde magna differentia?

(*Ad proximum numerum*).

N. XI – FASC. VI MENSE IUNIO MCMXXIV

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Iunio MCMXXIV Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE SANCTORUM COMMUNIONE

Nuperrime indictus est « Annus Sanctus », qui dicitur *Iubilaei*, quique in mentem revocat pulcherrimum, ac consolationis plenum, dogma *Communionis Sanctorum*. De hoc argumento iuvat pauca delibare, quo efficacius Christifideles ad festa ventura se praeparent.

Per hunc Symboli articulum credimus membra Ecclesiae, ob intimam unionem cum Christo, inter se quoque coniungi et in iisdem spiritualibus bonis communicare. Duo itaque importat, nempe arctam necessitudinem cum Christo et inter se, et eorumdem bonorum consortium.

***

Primum quidem asseritur in iis Scripturae textibus, qui exhibent Christum ut *Vitem*, a quo palmites alimentum suscipiunt, et *Caput*, a quo membra vitam et motum depromunt.[1] Dominus enim Iesus vi Incarnationis constituitur hominum caput ad merendum et satisfaciendum de *condigno* pro nobis, atque idcirco ita fit una nobiscum persona *mystica*, ut ipsius actiones nobis prosint, quemadmodum uni homini actio propria prodest et inservit.[1]

Hinc omnes, quorum Caput est Christus et qui sunt eius membra, unum cum ipso fiant omnino oportet. At, si cum Christo unum sunt, unum quoque inter se fieri necessitudo divina requirit.[2]

Porro coniunctio hominum inter se triplicem postulat unionem, *fidei* scilicet, et *cultus* et *regiminis*, ut easdem credant *veritates*, in iisdem conveniant *sacramentis* iisdemque se subiiciant et obtemperent *pastoribus*.

***

Alterum assertum enuntiat bona spiritualia membris communia esse.

Quod ut probe intelligatur, recolendum erit bona Ecclesiae spiritualia duplicis esse generis: alia scilicet *interna*, ut fides, spes charitas, gratia sanctificans et ea quae statum gratiae comitantur; alia *interna simul et externa*, quae nempe, licet

[1] Cfr. IOAN., XV; *Ephes.* IV.

[1] Ad rem S. Thomas: « Caput et membra sunt quasi una persona mystica; et ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet sicut ad sua membra » (III P., q. XLVIII, a. 1 ad 1).

[2] Cfr. S. AUGUSTINI, *Tract.* XXVI in *Ioan.* et *Serm.* CCLXXII; *P. L.*, XXXV, 1163, et XXXVIII, 1247.

exterius pateant, effectus habent interius, ut sacramenta, missae sacrificium, suffragia et orationes Ecclesiae.

Prioris quidem generis bona competunt solis iustis et in commodum singularis personae cedunt; at possunt toti Ecclesiae prodesse, quatenus valent iusti mereri de congruo pro aliis, et aliis tribuere satisfactiones suas, quae quidem meritis Christi et sanctorum coniunctae, *thesaurum* Ecclesiae efficiunt. Quapropter Clemens PP. VI. postquam exposuerit Christum per effusionem pretiosissimi Sanguinis *thesaurum militanti Ecclesiae* acquisivisse, addit: « *Ad cuius quidem* THESAURI *cumulum beatae Dei Genitricis omniumque electorum a primo iusto usque ad ultimum merita adminiculum praestare noscuntur* ».[1] Hinc Leo X damnat propositionem Lutheri: « *Thesauri Ecclesiae, unde Papa dat indulgentias, non sunt merita Christi et sanctorum* ».[2] Et S. Pius V proscribit hanc Baii propositionem: « *Per passiones sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta* ».[3] Denique, *Codex* Iuris canonici recolit *thesaurum* Ecclesiae.[4]

Itaque certum et exploratum est in doctrina catholica satisfactiones sanctorum ad *thesaurum* Ecclesiae pertinere, imo vim quamdam piacularem habere ad redimenda peccata, respectu scilicet poenae temporalis.

Quoad bona vero alterius generis, liquet illorum esse participes omnes eosque solos, qui triplici vinculo coniunguntur: unitate videlicet *fidei*, et idcirco excludi infideles et haereticos; et unitate *communionis*, ac proinde excludi excommunicatos; et unitate *regiminis*, et hinc excludi schismaticos.

[1] DENZINGER, 552.
[2] Idem, 757.
[3] Idem, 1060.
[4] Can. 911.

Omnibus tamen subvenit aliquatenus Communio Sanctorum, eo quod precibus et bonis operibus quae in Ecclesia fiunt movetur misericors Deus ut locupletiores gratias pro conversione largiatur.

***

Dicitur merito *Communio Sanctorum*, quia omnia Ecclesiae membra aliquid sancti habent, saltem baptisma; ad sanctitatem vocantur per sancta media, nempe doctrinam revelatam et gratiam supernaturalem; in quibusdam bonis sanctis participant, ut explicatum est; et quia multiplex viget in Ecclesia sanctitas, videlicet sanctitas *communis* per observationem praeceptorum, sanctitas *perfecta* per observationem praeceptorum et consiliorum evangelicorum, ac sanctitas *heroica*, quae interdum etiam per miracula se prodit.

Nec loco aut tempore Communio illa restringitur, sed habetur etiam cum beatis in caelis regnantibus, quos nos colimus quique pro nobis intercedunt, et cum animabus in purgatorio patientibus, quas possumus nostris suffragiis iuvare, quaeque, modo qui sibi possibilis sit, nos Deo commendant.

Quocirca Communio Sanctorum sensu pleno accepta innuit Ecclesiam militantem, Ecclesiamque purgantem et Ecclesiam triumphantem, sub uno Capite, eodem charitatis vinculo coniungi.

***

Quamquam conceptus fuit paullatim perpolitus, substantia doctrinae ab initio traditur.

Nam ea quae recolit evangelium Ioannis de Christo vite et de christianis palmitibus,[1] deque arctissima cum Christo et inter nos unione, quae cum summa Trinitatis unitate confertur: *Sint unum, sicut et nos unum sumus*;[4] et pariter quae disserit Paulus de corpore mystico et membris, quae mutuo sibi adhaerent et compatiuntur,[2] omnino enuntiant et coniunctionem christianorum inter se sub uno Capite, et verum in iisdem spiritualibus bonis consortium.

[1] IOAN., XV.

Traditio priorum saeculorum iam accurate meminit fideles in bonis operibus communicare seseque mutuo iuvare, siquidem S. Ignatius Martyr pro grege hostiam se offert, et Tertullianus ait omnia in Ecclesia membra « ad remedium collaborare ».[3]

Imo ante saeculum IV asseritur necessitudo cum Ecclesia triumphante quidem, nam *Martyrium S. Polycarpi* recolit celebrari iam *natalem* diem martyrii et honorari martyres;[4] et vivos sese orationibus martyrum commendare tradunt inscriptiones Catacumbarum;[5] cum purgante quoque, nam vivi defunctis *refrigerium* postulant: « Pro anima eius orat et refrigerium interim adpostulat ei ».[6] Iterum Catacumbarum inscriptiones refrigerium defunctis exoptant.

Saeculo autem IV, perficitur conceptus, ac demum S. Augustinus, qui doctrinam de vera Christi Ecclesia contra Donatistas strenue vindicavit,[7] absolutam quoque exhibet notionem dogmatis de quo agimus. Duo quippe praecipua elementa, quae explicavimus, assignat. Primo, arctam unionem membrorum inter se sub Christo Capite et cum eodem Motore divino, scilicet Spiritu Sancto: « Totus Christus et caput et corpus est... Societas unitatis Ecclesiae Dei tamquam proprium opus est Spiritus Sancti, Patre et Filio cooperantibus ».[1] Secundo, consortium in iisdem bonis, eo quod communem habeant vitam: « Officia diversa sunt, vita communis ».[2] Synthesim demum exstruunt et coronant theologi scholastici.

Ceterum, finis verae theologiae est ut omnes Christi fideles eidem Capiti semper eodem charitatis vinculo coniungantur, quo tandem fiant eiusdem felicitatis participes.

EDUARDUS HUGON, O. P.

[1] IOAN., XVII, 21, 22.
[2] *Ephes*, IV.
[3] S. IGNAT., I *Cor.* XXXVIII, 1; TERTUL., *De Poenit.* c. X; *P. L.*, I, 1245.
[4] *Martyrium Polycarpi*; *P. G.*, V, 1041.
[5] DE ROSSI, *Roma Sotterranea*, II, 17, sequ.
[6] TERTULL., *De Monogamia*, c. X; *P. L.*, II, 942.
[7] Cfr. *De Unitate Ecclesiae* et de *Baptismo contra Donatistas*; *P. L.* XLIII.

Athenaeorum mores

VETERES ET RECENTIORES

Quae nuper celebrata est Neapoli antiqui illius athenaei centenaria commemoratio, in mentem revocavit nonnullos veterum athenaeorum mores, quos iucundum est repetere.

Itaque si syllogen pervolutamus a Roberto von Mohl editam, ex Tubingensis athenaei collectam legibus, quae inscribuntur: « Constitutio et ordinatio scholasticae universitatis studiorum Tubingae cum expositione statutorum d. d. feria sexta post cathedram Petri 1518 », praeceptum invenimus ut iuvenes sacris concionibus litaniarumque recitationi fideliter adsisterent; quod si quis, contra, dum concio haberetur, civitatem vel agros lustrans ab athenaei clavario deprehensus esset, rectoris arbitrio poena erat mulctandus.

Item periuris vel blasphemantibus, vel iis qui conviciis contubernales insectati essent, quindecim *Kreuzer* solvendi poenae nomine erant; et si quis districto gladio comitem esset aggressus, viginti et duorum *kreuzer* mulcta in illum constituta.

[1] *Serm.* CXXVII, 1, et *Serm.* LXXI, c. XX; *P. L.*, XXXVIII, 754, 465.
[2] *Serm.* CLXXX, I, 6; *P. L.*, XXXVIII, 1283.

Singularium pariter certaminum erant iuxta exitum pretia: si absque sanguine, unius tantum floreni; si levi vulnere, in duplum; si, contra, gravi vulnere vel nece, rectoris arbitrio poena relinquebatur.

Si quis inter athenaei aedes ensem distrinxisset, vel rectori tradere, vel floreni pretio illum redimere obstringebatur; neque tamen nimis longum cingere licebat, eumque et balteo pendulum tantum; non vero, ut militum est, elata cuspide arroganter circumferre.

Quae vero de armis hîc adnotantur, non semel, sed iterum iterumque cauta sunt, itemque de iuvenum vestibus multa constituta, ne phrygio opere ornatas induerent, neque pallium vel femoralia militari ritu confecta, neque coactiles pileos, vel pileos illos - uti in statutis legitur - « oblongos, quibus turcica barbaries delectatur »; unus enim aptus discipulorum dignitati, pileus implumis et cuiusvis expers ornamenti. Ipse Ulricus Dux, in rescripto die XII mens. Aprilis MDXLVII edito, de inobservantia legum, quae vestes respicerent, querebatur, quod neque armis neque habitu iuvenem studiis vacantem a milite vel ab artifice amplius distinguere liceret.

De nuptialibus pompis multa cauta erant; at quod primum statutum fuerat, ne unquam illis iuvenes adsisterent, anno MDXIV academici senatus decreto mitigatum videtur, quo vehementer iuvenibus est commendatum, ut graviter saltem ac modeste sese gererent

Et quoniam de nuptiis loquimur, multos auditorum uxorem liberosque habuisse, satis ex memorata sylloge patet. Anno enim MDLVI Thalheimer quidam, uxore intercedente, e vinculis liberatus fuit; anno MDLVIII auditor alius ebrietati deditus, qui vel noctu civitatem strepitu perturbabat, nonnisi ob Frau uxoris filiorumque pietatem a senatu veniam obtinuit. Eodem anno, die Iulii mensis decima prima, Ioannes Kupferlein perditis moribus, lectionibus infrequens, uxorem verberans, per quatuor hebdomadas in vincula datus est. Quae tamen quum ad illius emendationem frustra evasissent, qui in peiora quotidie ruens, ut Baccho libaret vel libros venierat, die XII mens. Ianuarii MDLIX ex athenaeo pulsus est.

Omnium vero insolitum ac scitu curiosum documentum est d. XI mens. Decembris MDXCVI datum, quo de iuvene quodam, cui nomen Leipziger, qui, uti fama manaverat, animam suam Satanae tradiderat, relatio fit.

Oblato senatoribus libello, theologiae lectores ad inquisitionem constituuntur, ut Leipziger interrogarent, num a multo iam tempore cum Beelzebub colloqueretur, an et quoties pecuniam ab eo accepisset, an et quales libros ad rem legisset, etc.

Iuvenis respondit, se illius criminis semel tantum noxium fuisse, sed a diabolo nec as quidem accepisse; sese autem ad tantum facinus una de causa perductum, quod ducentorum florenorum et amplius aere alieno obrueretur. Mentem denique sibi fuisse ad duos annos pactionem cum diabolo instituere; quodsi intra temporis intervallum morte corriperetur, eam infringens, se validiori tutum divino patrocinio protestaturum. Quam rei confessionem quum senatus audivisset, ad aliquod tempus illum in vincula detrusit, decrevitque, ut ad sacram synaxim se iterum disponeret, atque simul ad dimidium anni domi semper maneret, nisi quum ecclesiam esset aut scholam aditurus. Ecquid vero? Exactis nonnullis hebdomadis novus libellus oblatus est, quo Leipzigerium illum non ad orationem nec ad scientiam tantum e domo egressum accusabant, sed cauponas et tabernas ad bibendum pluries iam adiisse, atque... tria argentea pocula totidemque argentea cohlearia furatum fuisse!

(Sequetur). A. C.

De Diaconia ad S. Eustachii martyris notitia historica

Vetustissima Eustachii martyris Diaconiae memoria, Gregorium Magnum Pontificem attingit; sanctoque militi ac martyri sacellum, in Agrippae templi substructionibus ad Pantheon erectum et « iuxta templum Agrippae in regione nona seu in *Platana* » nuncupatum, tunc temporis exstitisse constat. Leonem III Pontificem Maximum, pallio argenteoque diademate Confessionis altare donavisse traditum est.

Subsequentibus saeculis, quum Longobardis Farfensibus, qui Sanctae Mariae ad Cellas - nostra aetate Sancti Ludovici Gallorum - in templo insidebant, diutina pugna Eustachii templum luctavisse accepimus, quum Caelestinus III, decimo secundo saeculo, collapsam fere Diaconiam restauravit, eamque tam splendido apparatu consecravit, ut « ad ea usque tempora nulla similis exstiterit ».

Templum quod hac nostra aetate videre est, exstructione atque opere, XVIII saeculi aevum arguit, atque ex antiquo aedificio, *turris campanaria* unum venerabilis antiquitatis artisque romanicae documentum exstat.

Pietatis in Sanctum bellatorem ad nos usque memoria insignis superfuit, quod Romani Patres senatoria dignitate gaudentes, Ferrariam urbem a Clemente VIII feliciter vindicatam commemorantes, *pallio* seu *rubra planeta,* Eustachii Diaconiam, eiusdem in die sollemni festo, donare consueverunt.

Quae memoriae tradatur dignissima huius Diaconiae laus est, quod in *Bulla erectionis Romani Athenaei* a Bonifacio VIII pridie Nonas Iunias, anno Salutis millesimo trecentesimo tertio edita, Sancti Eustachii Archipresbytero, bullae exsequendae mandatum defertur; bulla equidem « in supremae praeeminentia dignitatis » in Secretario eiusdem templi asservata, idem templum « quasi stoam, porticum Romani Gymnasii » effecit. Exinde, ad Sancti Eustachii doctores omnes ac tirones pie convenientes, annum academicum inaugurabant, discipulique apollinea lauro donati, omni solemnitatis apparatu, ibidem doctores renunciabantur.

Nescio qua vitae Cardinalis Wiseman descriptione traditum est hunc *Sapientiae* discipulum, ut praelectiones inter animum relaxaret, ad altare Eucharistiae sacrum se contulisse ubi, nostra quoque aetate, imago depicta Virginis Intactae summa veneratione ac celebritate colitur. Quibus in agendis, is S. R. Eccl. Cardinalis pene designatus, bina nostrae Fidei quam suavissima mysteria mente ac consideratione complectens, pollicitus est in iis mysteriis defendendis, se in patriam schismatica lue a Petri Sede aberrantem quum reversus fuerit, pro viribus pugnaturum: res propositum excepit.

Ex iis quae nuper explanavimus ratio patet, qua iuris cultores laude dignissimi, ad Sancti Eustachii dormitionis locum invenerint. Purpuratorum patrum qui patrocinii munere functi sunt, summorum virorum, qui sanctitate vitae, doctrina iuris, humanis litteris excelluerunt, agmen amplissimum templum hoc nobilitavit. In quibus memoria dignos nonnullos recensebimus: Beatus Raymundus Nonnatus; Ugolinus e comitibus Signiensibus, qui postea Papa Gregorius IX renunciatus est; Raynaldus eiusdem nepos; Alexander IV; Riccardus Petroni Senensis; Aeneas Silvius Piccolomineus, postea Pius II Pontifex; Franciscus eius nepos, ac qui postea Pontifex Pius III eum suscepit.

Romana quoque Synodus, quam Benedictus XIV excellentissimam declaravit, a Summo Pontifice Pio II hoc in templo celebrata est.

Benemerentissimus Nereus Maria Corsini, S. R. Eccl. Cardinalis, Clementis XII nepos, diutino cardinalitiae dignitatis cursu, templum restauravit, novo exquisitoque opere exornavit, itemque porphyretica urna sanctorum martyrum patronumque reliquias condidit, quorum in honorem altare pretiosum affabre expolitum dicavit.

Nuper Benedictus XV, qui eadem in Ecclesia munera sacerdotalia exercuerat, per redditus ac privilegia et Capitulum et Paroeciae opera munifica donatione ditavit.

A. Aureli.

Sacrarum missionum expositio Romae

Grandis atque universalis rerum hominumque concursus mox in Urbe paratur. Namque dum Pius XI Pontifex Maximus, qui decessorum suorum vestigia secutus, magnis insistere rebus solitus, adpetentem annum sanctum in animarum salutem indixit, solemnem quoque sacrarum exterarum missionum collectionem annuntiat. Eius enim consilio praescriptoque omnes religiosi Ordines convenient qui abhinc septem et amplius annos, ad populos, adhuc in errore versantes, pietate colendos morumque disciplina ad sanctitate informandos adcurrerunt.

Opera autem eorum, divina opitulante gratia, plurimi viri barbari Christianam professionem sunt amplexati, strenuamque Christiano Nomini operam navarunt.

Sunt, uti constat apud omnes, apud aedes Vaticanas celeberrima viridaria, quae animi causa, et curis orbis soluti, Pontifices Maximi, soli amoenitate et maiorum monumentis iucunda omni cultu exornarunt, ut liberiore caelo animum renovarent.

Locus multis itaque egregiis statuis fontibusque decoratus, vel tot labentibus annis, adhuc hospitibus cuiuscumque nationis in exemplum enitescit.

Olim enim, quum Italorum regna manerent, notissimi fama erant Sallustiani horti, et Maecenatis, renatisque rebus, Romae praesertim viri excellentissimi villas amplissimis viridariis auctas, operibus udo illitis, signis marmoreis decorarunt. Nunc, probe pudor! Anglicos nos hortos serviliter adpellare consuescimus.[1]

Hisce in viridariis opus est admirandum incoeptum et cura ingenioque virorum, quibus est hoc munus demandatum, in tempus perficietur. Quae erit ibi rerum multitudo, quaeque populorum morumque varietas, quae demum notitiarum enarratio, ante oculos graphice ad hilarandum sese exhibebunt!

Ac propterea plurimas gratias, mea quidem sententia, agere debent populi Pontifici Maximo maioresque habere, si haec quoque cognoscent. Quum enim, post Americam inventam, Hispani et simul Lusitani, alii alio dilapsi, animis hostilibus, exterorum populorum regiones peterent, et dictis pacem populis afferre portenderent et prosperitatem, re autem vera, ut eos armis obtinerent imperioque regerent, missionarii, sacris suis expeditionibus populos ad pietatem unice excolebant, eosque pro viribus beatiores et in terris efficere studebant, aeternam beatitatem obtenturos esse fidentes.

Missionarii tamen, veluti gens peregrina, postquam strenuam pro christiano Nomine operam egissent, divina unice mercede contenti, securi diem supremum obibant.

Hac vero occasione, quot hominum nomina, ceteroquin optime de patria et religione bene merita, in vivorum memoriam gratulabundi redtbunt!

Praemia magna quidem, sed non indebita poscunt.

Semper enim mos fuit, uti perhibetur, Romanis Pontificibus vel ab initio Christiani Nominis, apostolos aliquot, pietate religionisque studio insignes, ad gentes externas mittere, qui Christi institutionibus erudirent. Quo facto, si Roma antiqua imperio gentes subigebat, et per Vergilii carmina, Romanorum superbia ad maiora semper efferebatur, quum firmissime sibi persuasum esset, divinitus ei adscribi:

Tu regere imperio populos, Romane, memento,

Deus ita disposuit, ut Roma nostra non iam armis et sanguine, sed amore et sanctis christianae religionis institutis eos ad meliorem frugem revocaret, atque ita homines sui iuris et mancipii facti ad humanitatem informarentur.

Ut ad rem veniam, paucis hîc me absolvo. In viridariis Vaticanis magnus fiet proxime missionariorum concursus, et undecim potissimum Ordines religiosi, quorum nomina, honoris gratia, scripta sunt, ea ex suis sedibus mittent, quae pretiosiora aestimentur, ut in suis splendidis tabernaculis locentur. Iam fervet opus, iam in illo celeberrimo colle, *qui plurimus urbi imminet*, construuntur lignea tentoria, miro sane artificio atque perfecto ingenio... Omnis iam hospes haec videns stupescit et

Miratur portas strepitumque et strata viarum!

Senior.

[1] Erat olim Augustae Taurinorum apud aedes Palatinas, Regia Villa, quae inter duos torrentes, Duriam et Sturam, latissime patebat. Ibi amplissima viridaria, bellulis aucta casulis, signisque marmoreis decorata, Caroli Emmanuelis magnificentiam testabantur. Hinc Torquatus Tassus primum imaginem insulae Armidae deprompsit, atque elegantissimis versibus immortalitati mandavit.

Aspicere oportet quod possis deperdere.
Avarum irritat, non satiat pecunia.
Audendo virtus crescit, tardando timor.
Auxilia humilia firma consensus facit.

P. Syrius.

CAELESTIS VISIO

Abdita in aede latens Carmeli gloria Virgo[1]
Ardentes casto fundit ab ore preces.
Luminibus superas tacitis dum conspicit oras,
En splendor Caeli Caelicolumque patet.
Innumeros cernit, quorum si praemia fando
Pandere quis studeat, nisus inanis erit;
Quos inter late effulgens pulcherrimus unus
Undique miranti visus adesse sibi.
Alta sede nitens, viridi spectabilis aevo,
Purpureum summa spargit in aede iubar.
Aetherei Iuvenem cives hinc inde coronant,
Dicuntque alterna carmina laeta vice.
Nomine Loisidis[2] *caelestia tecta resultant*
Et vocis dulcem reddit imago sonum.
Appetit ignitum Iuvenis de pectore telum
Cor Verbi, et plagis sauciat usque novis,
Unde repente redit fervens ad pectus amantis.
Sic qui percussit vulnere vulnus habet;
Sic et secretae virtuti munera praebet
Maxima, flagranti victus amore Deus,
Plane qui motus animi sensusque latentes
Perspicit, et taciti pectoris ima videt.
O quam delectat duros subiisse labores,
Talia dum quemquam gaudia parta manent!

Galilaeus Venturini, S. I.

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano.

Accepimus, et libenter edimus:

De quadraginta quattuor carminibus, quorum tamen ad certamen admitti non potuit illud cui titulus *In Siculo Freto,* cuius poëta nomen suum nos non celaverat, ita est iudicatum.

[1] S. Maria Magdalena de Pazziis.
[2] S. Aloisius Gonzaga.

Praemium aureum reportavit Hermannus Weller, qui *Daedalum et Elpenora* cecinit; sumptibus legati in volumen recipietur carmen c. t. *Pauperrimus bonorum*, quod conscripsit Franciscus Sofia-Alessio, et praeterea haec duo, si poëtae eorum scidulae aperiendae dederint veniam: *Ad cunabula*, et *Guaschi montis templum*.

Ecce index titulorum ceterorum carminum: *Callirhoe et Croesus*, *De Aetna erumpenti*, *Ad mare, Mater*, *Catullus moriens*, *De Isthmo Panamico perfosso*, *In proelium ad divi Laurentii*, *In nuptiis Iolandae Sabaudiae cum Carolo Calvio de Bergolo*, *Vergilii reditus*, *Ignoto militi*, *A Romulo ad Neronem*, *Collaudatio, Mater*, *Lyaeus et poësis*, *Hollandia*, *Redeuntes coloni*, *Rustica cena*, *De catastrophe Nipponica*, *Pastor Ophelias*, *Vae segregatis Numine gentibus*, *Io triumphe*, *Horatius apud Orbilium*, *Doctor lepidissimus*, *Mugit terra tremitque simul*, *In coenobio*, *Excursio in Elysium*, *Ad augustam Batavorum reginam*, *Consolatio*, *Amor-Mors*, *Regnum aviae*, *Anna Perenna*, *Patris ultima*, *Musaeus Bonnensis*, *In luco Ravennati*, *Promethei vaticinium*, *Magister Horatii*, *Ecloga in funere Pii VI pontificis optimi maximi*, *In passione Domini lacrimae*, *Audaces fortuna iuvat*.

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante kal. Ian. a. MCMXXV mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen*, *Trippenhuis*, *Amsterdam*, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante kal. Iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprilis pronuntiabitur, quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

C. Van Vollenhoven
Ord. lit. acad. reg. praeses.

Clarissimo socio nostro *Francisco Sofia Alessio* ob novum assequutum honorem ex animo gratulamur.

COMMUNIA VITAE

Nuntius exspectatissimus.

Ioseph cum Patre.

Ioseph. Quid te adeo sollicitat, pater? Moerore videris citra morem occupatus.

Pater. Atqui haec est tabellarii hora, nonne?

Ios. Ita profecto. Quid inde, non capio.

Pat. Ah, fili! Nescin quatuor ipsos esse dies, ex quo Antonius pericula Barcinone subire debuerit, necdum ad nos litterarum quidquam?

Ios. Equidem non putaram. Certo, pater, scribere poterat.

Pat. Quinimo, si bene omnia cessissent, et apud nos esse.

Ios. Attamen, quod opinor, non est cur te angas tam cito. Toto hoc curriculo eius magistri magnum tibi spem de eo suo testimonio concitarunt.

Pat. Quid dicam? Ita sunt eversa omnia id nostrae aetatis, ut vix fidas cuique fidissimo (*Pessulo pulsantur fores a Tabellario*).

Ios. Ad nos tabellarius! E vestigio curro. (*Ad vestibulum domus properat*).

Pat. Quot ictibus percussae fores, puer?

Ios. (*scalas descendens*) Duobus, mi pater, ne dubita.

Pat. Multum vereor ne fallaris. Contignationem tertiam visi sunt ictus attendere. (*Desuper filium alloquitur*) Num quidnam boni, Ioseph?

Ios. (*Sursum versus*) Antonius! Antonius! Qui scripsit ipse est. Demitte centesimas quinque, pater, quas tabellario tribuam.

Pat. Ellas tibi!

Ios. (*Ternis gradibus scalas vincens atque prosignaculum legens*): «Barcinone»; certo Antonius est.

Pat. Cave erres, mea salus.

Ios. Haudquaquam! Probe etiam literarum eius characterem novi.

Pat. Trade mihi epistolam: operculum ego resignabo.

Ios. En tibi, carissime.

Pat. Indubium: litterae sunt Antonii. Quid dicet filius meus? (*Voce contenta legit*):

« Patri suo carissimo Antonius
salutem.

Maturius scribere optabam, quod quidem non licuit. Caussas coram accipies. Ceterum faustissima omnia. Lauream sum adsecutus. Te, favente Deo, cras amplexabor. *Trahaculo* adveniam *citato* quod nonae puncto Barcinone discedit. Frater atque amici velim certiores fiant. Vale, mi pater, usque ad congressum. – Datum Barcinone, die m. Iunii vigesima sexta ».

Pat. Deo ac superis omnibus gratias! Nunc demum animum recipio!

Ios. A prandio me conferam continuo ad Faustum, indeque ad Ioannem et Felicem, ut iis tantum nuntium communicem.

Pat. Quin nunc? Tempus tibi suppetet. Iam propera et subinde pransum redito.

Ios. Ut libet. Rursus hîc statim adero.

Scrib. Vici in Hispania.

Emm. Iové.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Damnare ad mortem – Damnare capitis (capite).

Danarium – Aes; Argentum; Pecunia; Stips; Nummi.[2]

Dare licentiam – Potestatem facere.

Datarius – Summus magister beneficiis dandis, adtribuendis.

Datium – Portorium; Vectigal.[3]

Debilitas – Virium tenuitas (infirmitas; imbecillitas); Vires fractae ac debilitatae (infirmae; imbecillae; imminutae; nullae).

Decanus – Decurio.[4]

---

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Danarium bonum:* Legitimae materiae nummus; Nummi probi (probati); Legitimae notae pecunia. - *Denarium falsum:* Nummus adulterinus (adulterinae materiae; adulteratae compositionis). - *Danarium currens:* Vulgati commercii pecunia; Usitati commercii nummus. - Et contra: Nullius commercii pecunia; Nummus reiectaneus (reiiculus); Pecunia damnata (edicto vetita). - *Danarium minutum:* Minuta aera; Exsiles nummi; Nummuli; Aerei nummi. - Inde: Nummos typo imprimere (sua nota insignire; consignare).

[3] *Collector Datii* - Coactor a portu (vinario, ex salaria annona, etc.)

[4] Sed *Cardinalis Decanus* - Princeps Sacri Senatus; Purpuratorum Patrum Senior. – *Dec. clericorum Camerae:* Collegii Curatorum Urbis Senior. - *D. Saer. Congr. S. Officii* - Primus XII virorum S. Consilii perduellibus Ecclesiae vindicandis. - *D. Sacrae Rotae:* Senior S. C. XII vir. litibus iudicandis. - *D. Collegii Curialium* - Senior Collegii Curialium.

Decennalis - Decem annorum.

Deceptio - Frandatio; Fallacia; Circumscriptio.

Deceptor - Veterator; Circumscriptor.

Decidere - Sententiam ferre de aliqua re; Statuere quid agendum.

Declarare (*bellum*) - Indicere bellum.[1]

Dedecens - Turpis; Indecorus.

De die in diem - In dies.[2]

Defectus - Vitium (aedium, etc.).

Degradare (*aliquem*) - Abdicare aliquem magistratu; Exuere aliquem dignitate.

Deitas - Divinitas.

Delator - Accusator; Index.

Delectabilis - Quod habet delectationem.

Delegatus - Legatus; Vicaria potestate.[3]

Deliberato animo - Consulto; De industria; Ex industria.

Delineatio - Forma; Brevis expositio.

Denotare - Significare.

Denuntiator - Nomenclator (ex. gr. «a censibus»).[4]

Dependere - Pendere (ex aliquo; ex re).

Deponere (*officium*) - Deponere munus; Abire (decedere) magistratu.[5]

Depraedari - Praedari; Spoliare; Diripere.

Deputatus - Agens curam (cura); A cura; Curator; Praefectus.[6]

Descendentes - Prognati.

Desertor - Transfuga.

Desertum - Locus desertus; Solitudo; Locus humano cultu vacuus (Solitudine et inopia vastus).

Desuescere - Consuetudinem deponere; Desuefacere.

Deteriorare - Deteriorem facere; In deterius mutare.

Detractor - Obtrectator.[1]

Detrahere (*de pretio*) - Deducere de summa.

De verbo ad verbum - Ad verbum; Totidem verbis; Verbum de verbo.

Devotus - Cliens; Cultor. - Pius; Religiosus; Pietate incensus.

Deviare - Declinare (a via; a veritate, etc.).

Diarium - Commentarius; Commentarii cottidiani.

Dictamen - Praeceptum; Praescriptum Dictum.

Dictionarium - Lexicon.

Diffamare (*aliquem*) - Infamare aliquem; Infamiam alicui afferre.

Dignatio - Indulgentia; Humanitas.

Dilucidare Enodare; Explicare.

Diluvium (*universale*) - Terrarum omnium (omnia commiscens) eluvio; Rerum mortalium omnium naufragium.

Director - Magister; Praefectus; Praepositus; Rector.[2]

Directio - Ductus; Magisterium; Praescriptum.[3]

Disciplina - Flagellum, Verbera.[4]

[1] Itaque *Declaratio belli* - Belli indictio.

[2] Dicitur tamen: «Diem ex die ducere (proferre; procrastinare)».

[3] Ita: Legatus regius reipublicae administrandae; Legatus iuri regio tuendo; Iuridicus vicaria potestate ponderibus et mensuris exigendis, etc.

[4] *Fundum denuntiare fisco:* Fundum fisco profiteri.

[5] *Deponere aliquem ab officio:* Aliquem honore abire iubere (Honoris gradu deiicere; movere).

[6] Itaque: Curatores publici, Publici legati legibus ferendis, Moderatores rerum gerendarum; Negotiorum publicorum praepositi; Curatores mensae pauperum (Italice vulgo *Monte di pietà*). - *Deputatorum congressus:* Publicus coetus legibus ferendis.

[1] *Detractoria verba:* Verba famae adversantia (inimica nomini; honorem laedentia; violantia).

[2] Itaque: Praepositus vectigalium; Rector Provincialium a censu; Vir valetudinario publico regundo (Nosocomii praefectus); et etiam: Magister pietatis (sacro seminario excolendo); Praefectus morum; Praefectus sodalium, ex. gr. Marialium; Praefectus asceterii, etc.

[3] Inde: «Ex ingenio praescriptoque».

[4] Itaque: Flagello sese diverberare (sese acriter caedere); Se verberibus punire; Nudatum tergum flagellis caedere; A semetipso flagellorum supplicium sumere; Corpus verberibus castigare (afficere); Flagris se cruentare; Cruento flagro sese verberare; Aculeatis verberibus sua terga lacerare; In suum corpus loris, flagro ad languorem (ad sanguinem) saevire, etc.

Disconvenire - Dedecere; Indecorum (inhonestum; non aequum; turpe) esse; Fas non esse.

Discooperire - Non tegere; Retegere,

Discretio - Prudentia (in discrimine faciendo); Delectus et iudicium; et sim.[1]

Discurrere - Sermocinari; Disserere; Disputare; Colloqui.

Discussio - Disputatio; Quaestio; Cognitio.

Disdicere - Dictum (dicta) mutare (retractare; revocare; retexere); Se revocare; Palinodiam canere.

Disertis verbis - Diligenter; Definite; Nominatim; Dilucide; Plane; Aperte.

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Itaque: Prudentia internos animi motus (affectus) discernendi; Facultas discernendi animi sensus; Interioris philosophiae intelligentia.

Epistolare sociorum commercium

Paulino nepoti dulcissimo s.

Pergratae mihi tuae litterae fuere, ut omnia quae a te proficiscuntur; etsi in eis multa peccaveras. Sed ut filioli balbutientes libenter audiuntur a patribus, suntque eorum etiam ipsi errores voluptati, sic mihi ista tua in litteris infantia iucundissima est. Eas ipsas ad te remitto mea manu emendatas; scis enim ita inter nos convenisse. Tu, mi Pauline dulcissime ac suavissime, sequere magno animo eam viam, ad quam et tua te natura fert, et ego tibi hortator atque impulsor fui. Magnam de te spem meo testimonio apud parentes tuos concitavi; quae ne et eos et me fallat, omni tibi cura et studio providendum est. Vale.

P. S.

VETERUM PRAECEPTA[1]

— Facile in optimam partem adolescentes venire cognoscuntur, quum se ad sapientes et claros viros contulerint, cum quibus si frequentes sint, opinionem afferunt populo, eorum fore se similes, quos sibi ad imitandum delegerint.

— In plerisque rebus mediocritas optima est.

— Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt; quorum omnium vultus, voces, motus statusque mutantur.

— Disces quamdium voles, tamdiu autem velle debebis, quoad te, quantum proficias, non poenitebit.

— Sicut nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis praecepta perceperint, quicquam magna laude dignum sine usu et exercitatione consequi possunt; sic officii conservandi praecepta traduntur quidem, sed rei magnitudo usum exercitationemque desiderat.

— Magna admiratio est copiose sapienterque dicentis, quem qui audiunt intelligere etiam, et sapere plusquam ceteros arbitrantur.

— Quid eloquentia praestabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic ergo a maioribus nostris est dignitatis principatus datus.

— Nihil amabilius et copulatius, quam morum similitudo bonorum.

— Inter dispares mores non potest esse amicitia.

— Quae more aguntur institutisque civilibus, illa ipsa praecepta sunt, nec quemquam hoc errore duci oportet, ut

[1] Ex Italico saec. XIV classico opere Bartholomaei a S. Concordio, cui titulus: *Gli ammaestramenti degli antichi.* - Cfr fasc. mens. Novembris MCMXXIII.

si quid Socrates, vel Aristippus contra consuetudinem civilem fecerunt loquutive sunt, idem sibi arbitretur licere; magnis illi divinis bonis hanc licentiam assequebantur.

— Adhibenda munditia est non odiosa, nec exquisita nimis, tantum quod effugiat agrestem et inhumanam negligentiam.

— Fundamentum iustitiae est fides, idest dictorum conventorumque constantia et veritas.

— In illis promissis standum non est, quae coactus quis metu, quae deceptus quis dolo promisit.

— Quum duo genera liberalitatis sint, unum dandi beneficii, alterum reddendi, demus necne, in nostra potestate est; non reddere vero viro bono non licet.

— Quid beneficio provocati agere debemus? Imitari agros fertiles, qui multo plus efferunt, quam acceperint; etenim si in eos, quos speramus nobis profuturos, non dubitamus officia conferre, quales in eos esse debemus, qui iam profuerunt?

— Amicitias, quae minus probantur, magis decere censent sapientes sensim diluere, quam repente praecidere.

— Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris, tum quum gravibus severisque rebus satisfecerimus.

— Ludendi est quidem modus retinendus, ne nimis omnia profundamus.

— Quae parva videntur esse delicta, ab iis est diligentius declinandum; ut in fidibus aut in tibiis, quamvis paulum discrepent, tamen id a sciente animadverti solet; sic videndum est in vita, ne forte quid discrepet vel multo etiam magis, quo maior et melior actionum, quam sonorum concentus est.

— Fit, nescio quomodo, ut magis in aliis erremus, quam nobismetipsis, si quid delinquitur.

— Pecudes nihil sentiunt, nisi voluptatem, et ad eam feruntur omni impetu; hominis autem mens ratione ducitur, et qui voluptate capitur, occultat et dissimulat appetitum propter verecundiam; ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia.

— Deforme est de se praedicare, et falsa praesertim, et cum irrisione audientium imitari militem gloriosum

— Totius iniustiliae nulla capitalior, quam eorum, qui tunc quum maxime fallunt, id agunt, ut viri boni esse videantur.

— Si qui simulatione, et inani ostentatione, et ficto non modo sermone, sed etiam vultu stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant; vera enim gloria radices agit, atque etiam propagatur; ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum.

— Ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest.

— Vitium aliquod indicat inesse moribus, qui absenti detrahit.

— Cavendum est, ne adulatoribus aures patefaciamus, in quo falli facile est; tales enim nos putemus, ut iure laudemur, ex quo inflati vanis opinionibus in innumerabilia peccata et varios errores incidamus.

— Ut adversas res, sic secundas immoderate ferre levitatis est. Praeclara est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus eademque frons

— Nihil tam angusti animi tamque pravi, quam amare divitias; nihil honestius magnificentiusque, quam pecuniam contemnere si non habeas; si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre.

— Omnis castigatio a contumelia vacare debet.

— Obiurgationes nonnunquam incidunt necessariae, in quibus utendum est fortasse et vocis contentione maiore, et verborum gravitate acriore: verum etiam agendum, ne ut ea facere videamur irati.

— Praeclare Ennius: «Quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periisse expetit». Multorum autem odiis nullas opes posse resistere, si antea fuit ignotum, nuper est cognitum; nec vere huius tyranni solum, quem armis oppressa pertulit civitas, interitus declarat, quantum ad pestem odium valet, sed reliquorum similes exitus tyrannorum.

— Malus custos diuturnitatis metus; contraque benevolentia fidelis est ad perpetuitatem.

— Odiosum sane genus hominum est officia exprobantium; quorum meminisse debet is, in quem collata sunt, non commemorare qui contulit.

— Haec lex amicitiae sanciatur, ut ab amicis honesta petamus, amicorum causa honesta faciamus.

I. S. P.

ANNALES

Germanicae et Gallicae res.

Comitia in Germania recens habita hinc *Nationalistarum*, illinc *Communistarum* vires corroborarunt; quae partes licet oppositae, in unum tamen consentiunt, ut submissioni erga Galliam acriter obsistant, peritorumque conclusionibus de resarciendis damnis a bello inlatis. Hinc novum idque optimum nomen visum est offerri Poincaré, supremo Gallorum administro, ut in rigida ratione sua de sanctionibus in Germanos vehementius insisteret, novumque obstaculum in via componendarum rerum surgere. En vero Gallorum comitia, quae post paucos dies successere, gubernii adversariis omnino favorabilia cedunt, ita ut Poincaré ille cum suis collegis a munere se abdicare sit coactus. Quin imo res maiorum tempestatum fons apparet, si verum est, quod dictitant, Herriot, victricis partis ducem, esse protestatum nolle sese rerum summam sumere, neque *socialistas* ei favere, donec Millerandus, reipublicae praeses, in suo officio maneat. Quid inde? An futurum erit ut a factione praesidis munus in posterum pendeat, quod, ex Gallica constitutione, praeter et ultra partium et factionum studium et contentiones est positum? Proximi eventus quaestionem enodabunt.

***

Exsecrandum in Austria facinus.

Quae autem huiusmodi studia instituere valeant certamina, hodie novum praebuit documentum exsecrabile facinus in Austria patratum adversus Seipel, sacerdotem illum doctissimum et pientissimum, qui ad suprema civitatis gubernacula evectus, rem patriae suae in summo discrimine positam, per annum indefessi laboris optime restituit. Quum enim a curru vapore acto descendit, a scelesto homine, socialistarum, uti fama fert, factioni addicto, nefarie impetitur et manuballistae ictibus graviter in pulmonibus vulneratur.

Dum infandum crimen ex animo detestamur, spe erigimur fore ut vita tanti viri suo populo ad multos annos servetur.

***

Regia itinera.

Italorum rex et regina Londinum sese his diebus contulere ut Anglicam regalem familiam inviserent. Ab Anglorum populo ovante et gratulante sollemniter accepti, quum redierint et paucos dies in Italia erunt commorati, ad Hispaniam vela facient. Non est dubium quin ex hisce itineribus civitatum animi sensus novis amicitiae vinculis uniantur; quod omnibus bene vertat.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

Indictio universalis iubilaei in annum sanctum MCMXXV.

Cum sollemnibus iis caeremoniis, quas in superiore commentarii nostri fasciculo declaravimus, in festo Dominicae Ascensionis, die undetricesimo elapsi mensis Maii *Iubilaeum Magnum* in proximum annum indictum est. Pontificiae indictionis litterae, revocata Iubilaris anni origine et fine, « nempe ad animos singulorum expiandos eorumque morbis medendum », aiunt non huc tantummodo Iubilaei Magni productam per annum celebrationem pertinere. « Etenim, ut exlex singulorum licentia in commune vergit detrimentum, ita, singulis ad bonam frugem conversis ad sanctiusque vitae institutum properantibus, consociationem ipsam humanam necesse est emendari arctiusque cum Christo Iesu cohaerere ». Atqui hanc emendationem ut eventus hic pro praesenti rerum conditione accelerando afferat, Pontifex, Pater simul et Magister, ex animo desiderat. Et iure quidem; namque « etiamsi rei catholicae haud exigua accesserint recentiore aetate incrementa, et multitudines – diu multumque expertae, spes melioris status quam sit inanis quamque inquietus exsistat, remoto Deo, animus – religionem ardentius veluti sitire videantur, oportet tamen, et populares et ipsas nationum effrenatas inhumanasque cupiditates, ad evangelicae legis praescripta, cohiberi et homines divina inter se caritate copulari. Est sane intellectu difficile, nisi eiusmodi caritatem – nimium diu, postremi belli causa, consopitam, immo etiam omnino depositam – et cives denuo induant et gubernatorum consilia redoleant, quo pacto fraterna populorum necessitudo et mansura pax redintegretur. Ad hanc profecto singulorum civitatumque pacificationem quantopere annus sacer valeat quantasque habeat opportunitates, vix attingere ac declarare attinet. Quid enim coniungendis inter se hominibus populisque conducibilius, quam ut ingens peregrinorum numerus Romam, in hanc alteram catholicarum gentium patriam, undique confluant, communem Patrem simul conveniant, communem fidem coniunctim profiteantur, ad sanctissimam Eucharistiam, unitatis effectricem, una promiscueque accedant, eumque imbibant augeantque caritatis spiritum, quem praecipuam esse christianorum notam vel sacra Urbis monumenta in memoriam redigant omnium mirificeque suadeant? ».

Faxit Deus ut hac caritatis perfectione illae coniungantur Ecclesiae, quas saeculare funestissimumque discidium a Romana Ecclesia distinet. Ad alendam autem excitandamque « popularium pietatem maioremque percipiendam utilitatum copiam summopere utique prodesset, si res ita per Iubilaei cursum peragi ordinarique liceret quemadmodum ante actis aetatibus licuit; at quicquid efficacitatis ex rerum temporumque condicione aut statis ministeriis aut consiliis ad apparanda regundave futura solemnia initis deesse quoquo modo possit, id benignissimus Deus, rogamus, divitiis copiose suppleat misericordiae suae ».

Itaque quum tanta catholicae rei redemptisque pretioso Iesu Christi sanguine animis lucra atque emolumenta obventura Christi in terris Vicarius prospiciat et fidenter sibi spondeat ac polliceatur, universale maximumque Iubilaeum in sacra urbe Roma a prima vespera Natalis Domini anno millesimo nongentesimo vicesimo quinto finiendum per ipsas litteras indicit ac promulgat ac pro indicto promulgatoque vult haberi.

Regulis deinde ad plenissimam peccatorum indulgentiam, remissionem et veniam consequendam constitutis, pergit: « Quaenam autem, dilecti filii, sit in universum mens Romani Pontificis, profecto non ignoratis: at peculiare aliquid hac Iubilaei maximi occasione intendimus, quod vos ipsi Nobiscum impetretis. Pacem dicimus, non tam tabulis inscriptam, quam animis consignatam, inter populos restituendam, quae, etsi non tam hodie fortasse abest, quam antehac afuit, adhuc tamen remotior, quam pro Nostra et communi exspectatione videtur. Praecipuum igitur eiusmodi honum si quidem vos, Urbis incolae advenaeque, solutis a culpa incensisque caritate animis, ad Apostolorum limina imploraveritis, nonne bene sperandum, fore ut Princeps pacis Christus, qui maris Galilaeae fluctus nutu olim sedavit, tandem aliquando suorum misertus, tempestates, quibus tamdiu Europa iactatur, considere sedarique item iubeat? Mens praeterea est Nostra, ut quicumque aut Urbem incolunt aut huc sunt Iubilaei causa peregrinaturi, duplex aliud Dei miserationi negotium instando commendent, quod maximis Nos curis sollicitudinibusque excruciat et religionis interest vehementer: scilicet ut acatholici omnes ad veram Christi Ecclesiam confugiant, et res Palaestinenses sic demum ordinentur et componantur, quemadmodum catholici nominis iura sanctissima postulant ».

Ultima litterarum pars invitationem continet, in qua quidem paternus animus sollicitudinum in filiorum bonum plenus apprime revelatur. « Iam nihil est reliquum – ait – dilecti filii, nisi ut vos amantissime Romam devocemus invitemusque omnes, ut his tantis divinae clementiae thesauris fruamini, quos Sancta Mater Ecclesia vobis lucrandos proponit. In quo ignavos desidesque vos esse dedeceat, quando, per haec potissimum tempora, tam vehementi aviditate, ne salva quidem fide officiique conscientia, ad quaestum terrenarum opum concurritur. Recolitote praeterea, quam magnus, superioribus aetatibus, peregrinorum ex omni ordine numerus in Almam hanc Urbem per Annum Sanctum, diuturnis, laboriosis infestisque plerumque itineribus, convenerint: quos nimirum ab aeternae beatitudinis studio nulla absterruerunt incommoda. Si quid autem molestiae aut iter eiusmodi aut in Urbe mansio peperit, non modo castigatio haec, paenitentiae spiritu tolerata, ad veniam uberius promerendam adiumento erit, sed multis quoque, iisdemque omne genus, solaciis compensabitur. Urbem enim petituri estis, quam Servator hominum Iesus Christus delegit, ut suae esset religionis centrum et perpetua Vicarii sui sedes; Urbem, inquimus, unde ad vos et doctrinae sanctae et caelestis veniae securi purissimique latices effluunt. Communis heic omnium vestrum Pater, quem vos diligentem diligitis, bene vobis precabitur: heic ad vetustissima hypogea, ad sepulcra principum Apostolorum, ad conditas gloriosissimorum Martyrum reliquias facilis pietati vestrae aditus: templa, praeterea, patebunt, tot saeculorum decursu in Dei sanctorumque caelitum honorem erecta, ea sane magnificentia eoque artificio, ut in totius orbis admiratione nullo non tempore fuerint atque in posterum futura sint. Quae quidem christianae religionis monumenta si pie, si orando, ut decet, inviseritis, mirum fide quam experrecta quamque inclinata in melius voluntate in regiones quisque vestras redituri estis. Neque enim versari vos Romae oportet, ut cotidiani viatores hospitesque consuevere; immo etiam, profana quaelibet devitantes, paenitentiae spiritu imbuti, a quo tantum horum naturalismus temporum abhorret, et modestiam in vultu, in incessu, in vestibus potissimum praeferentes, id unice quaeritote quemadmodum animarum vestrarum negotia gerendo provehatis. In quo pro certo habemus Episcoporum vestrorum curam diligentiamque haud vobis defuturam esse peregrinantibus: aut enim praeibunt praeeruntque ipsimet agminibus vestris, aut sacerdotes honestissimosque laicos viros praeficient, quibus ducibus res et quam optime ordinetur et quam religiosissime perficiatur ».

O utinam, iuxta sanctissima summi Parentis vota, proximus iubilaris annus universo orbi felix, bonus faustusque fiat!

Bis vincit qui se vincit in victoria.

P. SYRIUS

VACUI TEMPORIS HORA

Redit hodie in scenam *Anonymus* ille noster, qui sese spissis umbris condidisse videbatur; redit, nasute **hodiernos domus constituendi mores** distringens, idque scripto Vincentii Guinisii usus, qui ... tribus saltem abhinc saeculis vixit. Non hercle! nobis vetus Ciceronis illud *O tempora o mores!* repetere licet; namque utraque haec cum nostris consentire videmus. « Nos - ait - homines elegantes, honestas facere putamus aedes, si earum facies fuco et quasi cerussa statim oblinimus, marmoraque inducimus ne apud manes quidem a manibus secura fossorum; atque perficimus, ut in delicias rigidissima etiam saxa mollescant; ipsa vero cubicula in prospectu disponimus, ut ad nutum oculorum atque intuitum omnia simul praesto sint. Unum vidisti? reliqua ex illo nosti; usque adeo, dum ad sese longius refugiunt; respondent tamen, incurruntque sibi, unoque velut aditu, quam remotissimum in recessum acies intuentium ducitur. Nempe, ut dominus remotis velis procul appareat, velut in sacrario numen; aut certe adeuntibus, tamquam ex alio terrarum orbe, sensim accedere videatur, perinde quasi omne magnificum e longinquo sit. Sane picturas domorum non domos facimus; quippe quae speciem potius, quam usum praebeant, ac magna sui parte solum ab oculis habitentur. Quid, quod altissimas tectorum moles educimus, nec tam in aedes, quam in caelum ituri fabricamus? Quid, quod in iis alter ab altero, non pariete, sed integra contignatione dividimur; et cubicula, quum vix unum plures occupemus, uni tamen plura praescribimus, totidemque velut oppida intra domos excitamus; quum tamen non ideo laetius, quia latius, vivere contingat; et ubi plurima laxitas, ibi multi curarum anguli, atque perfugia solicitudinum?».

Sit; verum in ea qua ubique, ni fallor, domicilii caritate tantum urgemur, quot fuerint felices, si ipsis vel tales angulos occupare datum fuerit!

***

Sed ut ad mea veniam, dicam hodie **de ratione vocem curandi,** quam nuper legi, et lectoribus meis sollicitus commendo.

Medico scilicet cuidam, quae gutturis sunt, ea probe callenti, mirabiles visi sunt meridionales homines bono vocis sonorae dono fere ad unum fruentes. Quaenam communis effectus causa communis? Hac diu inquisita et meditata, tandem ea illuxit in citrinis, assyriis et medicis malis, quibus, prae nordicis populis, meridionales gentes utuntur tum potione, tum esu. Quid autem vocalibus gutturis chordis mage inimicum quam cerevisia, zythum et celia, quae passim sorbent nordicae regionis incolae? Hinc Aesculapii ille assecla omnes iubet ab hisce recedere, et malis assyricis, citricis, sinensibus et medicis sese penitus credere, qui recte vocem colere, et eo magis qui canere cupiverint.

***

Denique ludum quem Florentini **harpastum** vocant vobis sub oculis ponam: cecinit Carolus de Luca:

... cum protinus ire per auras
Atque auras deferre sinu per inania follem
Aspiciunt: volitat ventus cum carcere liber.
Libera libertas non est, nam vincula defert;
Orbe latet, totuque procul dispellitur orbe;
Absque domo fert ille domum; subit, astra [fugatur;
Ima subit, resilit. Ventosi praelia vento
Exagitant iuvenes; pellunt dextra atque re- [pellunt.
Corruit ille iterum: levis aere truditur aer;
Ictibus impatiens obmurmurat; altaque rursus
Nubila metitur cursu, si forte globosa
Excipiant miserata globum; patiturque re- [pulsam.
Indignabundo praeceps cum murmure pubes
Aemula discurrit, follemque capessere gestit.
Labitur ille manu dum truditur, exsilit, iras
Dum turget ventis, eventilat; emicat ardor
Bellicus; insurgunt iuvenes, rapiuntque, fe- [runtque,
Et pro folle caput raptorum tunditur. Inde
Crebrescit pugnis nova pugna; impressa tu- [mescunt
Tubera luminibus; frons livet eburnea nigro
Iuncta ebeno, pulcraque oculi de nube co- [ruscant.
Scilicet audaces coeuntibus armat
Absque armis dextras proque arcu brachia [torquent,
Pro saxis iaculisque manus. In verbera pendet
Prona iuventa, vibratque oculos, animataque [tela
Dirigit in vulnus, pugnisque sonantibus ora,
Et male concrepitant malae, sonituque cho- [reas
Exercent dentes, liventia tempora circum.
Idque reditque, manus strepitusque alternat [et ictus:
Ille fugit retroque genas subducit ab ictu.
Stat gravis ille, gradumque tenet dextramque [pavendam
Erigit insultans, risuque immotus in hostem
Fert oculos, dextram, vires et vulnera; dextra
Ipsa sibi plaudit geminato verbere: palma
Pressa refert palmas sine sanguine...

***

Iocosa

Magister peculiares quorumdam animalium mores notans, de gallis dicit eos, dum concinunt, oculos comprimere. Conversus ad Tuccium:

— Quid tibi videtur de singulari hac gallorum ratione?

Tuccius:

— Profecto ut ostendant se illos cantus memoria optime complecti!

Tuccii pater graviter aegrotavit; nunc vero convalescit.

Amicus nostrum interrogat:

— Iam igitur extra imminens mortis periculum dici potest...

— Quininimo affirmari omnino nequit. Medicus enim dixit se bis aut ter ultra venturum!

***

Aenigmata

I

Aërem agit *totum; caput* eripe, basiat; eius
Caede etiam *pectus,* sanguine tingit humum.

II

Didonis germana diu Carthagine vixi:
Expulsae dubium praebuit hospitium.
Adde mihi vocem, qua iurgia dira notantur:
Res gestas narrans illico fio liber.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Malus, Mala, Malum, Malam;* 2) *Latro.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Socios omnes qui consociationis pretium nondum solverint, enixe rogamus velint cum administratore nostro quam citissime debita sua componere.

Cl. v. IAC. TASS., *Tornoduri.* - Casum tuum vehementer doleo, eoque magis quod ipse heu! sum expertus.

Cl. v. MAUR. A. HOP., *Columbi.* - Humanissimas tuas litteras accepi. Tibi vehementer gratulor et ago gratias. At me excusatum volo si curis omnis generis oppressus nondum tibi de iis libris satisfacere potui. Fasciculi I opellae meae, cui titulus *Communia vitae,* ne exemplar quidem unum remansit.

Cl. v. HERM. RICH., *East Troy.* - Et tu morae veniam largiaris!

SCHOLASTICIS CRACOVIENSIBUS. - Pro vestris ominibus et verbis benevolentiae plenis amplissimas gratias et habeo et refero.

I. F.

LEPIDUM CAVILLUM 2)

ACTIO DRAMMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

Paucis et horis ... Quid aio? multo brevius!
Scribit, rescribit litteras assiduas,
Et misit nuncium quoque telegraphi!
Adivi parochum, vocavi medicum,
Quos saepe novit acres consiliarios,
Eosque hortatur, verbis instantissimis,
Ut veniant illico, urget necessitas ...
Pii, callentes maxima prudentia,
Auxilium magnis ferunt in periculis.

SCENA II.

IUVENCULI, *qui ingrediuntur acervatim, et* DICTUS.

IUV. I. Possumne? (*secrete*)
IAN. Neutiquam!
II. Possumne? (*secrete*)
IAN. Neutiquam!
III. En ipse coram venio te *Neutiquam!*
Quid est quod nobis novisse denegas?
I. Adest rex noster?
IAN. Ite vos, furciferi!
II. Quid est? Furciferi? Novum vocabulum!
IAN. Vos prorsus addecet, estis stultiloqui.
III. Es ampla nominum celebrium seges!
IV. Quid at pretiosum tenes prae manibus?
IAN. Rectoris litteras conscriptas medico!
I. Es aeger?
II. Aegrotas quis?
IAN. Vos, pessumi,
Qui me tenetis!
I. Hîc da nobis litteras!
III. Ita, da litteras!
IAN. Vobis? Sed neutiquam!
(OMNES *clamorose*) Io, triumphe! Neutiquam,
[En Neutiquam!
(*Ianitorem adgrediuntur eumque molestant, tentantes ab eius manu litteras tollere. Adveniente* RECTORE, *omnes effugiunt*).
IAN. (*eiulat*) Apage! ... Sed ostium rectoris
[crepuit ...
Ut omnes fugiunt ut fulgur celeres!
Ibo directo, res urget quam maxime ...
Quid hic morosum si me prehenderet?
En ipse! Fulmen ingruit quod capiti!

SCENA III.

RECTOR et IANITOR.

REC. (*gravi adspectu et longe*) Tuum te parum
[verberat negotium,
Meumque imperium superbe negligis!
Quid est quod ostium prope turbas
[facis?
Cur huc venire tu permittis iuvenes?
Scires si curas quantas quae me lan-
[cinant,
Alatis affatim cucurrisses pedibus!
IAN. Ibo hinc recto! Me peccasse fateor!
REC. I, recto, medicumque instanter advoca.
IAN. Ibo! (*exit*).

SCENA IV.

RECTOR, *maestissime.*

REC. Eheu! Eheu! curarum magna quae col-
[luvies
Uno meum pectus irruit tempore!
Puerûm luctus ingens infelicitas!
Simul quatordecim, proh dolor! mortui.
Qui casus atrox omnium teterrimus!
Nihil huiusmodi narrant historiae.
Fornix dehiscens fortassis proripuit,
Et uno involvit omnes in exitio.
Dolor parentum, dolor quis et iuvenum,
Meis et caris dolor quis sodalibus!
Nunquam mea evenit id mali tempora!
Cur ille nobis sepeliendos missitat,
Tam longe ruptis legum conditionibus
Regunt quae gentium facta funebria? ...
Eos adegit dolor ad insaniam.

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor*.

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Iulio MCMXXIV Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AESTHETICAE NOTAE

De exquisita eaque singulari animi virtute in pulchrum, quae « Genius » dicitur.[1]

Genii originem inquisituri, primum refellemus tres erroneas sententias.

Harum prima tenet Deum directe ac immediate concurrere ad genios efformandos, ita ut genii sub ista superna motione et missione velut Dei legati operentur.

Haec equidem assertio in exaggerationem offendit, generice saltem ita expressa.

Deus enim, ut provisor rectorque universali, legibus a se statutis naturaeque inditis res omnes gubernat: scilicet rebus dedit virtutem ad determinatos effectus producendos. « Inferiora gubernat per superiora, non propter defectum suae virtutis, sed propter abundantiam suae bonitatis, ut dignitatem suae causalitatis etiam creaturis communicet ».[2]

Anima quidem humana a Deo immediate creatur et corpori infunditur: sed anima operatur iuxta proprietates dispositionesque corporis generati.[1] Materiae vero generatae dispositiones, quas ad genium efformandum requiri diximus, pendent a lege generationis secundum consuetum naturae cursum.

Sane Deus omnipotens istas felices dispositiones in aliquibus hominibus vel praeparare vel infundere valet: sed hic insuetus et immediatus concursus non supponendus est, sed probandus, seu certis signis nobis manifestari debet.[2]

Altera sententia docet genios causari morum, consuetudinumque vi aut impetu, ita ut ipsimet in se clare maximeque exprimant atque aliis manifestent quidquid obscure et remisse in cunctis illius temporis civibus invenitur; hinc illud: *Tempus efficit Genios.*

---

[1] Cfr. fasc, sup. mens. Maii.

[2] S. THOMAS, *S. Theol.,* P. I. q. XXII, a. 3, c.

[1] Quoniam omnis actus et forma recipitur in materia secundum materiae capacitatem, eiusque dispositioni proportionatur, necesse est, ut quae unitur corpori melius disposito et organizato, sit maioris virtutis in intelligendo, et consequenter ipsa sit perfectior ac nobilior quam alia, quae minus bene disposito unitur. Cfr. S. THOMAS, *S. Theol.,* I, q. LXXXV, a. 7, c.

[2] De facto constat quosdam *genios scientificos* et operosos (Prophetas, Apostolos, Sanctos...) et etiam *artisticos* (Nöe in mirabili Arcae structura et Salomonem in Templi aedificatione) Deum speciali ratione efformasse: sed idem de singulis geniis dici nequit, quum natura ex sese munus hoc explere valeat; secus iure inclamaretur: *Deus ex machina!*

Sed ne haec quidem assertio ullimode sustinetur. Praeexistentes enim conditiones politicae, *scientificae* et religiosae in aliqua societate ad summum esse possunt opportuna *occasio,* qua genius ad operandum incitetur, nunquam causa efficiens. Inter causam et effectum debet adesse proportio naturae, vel saltem virtutis: in praefata autem assertione nulla viget proportio « causalitatis », ut per se notum est.

Insuper repugnat factis. Genius, quamvis speculum suae aetatis quodammodo appareat, tamen, praepotente sua virtute, novarum « idearum » et rerum praeco ac minister est; saepe ipsam societatem transformat, suique nominis et imaginis indelebile signum historiae imprimit.

Effatum igitur: *Tempus efficit Genios* – intelligendum est de causa *impellente,* non vero de causa *efficiente.*

Tertia demum sententia imprudenter asserit praecellentem genii virtutem procreari a mentis infirmitate, et esse « degenerationem quandam organicam, a vehemente iugique cerebri irritatione, a corticis cerebralis inflammatione productam; a quadam cerebralium functionum non bene nota anomalia, quae similes in genii viro producit effectus, nempe vertigines, convulsiones, hallucinationes, effrenas crises, non secus ac morbus sacer et dementia. »

Haec est *Positivistarum* doctrina e schola praesertim Lombrosiana. Moderatiores vero inter Positivistas, denegata pariter existentia animae spiritualis, genium retinent « exclusive oriri ac pendere ab organorum perfecta dispositione ac structura, ab admirabili exaltatione quarumdam inter communes cerebri functiones, a felici hypertrophia unius vel alterius elementi nervosi. »

Quod vero commentum Lombrosianum cachinnis, potius quam consideratione aliqua dignum est. Ecquis eximia et immortalia opera, quae a Genio patrantur, audeat aequare operibus, deliriis epilepticorum atque dementium? Ecquis ex ingenti effectuum diversitate non statim arguet diversitatem causarum?

In mitiori etiam Positivistarum adfirmatione miserrimus is latet error, quo concludi recte putatur: *Hoc post hoc, ergo ex hoc.*

Sane, omnibus facile conceditur perfectionem sensuum, praecipue foecunditatem, et vivacitatem phantasiae, dexteritatemque cogitativae quam maxime *dispositive* concurrere ad pulchrum procreandum. « Illi – dicit S. Thomas, – in quibus virtus *imaginativa* et *cogitativa,* et memorativa est melius disposita, sunt melius dispositi ad intelligendum ». [1]

Sed vera generatio aesthetica perfici nequit sine mentis operatione et speciali acuitate, ut iam innuimus.

Vera igitur sententia tenet Genii virum (nisi aliunde constet de speciali Dei operatione) natura oriri, id est secundum praefinitas generationis leges, et a ceteris hominibus discriminari perfectiori quadam sensitivarum et intellectivarum facultatum explicatione ac praestantia. Quapropter:

a) causa Genii *mediata* et *remota* est Deus, omnium rerum conditor, animae humanae creator, specialis provisor rectorque generis humani, a fortiori vero Geniorum, qui aliquando consuetum cursum societatis deviant.

b) Causa *immediata* et *proxima* est procreatio.

c) Causa *materialis* et *dispositiva* ex perfectione organismi petenda est, potissimum vero ex delicatiori structura ac loborum cerebralium harmonica quadam coaptatione, in quibus sensus interni residere videntur.

d) Causa denique *formalis* et *constitutiva* est acuitas mentis et facilis intuitio.

[1] S. Thomas, *S. Theol.,* I, q. LXXXV. a. 7, c.

Physiologice autem loquendo, genius non est degeneratio, vel morbosa massae cerebralis *anomalia,* vel *psychopatia,* sed felix et mira exaltatio facultatum normalium in quibusdam hominibus. Certum est enim, quo praestantiores sunt sensus externi et interni, eo fortius et promptius intellectum et voluntatem operari. Quia vero facultates organicae, a quibus mens *obiective* pendet, possunt nimio labore et exercitio ad tempus vel in perpetuum turbari, optime explicantur irritationes nervorum et corticis cerebralis, convulsiones, vertigines, deliria, hallucinationes, crises, prostrationesque momentaneae vel diuturnae, quae etiam in genii viris, non secus ac in ceteris hominibus, saevire aliquando conspiciuntur.

Et ex hac obvia animadversione totum *phrenologorum* aedificium collabitur.

G. Lepore.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

I.

De latinarum litterarum praestantia.

Summarium: 1. *Romanae litterae instrumentum Graecae humanitatis et doctrinae exstiterunt, quas in Occidentis regiones importarunt.* – 2. *Quî factum sit ut Romani tam sero poëticam excoluerint.* – 3. *Quaenam sit praestantia Litterarum Latinarum prae Graecis exemplaribus.*

1. Si quis latinarum litterarum vices in universum perpendat, magni momenti eas fuisse in historia humanae mentis profitebitur, ob eam causam praesertim, quod graecae humanitatis atque doctrinae instrumentum et, ut ita dicam, vehiculum exstiterunt, adeo ut quidquid Oriens excogitaverat senseratque, per eas in Occidentalis quoque Europae gentes affluerit et non sine ingenti rerum progressu propagaretur.

Nimirum quod recentiore vocabulo *Hellenismus* vocatum est, id non solum ad Alexandrinorum poësin pertinere dicendum est, neque solum ad eorum doctrinam de rerum natura vel ad studia grammatices quibus tantum floruerunt, sed *hellenismus* omnia complectitur humanae mentis cogitata, nempe et placita philosophorum, et sapientium virorum praecepta, et de Diis, de caelo, de mundo doctrinas, a Stoicis, ab Epicureis, ab Academicis aliisque defensas et propagatas; nec ab illo aliena est Iudaeorum sapientia inter graecas Asiae et Aegypti civitates tam late diffusa, vel extremi Orientis, Assyriorum, Persarum, Chaldaeorum opiniones, decreta, superstitiones.

Totum hunc sententiarum thesaurum, simulque exemplaria pulcritudinis manu nocturna diurnaque versantes Romani, in succum suum et sanguinem converterunt, ac per provincias imperio suo subiectas una cum publicis institutis et instrumentis dominationis propagarunt. Unde factum est ut inde a Polybio, i. e. a II saeculo ante Ch. n., praesertim vero post Graeciam devictam, per orbem graecum atque latinum unica quaedam humanitatis species, eadem paene mentis imago, etiamsi duplici loquendi genere, fulgere et splendescere videretur.

Quid memorem Graeca poëmata, fabulas, commentationes ab omnibus viris vel levioris doctrinae perlecta et in deliciis habita, quid innumeras, paene dixerim, Graecorum copias per Romanorum familias dispersas, instrumentum ingenuarum artium et ornamentum divitis domus, quid

[1] Quod clarissimus Florentini athenaei doctor latinis titteris tradendis, pro sua erga nos humanitate has praelectiones in *Alma Roma* edendas ultro tradiderit, gratias amplissimas publice referimus. — A. R.

post Augusti aetatem graecos libros Romae aut certe inter Romanam gentem conscriptos, qualia fuerunt Musonii Epicteti, Suetonii, aliorum plurimorum opera? Quid Marcum Aurelium, Romanum virum, graece scribentem? Quid Plotinum neoplatonicae doctrinae et scholae in ipsa Roma auctorem et institutorem? Quum autem Christi doctrina per orbem propagaretur, quis neget tum patres graecos, tum qui latino sermone uterentur, eisdem prope animi sensibus opera omnis generis conscripsisse, ita ut eorum placita ex eodem fonte manare, iique omnes ad eandem familiam, ut ita dicam, pertinere viderentur? Denique latinas litteras inde a Livio Naevioque inspice diligenter: animadvertes eas plerumque graecum quiddam redolere, et genera ipsa litterarum, eclogas, elegias, didascalica ut aiunt poëmata, graeca voce denominata et ex Alexandrino fonte plerumque deducta. Quid dicam de philosophicis disputationibus deque διατριβαῖς quas vocant, quasque graecas omnino esse nemo infitiabitur?

Ad summam, Romana gens, ut paullatim Africam, Hispanias, Gallias, Britanniam regiones quae ad Occidentem spectant, praeterea a septem trionum parte Germanias, Rhaetiam, Vindeliciam, Noricum, Pannoniam, denique trans inferiorem Danubium Daciam armis subegit et in ditionem suam vindicavit, ita, Graecorum sapientia informata et innutrita, artes et humanitatem his gentibus intulit; unde patet quam dignae sint studio latinae litterae, quarum ope et subsidio tam magnus rerum humanarum progressus effectus est.

Nec minus admiranda est ipsius latini sermonis diffusio et propagatio, unde recentiores linguae, quae *neolatinae* dicuntur, exortae sunt. Qua de re iuvat in memoriam revocare Laurentii Vallae, celeberrimi illius philologi qui medio ferme xv saeculo vixit, locum quemdam Praefationis in sex suos Latinae Linguae Elegantiarum libros: « Quum saepe mecum - ait ille - maiorum nostrorum res gestas, aliorumque vel regum vel populorum considero, videntur mihi non modo *ditionis* nostri homines, verum etiam *linguae* propagatione ceteris omnibus antecessisse. Nam Persas quidem, Medos, Assyrios, Graecos aliosque permultos longe lateque rerum potitos esse, quosdam etiam, ut aliquanto inferius quam Romanorum fuit, ita multo diuturnius imperium tenuisse constat; nullos tamen ita linguam suam ampliasse ut nostri fecerunt; qui, ut oram illam Italiae quae Magna olim Graecia dicebatur, ut Siciliam quae Graeca etiam fuit, ut omnem Italiam taceam, per totum paene Occidentem, per Septentrionis, per Africae non exiguam partem, brevi spatio linguam Romanam ... celebrem, et quasi reginam effecerunt, et, quod ad ipsas provincias attinet, velut optimam quamdam frugem mortalibus ad faciendam sementem praebuerunt; opus nimirum multo praeclarius multoque speciosius quam ipsum imperium propagasse ... An vero Ceres quod frumenti, Liber quod vini, Minerva quod olei inventrix putatur, multique alii ob aliquam huiusmodi beneficentiam in Deos repositi sunt, linguam latinam nationibus distribuisse minus erit, optimam frugem et vere divinam, nec corporis sed animi cibum? Haec enim gentes illas populosque omnes omnibus artibus quae liberales vocantur instituit, haec optimas leges edocuit, haec viam ad omnem sapientiam munivit, haec denique praestitit ne barbari amplius dici possent ».

2. Si quis autem ex me quaerat cur Latini patres nostri, ingenii sui naturales progressiones deserentes, ac derelinquentes, ad Graecorum imitationem totos se composuerint, perinde ac si ipsi magnis litterarum artisque operibus creandis minus idonei essent, respondebo, non defuisse illis quidem naturalem ingenii vim, neque initia quaedam et semina doctrinae, quae ex ipsis atavis Arii generis hereditate acceperant; sed postquam in Italiam nostram ex Alpibus descenderant et cum ceteris eiusdem originis nationibus Umbriam, Latium, Campaniam occupaverant, sedem sibi posterisque suis ac domicilium quaerentes, in iis rerum conditionibus esse versatos, ut per multa saecula, si nonnulla carmina popularia excipias, impedirentur quominus ingenuis artibus litterarumque studiis de industria operam darent. Quod manifesto apparebit si Italorum gentem cum Graecis, quibuscum arctiore propinquitatis vinculo quam cum ceteris Ariae stirpis gentibus coniuncti erant, comparaveris. Namque Graeci regionem nacti maxime portuosam et in litora sinusque diffusam, ipsa natura in illud vivendi genus ducebantur quod ex mutuo hominum usu et commerciis oritur; unde ingenium mirum in modum excitatur, et propter varietatem vitae et novos quotidie animi motus humaniores in dies mores fiunt et mentis processus progressusque adiuvatur, promovetur, perficitur. Ceterum Graecorum erat et acutum ingenium ad altissima quaeque paratum, et celeritas cogitationis quicquid facillime amplectentis et singularis fingendi vis, ut patet inter cetera ex innumeris fabulis, quibus Deorum hominum rerum memoriam ornare consueverunt. Italici contra regionem invenerunt multo litore quidem praeditam, sed minus opportunam commerciis; contra in amoenas valles collesque diffusam, herbosis pascuis laetam, rei pecuariae aptissimam. Incolae ideo ad illud vivendi genus vocabantur, quod pastorum et agricolarum proprium est, quo patriti et aviti mores consuetudinesque diu servantur, nulla autem est aut paene nulla rerum novarum cupido. Post Romam vero conditam, Latinis et Sabinis primum, dein etiam Tuscis in unum coalescentibus, diuturna illa bella inceperunt cum finitimis populis, quae tot saecula duravere quibusque tota civium industria quodammodo absorberi visa est. Adde, post exactos reges non minus diuturnam dissensionem imo certamen inter patricios et plebeios quod civium animos diu arrectos tenuit, nec passum est eos otii dulcedine capi ingenuarumque artium allici lenocinio.

Hinc factum est ut poëticae artis honos nullus esset, ut Cato senex aiebat,[1] et Romani de litteris nihil ferme tunc temporis cogitare possent. Aetate demum insequenti, devictis longe lateque Italiae hostibus, arctiore commercio cum Magna Graecia inito, Sicilia in ditionem romanam redacta, postquam Homeri carmina, Euripidis tragoediae, comoediae Aristophanis et Menandri, aliaque id genus perlegi et in deliciis haberi coepta sunt, operaque artis vel marmore, aere, ebore exsculpta vel docto penicillo depicta, manu oculisque versari potuerunt, tum paullatim illa mentium animorumque immutatio facta est, ob quam Romani a se ipsis desciscere et aliam paene ingenii indolem induere visi sunt. Quod iam Porcius Licinus innuerat duobus illis notis versibus:

Poenico bello secundo Musa pinnato gradu
Intulit se bellicosam Romuli in gentem feram.[2]

Horatius confirmavit:

Graecia capta ferum victorem cepit et artes
Intulit agresti Latio.

Quas sententias frustra nonnulli recentiorum, ut Curcius, Amatucci, infirmare conati sunt; res enim ita se habent ut antiqui illi a se animadversas confessi et professi sunt.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

---

1 CIC., *Tusc. Disp.*, t. II, 1; GELL., XI, 2, 5.
2 GELL., 17, 21.

LATINAE ADNOTATIUNCULAE

Acceptum referre - Expensum ferre

Acceptum referre et *Expensum ferre* non omnes recte colligunt. Quae verba quum frequenter apud bonos auctores Ciceronis illius aetatis legantur, collatis locis, hoc esse videntur: Acceptum referre quod perverso loquendi modo dicunt *ponere ad introitum;* expensum autem ferre quod, corrupto pariter sermone, *ponere ad exitum.*

Quod ut clarius cognoscatur, loca nonnulla ponere et paulo altius repetere iuvat.

Duae erant apud veteres tabulae, ut etiam nunc fit: una accepti, altera expensi. Haec postea, mutato dicendi genere, ut in plerisque aliis, a multis *tabulae dati et accepti* dictae sunt. Ecquid vero non optima quaeque verba latina quaeramus, et barbara inutilia relinquamus?

Quod autem *accepti* et *expensi tabulae* vocarentur, Cicero testatur pro Roscio Com. quum dicit: « Tabulas Fannius accepti et expensi profert suas ». Et paulo post: « Utrum cetera nomina in codicem accepti et expensi digesta habes, an non? » Et ibidem: « Non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi ». – « Quando sestertium CCCLIII in codice accepti et expensi non sunt ». – « Tum in codice acceptum et expensum esse debuit ».

Idem Cicero in Verrem; « Nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi revertamur. Quum autem scribebant in tabula accepti se pecuniam ab Titio accepisse, Titio dicebant pecuniam acceptam referre; ubi vero in altera tabula notabant se pecuniam Titio dedisse, Titio scribebant pecuniam expensam ferre ». – « Propter quod minus Dolobella Verri acceptum rettulit, quam Verres illi expensum tulit ». – « Homo stultissime atque amentissime, tabulas quum conficeres et quum extraordinaria pecunia crimen subterfugere velles, satis te elapsurum omni suspitione arbitrabaris, si quibus pecuniam credebas, iis expensam non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres, quum tot tibi nominibus Curtii referrent: quid proderat tibi expensum illi non tulisse? ». – « Feneratio erat eiusmodi, iudices, ut etiam hic quaestus huic cederet; nam quas pecunias ferebat, iis expensas quibuscum contrahebat, aut scribae istius, aut Timarchidi, aut et ipsi isti referebat acceptas ».

Et ita passim tum in actionibus in Verrem, tum pro Aulo Cecinna, in Philippica II, et in epistolis Rufo, Attico. Quin imo in oratione quam supra memoravi pro Roscio Comoedo, Cicero iterum et clarius declaravit quid esset acceptum referre vel expensum ferre; scribere videlicet quem debere, vel creditorem esse etiam si pecunia data non esset, dicens: « Haec pecunia necesse est aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. Datam non esse Fannius confitetur; expensam latam non esse codices Fannii confirmant; stipulatam non esse taciturnitas testium concedit ».

Sed alia ex aliis auctoribus exempla afferamus.

Plautus in *Mostellaria:* « Bene igitur ratio accepti et expensi inter vos convenit ».

Livius: « Homines prope CCCC produxisse dicitur, quibus sine faenore expensas pecunias tulisset ».

Horatius; « Gratus Alexandro regi magno fuit ille Cherilus, incultis qui versibus et male natis rettulit acceptos regale numisma Philippos ».

Et apud iuris consultos:

Iulianus (*De iure dotum* leg. *Talis*): « Socer genero suo sic legaverat, L Titio filiae meae nomine, C haeres meus damnas esto dare: hanc pecuniam generum petere debere et exactam acceptam legatis referri ».

Ulpianus (*Sc. Trebellianum* leg. *Mulier*): « Dicendum est potius fructibus hoc expensum ferendum quam fidei commisso ».

Alphaenus (*De manumissionibus* leg. *Servus*): « Sed si interea dum eum manumitteret, acceptum servo rettulisset, videri peculii fuisse ».

Florentinus (*De pignoratitia actione*): « Quum et sortis nomine et usurae aliquid debeatur, ab eo qui sub pignoribus pecuniam debet, quidquid ex venditione pignorum recipietur, primum usuris, quas tunc deberi constat, deinde, si quid superest, sorti acceptum referendum est ».

Pomponius (*De peculio,* leg. *Si mulier*): « Item si mulier creditori viri fundum vendiderit et tradiderit ea conditione ut emptor acceptam pecuniam viro referat... »

Papinianus (*Qui potiores,* leg. *Si prior*): « Ut primam tantum pecuniam expensam ferat ».

Sed ne longiores fiamus, haec sufficere possunt, ut concludamus *acceptum referre* id esse, prouti diximus, quod in rationibus, in tabula videlicet accepti describebatur vel solutum esse ab aliquo, vel pro solutione admissum; et id esse *ferre expensum*, quod in tabula expensi notabatur quem debere stipulata pecunia vel alia re contracta. Ut notis aetate nostra verbis utar, acceptum referre erat *ad introitum* aliquem facere creditorem, et expensum ferre erat *ad exitum* facere debitorem.

Denique animadvertendum est, ut pariter plurimis exemplis constat, non solum dici pecuniam acceptam referri aut expensam ferri, verum etiam et alia quoque opera, easdemque circuitiones et in translatione adhibitas fuisse. H. B.

Beneficia plura recipit qui scit reddere.

P. SYRIUS.

Athenaeorum mores

VETERES ET RECENTIORES [1]

A Germanorum discipulis, studiis in athenaeis vacantibus, ne abscedamus, priusquam recentiores eorum consuetudines nonnullas fuerimus persequuti, collegiorum scilicet et ineundae societatis studium ubique et curam.

Multitudo namque omnis iuvenum, qui in Germania studiis dant operam innumeris pene sodalitiis scinditur et distinguitur, quae in unum coeundi proclivitas tam cara iis est, ut perraro iuveni occurrere detur, qui vitam in solitudine degendam sibi elegerit. Hunc contubernales monstrum veluti ac prodigium alii aliis digito monstrant, atque uti rusticum, asperum, inurbanumque passim compellantes et habentes, solitariam vitae rationem non ultra tolerandam efficiunt.

Vi igitur aut amore, velis nolis, sodalitio alicui nomen est dandum; cuius eligendi facultas, non tam libertate maxima, qaam innumera eorum copia et varietate, amplissima est; nam et infrequentibus saepe in urbibus, licet discipulorum numerum ad mille sit, eos tamen in viginti quinque vel triginta sodalitia distribui non semel adnotatum est.

Quod autem humanae veluti perfectionis exemplum antiquitus est optatum, ut menti sanae sanum corpus desponsaretur, id saepe a laudatis sodalitiis viritim cavetur, quorum alia ad corporis vires exercendas, alia ad ingeniorum roborandam aciem sunt constituta.

In primis itaque mirum nemini videbitur singularia certamina esse in honore, ad quae fortiter ineunda quibusvis gymnicis ludis sodales apti fiunt, atque iureiurando sese obstringunt, ut eorum

[1] Cfr. fasc, sup.

consuetudinem data occasione totis viribus tueantur; in aliis contra, iisque sane potioribus, ad disciplinas litterasve omnes excolendas coguntur, ut in studiorum certamen paratiores descendant.

Verum utrisque communes esse videntur eaeque frequentissimae, flavae cerevisiae libationes, et quo magis liceat copiosae: in hisce mira sane concordia est, neque eae vigent draconianae leges, quibus sodales singuli arctissimo nexu constricti, alii ab aliis longissime differunt. Communis enim omnium Germanorum est laus statutis ab auctoritate libere electa regulis ad amussim obtemperare, quod vel iuvenes rigidissime praestant; nam et in suos coetus iuxta leges frequentissimi conveniunt, nec contrariae ullius factionis aulas ingrediuntur unquam, et si qui aliter peccent, statim expelluntur. Quid plura? Opiniones in disciplinis naturae, eximiam in opera ingenuarum artium dilectionem non suadet tantum coetus, sed potius iubet, quod plerumque ipsis viatoribus vel ex concordi cantiuncularum sonitu, quo alter ab altero distinguuntur, facile innotescit.

Est immo et provectiori aetati quaedam auctoritas tributa, ita ut non a praesidis tantum, sed a maioris natu quoque iussis nulla sit provocatio, quibus contra ius errantes admonendi et mulctandi protervos concessum est. Poena vero potissima ac maxime frequens bibula indicitur, cyathum cerevisiae plenum uno haustu deglutire: cerevisiam enim potuum reginam habent, eaque ad praemium et in poenam pariter utuntur; imo officiis, quibus ad invicem sese colunt, nomen ex ea indiderunt « urbanitatem cerevisiae ».

Tot vero consuetudinum est prae omnibus praemium plures patres familiarum, qui studiis vacaverint, sodales honoris titulo retineri, quorum profecto experientiam et virtutem in congregatos iuvenum animos regendos et moderandos plurimum valere necesse est, ita ut a vitiis facilius tuti, potioribus circuli delectamentis recreari ad invicem queant.

A. C.

Ad SS. VIRGINEM DE MONTE CARMELO

SAPPHICON.

Mysticam nubem super alta montis
sacra Carmeli iuga pervolantem
nuntiam optatae pluviae benignam
gentibus orbis

vidit Elias sacer ille vates,
mira qui fecit precibus peractis
ad Deum grato populo in vetusto
foedere notus.

Nuntiam e caelo pluviae salutis
te novae gentes recinunt beatam,
Virgo, Carmeli titulum faventem
montis adepta;

gratias Nati miseris refundis
veste munitis habituque sacro,
ac levas poenas animae luendas
igne futuro;

Palma Carmeli benedicta caelis,
gloria splendens radiante solis,
fac tuos natos revocans ad alta
gaudia ducas;

Virgo, bis senis redimita stellis,
inter alatos Seraphim renides,
iure qua gaudes, rutilante natos
cinge corona!

Neapoli.

I. CACACE.

Beneficium dando accepit, qui digne dedit.
Beneficium est eo carere quod invitus possideas.

P. SYRIUS.

COMMUNIA VITAE

Ausonii humanitas.

IACOBUS. (*Depositis in abaco ad compiti angulum officii armis, altera manu peniculum capit, altera bituminis capsulam*): Nacta infelix ego, peniculis et atramento hoc meam occido famem. Sed quibus diebus solum non est luteum aut oppletum pulvere, ieiunandum mihi est. Miseram equidem ago vitam! (ALOYSIUS *praeterit eum atque ab Iacobo compellatur*):

Hem domine: vin, tibi calceos poliam?

ALOYSIUS. Quid hiatas? Nonne coruscant?

IACOBUS. Ego efficiam tamen ut magis eniteant nullo negotio.

ALOYSIUS. Miseret me tui; nam fame peris: expolito, sodes.

IACOBUS. Vir bonus es! In calceis cito tamquam in speculo faciem tuam videbis. (*Deflectitur ut calceos mundet*).

ALOYSIUS. (*sedens in sella*) Sic decet. Quod est tibi nomen?

IACOBUS. Iacobus, nec quisquam tamen aliter me vocat ac *nacta* nomine (*Silet parumper, et iterum*) Confeci iam. Vide ut effulgeant calcei. (*Surgit*).

ALOYSIUS. Belle! Dic mihi nunc: quanti est?

IACOBUS. Quanti tibi videbitur.

ALOYSIUS. Eritne satis una *pesseta?*

IACOBUS. Satis, superque, mi Domine.

ALOYSIUS. Ellam igitur (*Eam illi porrigit*).

IACOBUS. Est tibi gratia, atque caeli te amabunt. Valebis multum, bone.

ALOYSIUS. Vale et tu (*discedit*).

IACOBUS. (*solus*) Si ut iste omnes essent homines, minus gravis evaderet mea vita. Sed iuvenes huc adventant duo: ad eos venio. Licetne, domini, vestros repurgare calceos?

THOMAS (*eum aspernans*) Quid tu ad nos? Longe concede, ne potius nos commacules tua sordida veste.

IACOBUS. Vili faciam et gratiores omnibus fietis.

VINCENTIUS. Nae tu miser homo es, qui nactae officio aetatem traducas.

IACOBUS. Id mihi tulit fortuna: quid inde facias?

THOMAS (*ad eum accedens et voce submissa*) Ausculta, sis: quî vocaris?

IACOBUS. Nomen meum si scire iuvat, Iacobus.

THOMAS. Nonne tu, Iacobe, felix esse voles?

IACOBUS. Quid mihi nunc de felicitate narras?

VINCENTIUS. Equidem; si placet, facile beatus eris.

IACOBUS. Mirum quod loquimini!

THOMAS. Si sabbato in coetum popularem nobiscum veneris, scies qua ratione pauperiores fortunati fiant.

IACOBUS. Certe non adero.

VINCENTIUS. Ignavus profecto homo es. Viden' nos? Dudum ut tu eramus; nunc autem duces habemus qui de nobis quasi parentes satagunt, ut nihil deficiat.

IACOBUS. Praestat egere et inedia absumi quam facinora admittere.

VINCENTIUS. Nulla facinora, Iacobe.

THOMAS. Societas nostra nihil aliud quaerit, quam ut in mundo omnes sint aequales: hunc ad finem bellum indiximus tantum divitibus, et identidem eorum quemquam in acheruntem conficimus.

IACOBUS. Phui! a me longe profugite: nolo vos audire. (*Praeterit interea Ferdinandus, homo dives atque obesus*).

VINCENTIUS (*silenter*) Vides illum obesum hominem? Ut ambulat superbus! Ipse millionibus redundat: tota die indulget otio, dum eius opifices insudant sanguine: madidis conviviis aetatem transigit et oculo irretorto semper aspernatur pauperes. Ubi est aequalitas? ubi fraternitas?

IACOBUS (*haec non auscultans*) Quid iam? Extergamne calceos?

THOMAS. Mihi crede, Iacobe: qui nimia pecunia pollent noxii evadunt hominum generi. Nonne tibi liberet ut regeret mundum aequitas?

IACOBUS. Desine philosophari: apagite cum istis tricis, quas novi equidem perversas esse. (*Accedit ad Ferdinandum et rogat*) Heus, domine: liceat polire calceos. (*Ferdinandus quasi non audiret, praeterit porro. Iacobus autem iterum ad eum*) An liceat purgare calceos? (*Eodem puncto a Vincentio impellitur Iacobus in Ferdinandum, qui furens revertitur, dum fugit Vincentius, et Iacobum impetit conviciis, calceis et pugnis*).

FERDINANDUS. Asine, caudex, stipes, canis impudentissime!

IACOBUS. Sed mihi succenses?

FERDINANDUS. Quid mihi tecum tactio est?

IACOBUS. Ignosce, mi homo, nam tute scis, me non fuisse in culpa.

FERDINANDUS. Ni actutum taceas, in vincula faxo coniiciaris. Quid isti rustici in civitate? Horum hominum me tenet satietas. (*Iratus discedit Ferdinandus*).

IACOBUS (*solus*) Me infelicem! Quam immerito, quantaque iniuria pugnis sum caesus! Non iterum patiar tam impune canem, caudicemque vocari (*Redit Vincentius*).

VINCENTIUS. Hem. Quid est, Iacobe?

IACOBUS. Quid? Quod totus sum vester.

THOMAS Quia animum commutasti, Iacobe, multum gaudeo.

IACOBUS. Non decet profecto divites vivere. Sabbato insequenti apud coetum adero vobis.

VINCENTIUS. Recte est! Tum videbis tandem quam bene nobis consulitur. In posterum beatior vives.

THOMAS. Vale, Iacobe.

VINCENTIUS. Atque fidem libera.

IACOBUS. (*Oneratus peniculis et omni officii apparatu domum properat, eique se praebet obviam nobilis Ausonius*) Num quid calceos a me detergi voles?

AUSONIUS. Quidni? Id erat commodum in animo et gaudeo in te offendisse, bone nacta

IACOBUS. Quid? Tu me bonum vocas?

AUSONIUS. Bonus vir es: te enim saepe vidi atque non semel opera tua sum usus quam tu praestitisti amice.

IACOBUS. Sed tu, aut me fallit animus, aut nobili natus es genere.

AUSONIUS. Quid tibi nunc cum ista interrogatione?

IACOBUS. Nam multum miror te esse mihi aequum.

AUSONIUS. Ergone me tecum inique acturum putaras?

IACOBUS. Sic sane.

AUSONIUS. Quid ita?

IACOBUS. Aperte fabor: quia mos est vobis hominibus potentia atque pecunia pollentibus, miseros despicere.

AUSONIUS. Quisnam hoc capiti tuo immisit?

IACOBUS. Quinimo, ipsemet sum expertus. Nuperrime quemdam inveni locupletem qui summa iniuria pugnis, calcibus atque conviciis me vexavit. Adeo meum stomachum movit, ut amicis spoponderim me deinceps contra divites coetibus popularibus adfuturum, ut iis tandem suppressis, vitam vivamus pauperes minus acerbam.

AUSONIUS. Quid ergo? An et me supprimere voles, qui divitiis abundo?

IACOBUS. Vere tu bonus vir es atque humanissimus.

AUSONIUS. Sedetur tempestas animi tui! Ausonius mihi nomen.

IACOBUS. Ex Ausonia gente?

AUSONIUS. Quem vides ex ea ipse sum.

IACOBUS. Hei mihi, Ausoni! Tu mecum benignius agis, quam ut tuam appetam necem.

AUSONIUS. Quod iustum est, hoc ago: tu frater meus es in Christo, teque ut fratrem amo. Sed obsecro ne ab impiis decipiaris. Scito equidem in divitibus pravos esse atque probos homines, sicut in pauperibus. Quod reliquum est, nos semper ut probos nos praestemus nostra sorte contentos, ut uterque aeternam beatitudinem assequi tandem valeamus, quae est rerum humanarum atque miseriarum finis.

IACOBUS. Bene admones, Ausoni care: sic omnes humanitatem tuam et similium tuorum discant, et bene valeant.

Vici in Hispania.

EMM. IOVÉ.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De novis verbis in latinum sermonem inducendis, aliisque.

ANDREAS AVENARIUS viro clarissimo EMMANUELI JOVÉ s. d.

Ecquam longi silentii proponam hodie excusationem? Primum, mirum quantum vires intendebam, ut sacri ante Pascha dies rite peragerentur. Quod quum satis successisset ex sententia, coepi aegrotare. Videres fasciis impeditum crus dexterum, hominem modo claudicantem per domum, modo ex lecto flumen adducentem electrico cacabulo, modo sacculos tunso solani tubere ecfertos; ubi satis caloris duxissent, duro imponentem ulceri; inter haec macrum in dies macriorem. Mox ubi liberius coepi circumire hortos, contagione quadam *grippica* inverti coeptus stomachus est. Postea compulsus necessitate coepi – risum si possis, teneas – coepi scribere carmen alcaico metro.

Et nescio an hoc omnium sit poëtarum, ut, simul atque coeperint facere versus, vel furere, dum stropharum numerus sit plenus, totos furant dies.

Haec mora fuit. Tum vero diebus Pentecostes, dante columba ex lacunari in diaconum ruinam, calvariam tamen non percutiente, sed perstringente tantum, praesenti vitae ereptus discrimini, ad tuas litteras mentem cogitationemque converti.

Vives tuus mea sententia egregie locutus est de aerario linguae Latinae: diligentiores esse solere nos in legendis vocabulis. Ipse novi, quibus omnia verba, si lexicographi Ciceronis et Caesaris sigla non affixerint, quod non sint classica, sint suspecta: quasi vero Cicero, quem iure summi facimus, thesaurum linguae Latinae ex litterarum ordine conflaverit – et utinam fecisset! – neque hodie, si in aliquot menses annosve ad vivos redeat, quod tam sapienter tamque Latine multarum rerum vocabula novata sint, gaudeat atque discat. Quin ego dudum exspecto institutum, ut, sicut antehac *Praeconis Latini*, sic nunc *Almae Romae* dimidiae paginae repleantur novatis vocabulis.

Sed ne nimium maioribus scriptoribus eripiam spatii, ad «postcinium» veniam. Novatum dico opipare, sed tamen nescio utrum postcinia an repetitorios versus dicere malim. «Repetitorius» vox adiectiva, etsi ab antiquis frequentata non est, et recte derivata est, et nostratibus saepe in ore est, non adiective, sed substantive. Menge grammaticus, vir doctissimus, repetitoria scripsit utilissima unum syntaxeos latinae, alterum Graecae syntaxeos. Sunt autem repetitoria libri, quibus doctrinae alicuius materia non plane, non copiose, sed summatim et per membra proponitur, grata examinandorum adminicula.

Repetitorios versus quum dicimus, hoc verbo repetendi apte mihi videatur exprimi versus istos non semel poni, sed iam positos repeti. Et haec notio, quum *refrain* audivi, in mente mea nascitur. Postcinium contra, neglecta iteratione, si-

gnificare vi sua videtur cantionem ponendam post alium cantum. Itaque, si iam canendum est, *intercinium* fortasse rem tetigerit propius, quam postcinium.

Sed venit in mentem vitandae loquacitatis. Igitur finem faciam, quum etiam tria interrogavero.

Iacet in mensa, ubi haec scribebantur aliquid cylindricum ab ima parte obductum carta bibula, a summa parte exstat capulus tornatilis. Hoc aliquid ponere soleo in siccandis post scriptionem foliis: arena utebantur maiores nostri. Huic rei Germani imponimus nomen *extinctorium*.

Latini quid appellabimus istum pulvillum imbutum suco plerumque violaceo, quo tingimus sigilla imprimenda documentis? Tinctorium dico, quoties mecum solus loquor. Opus esse dico suco rubro vel minia, quoties aggredior discipulorum nostrorum scriptiones, quae si se ipsae corrigerent, dulce esset grammatici sustinere partes. Iste igitur sucus ruber, vel violaceus, vel viridis, quo donabitur ab iis qui Latine calleant nomine?

An nulla reperientur vocabula analoga atramento et atramentario? De his rebus haveo brevi audire, quid sentias.

Fac valeas: nam, mihi crede, nihil molestius, quam iniqua affectum valetudine integros dies procrastinare futura pondera.

E domo missionum S. Augustini, Siegburg in Rhenania.

Paene me fugit postrema litterarum tuarum interrogatiuncula, placeret ne pro *autobo*, «autoveha». Ut brevi praecidam; neutrum placet. Dicam usque ad finem vitae meae «digam»; quam vocem puer ex *Praecone Latino* haustam servavi. Digam illi dicebant tamquam de-iugam, quemadmodum bis-iugae essent bigae. Bigarum autem aliae sunt, onerariae, aliae hominum vel personarum, aliae publicae, aliae privatae.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum [1]

Dishaeredare - Aliquem exhaeredare (exhaeredem facere [scribere]; haereditate orbare).

Dishonestus - Impudicus; Voluptarius; Flagitiis inquinatus; Quem inhonesta et perniciosa lubido tenet...

Disparere - Evanescere; Sublimem abire; Oculis subito subduci.

Disparitas - Ratio dispar (diversa).

Dispositio animi - Animi comparatio (affectio). [2]

Disquirere - Exquirere.

Dissitus - Disiunctus; Longinquus; Remotus. [3]

Distractio - Mentis evagatio; Vagantis (peregrinantis) animi aberratio (avocatio).

Ditescere - Divitem fieri.

Diutius - (ex. gr. *sex. mensibus*) - Amplius sex menses.

Diversimode - Varie; Alio atque alio modo; Non uno modo.

Diversitas - Varietas; Dissimilitudo.

Divisim - Separatim; Seorsim.

Doganarius - Portitor; Publicanus.

Dominica - Dies dominicus.

Dominicanus - Dominicianus.

Dominium - Dominatio; Dominatus.

Dono mittere - Donare; Munera mittere.

Dormitorium - Diaeta dormitoria.

Dubietas - Dubium.

Duellari - Digladiari; Singulari certamine (monomachia) decertare; Viritim dimicare (pugnare); Ferro (gladio) sese viritim appetere.

Ecclesia - Si de coetu fidelium: Contio sacra. Tamquam Institutum: Respublica

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Dispositio ultimae voluntatis* - Voluntas.

[3] Verum recte dicitur pro «dispersus».

(Civitas) christiana. Si de templo: Templum; Aedes sacra.

Echo - Vox repercussa: Sonus repercussus: Saxa (Solitudines) voci respondentia.

Efficacia - Efficacitas; Efficientia.

Efformare - Effingere; Exprimere; Formare.

Elaborare (*aliquid*) - Efficere; Facere; Perficere. - Conscribere; Perscribere. [1]

Electus (*ad aliquod munus*) - Adlectus; Allectus; Aliquo affectus honore.

Eleemosyna - Stips. [2]

Elementa (*prima*) - Primordia (ex. gr. studiorum); - Principia rerum, e quibus omnia constant (e quibus omnia oriuntur).

Elenchus - Index.

Emphasis - Sublimioris sensus oratio; Abstrusioris significationis sermo; Reconditioris intelligentiae dictio.

Encaustum - Cera illitus (a, um).

Encomium - Praeconium.

Enervis - Enervatus.

Epiphania - Theophania.

Eremita - Homo solitarius.

Eremus - Locus desertus; Inculta solitudo.

Esentare - Immunitatem munerum (Vacationem a muneribus) alicui dare (tribuere); Aliquem solvere (liberare) aliqua re; Legum vinculis (nexu) aliquem eximere; Gratiam legis alicui facere. [3]

[1] Apud Ciceronem tamen invenitur «elaboratus» (part.).

[2] Itaque: Stipem in pauperes erogare; Aeditui in templis stipem cogunt. - Et etiam: Pauperibus ex pietate aurum donare; Petenti subsidia religiose tribuere; Pecuniam in obvios pauperes insumere; Pauperum inopiae consulere. - Praeterea: Per stipem aliquid parare; Manum ad stipem porrigere victumque emendicare; Ostiatim victum (panem; cibum) quaeritare (petere; rogare).

[3] Inde: Immunem esse munere; Muneribus vacare; Immunitatem (vacationem) habere; Munerum vacationem nancisci; Muneribus exemptum (solutum) esse.

Essentia (*rei*) - Natura; Vis; Potestas rei.

Esuries - Fames; Inedia.

Eucharistia - Sacramentum Augustum. [1]

Evaginare (*gladium*) - Gladium stringere (e vagina educere).

Evangelizare - Christi doctrinam praedicare; Verae fidei lumen et praeconium in aliquam regionem inferre.

Exactor - Allector (Coactor) tributorum (vectigalium); Curator pecuniae publicae (privatae) exigendae.

Exaltare (*aliquem*) - Efferre (Provehere) ad honorem; Admovere dignitatis gradibus; Nobiliori fastigio aliquem ornare.

Examinator - Iudex.

Exasperare (*aliquem*) - Alicuius animum exulcerare (accendere; commovere).

Exaudire - Votis precibusque annuere; (indulgere); Preces ratas habere (admittere; aequis auribus accipere; non despicere; non contemnere); Precibus alicuius flecti (moveri); Aliquem voti compotem facere; voluntatem alicuius explere.

Exercere (*virtutem*) - Virtutem ostendere (declarare).

Exercitia (*spiritualia*) - Religioni dare operam sub magistro pietatis; Spiritualibus (Divinis) exercitationibus instrui; Sacras commentationes obire; A negotiis avocare sese et ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapi. [2]

Exhibere (*sese* - ex. gr. *liberalem*) Se praebere; *Exhibere liberalitatem*: probare.

Exigentia - Necessitas; Postulatum.

Ex nunc - Ex hoc.

Exoptabilis - Optabilis.

[1] Cfr. *Communio; Corpus (Domini)*.

[2] *Exercitiorum spiritualium Domus:* Asceterium adultis potioris vitae studio per statos dies secedentibus ad virtutem confirmandis erigendisve.

Experimentum facere – Aliquid experiri; Periculum facere alicuius rei; Aliquid tentare (attentare; explorare; probare); Aliquid experimentis (usu) cognoscere (experimento deprehendere; experiendo pernoscere; manifesto comperire; re ipsa reperire).

Exponere (*se periculis*) – Offerre (committere; subiicere) se periculis.

Expositio (*SS. Sacramenti*) – Adoratio publica Sacramenti Augusti; Sacramentum Augustum supplicationis causa (adorandi causa) e sublimi throno proponere.

Expositus – Proles incertorum patrum.[1]

Exprimere (*aliquid non posse*) – Exprimendis animi sensibus imparem orationem alicui esse (non sufficere; verbo deesse; verbo non suppetere); Oratione non assequi mentem (non aequare); Eloqui non posse quod aliquis sentit.

Ex professo – Consulto; Ex industria; Dedita opera.

Exscerpere (*librum*) – Excerpere ex libro.

Exsecutor (*testamentarius*) – Curator testamenti (ex testamento).

Extasis – Mentis (Animi) a corpore secessus; Mentis a sensibus avocatio.[2]

Extemporalis, *Extemporaneus* – Ex tempore (subito) dicere.

Extollere (*sese*); – Efferre sese; *Extollere vocem* – Intendere vocem.

Extractum, *Extractus* – Epitome; Summarium.

Extrinsece – Extrinsecus.

Extrinsecus (*a, um*) – Externus; Exterior; Alienus.

[1] *Expositorum domus:* Domus hospitalis proli incertorum patrum tollendae (educandae artificiisque instruendae).

[2] *In extasim ire:* Alienari a sensibus; A corpore se avocare; A sensibus (corpore) secedere; A sensibus abstrahi. – Ex. gr: A sensibus abstractus in contemplationem divinae charitatis (sempiternae beatitudinis) tota mente raptus est.

Ex tunc – Inde; Iamdudum.

Exuberantia – Abundantia.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

ANNALES

Gallicae reipublicae praeses commutatus.

Millerandus, Gallicae reipublicae praeses, cui novum legatorum coetum legibus ferendis acriter adversantem vidimus, a munere sese abdicavit, postquam administrorum collegium, cui Franciscus Marsal praepositus erat, eiusdem coetus suffragia obtinere non valuit. Non tamen eius adversarii quam sperabant victoriam adepti sunt. Quum enim in unum coivissent senatores fere omnes et pars quam « servatricem » appellant, contra Painlevé, popularium candidatum, publici coetus legibus ferendis praesidem, Millerando suffecerunt senatus praesidem Doumergue. Herriot tamen rerum gubernacula assumpsit; quamquam nescimus quam diu sit recturus, adversariis iam hîc illic sibi partis, inter quos catholici quoque adnumerandi sunt, ob eius declarationes timentes fore, ne, dum pax ab omnibus invocatur, religiosum intestinum bellum resurgat.

Interim cum Anglis colloquia resumpta sunt eo fine ut aliqua compositio inveniatur, per quam quaestioni illi de resarciendis damnis ab Europaeo bello illatis, quaeque omnium oeconomicas res vexat, finis tandem imponi possit.

***

Italicae res.

In superiore eventuum hac recensione nostra adnotavimus quousque partium studium in Austria misere pervenerit. Non minore quidem questu facinus alterum memorandum est, idque in Italia patratum, ubi Iacobus Matteotti, publici coetus legatus e socialistarum factione, per vim est raptus et – uti iam indubium est – nefando crimine atrociter necatus. Politicum profecto scelus, quemadmodum satis superque demonstratum est ex sontium detectione, omnium ex « fascistarum » parte, quae proculdubio inde damnum maius civitatis rectoribus attulit, quam quod adversarii omnes simul iuncti. Sed verum quoque est, laudabili vi, gubernium in gravissimae culpae quosvis reos quaestionem tulisse, nulla officii, dignitatisve ratione habita.

In hisce, princeps Aethioporum regnum gerens, Tafari nomine, Romam visitavit, debito honore acceptus, etiam a Summo Pontifice, quem pariter sollemniter adivit.

***

Albanica seditio.

In Albania seditio facta est contra civilium rerum administros per « nationalistarum » partem, quae tandem victrix evasit. Gubernium gerentes tum in Italiam profugerunt et Valonae novi ipsis suffecti sunt, praeside Korciae episcopo.

Italia et Iugoslavorum regnum, iuxta foedus inter se initum, quum de civili interna re ageretur, a quavis actione sua abstinuerunt.

***

Nationum societas.

Genevae XXIX Suprema Consilii Societatis Nationum sessio inita est.

Kalendis Iuliis MCMXXIV.

POPLICOLA.

Beneficium qui dare nescit, iniuste petit.
Bis est datum quod opus est, si ultro sit datum.
Bona fama in tenebris bonum splendorem obtinet.

P. SYRIUS.

VACUI TEMPORIS HORA

Vulgatum satis apud Italos nos est proverbium: Cerasum cerasum trahit; idque est mihi de *Anonymis* repetendum; quorum alter quum ea legisset quae in superiore numero dicta sunt de hodiernis moribus construendi domos, me voluit rogatum utrum crederem res nunc ita se habere, ut permittant aedes extollere et constituere, quemadmodum apud alium Guinisinae aetatis scriptorem legitur, scilicet in opere P. De Lacerda, quod « In campis eloquentiae » inscribitur. Respondeat si velit *Anonymus* ... ut dicam? ... numero I; ego confiteor iudicem me esse in argumento minime competentem, ea etiam de causa, quod ... opes meae ne valent quidem laterem unum lateri alteri superponere.

Quibus praemissis, ad descriptionem **domus amplissimae et ornatissimae** ab Anonymo numero II nobis oblatam deveniamus:

« In primis – ait – antequam ingrediaris in aedes, more veterum Principum, protyrum, id est vestibulum inter aedes ipsas et viam interiectum, quo qui salutatum venerint in perystilium nondum ingressi, nec in intimas aedes recepti exspectant responsa mandataque dominorum. Ostium quam amplitudinem habet, sive diathyrum obiectum et oppositum ostio, ad ventos irrumpentes, dum valvae aperiuntur excludendos, sive hyperthyrum superlinare, sive hypothyrum illi obiectum, atque utrumque transversum superum et inferum limen; sive antas utriusque ostii latus munientes, cum suis antepagmentis, quae cum antis appangantur affiganturque, quem habent ornatum, quam insignem formam cum supercilio praesertim ipsis ostiorum antepagmentis

in hyperthyrum imposito! Sed quae valvae, quantam in altitudinem surgunt! Quam etiam amplitudinem habent ferreis constratae clavis et laminis rectis transversis cum cornice ad pulsandas fores! Serae vero cum vecti quum fortes sint et crassae pro valvarum amplitudine arte polita sunt spectanda.

« Sed iam ab hoc aditu et quasi ianua patefacta ingrediamur in peristylium, quod columnis undique inclusum est et quasi septum quibus porticus sustentantur, per porticus vero in palatia et cubicula verna aestivaque ingredimur. Columnae altae sunt crassaeque, rotundae admodum, ad quarum firmitatem stabilitatemque stereobatae e solo eductae stylobatem lapidem basi suppositum sustinent; inde basis, quae spira unius aut duorum ornatur. A basi surgit scapus longus, crassus, rotundus ac perpetuus; supra scapum epistylium. Quum autem hae columnae rotundae sint, tum striatae, tum structiles sunt: in capitulo volutae propendentes, circuli tortilis ad modum, aut cincinni crispati: tori columnae crassiores torques et teretiores. Abacus et echinus, et inter utrumque pulvinus interiectus est, unde volutae dependent: denticulus fascia epistylii ad dentium speciem intersecta. Cymatium, quod sinuosum, undae in praeceps ruiturae speciem praebet. Reliqua quibus ornantur columnae, lances, encarpa, cornua, taurorum capita, vittae revinctae, lemniscique ex coronis pendentes, reliquus ornatus, quum purae non sint, sed scalpturis, variis formis figurisque, striis ornatae, qua specie, quo ornatu, quo splendore sunt! Unus satis esset Zophorus, baltei picti speciem praebens, in quo metopae et figurae exculpuntur ad columnarum laudem eximiam. Quod ultimum aedium maximarum fastigium coronide sua terminatum supercilioque eiusmodi, quod proiectura dicitur ad proiicienda arcendaque a pariete stillicidia, ne venustatem tantam nitoremque faedum deformemque reddant. In alio impluvio pilae sunt, a columnis, quas scis, quadrata forma distantes. ... ».

Sed iam fiat satis, ne in longum nimis abeat oratio, neve lexicon, ob vocabulorum novorum copiam hodie necessarium, nimia consultatione a lectoribus meis teratur.

***

Qui ludus hodie oculis vestris poëtice proponitur, est incerti auctoris **funambuli spectaculum:**

..... Iuvenem sese tollere in altum
Sublimemque agili restim contingere saltu,
Alternisque vagum choreis attingere funem
Intuor; ecce tibi toto se corpore pronum
In terram saltator agit; iam turba faventem
Praecipiti apponit dextram; sed ridet inanes
Ille metus, tutusque sui dum pendulus infra
Deprimitur capite obverso, pede firmus ab [uno
Libratum vacuo suspendit in aëre corpus.
Quid faciat, quave arte caput corpusque re- [cline
Altius attollat? Totus, mirabile dictu,
In se se redit et subito se turbine versans
Alta tenet capite et pedibus premit infima; [tumque
Fune super tereti ad numerum componere [sa]tus
Audet, et ad fidium cantus hilaresque ca- [moenas
Saltandi revocare modum; vix planta laba- [scit
Sede sub instabili; partem sed corpus in [omnem
Pondere libratur parili: consistere firmum
Si lubet, obsequitur; stat certus in aëre funis.
Nil tamen attonitus tremulae formidine restis
Ingeminat saltus: subsultim vertice in altum
Tollitur arrecto; pedibus si quando per au- [ras
Disiunctis ruere in praeceps, casuque putetur
Proximus, arte nova sibi consulit: insidet [ipso
Fune super iam factus eques, compressus [utrumque
Presso crure latus nullisque instructus ha- [benis
Sic equitat, tandemque novo vestigia nisu
Ad summum revocat revocato corpore funem.
Verum ubi perpetui fessum se turbine motus
Praesentit, fictae placet indulgere quieti.
Firmiter innixus mento se sustinet; infra
Pensile declinat corpus, suspendia fingit
Vera: pavent spectantum oculi, sed nulla [timendi
Fit mora, namque pedes agitans et brachia [totus
Ad motum redit, atque alios se torquet in [orbes.
Quod iterum mirere magis, dum stringit [utraque
Appensum dextra funem, trans brachia totum
Paullatim insinuat corpus, nervisque retortis,
Et manibus revocat se se et reflectit eodem
Membra situ...

***

Iocosa

— Quot aetatis annos numeras, Tucci?

— Viginti.

— Bombax! Videris vix duodecim attigisse; imo, ni fallor, memini et patrem tuum hanc tuam aetatem recens declarasse.

— Non negem; sed quum pater absit, gradatim ipse aetatem augeo meam.

— Quorsum haec?

— Quo citius provecta aetate fiam, neve amplius in scholam vadam.

Tuccius Gallici sermonis periculum facit. Eum magister interrogat:

— Quomodo apud Gallos vertitur « regnum »?

— Non vertitur, sed versum iamdiu est ... in rempublicam!

***

Aenigmata

I

Arcanum volitat; *caudam* si demeris, altus
Tunc iam viventum pectora somnus habet.

II

Pendens refulget *integrum; caput* demas,
Auscultat, integrumque gestat ostentans.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Fla-bellum;* 2) *Anna-lis.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa

Iterum iterumque rogamus *Socios omnes, et eos qui bis et tertio monitos* Almam Romam *retinuerunt,* atque ideo tamquam subnotatores et ipsi habendi sunt, neque tamen consociationis pretium adhuc solverunt, velint quam citissime debita sua cum administratore nostro componere. Cogitent, quaesumus, nos non aliumde vitae nostrae alimentum sumere!

Cl. v. ANDR... HAB..., *Siegburg.* – Quae scripta promittis – haud excluso *Pancratio,* – libentissime, imo cum gratiis plurimis accipiemus. Interim discipulis tuis gratulamur ex animo.

Cl. v. NIC... FEST..., *Massiliae.* – Iam nunciavimus fasciculi I opellae nostrae *Communia vitae* ne exemplar quidem unum adhuc superfuisse.

Ut in superioribus annis factum est. fasc. VIII et IX in unum prodibunt, qui primis Septembris mensis diebus edetur.

A SECRETIS.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

LEPIDUM CAVILLUM 3)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

Erit mox doctor, rerum qui doctissimus
Cunctis et me tricis liberabit optime.
Quam lentus ianitor! Formicino gradu
Ivit procul dubio! Redibit protinus...
At, at, rumorem venientis audio...
Is est! Is est! Anselme, quid refers [novi?

SCENA V.

IANITOR, *et* DICTUS.

IAN. Prius sine purum recipiam spiritum,
Et omnia dicam postea per ordinem...
REC. Et doctor venit?
IAN. Veniet! Mox heic erit.
Aegrotum prius visitabit gravem,
Deinde veniet! Scis quae molis cor- [poris...
Obesus, malis et se gerit cruribus.
REC. Ivit? Quonam? Scis? Sinistrorsum for- [sitan?
Ivit dextrorsum? Dic?
IAN. Quae verba! Nescio.
REC. Video equidem! Vado ipse ei obvius... (*Exit*).

SCENA VI.

PROCURATOR et IANITOR.

PROC. (*ex adverso veniens*) Et rector?
IAN. Exivit!
PROC. Quo?
IAN. Quod prorsus nescio.
PROC. Vade hinc intro, et quod tuum est fac [impigre.
IAN. Ut semper! (*Exit excutiens caput*).

SCENA VII.

PROCURATOR *solus*.

PROC. Accidit quid rectori grave?
Meum quae pectus tangit curiositas!
Nondum mihi nullas protulit litteras,
Nuper quas mittunt parentes filiis...
Et ipse exspecto litteras avidius.
Me multis socius territat insidiis,
Missurum praedicat occultam tragulam,
Meam qua famam destruat astutiae.
Ita cuniculis ponam cuniculos,
Suis fallaciis struo fallacias,
Meum sic ingenium sollers acuo,
Eumque saepius, mea modestia,
Artibus mille circumire studeo.
Sic nos in horis subsecivis ludimus;
Acumen rerum saepe quae calliditas!
Adhuc fuit si ille Hannibal, ego Fabius!
(*Adspiciens videt longe Rectorem*).
Adest sed Rector! Vultus qui terrificus!
Nunquam sic moestum me vidisse fa- [teor.
Qualis tempestas! Quibus cum fulmi- [nibus!
Hinc ergo abire iuvabit melius. (*Exit*).

SCENA VIII.

RECTOR et MEDICUS.

MED. (*Ingrediens vultu tristis*).
Res est, quam narras, omnium gravis- [sima...
Omnem quae nostram quaeritat soller- [tiam.
Debetur nempe sepelire mortuum
In ipso semper vici coemeterio,
Ubi mors incidit tranquilla aut subita,
Nisi parentes postulent licentiam.
Habetur nulla legis hîc exceptio;
Et omne luce meridiana patet.
Rector hic, miscet qui liberius regulas,
Et mittit sacras hominum exuvias,
Ut essent prorsus vel haedina corpora!
Erit sui compos, aut e contrario
Caret iudicio, mea sententia?
Scribendum illico, ne mittat affatim!

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXIV Fasc. VIII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

3. Quae quum ita sint, tamen quaestio occurrit, utrum omnia penitus a Graecis sumpserint Romani adeo ut nihil aliud nisi simiae Graecorum dicendi sint, an nonnihil sui in opera litterarum artiumque induxerint. Num probari potest Nordenii, philologi Berolinensis, viri alioquin maximae existimationis, sententia, adfirmantis, latinarum litterarum historiam nil aliud esse nisi *die Geschichte von der Aus-und Umbildung der aus der griech. Lit. herübergenommenen γένη*? De hac re nuper commentatiunculam scripsit, doctam et sane probabilem, Vincentius Ussanius noster, cui titulus: *Originalità e caratteri della letteratura latina.* [2] Cuius sucum colligentes, primum in memoriam revocabimus, Romanos, etiam quum alienam doctrinam in rem suam derivarunt, magis in rebus atque usu quam in studiis ac ratione versatos esse. Et ut mores et instituta vitae resque domesticas ac familiares et melius tuebantur et lautius quam Graeci, rem vero publicam melioribus temperaverunt et institutis et legibus (verba sunt Ciceronis in *Tusculanis Disputationibus*, I, 1 et 2), ita studia scientiae cognitionisque de caelo quodammodo in terram revocare conati sunt, et quum apud Graecos, exempli gratia, geometria in summo honore esset, nihilque mathematicis illustrius, Romani modum huius artis metiendi ratiocinandique utilitate terminaverunt. Hinc epici poëtae magis quam lyrici oratores et rerum scriptores potius quam philosophi exstiterunt.

Praeterea, si latinas litteras in universum perpendas, tria animadvertere licebit, quibus earum praestantia et excellentia ostendetur. Primum non inficiaberis, *gravitate* illas quadam et magnitudine insignes esse. Considera rerum scriptores, ut Livium, Sallustium, Tacitum, si interdum iudicio et critica vi, ut nos loquimur, carere videntur, at quam magna sapienter res describunt, mores hominum exhibent, magnorum virorum laudes concelebrant! Laudabat Cicero orationem sapientibus sententiis gravibusque verbis ornatam et politam [1]; nemini ignotum est quam florentes vel severis vel venustis sententiis fuerint historici, quos nominavi, praesertim Cornelius Tacitus.

[1] Cfr. fasc. sup. m. Iulii.

[2] *Atti Istituto Veneto*, 1920-21, tomo LXXX, pars altera.

[1] *De or.*, I, 8, 31; *Brut*, 325.

Etiam oratio numeris soluta apud Romanos aptam compositionem melius fortasse adepta est, quam inter Graecos. Isocratis merita de concinnitate dicendi non negaverim; at Ciceronis loquendi genus in quibusdam orationibus et in libris *De oratore* quam elegans et aptum et rotundum, omnibus denique numeris absolutum! Eius laudem quis oratorum, etiam recentiorum, cuiuscumque gentis consecutus est, nedum superaverit?

Porro, inter omnes constat, veteres Italos cuiusque regionis, praesertim earum quae ad meridiem spectant, natura ad ludum et iocum et facetias propensos fuisse, turpitudinem quamdam et deformitatem minoraque hominum vitia libenter risuros. Notus est Graecus ille Persius Clazomenius in Asia apud Brutum praetorem cum proscripto Rupilio Rege molesta lite contendens, et ab illo Praenestino equite mirum in modum ludificatus, et « italo perfusus aceto », ut narrat Horatius in satira septima libri primi. Huiusmodi igitur aceto et lepore et hilaritate saepissime conspersae adparent latinae litterae, a Fescenninis primae aetatis usque ad epithalamia seu nuptialia carmina sequioris aevi; his rebus abundabant celeberrimi oratores, suavitateque dicendi auditores replebant ut P. Scipio et Caesar a Tullio dicti sunt sale facetiisque omnes superasse.[1] Hinc Bionei sermones in deliciis habiti, nigro sale conspersi, hinc Luciliana illa et Horatiana satira, romani ingenii felicissimum ausum. De quo Quintilianus celeberrima illa verba facere non dubitavit: « Satira tota nostra est ».[2] Quid plura? Ipsae funebres inscriptiones non alienae interdum a facetiis apparent, ut De Marchi noster, vir ah nimis cito studiis morte ereptus, ostendit in scriptiuncula cui titulus: *Cronaca e facezia nelle iscrizioni sepolcrali latine.*[1] Hac in re igitur romanum ingenium suum omnino mansisse quis iure negabit?

Non est tacenda etiam alia poëtarum latinorum laus, Romanae indolis filia, scilicet singularis quidam naturae sensus, quo melius quam Graeci voces et silentia rerum animo excepisse, et carminibus suis expressisse videntur. Cui non venit in mentem Lucretius, qui doctrinam alienam in artem exquisitissimam convertit? Cui non Catullus, amoris vehementissimi interpres fidelissimus? Cui non mitis Tibullus et Vergilius bucolicus, rusticae vitae et domesticae religionis atque pacis cantores tenerrimi et suavissimi?

Tertio loco denique animum advertamus ad illud quod, mea quidem sententia, latinas litteras a ceteris omnibus secernit atque distinguit, nempe patriae caritatem atque cultum, et Romanae maiestatis magnitudinisque sensum et admirationem, quibus scriptores omnes animati videntur. Quod Horatius augurabatur in saeculari carmine: « Alme sol, possis nihil urbe Roma visere maius », id et poëtae et rerum scriptores et oratores pectore toto acceptum servabant. Res Romanas celebrare officium nulli negligendum videbatur, eique satisfacere conati sunt inde a Naevio, Belli Poenici auctore, usque ad ultimos rerum scriptores, ut Cassiodorum. Vergiliana *Aeneis* hoc ipso ab Homeri exemplari distinguitur, quod, in Aeneae memoria, erroribus, bellis enarrandis, historiam sui temporis sub speciem vaticinationis complectitur. Ut in Asiae provinciis mature templa deae Romae dicata sunt, velut a Smyrnaeis inde ab a. cxcv ante C. n.,[2] paulo post ab Alabandensibus in Caria, qui ludos etiam anniversarios ei divae instituerunt,[3] praesertim imperatorum tempore cultus deae Romae cum

[1] *Brut.*, 128; *De off.*, I, 133.
[2] *Instit. or.*, X.

[1] *Atene e Roma*, 1911, 222.
[2] Tacit., *Ann.*, 4, 56.
[3] Liv., 43, 6.

genio Augusti coniunctus est, ita romani scriptores urbem aeternam amplissimis laudibus celebrare contendebant. Sub ipsum finem imperii, post Romam ab Alarico Visigothisque captam et direptam, Rutilius Numatianus in poëmatio suo *De reditu*, Romae vale dicens in Galliam profecturus, quasi divino spiritu inflatus, sic Urbem alloqui non dubitavit (1, 47):

Exaudi, regina tui pulcherrima mundi,
Inter sidereos Roma recepta polos;
Exaudi, genetrix hominum genetrixque deorum,
Non procul a caelo per tua templa sumus.
Te canimus semperque, sinent dum fata, canemus,
Sospes nemo potest immemor esse tui.
Obruerint citius scelerata oblivia solem,
Quam tuus ex nostro corde recedat honos.
Nam solis radiis aequalia munera tendis,
Qua circumfusus fluctuat Oceanus;
Volvitur ipse tibi, qui continet omnia, Phoebus
Eque tuis ortus in tua condit equos.
Te non flammigeris Libya tardavit harenis,
Non armata suo reppulit ursa gelu;
Quantum vitalis natura tetendit in axes
Tantum virtuti pervia terra tuae.
Fecisti patriam diversis gentibus unam,
Profuit iniustis te dominante capi,
Dumque offers victis proprii consortia iuris
Urbem fecisti quod prius orbis erat.
. . . . . .
Tu quoque legiferis mundum complexa triumphis
Foedere communi vivere cuncta facis.
Te, dea, te celebrat Romanus ubique recessus
Pacificoque gerit libera colla iugo.
Omnia perpetuos quae servant sidera motus
Nullum viderunt pulcrius imperium.

Concludamus licet, litteras latinas non sine excellentia et virtute quadam sua cum Graecis comparari posse, et inique facere eos qui illas nimis fastidiose despiciunt.

(Ad proximum numerum).

Felix Ramorinus.

DE CULTU SANCTI LAURENTII MARTYRIS

Huius sanctissimi iuvenis historia est nota quidem, sed non indigna repeti, hisce potissimum temporibus, quibus perperam falsa virtus passim honoratur. Huic praesertim et animi eius fortitudini primas semper Romanorum pietas religionis suae victorias receptas referre consuevit. In Romanae ecclesiae ritu sub exitum quarti saeculi atque ineunte saeculo quinto in sculpturis cum sancto Petro et Paulo, Urbis patribus, insignis hic sacer Minister honorifice ponitur, qui splendida ac teterrima morte de falsis numinibus maximum omnium triumphum reportavit. Maiorem enim eius in Urbe excellentiam, post Apostolorum principes, non modo sanctus Augustinus testatur, sed Prudentius, et Leonianum quod dicitur sacramentarium memorant; et vermiculata emblemata in sepulcralibus vitris signiferi huius christiani atque cruciferi imaginem castissime reddunt.

Prudentius, qui Christianorum poëtarum clarissimus habitus est, mira affectuum suavitate, Christianam pietatem redolentium, amplissimis honoribus eum ad sidera tollit. « Romani - ait - templum extra urbem sanctissimo viro dicarunt, eiusque nomini liberos consecrare solebant, et sanctiores ethnici Pontifices, et in primis Claudia Vestalis romana, ad sepulcrum in Syriacae praedio, in Agro Verano iuxta Viam Tiburtinam, miliario ab Urbe secundo, adoraturi se se conferebant ».

Quae autem Romae fierent honori sancti Laurentii, pervigilio eius diei festi, complura et doctissima, ex more, nostra memoria, in Commentario sanctae Melaniae, Marianus Rampolla Cardinalis exaravit. Constat enim apud omnes, quo modo, quibus suppliciis et qua animi fortitudine, christianus hic et verus

Mucius imposuit ... sua membra focis.

Laurentius diaconus, quum furor paganorum in Christi discipulos saeviret, obvius fuit Xysto P. M., qui in odium christianae sapientiae poena mortis damnatus, ad supplicium duceretur. Quem longe ac

lacrimans compellabat dicens: « Quo progrederis, sine filio, pater? quo, sacerdos sine ministro properas? Noli me derelinquere, pater sancte.... ». Cui sanctissimus Pater respondit: « Non ego te desero, fili, neque derelinquo: sed maiora tibi debentur pro Christi fide certamina. Senes nos levioris pugnae cursum recipimus; te autem quasi iuvenem manet gloriosus de tyranno triumphus. Post triduum me sequeris sacerdotem, Levita. Interea si quid in thesauris habes, pauperibus distribue ».

Quod quidem consilium prudentissimum fuit; namque Urbis praefectus, postulat sibi ab immaculato sacri thesauri custode opes ecclesiasticas, quibus avidissime inhiabat, inferri. Cui Levita castissimus respondit, eas sese condidisse in pauperum manibus, ubi integrius salvas esse confitebatur, quanto sanctius probabantur expensae.

Praedo ille frustratus renuntiare Christo Laurentium iubet et fortissimam christiani animam diris parat urgere suppliciis.... Laceros artus et multa verberum sectione conscissos subiecto praecipit igne torreri.

At ipse ad caelestia spectans et mortalia contemnens, animum atroci tempori parem habens, dum in craticula superpositus uritur, ad impiissimum tyrannum versus irridens dicit: « Assatum est iam: versa et manduca ».

Quae verba! Horatius, quum de exquisito tormento memoraret, indignabundus dicit:

Invidia Siculi non invenere tyranni
maius tormentum!

at Roma, fortium tot virorum altrix, haud antea Laurentio fortiorem virum genuit!

Et Deus, munerum suorum abundantia martyris nobilitatem cumulavit, et eius sepulcrum miris et perennibus signis gloriosum frequentissimi ac devoti populi honestarunt.

Hippolytus enim, praetoriae cohortis praefectus, paulo post Laurentii funus, religione Diaconi mirum in modum commotus, sacro fonte publice ablutus, in Christum credidit. Lucillus quidam caecus, tacta modo martyris manu, visum acquisivit. Romanus, quum Dei angelum cerneret, pulcherrima forma, martyris frontem sudore madidam abstergentem, divina virtute adiuvante, a Laurentio ipso Baptismum postulavit.

In summo montis Viminalis vertice, apud Olympiae thermas, ubi Laurentius immortale martyrium subiit, saeculo octavo, sub Gregorio II P. M. ei est templum dicatum cognomento *in Panisperna*.

Maiori vero devotione sanctus Laurentius colitur in Agro Verano, iuxta viam Tiburtinam, apud sanctissimae Cyriacae, matronae romanae, sepulcra, ubi primum martyr fuerat sepultus, et templum insigne extruitur. Memoria nostra, Sanctes Pesarini, peritissimus rerum antiquarum cultor, paulo ante defunctus, acerrimis argumentis, ex monumentis nuperrime depromptis, templum ad Tiburtinum Honorium III aedificasse firmavit, alterum ad Martyris sepulcrum Pelagium secundum.

Pius IX P. M., auctoritate sua, basilicam illam Laurentianam extra Portam Exquilinam restituit, et inibi aediculam pro loci religione et dignitate, sua impensa dedicari iussit. Omnibus perspicuum est, Pium IX P. M. in hac basilica hypogeum sibi elegisse, ut ita Laurentii potissimum protectione in morte frueretur. Parvulam aediculam primum super martyris exuviis Constantinus imperator aedificandam curaverat, in cuius humiliori parte Pius IX conditus est.

Magnam alteram Basilicam ab inchoato exstrui iussit Xystus III Pontifex, qui Augustae Dei Matri dicari voluit; sed, labentibus annis, utraque est sancto Laurentio donata.

Et alia quoque templa in Urbe fuerunt S. Laurentio dicata: uti scilicet quae in Lucina, in Damaso, in Piscibus atque in Miranda appellata fuerunt.

De sancto Martyre Laurentio tot meritis insigni multa eademque gravia documenta Romanum Collegium cultorum Martyrum paulo ante edidit.

Insignis hic Christi martyr gloriose occubuit Romae IV idus Augusti an. CCCVIII. Et centum duos et triginta annos post, Florentiae, Iuliana, nobilis huius urbis foemina, quae Aldobrandinorum familiae origo traditur, sancto Laurentio, quem maxime colebat, templum construendum curavit, a sancto Ambrosio rite dicatum. Haec fuit Basilicae Mediceae initium, quae multis post annis, novis semper accessionibus exornata atque sculpturis, inter pulcherrima templa in illa Urbe laudatur. Ita Florentia, prior post Romam, sanctum Laurentium iam inde a multo tempore, maxime venerata est.

Complures autem aliae civitates, in quibus Ianua est recensenda, quae ipsum sibi Patronum principem elegit, sanctissimo Diacono templa dedicari voluerunt. In hisce, Augustam Taurinorum commemorabo. Cui hoc decus maxime debetur? Emmanueli Philiberto, qui fortissimus et maximi consilii vir, rem subalpinam profligatam ac paene perditam, praeter omnium opinionem virtute sua restituit. Octodecim enim annos natus, quum paternam ditionem a Gallis teneri videret, ad stipendia se contulit Caroli V hispanici, sperans fore ut aliquando patriam ab hostibus vindicaret. Acerrimo praeditus ingenio, in tantam claritudinem brevi pervenit, ut imperator illum praeficeret exercitui, quem in Belgis haberet Tam opportunum imperium nactus, Emmanuel Philibertus, anno MDLVII Galliae fines ingredi non dubitavit, castrisque positis ad Augustam Veromanduorum, III Idus sextiles maximo praelio fortissimas Gallorum copias profligavit, ipsumque hostium ducem in potestatem suam redegit.

Vir autem piissimus, in tam arduis rebus constitutus, ad Deum respexit, et se suaque in tutela posuit sancti Laurentii, cuius festum proximum erat, et secum ipse solemniter vovit, si in praelio victoriam de hostibus referre potuisset, in patriam reversus, templum haud rege indignum, in eius honorem esse exstructurum.

Et Emmanuel Philibertus, quum virtutis praemium tulisset avitum regnum, a belli periculis ad pacis studia animum convertit, et voti compos, Augustae Taurinorum, ingenio praescriptoque Camilli Guarini, religiosi viri atque eximii studii, apud regiam templum sancto Laurentio dicavit, iis artibus decoratum, quibus maxime civibus advenisque commendaretur.

Strenuo Gallorum victori equestrem statuam ex aere cum basi anaglypta in arce ante templum Carolinianum posuit grata Taurinensium civitas dedicavitque.

At si hominum fama plerumque vel clarissima hodie mox fit tempore obscurior, « ut sylvae foliis pronos mutantur in annos », e contra sanctorum virorum nomen « vires acquirit eundo », quoniam ipsa religio tamquam mater strenua atque immortalis suo eos velamine tegit atque aeternitate tuetur.

Ad Laurentii monumentum haec esset inscriptio ponenda:

Ethnica Roma ruit, Christi nova Roma triumphat.

SENIOR.

PAULUS SEGNERI

Paulus Segneri, cuius ab ortu, Neptuni in Latio, tertium hoc anno memoratur saeculum, indolem sortitus egregiam, vim dicendi ingenuam doctrinis promovit, recto cultu roboravit. Puer, religione in Deum, pietate in magnam Dei Matrem, innocen-

tia floruit; adolescens, in Societatem Iesu adscitus, sacris sub penetralibus virtutem provexit in maius, idemque diuturna exercitus exercitatione, in aciem procedens, erroribus vitiisque bellum indixit acerrimum.

In iuventute instituenda triennio utilem operam posuit.

Triginta et amplius annos in sacris expeditionibus versatus, Dei benigno numine, hominum coetus omnis generis ornata oratione tenuit, mentes adlexit, voluntates quo voluit duxit. Plebem vicanam, populum omnesque ordines civium concionibus, consiliis, exemplis sanctissime instituens, ubicumque defecere mores reduxit; quae serpebant mala depulit, bene nata fovit, adauxit; urbes, oppida, castella, pagos impiis vastata tumultibus bellicisque rumoribus obstrepentia, pacavit. *Quietistarum* haeresim grassantem primus omnium deprehendit, patefecit, extinxit. Acerbitates, insectationes, damnationes, invidias perditorum hominum technis concitatas, invicto animo pertulit.

Triumphatis hostibus Ecclesiae suisque, ab Innocentio XII Pont. Max. orator Sacri Palatii renunciatus, munus praeclarum et difficillimum sine ulla ambitione suscepit, at non multa sine laude sustinuit.

Plurimum apud omnes prudentia, auctoritate, gratia valuit. Ludovico XIV, rege Galliarum, cum Innocentio eodem Pont. Max. ob novas gallicani conventus sententias dissentiente, pacis sequester exstitit; et omni sapientia ornatissimus, ovibus Christiani gregis pastoribusque pascua doctrinae salutiferae exhibuit.

Morum disciplinam editis libris illustravit, vindicavit, pietatisque et eloquentiae monumenta reliquit aere perenniora.

In orationibus enim iucundidatem Isocratis, Tullii gravitatem et copiam, vim et robur Demosthenis aemulatus, speciem dicendi germanam expressit, artesque ingenuas sacrasque disciplinas, quibus ab adolescentia fuerat deditus, ita acerrimi iudicii ac sapientiae thesauris in vita cumulavit, ut et theologus ætatis suae praestantissimus, iuris divini et humani consultissimus, veteris doctrinae propugnator egregius, sese immortalitati commendaverit.

Omni sanctitatis laude et sapientiae clarus, unus se despiciens, Romae decessit anno MDCXCIV.

E. R.

De Romanorum villis

Dum in urbe, tot inter aestivos calores vivimus molestiasque, et insuper nimiis premimur negotiis, iuvat cum Horatio, idque melli est, dicere:

O rus, quando ego te adspiciam quandoque licebit
Nunc veterum libris nunc somno et inertibus horis
Ducere sollicitae iucunda oblivia vitae?

Haec mecum memorans et totus in illis, mente laetus volutabam, quo studio atque industria Romani olim suburbanum secretum sibi condere consueverint, ubi publicis rebus soluti otium captarent. Non sum equidem nescius, mira admodum diligentia reges Orientis, quemadmodum narrant historici, magnas sibi aedes exstruxisse, quae suam potentiam testarentur, amplissimis viridariis auxisse, operibus exquisitis et signis marmoreis decorasse, ubi datis temporibus, abdicatis regalibus curis, aliquantisper animum relaxarent. Apud nos vero, recentiores, villa admodum modesta est, et quae elegantissima nobis etiam aestimatur, parvula res semper, si et cum antiquissimis Romanorum villis eam componere velis.

Romanorum enim villae longe aliae fuerunt, et si mihi dicere licet, omnes permagni aestimandae.

Omnium sententia, Romani natura ipsa ferebantur ad hoc sibi aedificiorum genus comparandum, ut, sub vesperum, animi solatium sibi procurarent. Ipsa enim recta viarum commoditas et lata regionis securitas maxima de hoc aedium genere fovebat Romanorum ingenium, cui propemodum insitum erat; quod quidem Graeci nunquam necessarium sibi esse credere potuissent.

Quo nomine, vel a primis reipublicae temporibus, cresceret quum in dies pecuniae copia, sicque crevit in civibus rusticandi amor et necessitas. Hinc simplex candidusque Vergilius serius iam et Augusti aetate sic aperte confitebatur se amicum prohibuisse invisere hisce verbis: «Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent!» Quid dicam tibi? Et Statius, labentibus annis, sic de Romanorum ingenio scripsit:

Romanis placuit sedes fidusque receptus.

Nec semper primum elegans erat villula atque ornata; at aliquot post annos filius aut nepos, nova aedium accessione, quam humilem antea obtinebant, diaetis aptiorem in ordinem dispositis, cultuque splendidissimo exornabant, et addita hortorum amoenitate, opus a maioribus inchoatum, a patre provectum, filii tandem perficiundum curabant. Illuc post insignes relatas victorias, loricas contulerunt nepotes galeasque aeneas, caelatas opere corinthio, hydriasque grandes, simili in genere atque eadem arte perfectas. Ad haec hostium spolia, monumenta imperatorum, decora atque ornamenta fanorum inveniebantur in instrumentis et supellectili villarum.

Neque silentio praetereunda esse putabo, quae hac de re Crispus Sallustius narrat: «Igitur hi milites, postquam victoriam adepti sunt, nihil reliqui victis fecere, quippe secundae res animos sapientium fatigant; ne illi, corruptis moribus, temperarent.» Haud mirum sane, si veluti animi aegritudine perculsi, adpetente aestate, omnes paene Romani, urbe relicta, gloriosa quadam vanitate acti, villam petebant, ut ibi, inter agrorum solitudinem, dulcius ac suavius vitam peragerent. Nec iam deerant qui magnis atque improbis sumptibus sibi perperam rus compararent, quod ocissime creditoribus relinquere nimio alieno aere gravati, paupertate compulsi, debebant.

Lucretius luculenter, more suo atque ridendi causa, recentiorem hominem describit, qui rebus suis familiaribus pessumdatis, ex improviso ad villam se conferre statuit, ut sese ab igne quasi eriperet; at paulo post, huiusce vitae veluti pertaesus,

Oscitat extemplo, tetigit quum limina villae,

atque fugiens conclamat:

Abite pessum vana mundi gaudia!

Ac minime dormit, et celerius quam quum venerit ad urbem revertitur.

Sub Augusti dominatu ambitio haec in immensum crevit. Cives enim ditiores brevi duas et amplius villas obtinere consueverunt; quarum aliae locupletissimae erant, atque, supra quam quod nobis credibile foret, omnibus commodis inventisque decoratae, in elegantiorem formam redigebantur; quod si veterem eumdemque humiliorem adspectum retinerent, sub recenti studio proscriptoque magistri, splendidiorem cultum praeseferebant, et ruris dominum ex humili loco ad fortunam pervenisse luculenter testabantur.

Hac de re iuvat optime Horatium audire in primis, Martialem et Plinium iuniorem, qui temporibus diversis, arrepta occasione, varii varia de villis suis referunt. Adest et Vergilius, qui licet in Urbe atque Caesaris domo et Macaenatis deliciis perfrui soleret, suus attamen semper fuit, villicus scilicet, qui vagari desiderat «aëris in campis latis,» et prata, arbores laudat, et rura requirit.

Horatius, contra, Quiris semper atque Urbanus, licet humanarum deliciarum

cupidus, nunquam tamen naturam ponit, et divinam quodammodo agrorum dulcedinem praegustans, rus sibi peroptat modo ob salutem, modo ob ipsam simplicem ciborum voluptatem. Semper enim homini voluptuario versantur:

Multaque de magna superessent fercula cœna,
Quae procul exstructis inerant hesterna canistris.

Ibi, procul urbanis negotiis, nihil aliud sibi quaerit quam quietem.... Et quoniam apud Maecenatem plurimum valeret, ibi remotus a civium rumore ut amiculum adularet, meminit omnes in urbe eum opprimere, circumstare, vexare iratis precibus:

Tu pulsas omne quod obstat.

Ad Mecaenatem memori si mente recurras!... Ruri autem unus et alter amicus satis est superque; cum quibus mille laevia disserens, optime tempus terit.

Si vero Maecenas apud ipsum manere dulcissimum sibi esse fatetur, sese excusat tamen, monetque amicum suavissimis verbis:

Caecubum, et prelo domitam Caleno
Tu bibes uvam: mea nec Falernae
Temperant vites, neque Formiani
Pocula colles.

Ipse Horatius habet et Tusculanam villam, ad quam, ob nimiam Urbis propinquitatem, nimis frequentes adeunt amici, ibique luxuriosius vivunt. Qua de causa poëta ruris Sabini rusticitatem praefert, ne amicorum sollicitudinibus prematur.

Ut aetate nostra beatiores sibi cuncta quae ad vitam molliter agendam procurant, vias commodiores, balnea, scrinia, civitatis suavitatem latissime parant, et novis, exquisitissimis rerum inventis, animum hospitum hilarant atque simul adgrediuntur, Romani, uno verbo hoc in Tusculo faciunt; sed Horatius tot peregrinos accipere queritur, ac difficiliorem vitam ruri sentit, eiusque inanitatem lamentatur.

Dum vero simplicitatem ruris in futurum persentit, se suosque graviter monet, nihil esse hisce in rebus permanens, imo omne casibus obnoxium et fluctuosum ... Modo hic, ait moestus, modo ille veteres possessores repellit:

Nunc ager Umbreni sub nomine, nuper Ofelli
Dictus, erit nulli proprius, sed cedet in usum
Nunc mihi, nunc aliis. Quocirca vivite fortes,
Fortiaque adversis opponite pectora rebus.

Quam sapiens magister et sententiarum auctor insignis! Hisce nil verius nihilque sanctius ipse Augustinus aut Hieronymus expromere poterant.

I. B. FRANCESIA.

LAMPAS EUCHARISTICA

Lux ante Cellam Regis Eucharistici
nitet, lucerna pensilis,
vibratque, corda ceu solent amantium,
iugem piamque flammulam.

Nox est: viaeque, quae strepunt interdiu,
silent sopori traditae;
canora templi dormit Echo; fax vigil
scintillat una Lampadis.

Audivit illa supplices quas pridie,
vapore mixtas thureo,
devota plebs preces et imo pectore
effuderat suspiria.

Audivit improbos, suorum candide
iam poenitentes criminum;
audivit et probos, aventes sanctius
vitam suam componere.

Utrisque Christus e suo Sacrario
votis benignus annuit:
dolentibus pepercit, innocentibus
plus sanctitatis contulit.

O cara Lux, quot ipse sum, te conscia,
expertus horas gaudio
plenas superno, quum latentis Numinis
vox insonaret blandior!

Quae tum quies meis redibat sensibus,
quamvis procella strideret,
quum me repente Solis eucharistici
mulceret aureum iubar!

Ros impluebat et mihi, mens arida
quum taedio tabesceret;
nam, floris instar irrigati, vivido
mox imbuebar spiritu.

Quis det mihi, beata Lampas, hoc tuo
fungi decoro munere,
sacris ut ignibus vorentur omnia
in me profana et terrea?

Tu perge custos esse, Lumen pensile,
Altaris eucharistici;
ignesce Christo; discat oh! et cor meum,
ardere flammis aemulis!

FRANC. XAV. REUSS, SS. R.

EX ITALIS URBIBUS

TEMPLUM VOTIVUM INTERNATIONALE
Romae, ad collem Parioli.

Superioribus Maio atque Iunio mensibus actariae officinae atque diaria in re vitam catholicam mundi transcendente institere commentanda, quae forte quosdam ignota praeterierit: templum, dico, Pontificium votivum atque internationale, ut aiunt, quod erigi coeptum est Romae ad Parioli collem, Immaculato Cordi Beatae Mariae Virginis dicandum.

Ergo die Maii mensis 29, in Dominicae Ascensionis festo, Summus Ecclesiae Pontifex postquam litavit sacramque Communionem frequentibus impertiit peregrinis qui Romam advenerant, ut eiusmodi templi primarii lapidis impositioni adstarent, parvam quandam, eamdemque marmoream molem benedixit ex Catacumbis effossam. Quam insequente die Dominica innumero prope hominum concursu et una mente unaque voce Purissimum Cor Mariae ovante atque adclamante, Basilius Pompili, Purpuratus Pater in Urbe Vicarius, sollemni ritu in fossam collocabat.

Ibi aderant quoque alius Purpuratus Pater, Michael Lega, et Legati Belgicus et Hispanus, et Episcopus Caiacensis, qui disertissimam contionem habuit, pluresque egregii viri ac Rmi. Abbates, quos inter Montserratensem Rmum. Patrem Marcet iuvat referre. Ibi Collegium cerneres Americanum, Hispanique omnes alumnos: ibi Romanarum consociationum atque collegiorum ingens multitudo.

Ex benigna Pii XI concessione immensae multitudinis fidelium vocibus Pontificius Concentus insonuit. Exemplum praeterea gratissimum et relligiosissimum praebuit Collegii Sancti Anselmi confertissimus Benedictinorum chorus, quorum industriae totus illius memorabilis diei liturgicus splendor fuerat commissus.

Futuri templi magnificentia ex his documentis colligere potes, quae Brasini, operis architectus, palam prodidit. Forma erit circulari sicut Pantheon Agrippinum; basis eius crux graeca, ex cuius brachiis quattuor magna surgent sacella. Pars centralis, quae «Rotunda» dicitur, duo et quadraginta late patebit metra; fornicis interior altitudo sexaginta metra, exterior autem usque ad interioris basim pertingens metra octoginta obtinebit, ad centum metra deveniet Sacrae Aedis fastigium.

Templum equidem hoc novum optima auspicatur alite. Summi Pontificis saepe iterata benedictio, una cum impensis commendationis verbis ad sui ipsius operis benefactores, foret iam felicissimum augurium. Sed Pater Sanctissimus hoc etiam addidit: latissimum donavit campum, in quo aedes erigentur. Ipse iam inde ab initio centum millia libellarum Italicarum est elargitus, et iterum munus suum auxit quattuor et nonaginta millibus; Ipse itidem, quod autumavit, de modo anqui-

rendo, quo melius forma huius operis res cito evadat, satagit, nam brevi exstructum templum in relligionis et artis gloriam discupit.

Missionarii Filii Immaculati Cordis Mariae, Vici in nobilissima Catalaunia terra orti, mandatum Pontificium ferventes sus cepere futuri templi in altum extollendi. Quem ad finem, ut eius notitia quocumque gentium propalaretur, extensissimum comitiorum rete contexuerunt, quae tantae molis opus, quod primum quibusdam somnium videri potuit, omnino factibile redderent.

Etenim huiusmodi templum notam habet universalem utpote quod in Urbe erigetur, quae Christiani caput est orbis.

Ex quattuor illis sacellis, quae centrum circumagent, aliud sancto Iacobo Apostolo dicabitur, quod Patronus ab aquis baptismalibus fuerit Benedicti XV, qui tantum auspicatus est opus; aliud vero Martyri Achilleo sacrabitur in Pontificis regnantis memoriam, qui primarium benedixit lapidem; aliud tandem clarissimum virum manebit Catalauniae columen atque Hispaniae et totius Ecclesiae decus, cuius praeco fuit indefessus in nativo primum solo, deinde in Fortunatis insulis atque in Cubana, demum in mundo universo per scriptorum apostolatum exemplorumque suorum suavissimum aroma, Venerabilem, inquam, Patrem Antonium Mariam Claret, quem in Beatorum numerum relatum exspectamus quamprimum videre.

Relligiosam, socialemque futurae huius sacrae aedis significationem, nemo est quin capiat. Quotquot Sacri Cordis Iesu catholicum exoptabant imperium, gaudio gestire sentient pectora, quum a longe fortunatam quasi speculentur diem, cuius Cor Beatissimae Matris ex urbe Roma pandat albores. Gentes pacis expertes cernent hoc in templo, quod quasi hominum catholicorum in fundo in Civitate Aeterna exstruitur caritatis vinculum ex alto a Superis demissum necnon amoris osculum quod dat communis humano generi Mater ut in clementissimum amorem Iesu Christi, Regis hominum iusti, boni atque pacifici filios omnes immergat.

EMM. JOVÉ.

COMMUNIA VITAE

Pecunia petitur, mutuo datur. [1]

IUVENALIS. Vis a me magnam inire gratiam, amicorum optime?

CORNELIUS. Nihil libentius quam tibi gratificatus fuero, si quidem penes me res ipsa erit.

IUV. Malo nimis omine hodie ex urbis moeniis egressus sum deambulandi gratia, et omnem amisi pecuniam.

CORN. Num quis tibi crumenam praecidit?

IUV. Lubet tibi ridere; mihi non item.

CORN. Quidni?

IUV. Exhausti sunt loculi ludendo.

CORN. Quo lusu certasti?

IUV. Ut scopum, in tentoriis, quae illic prope sunt, transfigerem. Irascor mihi quum recogito: ne ictum quidem unum ad metam dirigere valui. Non secus deerravi ac si captus fuissem oculis.

CORN. Sed quid est in quo tibi commodare possim?

IUV. Da mihi mutuam libellarum decussim.

CORN. Non tantum nunc habeo praesentis pecuniae.

IUV. Quantum, quaeso?

CORN. Nescio, nisi crumenam inspexero: vix sunt libellae octo.

IUV. Da mihi mutuo dimidium, nisi tibi incommodum est.

[1] EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Cfr. fasciculum sup. mens. Aprilis, pag. 64.

CORN. Totum, si usus est, accipe.

IUV. Inurbanus sim si te prorsus pecunia spoliavero.

CORN Hodie non egebo; universam accipe.

IUV. Accipiam ergo; sed quod sine damno fiat tuo.

CORN. Ne verere.

IUV. Amo te de ista tam prompta benignitate.

CORN. Si quid aliud poscis, ne parcas.

IUV. Reddam ad obolum, quum primum cras te videro.

CORN. Istam mitte sollicitudinem: nondum est opus mihi.

IUV. Nolo esse in alieno aere: ego cras reddam, nec sine gratia.

CORN. Vale. Ego domum me confero.

IUV. Et ego ad repetendum lusum.

CORN. Sic, meliori auspicio iteres!

IUV. Alit ludentem spes victoriae, et ipsa dies quandoque parens, quandoque noverca est. Vale in crastinum.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum [1]

Fabrica - Officina; Taberna. [2]

Fabricerius - Curator aedis.

Facere - Facere officium suum: Munus suum praestare (obire; exercere; gerere; explere; perficere). - *Facere ad suam voluntatem:* Suo uti consilio; Se audire; Sibi obtemperare; Se in consilium adhibere. - *Facere quod debetur:* Ad rem verba conferre; Factis dicta prosequi. - *Fac mihi hunc favorem:* Da mihi hanc veniam; Hoc mihi, quaeso, concede (tribue).

Facilitare - Facile aliquid reddere (facere; efficere); Alicui rei difficultatem lenire (rei obicem adimere; alicui rei obstacula subtrahere).

Faciliter - Facile; Non aegre; Nullo negotio; Sine negotio; Expedite; Sine molestia.

Factor - Effector; Perfector.

Facultas - Si de pecunia: Auctoritas patrimonii - Si de scientia: Doctrina - Si de scholis superioribus, ex. gr. *Magister sacrarum facultatum:* Doctor decurialis sacris disciplinis tradendis.

Fallibilis - Qui errare potest.

Falsitas - Mendacium; Vanitas: Falsum. [1]

Fama mala [2] - Infamia; Invidia.

Famiger; Famigeratus Famosus - Clarissimus (celeberrimus; celebratus; gloria clarus; vir clari nominis; vir eximia claritate nominis; vir celebri nomine). - Nominis sui gloria orbem terrarum implere; Fama in omnes oras permanare, et sim. [3]

Fastus - Arrogantia; Insolentia; Spiritus.

Fatalitas - Fatum; Casus.

Febricitare - Febri corripi (affici; laborare; iactari; tentari; calere).

Febris - Febris tertiana: Febris trini circuitus; Febris tertiis diebus recurrens; Febris die medio intervallata. - *Febris quartana*: Quartanae morbus; Febris quadrini circuitus (quartis diebus recurrens; biduo medio intervallata).

Felicitare - Prosperum, (felicem) facere aliquem; Felicitatem facere alicui; Aliquid alicui fortunare (prosperare).

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Ita: Officina lanaria (operis lanariae), lintearia, textilium, textilibus pingendis, etc.

[1] *Falsare:* Adulterare; Corrumpere; Depravare; Vitiare. - Ex gr.: Adulterinis coloribus inficere aliquid. - *Falsator:* Falsarius.

[2] Non idem dicendum de *fama bona*, quae apud Ciceronem reperitur.

[3] *Famosus* vero malo sensu optime adhibetur.

Femininus - Femineus.[1]

Fervens - Ardens.

Festa immobilia - Dies festus status (fixus; stabilis); Statae diei festus.

Festa mobilia - Festus dies instabilis (conceptivus; mutabilis); Non statum festum.

Festum instituere - Sollemne instituere; Sollemnem aliquem diem esse velle; Festa laetitia observandum diem praecipere; Solemnem festum diem indicere (imperare).

Festum ex praecepto - Dies feriatus ab opere (ad opus); Dies vacuus ab opere; Indicta in diem vacatio.[2]

Feudum habere - Locum beneficiario nomine obtinere.

Ficticius - Fictus; Commenticius.[3]

Fiducialiter - Cum fiducia; Fidenti animo.

Figmentum - Commentum; Res ficta (commenticia).

Filum (*orationis*) - Cursus (Series) orationis.[4]

Finalis - Ultimus; Extremus; Novissimus.

Fingere sibi - Fingere (sine pronomine).

Finire - *Finire librum:* Libri finem facere; Absolvere librum - *Finire bellum, vitam* et sim: Conficere bellum; cursum vitae, etc.

Florere (*artes*) - Artium studia vigere.

Florerius Summi Pontificis - Procurator a supellectili sacri palatii.

Fontanarius - Magister fontis; Magister fontanus.

Foresteria - Hospitalia.

Formidabilis - Terribilis; Formidolosus.

Formularium - Formula; Exemplum.

Fortilicium - Locus munitus; Arx; Castrum.[1]

Fragmentum - De iis quae physica non sunt (ex. gr. librorum): Reliquiae; Pars non integra; Quod ex re, quae periit, restat.

Franciscanus - Franciscalis.[2]

Fraternitas - Sodalitas; Germanitas; Fratrum coniunctio.

Fratricidium - Fratris caedes; Fraterna nex; Parricidium fraternum.

Fraudolenter - Insidiose; Ex insidiis; Dolo.

Frontispicium - Frons; Fastigium.

Fructifer - Frugifer.

Frugalis - Frugi.[3]

Frustraneus - Inutilis; Irritus; Supervacaneus.

Fulgidus - Fulgens.

Fulminare - Fulmina emittere (iacere; moliri; torquere).

Fundamentalis - Primarius; Primus; Subtilis.

Fundator - Conditor; Auctor; Constitutor; Pater.[4]

Fundere - In sensu proprio: Flare; Conflare.[5] - In sensu translato, ex. gr. *Fundere preces:* Precibus flagitare; Detestari.

Fusim - Fuse.

---

[1] Sed dicitur in sensu grammatico.

[2] Itaque: Festos dies colere; Feriari diebus festis; Vacuos ab opere festos dies agere; Immunes ab opere festos dies traducere (transigere); Festos dies sacro cultu celebrare.

[3] Itaque *Fictio* - Fabula; Res ficta; Commentum.

[4] *Filum orationis perdere:* Longius labi; *Resumere:* Ad propositum reverti.

[1] *Fortilicii praepositus:* Praepositus Praesidiariorum castellanorum.

[2] Itaque: *Frater (Sodalis) Franciscalis;* Ex ordine Franciscalium. - *Franciscanus tertii ordinis:* Frater Franciscalis tertianus - *Franciscanus ex ordine Observantium:* Fr. ex ordine veteris observantiae - *Fr. reformatus:* Sodalis Franc. ex familia Reformatorum. - *Fr. Cappuccinus:* Sodalis Capulatus (ex ordine Capulatorum).

[3] Apud Ciceronem vero legitur « frugalissimus ».

[4] « Pater » et « Pater Legifer » de Conditoribus alicuius religiosae familiae praesertim dicitur.

[5] Ita: Triumvir Auro Argento Aeri Flando Feriundo; Pecunia conlata in ampliorem formam conflandum aes campanum curavit.

Gabella - Vectigal; Tributum; Portorium.

Gabellarius - Publicanus; Portitor; Vectigalium curator.

Galea - Triremis.[1]

Garritus - Nugae; Fabulae; Ineptiae.

Garrulitas - Inanis verborum profluentia.

Genealogia - Generis stirps (capita).[2]

Generalis - De militibus: Ductor Ordinum: Supremus dux; Praefectus[3]; Imperator (si omni exercitui praesit); - Legatus Augusti (quum summum militiae imperium rex detineat); Ductor cohortis milliariae.[4] - De aliis officiis: Praepositus; Summus Magister (Corrector; Moderator).

Generaliter - Generatim; Summatim; Universe.

Generatio - Procreatio; Ortus. - Saeculum; Aetas. - *Futurae generationes:* Posteri; Posteritas.

Genius (saeculi, temporis) - Ingenium (Natura) saeculi; Temporis ratio atque inclinatio; Saeculum; Tempora; Mores. - *Genius scriptoris:* Ingenium. - *Genius sermonis:* Proprietas sermonis.

Gentilicius - Avitus.[5]

Gentilis - Falsorum Deorum cultor; Ethnicus.

Genuinus - Verus; Bonus; Germanus.

Glorificare - Laudare; Laudibus extollere; Praedicare.

Gonfalonerius - Vexillarius - Praefectus urbis (oppidi, etc.).

Grandiloquentia - Magniloquentia.

Grandis - Iuxta varios sensus: Adsessor regis - Procer ordinis primi - Eques cruce magna exornatus - Magister prior (Eques maior) ordinis ...

Graphice (*pingere*) - Coloribus orationis (laetis coloribus) pingere.

Gratia (*Dei*) - Beatitatis aeternae semen; Clementiae divinae subsidium; Caeleste gratiae donum; Adeundae caelestis haereditatis pignus; et sim.[1]

Gratiosus - Festivus; Argutus; Lepidus; Salsus; Scitus; Comis; Concinnus; Venustus; Elegans; Urbanus; Hilaris, Sale conditus et facetiis.[2]

Gratitudo - Gratus animus; Grata voluntas; Pietas; Beneficii memoria.

---

[1] Inde: Damnare ad triremem; Remo publicae triremis aliquem affigere; Ad remum aliquem dare.

[2] Itaque: Generis alicuius capita a primo stipite recensere (percensere); Ab ultimo parentum singulos generis gradus ducere (deducere; evolvere; explicare).

[3] Italice: *Tenente generale.*

[4] Italice. *Generale di brigata.*

[5] Itaque: Avitum sacrarium; Avitum sepulcrum.

[1] *Dei gratia id faciam.* - Faciam, Deo favente (iuvante; propitio; adspirante Numine; si Deus faverit; divino fretus auxilio).

[2] *Gratiosum in loquendo esse:* Facetum (dicacem) in consuetudine esse; Mitem esse; In consuetudine festivitatem (iucunditatem) habere; Singularem esse gerendi agendique leporem (venustatem; elegantiam; suavitatem); Sale et facetiis (humanitate) orationem aspergere; Lepide facere ridicula; Festive iocos adhibere, Delicias dicere; Leporibus affluere; Iocis excellere.

(Ad proximum numerum).

I. F.

De linguae latinae foecunditate [1]

99. Totum me gaudiis imbuit tua tam elegans epistola. - 100. Omnes pectoris mei sinus voluptate refersit tua tam amabilis epistola. - 101. Rara quadam voluptate me tuae resperserunt litterae. - 102. Tua quidem epistola novam quamdam animo meo voluptatem aspersit. - 103. Tuis litteris nulla res unquam accidit mihi festivior. - 104. Nihil unquam vidi tuis litteris lubentius - 105. Haud est quidquam, quod gaudentiore acceperim animo, quam proximas Domini mei N. litteras. -

---

[1] Cfr. huius anni fasc. V.

106. Quo me credis affluxisse gaudio quum tuum animum tuis in litteris agnoscerem? - 107. Quum tabellarius tuam mihi traderet epistolam, statim mihi animus laetitia ineffabili gestire coepit. - 108. Quid ego tibi nunc referam, quae voluptas, acceptis tuis litteris, animum N. tui titillarit? - 109. Animus meus, veluti exundabat, quum tua mihi redderetur epistola. - 110. Ut tuam lubens accepi epistolam! - 111. Postea quam epistolium tuum ad me delatum est, animus nimirum mihi gaudio efferbuit. - 112. Vix eram apud me prae gaudio, quum tuas acciperem litteras. 113. Litterarum tuarum legens praecipua, quadam voluptate remoratus est animus meus. - 114. Non possum non vehementer gaudere, quoties tua scripta ad nos advolant. - 115. Mel merum mihi tuae fuerunt litterae. - 116. Quidquid litterarum abs te proficiscitur, id mihi saccharo ac melle fluere videtur. - 117. Opiparis litterarum tuarum epulis sum lautissime refectus. - 118. Tua scripta sunt mihi quavis ambrosia suaviora. - 119. Schedulae domini mei... mihi fuere mensis siculis lautiores. - 120. Nulla voluptas, nullae sunt deliciae, quas cum tuis litteris conferre possim. - 121. Nausea sunt omnia, prae tuis litteris: inter legendum amantissimas litteras tuas pectus gaudio subsaltabat. - 122. Chartae digitis tuis exaratae me, quantus eram, gaudiis explerunt. - 123. Mirae deliciae cordi meo sunt, quidquid scriptorum abs te redditur. - 124. Nisi gaudium tua spirat epistola - 125. Festum diem attulit is, qui tuas attulit litteras. - 126. Triumphum addixit, qui tuum adduxit epistolium. - 127. Nullum ego nectar tuis scriptis anteposuerim. - 128. An ego ullum vel Atticum cum tuis amantissimis litteris contulerim? - 129. Saccharum non est saccharum, si cum tuis verbis componatur. - 130. Nulli mortalium tam sapit potus, quam mihi litterae tuae sapiunt. - 131. Quod sitienti vinum, hoc mihi sunt tuae litterae. - 132. Quod apibus cytisus, quod salignae frondes capellis, et hoc mihi sunt tua litterae. - 133. Epistola tua mihi fuit, quovis melle melitior. - 134. Ubi recepissem tantopere expectatas tuas litteras, dixisses N. tuum plane gaudiis ebrium. - 135. Ut redditae sunt abs te litterae, statim vidisses nos nimia quadam laetitia quasi temulentos. - 136. Quam unice te diligo, tam unice tuis epistolis delector. - 137. Nil nisi merum delicium tua mihi scripta videntur. - 138. Non tam palato blandiuntur ullae cupediae, quam animam meam tuae litterae deliniunt. - 139. Nullae lautitiae suavius titillant palatum, quam tua scripta mentem titillant. - 140. Plaustra voluptatum attulit, qui tuas reddidit litteras. - 141. Voluptatum mare adduxit, qui schedas mihi protulit tuas. - 142. Mihi plane tuae litterae fuerunt, quod Persis Iovis.

H. M. Iacobelli.

ANNALES

Novus Londini habitus nationum conventus.

Colloquia inter novos Galliae et Angliae administrorum praesides habita, quorum in superiore eventuum recensione nostra mentionem fecimus, sequutus est, sub finem elapsi mensis Iulii, alius nationum conventus Londini, eo praesertim fine, ut peritorum relatio de oeconomicis rebus cum Germania componendis in examen una revocaretur. Exercitae quidem disceptationes primum fuere, hinc ex Gallorum diffidentia, inde ex postulatis trapezitarum, qui sua pecunia subvenire Germanis deberent, nec iniuria satisdationis cautiones requirebant. Attamen, bonis legatorum ceterarum civitatum officiis factum est, ut conciliatio aliqua constitueretur, per quam Germani ipsi in consilium vocarentur, quibuscum die nona huius mensis Augusti conventio inita est quatuor pactionibus conclusa, quarum summa est quae sequitur:

I. - Germanorum gubernium onus sibi sumit necessarias rationes adhibendi ut leges et disciplina de nummaria civitatis mensa, de ferriviis, de artibus deque redituum probationibus promulgentur atque fideli executioni mandentur.

II. - Coetus ad belli damna reficienda constitutus curabit fideliter, ut mutua pecunia quo magis expedite fieri possit Germanis a trapezitis concedatur, simulque ut pecuniariae compositiones rationesque inde consequentes opportune efficiantur.

III. - Germanorum gubernium et Coetus ipse fidem suam interponunt sese quoque, iuxta suam utriusque facultatem, exequuturos, quae in supplementum pacta interfutura fuerint inter Germanicam ceterasque civitates, etiam circa executionem iudicii peritorum, quod caput fuit praefatarum pactionum, et moderationes quae actu necessariae videantur ad pactiones ipsas explendas. Haec nova pacta ceteris unientur.

IV. - Controversiae quae oriri possint inter Refectionum Coetum et Germaniam circa interpretationem quamlibet tum pactionum, tum Germanarum legum, de quibus supra, ad arbitros deferentur iuxta formam ab omnium legatorum conventu definiendam.

Hisce pactionibus obsignatis, Conventus ipsius praeses Barthou gratulatus, summam se habere fidem dixit inde novum tempus, novum animum orta esse. Vicissim Marxius, Germanorum, ut aiunt, Cancellarius affirmavit tum solum sese credere veram obsignatam fuisse pacem inter Germaniam ceterasque nationes.

Faxit Deus ut haec re et eventibus firmentur!

Ex Americis.

Nuncii ex Americis allati sunt, in Brasiliana civitate seditionem factam fuisse non sine sanguinis effusione inter gubernii milites et rebellium quorumdam factionem. Postquam vario Marte pugnatum est, videntur tandem civitatis copiae suum ius seditiosis imposuisse, iisque omnino profligatis, pacem et concordiam tum S. Pauli in urbe capite, tum alibi, ubi deturbatae fuerint, restituisse.

Idibus Augustis MCMXXIV.

Poplicola.

VACUI TEMPORIS HORA

Proximis Iunii et Iulii mensibus *Anonymi* duo humanissimi de domorum, ut ita dicam, qualitate, specimen quisque in hisce paginis offerre voluit, a scriptoribus aliorum saeculorum desumptum. At, bona eorum pace, *tempora currunt,* novasque in dies in omni re rationes inducunt. En igitur quum Russi ultimum architecturae progressum nunciant, vitreas aedes proponentes, Germani, felicitatis humanae non minus studiosi, ultro nobis praebent **domus volubiles.**

Qua aetate - heu, quam a nostris diebus remota! - licebat sibi domicilium deligere, nunquam locandam domum visitabamus, quin sapienti cum animo locorum situm circumspiceremus. - Coenaculum spectatne ad septemtriones, an ad meridiem? - Dormitorium solis orientis beneficis radiis donatur? - Atriolum postmeridiana umbra fruitur? Anxieque acus magneticas rogabamus, caelique regiones.

Atqui hodierni architecti, Mahumeti alteri, quaestionis rationes invertunt. Ut ille, quum montem ad se adventantem non vidisset, montem adivit, nostri ita ratioci-

nantur: Si sol ad nos venire recusat, nos ad solem ibimus. Scilicet aedificia, quasi uncos quoslibet, instruere super axi volunt, ita ut ea vergi possint ad lubitum adversus solem et umbram.

Re, de hodierno more, ad referendum delata, fuerunt qui ei ad unum omnes suum ferrent suffragium; alii qui timidi de aedium firmitate dubitarent; alii denique qui de ipsius socialis vitae perturbatione sollicitudines aperirent. Equid non? Facultas cubicula vertendi a solis ortu ad occasum nonne, exempli gratia, causam novorum inter coniuges discriminum praestare poterit? Nova inde iurgia, novae simultates, nova animorum discrepantia, nova divortiorum argumenta!...

Erunt praeterea tricae novae et incommoda a sublocationibus: – Quanti hoc cubiculum? – Ut tua est voluntas. Malis id enim ad arcton an ad austrum? Si enim ad austrum, necessario cubiculum meum ad aquilonem vertetur; ex quo quidem damnum mihi fluet, quod locationis pretio tantum sarciatur.

Denique quis sibi mente effingat quae fieri possint ex motricis machinae vitio aliquo, aut improvisa institione? Quae omnium dissociatio rerum; quae perturbatio! Tum vero quisque nesciet quo se vertat!

Itaque nostram non dicamus de re sententiam; satis fuerit novum hoc volubilis domus adventum nos nunciasse: priusquam iudicium edamus, patienter exspectabimus, dum aedes quoque, modos illos sequentes quibus nulla vi resisti posse videtur, omniaque in effrenatam fere interminatamque saltationem trahuntur, sese circum axem, tamquam veru cum assa carne, convertant magnificeque intorqueant.

***

Erit autem tunc **hominis corpus** quod ex **analysi chemica perspectum** hodie constat? Ipsum enim labrum sive cisterna apparet oxygenii compressi plena; in humano enim corpore septuaginta chilogrammatum pondere quatuor supra quadraginta oxygenii chilogrammata exstare expertus est quidam scientissimus doctor; quorum volumen, communi temperatione, triginta metra cubica excederet. Hydrogenium in eius compositione vix chilogrammata septem attingit; horum vero pondus, libero, ut aiunt, statu, volumen octuaginta metrorum cubicorum efformaret, ita ut per hydrogenium vix in hominibus duodecim inclusum fas fuerit – o mirum! – aërostatum metrorum cubicorum mille inflare, qui tres quatuorve homines in aëra extollat.

Inter solida elementa, primum locum carbo obtinet: viginti et duo carbonis chilogrammata valemus! Phosphori tantum sunt grammata octingenta; nullum, proh! metallum pretiosum comprehendimus; quin imo metallum maxime abundans est calcium, cuius tamen pondus mille et septingenta quinquaginta grammata attingit. Non vero deest omnino potassium, non sodium, non magnesium, neque, hercle! ferrum; quamquam metalli huius vix grammata quinquaginta numerantur.

Quid denique si pluribus hisce elementis addamus superbiae ventum, malevolentiae acorem, odii venena, ignem cupiditatum?...

***

Si vero vobis exposui quibus partibus nostra vigeat natura, **praecepta** quoque addam **vivendi diutius,** eaque ex Americano quodam - sunt enim (quis ignorat?) Americani in rebus atque usu versatissimi – diario deprompta. Sunt quae sequuntur:

— Alimenta vites terrosis salibus abundantia.

— Fructus comedas multos, mala praesertim, eaque cruda et valde sucosa.

— Bibas quotidie duo vel tria pocula destillatae aquae, in quae guttas decem phosphorici acidi, iam opportune diluti, infuderis.

Praeterea:

— Duas horas quotidie ambula.

— Horas septem noctu dormias.

— E lectulo surgas vix experrectus fueris, statimque ad labores tuos intendas.

— Cibum sume quum tantum eius necessitatem persenseris, eumque lente mande.

— Tum solum loquere quum oporteat, et cogitationis tuae vel dimidium proferas.

— Ea unice age, quae dicere possis.

— Ne quid scribas si id obsignare nequiveris.

— Semper memento alios in te spem habere; tibi vero in nullo homime esse sperandum.

— Ne pecuniam pluris facias quam ut in usu est; ea enim bonus est servus item et dominus pessimus.

Eia! experimentum agite, lectores humanissimi, exitumque, post saeculum, mihi referatis.

***

Iocosa epitaphia.

I.

Garruli maledici:

DEFUNCTUM ET FUGE QUEM VIVUM FUGERE, VIATOR,
LINGUAM DONEC MORS ET SECET ATILIO.

II.

Trapezitae:

CUI VALDE TIMUIT TANDEM TRAPEZITA CAPSA
SECURUS CUSTOS CONDITUR HYPPOLITUS.

III.

Tonsoris:

CORVINUS TONSOR IACET HIC SUBLATUS HYDROPE
MULTORUM PARCENS SE DISPEREUNTE CRUORI.

IV.

Obaerati:

HIC SITUS HERMOGENES TOTO QUEM LUGET IN ORBE
INSOLABILITER CREDITOR OMNIGENUS.

V.

Potoris:

PROCULUS AETERNA HIC EDORMIT NOCTE FALERNA
CAUPONES GRATI SPARGITE BUSTA MERO

***

Aenigmata

(vulgo *Rebus*).

OPAREM

II.

Oppida vel campos, montes vel caerula mon-
[strat;
Torquet, hiat, cruciat, tabo funditque cruorem.
Captivos reddit pisces, fallitque volucres.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Noctu-a;* 2) *Inauris.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. EMM. IO., *Vici.* – Fasciculi, quos desiderabas, perveneruntue tandem ad te? Et amici tui, quos suo tempore ad eos misi, acceperunt?

Cl. v. IO. BELL...., *Senis.* — Accepimus, tibique gratias habemus.

Cl. v. F. DR...., *Nagasaki.* – Quam summam nunciabas neque in epistolio invenimus, neque aliunde quisquam nobis detulit adhuc.

Coeci sunt oculi, quum anima alias res agit.
Demens est quisquis praestat errori fidem.
Eget minus mortalis, quo minus cupit.

P. SYRIUS.

LEPIDUM CAVILLUM

4)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

REC. Adhuc praeluxit sollers hic intelligens,
Iocosus insuper, plenus ingenii,
Omnino nescio pererret admodum.
Monebo...
MED. Forsitan si quis de proxime
Vico rem curet remittendam denuo?
REC. Hoc nempe feci.
MED. Te gessisti egregie.
REC. Sed...
MED. Quid sed?
REC. Respondit vidisse capsulas
Ad nos immissas positas in curribus
Iam profecturas... misit illinc nuncium:
« Perveni serius: nihil prohibui...
Fatales vidi profecturas capsulas ».
Quod fulmen cecidit meo tunc capiti!
Amice, confer bonum mî consilium,
Ne me relinque misellum in molestiis...
« Animus certus in re incerta cerni-
[tur! »
Nec sine premi rebus me tot pessimis...
Est Municipium monendum clanculum?
Et ipse parochus, opus ut resciat...
Quid faciam?

SCENA IX.

PUER TELEGRAPHI et DICTI.

PUER. (*manu tenens nuncium*). Stat hic Rector
[Collegii?
REC. Stat!... Quid refers?
PUER. Quid sit omnino nescio...
Cito quod invenerim te valde gaudeo.
REC. Da mihi nuncium, quidquid sit admo-
[dum.
PUER. Dabo; tu dederis mercedem parvulam?
REC. Eccam! Et vade!
PUER. Hanc mihi mercedulam?
Hac ego vivo parva sed mercedula!
Tua fac esto largitate laetior...
MED. Vadis ni recto te repellam virgula,
Te reddam corium virgarum segetem!
PUER. Quae nempe largitas! Largitas ferulae!
Vado, ne dubita, vado, ne clamita. (*Exit*).

SCENA X.

RELIQUI.

REC. Tibi ne grave perlegam istud nuncium.
MED. Dicet fortassis scimus iam quod optime.
REC. Artubus tamen contremisco misere,
Meique nebulis caligant oculi.
Ceteris adde hoc igitur officium
(*Dat ei nuncium*).
MED. (*Arripiens*) Cedo mi nuncium. Legam
[libentius.
« Infandum fatum! Expeditae sarcinae
Erant iamdudum, laetae sint inferiae ».
REC. Vides? Laetatur!
MED. Mentis quae procacitas!
REC. Est istud probi hominis consilium?
Eamus hinc intro!
MED. Cogitemus acrius
Nobis quae proxime sint agenda stre-
[nue.
REC. Eamus. Vade ante, amice, te subsequor.
(*Exeunt*).

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Octobri MCMXXIV Fasc. IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

AESTHETICAE NOTAE

De Pulchri prima origine.

A contemplatione pulchrorum contigentium, quae undique conspiciuntur, in Pulchrum ipsum, absolutum, improductum, tamquam in causam effectricem primam, perfectumque exemplar totius mundanae pulchritudinis, hodie adsurgere nitimur. Etenim admodum imperfecta esset scientia aesthetica sine inquisitione illius summae Causae, cui omnia pulchra visibilia naturali dependentiae vinculo adstringuntur.

Iucundissima quidem res! Propensio enim omnia redigendi ad unicam originem normamque supremam tota naturalis est, constans et universalis; quae proinde illorum omnium pervicaciam damnat, qui nullum adesse immutabile Pulchrum, nullamque causam efficientem et exemplarem pulchrorum corruptibilium opinantur.[1]

Ecquis hominum, ratione discurrens per omnia, quae in loco, tempore, motu, sua micant pulchritudine, non videat adesse rerum omnium pulcherrimum Factorem?

Ecquis leges cernens sive physicas, sive morales, quibus omnia perbelle diriguntur in proprium et communem finem, non confiteatur vivere sapientissimum Legislatorem?

Ecquis cuncta ista recogitans, non sibi persuadeat exstare quidem in summo Artifice ultimam «ideam» vel normam, ad cuius imaginem pulchra omnia facta sunt?

Haec obvia notio de pulchrorum omnium prima origine et norma suprema, scienter proposita ac per partes discussa, magis magisque roboratur. In huiusmodi vero investigatione quam maxime mentis oculos intendamus oportet, nam nostris luminibus «quamquam sunt multa pulchra

1 Licet pulchritudo Dei ab omnibus agnoscatur et laudetur, ex perfectionibus tamen divinis nulla adeo neglecta videtur a theologis et philosophis, ut divina pulchritudo.

Patres Ecclesiae, inter quos facile eminet S. Augustinus, data occasione, de Dei pulchritudine scripserunt. Theologorum primus inter antiquos scriptores, qui ex professo de praefata Dei perfectione disseruit, fuit Dionysius Areopagita in opere, quod inscribitur: *De Divinis Nominibus*. In hos libros S. Thomas amplissimum commentarium peregit. Inter nostrae aetatis eruditos plane convenit hunc Dionysium ab illo *Act. apost.* XVII, 34 distinctum esse; unde Dionysius theologus Pseudo-Areopagita citari solet.

Memoria digni sunt Petavius et Tommasinus saec. XVII. Qui, nostris diebus, ex professo et speciali opere de pulchritudine divina disputavit, est Henr. Krug.

visibilia, ipsa tamen pulchritudo, ex qua pulchra sunt quaecumque pulchra sunt, nullo modo est visibilis » [1]

***

Esse causam primam totius pulchritudinis effectricem, ex tribus argumentis potissimum demonstratur.

a) Ex pulchro contingenti recte concluditur adesse pulchrum necessarium seu primum.

Universitatem rerum mundanarum valde pulchram esse omnes populi aperte fatentur. Graeci ex. gr. mundum appellant κόσμον, i. e. ornatum. Atqui omnia pulchra, quae in mundo videntur et amantur « oriuntur et occidunt, et oriendo quasi esse incipiunt, et crescunt ut perficiantur, et perfecta senescunt et intereunt. » [2] Ergo mundana pulchritudo, utpote finita, mutabilis et composita manifesto est *contingens:* scilicet non est causa sui ipsius, sed exsistentiam ab alia causa repetit. Iam vero repugnat omne pulchrum, quod exsistit, esse contingens. In serie enim causarum efficientium ad illam causam deveniendum est, quae sit causa et nullo modo effectus, hoc est sit causa effectrix *prima.*

b) Sed *ex pulchris* quoque *naturalibus* idem deducitur. Pulchra enim contingentia optimo iure spectari possunt ut quaedam *artefacta naturalia;* sed ut vetus fert proverbium: *Opifex ex suo opere cognoscitur.* Ex pulchris igitur naturalibus, quae fiunt extra hominum voluntatem, ad artem seu ad causam effectricem et ultimam adsurgere necesse est, scilicet ad Artificem primum, qui ineffabiliter et immutabiliter pulcher, pro lubitu suo pulchra cuncta peregit. Aliis verbis: ars naturae Artem omnipotentis Artificis aperte proclamat.

[1] S. Aug. *De divers. Quaest.* q. LXXXIII.

[2] S. Aug. *Confess.* lib. 4, c. 10 — Cfr. etiam *De Civ. Dei,* lib. 8, c. 6, ubi ex mutabili rerum *specie* ad *Primam Speciem* philosophando adsurgit.

Ad quaerendum Arteficem rerum ipsa mundi species nos invitat, ut identidem docet S. Augustinus: « Interroga pulchritudinem terrae, interroga pulchritudinem maris, interroga pulchritudinem caeli... interroga ista! Respondent tibi omnia: Ecce vide, pulchra sumus. Pulchritudo eorum, confessio eorum. Ista pulchra mutabilia quis fecit, nisi incommutabilis pulcher? ». [1]

c) Denique et *ex pulchris arte hominum factis,* ad causam illam pervenimus, quae est ars ipsa et lex omnium artium.

Sane opera hominum artificiosa eatenus pulchra sunt et iudicantur, quod statutis artis legibus apprime respondeant. Iam vero suprema humanae artis lex est imitatio et aemulatio naturae, seu legum naturalium. Sed ipsa lex, vel naturae ars, est lex aeterna seu divina, qua Creator omnia disposuit in numero, pondere et mensura. Vivit igitur summa lex, quae est causa prima, cur opera hominum ultimo pulchra sunt et praedicantur, non secus ac ipsa pulchra naturalia. Hinc S. Augustinus: « Ab operibus artium conversi ad legem artium, *eam Speciem* mente contuebimur, cuius comparatione foeda sunt, quae Ipsius benignitate pulchra sunt ». [2] « Haec est illa incommutabilis *Veritas,* quae lex omnium artium recte dicitur et ars omnipotentis Artificis ». [3]

Ex dictis autem alia haec conclusio facile infertur, causam primam non posse et ipsam esse productam, mutabilem, finitam, seu contingentem; dictum est enim in serie causarum efficientium necesse esse pervenire ad illam causam, quae nullo modo est effectus.

Atqui causa efficiens prima, immutabilis, improducta est unus Deus. Creatu-

[1] *Serm. 241,* n. 1.

[2] *De vera Relig.,* n. 52.

[3] Ibidem, n. 57.

rarum igitur pulchritudo a Deo creatore est, tamquam a fonte et principio per varios gradus seu participationes ita producta, ut quaelibet creatura, quo propius ad Auctorem accedat, eo pulchrior sit.

Sed Deus est etiam suprema causa exemplaris cuiusvis derivatae pulchritudinis.

Re quidem vera, causa exemplaris est rei faciendae *idea, species,* vel *prototypus,* exsistens in mente artificis, ad cuius normam et similitudinem ipse artifex opus perficit. Ubi autem inveniatur *exemplar primum,* ad cuius normam, vel typum, facta sunt pulchra omnia? Dari enim causam exemplarem citra controversiam est. [1]

Atqui extra pulchritudinem Dei quaerere normam omnis creati pulchri absurdum est, siquidem omnia, quae facta sunt, secundum exemplar conditoris sunt efformata. Nullus enim artifex, intelligentia praeditus, opus aliquod conficit, quod antea non conceperit mente. Atqui Deus est infinita intelligentia et causa effectrix rerum omnium. Pulchritudo igitur, quae viget in cunctis rebus creatis, habet causam exemplarem in Deo, et haec est ipsa divina pulchritudo.

Praeterea, pulchritudinem Dei supremum esse exemplar omnis derivatae pulchritudinis patet ex ipsa divina libertate. Etenim omne agens liberum indiget aliquo principio determinante, a quo voluntas dirigatur in suis operationibus. Hoc autem principium non potest esse, salva libertate, nisi « idea mentis », a qua voluntas naturalem habet dependentiam. Sed Deus liber maxime omnium est. Ergo in creandis rebus pulchris voluntas divina a suis pulchris « ideis » directa fuit.

Ad rem Augustinus: « Singula propriis sunt creata rationibus (i. e. *ideis*). Has autem rationes ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente creatoris? Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundum id constitueret, quod constituebat: nam hoc opinari sacrilegum est ». [1]

Et Boëtius iure canit:

... Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans,
Perfectasque iubens perfectum absolvere partes. [2]

(Ad proximum numerum).

G. Lepore.

[1] De *causa exemplari,* in illa quadruplici causarum divisione, mentionem non fecimus; ast consulto. Efficacia enim huius causae est tum in eo, quod dirigit artificem ad opus perficiendum, et ex hoc capite habet rationem causae efficientis; tum in eo, quod determinat ipsum opus, non quidem per intrinsecam constitutionem, sed per sui imitationem vel similitudinem, et sic reducitur ad causam formalem; tum in eo, quod est veluti finis agentis, quatenus artifex ideo agit, ut assequatur similitudinem suae ideae vel typi in externo opere, et ita induit naturam causae finalis.

[1] *De diversis Quaest.,* quaest. 56.

[2] *De Consol. philos.,* lib. 3, metr. 9.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

II.

1. *De aetatibus, in quas latinarum litterarum historia dividi possit.* – 2. *De prima aetate, qua nondum litterae excoli coeptae erant.* – *De primis Italiae incolis.* – 3. *Quem humanitatis gradum Latini ex Ariae gentis haereditate acceperint.*

1. Qui velit in brevi veluti tabella litterarum latinarum vices exhibere, in partes quasdam vel aetates digerat opus est, ut ordinem commentationi suae et adiumentum memoriae conferat.

Aio igitur totam commentationem nostram in octo partes, litterarumque latinarum historiam octo aetatibus, digeri posse.

Quarum prima ad prisca Romanae nationis tempora pertinet, quibus litterae

[1] Cfr. fasc. sup.

nondum coeptae erant de industria excoli, ab origine urbis, an. scilicet DCCLIII usque ad eum annum, quo primum fabula graeco more acta est, hoc est ad annum ducentesimum quadragesimum ante Christum natum.

Secunda aetas ea est, qua Romani in Graecorum imitationem se componentes et tabulas actitare et poëmata componere coeperunt, nec non rerum a se gestarum memoriam litteris mandare et propagare. Quae aetas, quum nondum castigata et rudiore quodam cultu notanda esset, vulgo ἀρχαικὴ appellari consuevit. Ea autem ab a. CCXL a. C. n. usque ad a. LXXXVIII, quo sociale bellum confectum est, extendi potest.

Tertia aetas a M. Tullio Cicerone summo oratore et scriptore nomen accipit, qui quidem octodecim annos natus erat, quum foedus inter socios Italici nominis initum est, novaeque humanitatis litterarumque progredientium comes ut, ita dicam, et interpres fuit eloquentissimus. Ea aetas ad annum usque XLII^um a. C. n. pertinere dicenda est, quo Philippensi pugna romana respublica in unius dominationem cadere visa est.

Quarta aetas appellatur *Augustea* ab Octaviano illo, qui rem publicam in se trahens, gloriosissimum Romae imperium inauguravit, doctrinamque et artes cuiusvis generis ita promovit, ut brevi perfectionis fastigium attingerent. Haec aetas ab a. XLVIII a. C. n. usque ad mortem Augusti, i. e. ad a. p. C. n. XIV, nec ultra pertinere aequum est.

Quinta aetas est ab Augusti excessu usque ad Hadrianum, i. e. ad a. CXVII, quo Traianus mortuus est. Qui auream aetatem Ciceronis et Augusti vocabant, huic argenteae nomen indidere, scilicet a pristina elegantia et nitore recedentibus litteris artibusque ita ut senectutem quamdam habere viderentur.

Sexta aetas ab Hadriano et Antoninis usque ad abdicationem Diocletiani extenditur, secundum et tertium saeculum vulgaris aerae, quae dicitur, complectens,[1] quibus poëtica ad nihilum paene redigi; philosophia contra, praesertim augescente in dies et se propagante Christi doctrina, hominum mentes invadere et penitus occupare visa est.

Septima aetas erit quae renascentes quodammodo litteras vidit Constantini Magni aetate, h. e. primo IV saeculo p. C. n., Christi religione favente, post rursus senescentes, usque ad occasum romani imperii, i. e. usque ad Odoacris in Italiam adventum, anno, ut notum est, CCCCLXXVI p. C. n.

Restat novissima aetas, octava, quae historiam latinarum litterarum continet qualis sub barbarorum dominatione in Italia, Africa, Hispania, Gallia, Britannia durare et languescere visa est. Haec aetas usque ad Gregorium Magnum Pontificem pertinet; post eum iam non Romanorum litterae habendae sunt, sed earum gentium, quae media aetate vixerunt, ita ut ab historia nostra penitus alienae videantur.

2. Sic apte divisa latinarum litterarum historia, iam singulas persequi incipiamus.

Ad primam igitur Romanae gentis aetatem animum advertentes, iuvat ante omnia quaestionem illam in memoriam breviter revocare, quae est de primis Italiae incolis, ut inde discamus, quem humanitatis gradum iam consecuti essent Latini, quum Romam condere eiusque imperium in vicinas nationes extendere aggressi sunt.

Nam utrum fuerit olim Romana gens moribus omnino incondita an quibusdam humanitatis quasi seminibus et elementis praedita, vix perspici poterit, nisi prius apparuerit unde ipsa originem duxerit.

Italiam igitur, ut satis constat, initio habuere prisci illi homines, qui lapideis tantummodo armis utentes, graeca voce

[1] Ab a. CXVII ad CCCV p. C. n.

vel *palaeolithici* vel *neolithici* dicti sunt, prout antiquissima aetate vel paullo recentiore exstitissent.

Inter neolithicas gentes illae etiam adnumerandae sunt quae « mediterraneae » vocantur, nempe Ligures, quorum sedes per Italiam superiorem antiquissima aetate multo latius quam postea patebat; tum Euganei, quos T. Livius in primo ab u. c. libro[1] ait inter mare Alpesque incolentes ab Enetis pulsos fuisse; tum Hiberes in Corsica insula, tum denique Elymi, oras Siciliae ad Orientem versas incolentes.

Hos omnes in Italia considentes invenerunt vagae illae et errabundae gentes, quae ad Indo-europaeam, ut dicitur, stirpem pertinebant; quae stirps, ex Asia interiore profecta, in Indiam, Persiam, Minorem Asiam, denique in totam paene Europam immigraverat. Horum qui in Italiam per Alpes fortasse venerunt Latini, Umbri, Osci appellabantur; eorumque linguae vel dialecti sororio certe vinculo connexae erant. Num Etrusci vel Tusci etiam ad idem genus pertinerent, nondum sat certis argumentis adfirmare licet, quod idem dici potest de Siculis atque Sicanis (ex *sica* aenea vocatis), quorum mentio fit apud veteres scriptores, quique Siciliam insulam incoluerunt.

Non est praetereundum, ad priscas Italiae gentes pertinuisse eos, qui ex genere domicilii *terramaricolae* appellati sunt, qui, sublicis domos suas pagosque suffulcientes, securitatem a feris hostibusque quaerebant. Qui utrum ante Italos Indoeuropaei generis fuerint, an ipsi Italici dicendi sint, nondum satis compertum esse videtur.

Denique, posteriore aetate, aliae gentes in paeninsulam nostram immigrantes, sedem ibi et domicilium posuerunt; nempe Graeci innumeras colonias in partem Italiae inferiorem et Siciliam deducentes, unde Magnae Graeciae nomen factum est; tum Illyrici, ad quos pertinere creduntur et Veneti in Superiore Hadriae sinu positi, et Messapii et Iapyges interioris Italiae populi; tum denique Celtae, qui a transalpina Gallia profecti, aetate iam romana i. e. V ferme a. C. n. saeculo, in padaneam regionem immigrarunt, cui idcirco Galliae Cisalpinae nomen inditum est.[1]

3. Nunc ad Latinos redeuntes, in id primum nobis inquirendum est, quemnam humanitatis gradum ex Ariana, ut ita dicam, haereditate acceptum semen tulisse dicendi sint.

Satis constat inter studiosos Ariae antiquitatis, comparatis accuratissime linguarum eiusdem stirpis monumentis et reliquiis, omne in universum nomen Arianum quum nondum ex Bactriana, quae prima patria habetur, emigrare coepissent, in eo saltem humanitatis gradu constitisse, qui a pastoritia pastoralis dictus est; boves enim, oves, sues, canes, equos cognovisse et in rebus suis habuisse ex linguarum collatione apparet. Agrorum cultus vel nondum inceptus, ut inter gentes vagas

[1] Liv. t. 1: «Iam primum omnium satis constat, Troia capta in caeteros saevitum esse Troianos, duobus, Aeneae Antenorique, et vetusti iure hospitii et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse.- Casibus deinde variis, Antenorem cum multitudine *Enehem*, qui seditione ex Paphlagonia pulsi et sedem et ducem, rege Pylaemene ad Troiam amisso, quaerebant, venisse in intimum maris Adriatici sinum *Eugeneisque*, qui inter mare Alpesque incolebant *pulsis*, Enetos Troianosque eas tenuisse terras. Et in quemprimum egressi sunt locum Troia vocatur, pagoque Troiano inde nomen est, gens universa *Veneti* appellati ».

[1] Taceo de multis aliis populorum nominibus, quae passim apud veteres scriptores leguntur. Nonnulla horum nominum ad exiguam nationem pertinentia, paullatim ad totam paeninsulam patuerunt, ut Ausones, Oenotri *Itali*. Praesertim Itali digni animadversione sunti, qui a *vitulis* vocati (GELL, XI: 1: boves Graeca vetere lingua ἰταλοί vocitabantur), primum exiguam agri Lucani Bruttiique partem incolebant, mox eorum nomen paullatim latius patuit, donec ad totam paeninsulam pertinens gloriosum fastis Romanorum effectum est.

et errabundas, vel prima sumpserat apud eas initia. Lapide et aere Cyprio (italice: *rame*) utebantur ad arma et vasa conficienda; neque ignotum erat argentum, at nondum ferrum neque aes (italice: *bronzo*). Lanea fila nendi et texendi artem iam callebant. Bellica instrumenta arcus erant, hastae, pugiones, non gladii, neque scuta, nec currus; ferrum primum cognoscere coeperunt, postquam, ex patria profecti, in Mesopotamiam migraverant, inde in diversas regiones distracti sunt. Non domibus saxeis utebantur, sed tuguriis paene sub terra positis. Quod ad familiam pertinet, nomina patris, matris, filii, filiae, fratris, sororis, patrui etiam aut eadem aut similia; ius igitur familiare vigebat. De moribus deque vitiis et virtutibus quid sentirent propter varietatem verborum minus perspicue apparet; certe nondum res publica iure constituta vigebat, at tribus ex familiis, ductu alicuius principis vel reguli coaluerant.

Magni est momenti considerare qui apud eos Deorum cultus esset. Scilicet mundi et humanae vitae mysterium mature in hominum pectus religionem quamdam iniecit; neque ullus est animi sensus validior, qui vel in barbara gente magis erumpat, quoque magis exprompto et significato opus sit. Est autem in hominis natura ut semetipsum etiam in rebus externis, quas admiratur, aut timet, inveniat et refingat; unde fit ut naturae viribus et elementis personam quamdam inducere cogatur, et res omnes quibus circumdatus est spirantes fingere et credere, quod vulgo *animismo* vocatur. Ariani certe, ut ceteri orbis terrarum populi praeter Israelitas, multos esse Deos finxerunt; at de singulis eorum Diis difficile est certas proferre notitias. Quippe iam pridem explosa est eorum opinio, qui, mythis populorum Arianae stirpis comparatis, multos Deos omnibus communes esse asseverabant; vocabula enim, quae isti ad eandem arianam originem trahebant, comprobatum est aliena esse inter se, nihilque inde de communi religione erui posse, Verumtamen unus Deus superest, qui credi potest Arianis omnibus communis, nempe « Deus lucis diurnae », vel « caeli solis lumine speciosi »; nam vocabula *Dio-vis, Zeus, Diaus,* omnium linguarum arianae stirpis communia, hanc ipsam vim habent; unde Latini, adiecta paterni amoris notione « Iuppiter » effecerunt, et tamquam maximum Deorum venerati sunt. Verisimile est, etiam Terram, ut Deam matrem rerum omnium Arianos coluisse; nam, licet nomina varia sint, eius cultus nullis populis defuisse videtur.

Si omnia igitur breviter complectamur, haud poenitenda humanitatis semina et igniculos in animis suis posita secum tulerant Latini quum in Italiam migraverant, nec deerat illis magna corporis vis aciesque mentis, et ingenium omnia alacriter comprehensurum, et pulcri quidam sensus, et virtus animi ingentia cupientis. Quod si longe infra Graecorum laudem celeritate mentis et arte pulcra opera fingendi et fastigium omnium doctrinarum attingendi facultate, at bellica virtute praestantes et iuris legumque peritia ceteras antiquitatis gentes longe superantes, « regere imperio populos » soli valuerunt, postquam in ditionem suam omnes fere redegerant; nativa igitur indoles et atavorum hereditas ad cultum atque humanitatem Romanorum fovenda et promovenda multum iam conferre debebant.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

Bona fama in tenebris bonum splendorem obtinet.
Bonis nocet quisquis pepercerit malis.
Bonum quod est supprimitur, nequaquam exstingitur.
Caret periculo, qui etiam quum tutus est, cavet.

P. SYRIUS.

De Romanorum villis [1]

Horatius, ut supra memini, rura potius amabat, quam villas, tamquam utiliora; namque vir humili loco natus, ex divitum consuetudine, ad lucrum spectabat. *Hinc,* idest a ruribus, *tibi copia*

Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Plinius vero, qui paulo post, veluti natura abreptus, de villis suis libenter scribebat, longe aliter rem mente cogitabat. Hic, ut vel obiter totum hominem noveris, inter Quintiliani discipulos omnium maxime enituit, et, ut distingueretur a Plinio *maiore,* avunculo suo, a quo fuit adoptatus, iunior dici passus, satis mature acre ingenium litteris dedit, et Tullii vestigia ingressus, ad eloquentiae gloriam contendit. Poëta, florente aetate, multos versus composuit, quum, in foro versatus, complures orationes in senatu recitaret. Omnia vero temporum iniuria, nobis plane desiderantur. E communi tamen naufragio, ex orationibus solus exstat *Panegyricus,* Traiano imperatori dictus, quum ab eo fuit consul designatus.

At optimo litterarum fato, aetatem tulerunt *Epistolarum* libri decem, in quibus plurima leguntur quae cum eximiam Plinii naturam testantur, tum vero maxime pertinent ad historiam illius aetatis declarandam. Quod autem ad rem nostram praecipue spectat, amplissime narrat de amplioribus Romanorum villis, et in primis de suis, ad quas amiculos, Romae aestivo tempore degentes, quosque miseratus, identidem peramanter invitat.

In primis enim epistolis dives ipse et iocose suaviterque vivens, miro lepore « Caninio suo » cuidam amoeniorem villam descripsit. « Quid agit Comum, tuae meaeque deliciae? Quid suburbanum amoenissimum? Quid illa porticus, verna semper? Quid platanon opacissimus? Quid Euripus viridis et gemmeus? Quid subiectus et serviens lacus? Quid ilia mollfs et tamen solida gestatio? Quid balineum illud, quod plurimus sol implet et circumit? Quid triclinia ilia popularia? ».

Sic lepide secutus, multa illa, quae Plinii stomachum sollicitant festivo pede describit. Nunc est vicinitas urbis, opportunitas viae, mediocritas villae in verbis, modus ruris, qui avocet potiusquam distringat. Saepe, deposita civis romani persona, paucitatem extollit dum reapse multo maiora inhiat: « Scholasticis porro dominis sufficit abunde tantum soli, ut revelare caput, reficere oculos, reptare per limitem, unamquamque semitam terere, omnesque viticulas suas nosse, et numerare arbusculas possint ».

Sic sociis pauperculis irridens, splendide ad suas laudandas procedit. Ita enim « Romano suo », scribit: « Aedificare te scribis. Bene est: inveni patrocinium. Aedifico enim ratione, quia tecum. Nam hoc quoque non dissimile, quod ad mare tu, ego ad Larium lacum. Huius in litore plures villae meae, sed duae ut maxime delectant, ita exercent. Altera imposita saxis, more baiano, lacum prospicit: altera, aeque more baiano, lacum tangit. Itaque illam, tragoediam, hanc appellare comoediam soleo: illam, quod quasi cothurnis, hanc, quod quasi socculis sustinetur. Sua utrique amoenitas, et utramque possidenti, ipsa diversitate iucundior ».

Non ita equidem Cicero, nedum Tusculanum suum cum magnificentissimis verbis exaltat.

Alia praeterea et pulcherrima memorat noster, ut gratiosiorem deamatam villulam « Romano suo » commendet.

Maiora nos attamen in proximum nunc manent. Et nihil sublimius invenies quum ad Epistolam accedas « Gallo suo » suavissime descriptam. Hanc si perlegeris

[1] Cfr. fasc. sup.

omne eum tulisse punctum rectissime dixeris, tum propter elegantiam, tunc propter romanam quandam amplitudinem, quae saepe ad oratoriam gravitatem adsurgit. Inter splendidissimas Plinii epistolas, eam ponere haud dubitaverim.

Insigniter enim incipit et rotundo omnino ore prosequitur, ut Romanus, cui musa dedit magnifice loqui: « Miraris, cur me Laurentinum, vel si ita mavis, Laurens meum tantopere delectet. Desines mirari quum cognoveris gratiam villae, opportunitatem loci, litoris spatium. Nec plura, ne delectatione aëris captus, et ipse, me ipso statim dimisso, ad eam invisendam cito progrediaris ».

Epistolae solemnem hunc finem felicissime imponit, quo te arctius detineat: « Villa vero nostra etiam mediterraneas copias praestat, lac in primis: nam illuc e pascuis pecora conveniunt, si quando aquam umbramque sectantur. Iustisne de causis eum tibi videor incolere, inhabitare, diligere secessum? Quem tu, nimis urbanus es, nisi concupiscis: atque utinam concupiscas! Ut tot tantisque dotibus villulae nostrae maxima commendatio ex tuo contubernio accedat ».

Aderat, hac ipsa aetate, pari forsitan ingenio at dissimilis omnino divitiis, Martialis, qui summa dictionis elegantia et numerosis versibus commendabatur; nec immerito epigrammaticorum poëtarum princeps fertur. Et ipse tunc temporis villulam suam parvulam aeternis laudibus exornat.... Opinor

Haec res et iungit, iunctas et servat amicos!

Identidem Martialis, citra equidem aequalium invidiam memorat laetus in aemulos suos, ovansque exclamat:

...Quod rus mihi dulce sub Urbe est
Parvaque in Urbe domus... rumpitur invidia.

Aliquando, ut taedium a se longe repellat, interrogat:

Cur saepe sicci parva rura Nomenti,
Laremque villae sordidum petam, quaeris?

Quoties demum Romae per noctem quiescere nequeat, tunc

taedio fessis
Dormire quoties libuit, imus ad villam.

Quoniam vero cum duobus clarissimis istis viris, litterarum latinarum elegantia penitus ruit, et senescente imperio, publica quies et ipsa magnarum civitatum tranquillitas plane desideretur, opportunitatem adeptus dicam, Romanos, ne se suaque miserrime perderent, optimum factu duxisse, in urbe gratius exinde, quam in villis morari.

Ingravescente enim aetate, barbarus miles omnia impune vastare coepit, et depopulari, et quoniam villas ab urbe remotas vacuas plerumque inveniebat, omnia sibi licita reputans, liberrime possidere ac miserum in modum per omnes aerumnas tractare.

Magna equidem tunc temporis fuit villarum calamitas! Pretiosiores enim villae, ab Urbe potissimum, secus commodiores vias, ad Neapolitanum usque litus pertinebant, multa cum libertate et magnificentia in omnibus fere agris erant, ac propterea maxime periculis obnoxiae: quo factum est ut, rebus omnibus perturbatis, invasores superbiam exprobrarent Romanis, honores, libertatem olim amissam; atque libertina audacia praediti, omnia quaestui habentes, et aliorum divitiis, uti ex hostibus praedae palam inhiarent. Quid tam verendum, a quo temperaverint? Tabulas olim pretiosissimas et insignes, quas maxima diligentia atque cura simul eruditissimi viri comparaverant, perperam ac vilissimo pretio et nolentibus venditabant. Quae tunc patriae breviter desolatio! Et quam verae rerum undique lacrimae! Vandali, Gothi, et novissime Longobardum dominium omnem fere Italiam vastarunt, et ipsos scopulos, Romanorum olim delicias, lacrimosis vocibus impleverunt. Et Roma, quae mox suis magnificentissimis villis maxime decorabatur, recessit, et prope modum omnis Neapolitanorum ager nimio perculsus fuit moerore,

Omnis et Hadriacas retro fugit Aufidus undas.

Ubi solitudinem fecerant, gloriose ibi pacem appellabant! Quae rerum divitiae, quot ingeniorum immortalium opera una prope umbra obruit barbarorum saevities!

Verum, postquam aliquantulum res italae positae sunt et improbus Longobardorum dominatus vel a radicibus apud nos fuit revulsus, et pax iterum in Italis floruit, et civitates nostrae iuris sui atque mancipii fuerunt, et, cum pace, rerum copia rediit et abundantia, en iterum nobis villarum oritur amor, et inter omnes late regiones necessitas replevit. Magnae subito villae iterum exstiterunt, quae veteris elegantiae memoria Lucullianae sunt appellatae; praesertim aetate Medicea, tunc Florentiae, tunc Mediolani, et in Urbe, certatim summa peregrinorum admiratione.

Nec modo principes magnifico cultu villam sibi exstruendam curarunt, sed omnes fere reguli, seu dynastae, qui sua auctoritate castra possiderent et in oppidis, ut tum ferebant tempora, in fidem et clientelam nonnullos pagos recipiebant, ibique se dominos ferebant, aulam quoque sibi condebant, viridariumque splendidum.

Quum Rex Gallicus bellum in populos circiter positos indiceret, vel longius, ipsi cum auxiliariis adcurrere, opem ferre, et pacatis undique rebus, ovantes ad suos redibant.

Et Manzonius noster, qui indolem aetatis mediae, quam dicimus, graphice refert, ut de militibus, qui cum Carolo Magno rem agerent, relicto castro fortiter exstructo, integre scriberet, optimum factu reputavit haec ponere:

Lasciar nelle sale del tetto natio
Le spose accorate, tornanti all'addio...
Volaron sul ponte che cupo sonò.

Beatiores tamen et illi, quibus ob recentium temporum indolem divitiae undique adfluunt, veluti aquae ex abundantissimo fluvio, dum in urbe aptiorem domum obtinent, animi causa solatiique, villam et in agro commodam habere student. Et in praesentiarum adsunt placida pectorum dissidia, et propter invidiam, vani saepe labores insurgunt vultusque maceraciones. Ad rem optime Horatius de suis et de omnium temporum hominibus;

Festinanti semper locupletior obstat;
Instat equis auriga suos vincentibus illum
Praeteritum temnens extremos intereuntem.

Et inter priores iterum Romanorum villas ponere quis dubitaverit? Namque ad saeculi rationes optime exactae, cum antiquissimis certare videntur, et peritissimorum ingeniorum studio, et patrum nostrorum aetate complures in Urbe villae maximi aestimantur. Satis sit villae Principis Torloniae et Burghesii memorare; quarum haec cum viridario, cui est titulus *il Pincio,* coniuncta et, ob amoenitatem et amplitudinem numerumque statuarum celeberrima, nunc est populo romano regaliter donata.

At, at, uti natura fit, omnes paullatim nunc et recentiores villae evanescunt, quoniam et ipsa Roma, continuis accessionibus aucta, eas quae, aliquando erant urbes in urbe, omnia contraxit, omnia possidet, omniaque absumit.

Quae omnia diligenter si consideraveris, vere dicta esse illa autumabis:

O cura, o hominum, quantum est in rebus inane

I. B. FRANCESIA.

Beneficium qui dare nescit, iniuste petit.
Cave quidquid incipias, quod post poeniteat.
Citius venit periculum quum contemnitur.
Cito ignominia fit superbi gloria.
Considera quid dicas, non quid cogites.
Consilio melius vincas, quum iracuudia.

P. SYRIUS.

FIDES EX AUDITU

(Paul., *ad Rom.* X, 17).

Demissa ab aula siderea Fides,
Ut nos amico lumine dirigat,
Gressusque confirmet labantes
Per tenebras salebrasque vitae,

Sermone sacro vincit et imperat.
Hac arte gentes flectere barbaras,
Auresque mollire obstinatas
Discipuli potuere Christi.

Sermone sacro, si sterili Fides
In corde languet, vivida protinus
Assurgit, ut perfusa rore
Deciduum caput herba tollit.

Salvete quotquot pascitis arida
Sermone sacro pectora gentium,
Salvete. Cum vestram loquelam
« Densum humeris bibit aure vulgus »,

Tum dimoventur nubila mentium,
Tum culpa vanis diffugit unguibus,
Et fervet experrecta virtus,
Candidiorque Fides renidet.

Quae vestra in aevum tempora vinciat,
Nunc in beatis nectitur aedibus
Corona fulgens. Quanta merces
Vos manet, o Fidei satores!

A. Basili.

VETERA ET NOVA

De morbi Phthisis Pulmonariae curatione.

Neminem latet quantum insudent Medici, quales et quantas medelas excogitarint, ut homines a terribili Phthisis Pulmonariae morbo immunes redderent, vel saltem ut eos, quos morbus infecisset, ad sanitatem restituerent. Singularibus balneis, iniectiones cuiusdam *seri antituberculotici* curationem nuper dixerunt miraculosam: phthisis morbo affecti, sani evadere debuissent! Horum *serorum* inventores morbum se profligasse iactabant! Et tamen eorum studia in nihilum abierunt, quia etiam post *serorum* iniectiones phthiseos morbo affecti diem clauserunt supremum! Ipsimet Medici nunc confitentur, methodum curationis contra *microbium Koch*, ut illud destrueret, ope iniectionis liquidi nuncupati *Lymphae Koch* et *Seri Maragliani* inventores fefellisse atque delusisse aegrotos![1] Ita de qualibet alia ratione ad curandos phthisicos dicendum adhuc est, non exclusa nuperrima *helioterapia*.

Ast haec tenenda sunt de curatione eorum, qui phthisi pulmonaria iam aliquo tempore, praesertim ab anno, laborant. Hi certe sine miraculo convalescere non posse videntur. Sin autem in ipso morbi initio, seu melius, antequam morbus in suo cliente se manifestet (ex *diagnosi praecoci*), Medicus suam exerceat artem, saepe aegrotantem vel proxime aegrotaturum, mediis et medelis aptis adhibitis, a morbo liberabit.

Quod quo facilius eveniret, propriae aedes in montibus, quas *Sanatoria* vocant, conditae sunt, iam a medio saeculo XIX (anno 1859 primitus a Doct. Brehmer in loco *Görbersdorf*); et nunc etiam in Italia habentur *Sanatoria* inter quae Sanatoria a doctore Zubiani anno 1903 fundata. Per hanc *prophylacticam*, uti vocant, curationem, multi phtisici, (circiter 20-25 pro quolibet centenario) sanitati restituuntur.

Quum autem hoc, quod modo Medici affirmant, solam *prophylacticam curationem* contra morbum Phthisis pulmonariae

[1] Bum, *Lexicon Terapeutico*, v. *I Sanatorii*.

prodesse, iam superiore aetate communis Medicorum doctrina fuisset, ego, qui Medicus non sum, curiositatis gratia, volui Medicorum libros de morbis huius generis consulere. Itaque nunc lectorum curiositati affero, quae inveni super hac materia in his Medicorum operibus, saec. XVI et seq.; de huismodi scilicet morbi natura, curatione, etc. tractantibus.

***

Et primo quae scripsit quidam Gariopontus doctor medicus in opere typis edito Basileae an. 1536. Phthisin ibi edocemur, ex febri cum tussicula atque excreationibus variis sanguinolentis, aut lividis, aut purulentis, aut pro quantitate exclusae arteriae, cum corporis macie attestante virium debilitate [Phthisis enim a verbo *Φθίνειν*, quod est *diminuo*], aliquoties sicca tussi, aliquoties soluta cum phlegmate, quandoque cum catarrho patientes exagitante, dignosci.

Aegroti curantur - ita apud illum - « ex electuario, quod fit ex hyssopo, ireo, thymo, ex aequo tritorum mixtorumque cum melle: cochlearia singula dabis mane et vespere. Et uvam desiccent ex anthere pulvere, et accipiant succum ptisanae et butyrum cum melle. Praeterea sicut in sanguinis fluore diximus, curentur ».

Et insuper: « Phthisis est passio pulmonis periculosa et maligna valde, sine ulla sanguinis sputatione. Nascitur aut ex rheumatismo gutturis, aut de assidua instillatione uvae aut ex catarrho multo tempore vitiato, et in pulmonem fluente, veluti in dentium causa ... Fit autem maxime in aetatibus ab XVIII anno usque ad XXXV. Quae si inter spacium unius anni curata non fuerit, infirmus commoritur. Ad haec sequitur tussis cum variis sputationibus, nunc tenuibus, nunc similibus saniei, aut spumosis. Sonus etiam respirationis, anhelitus pulmonis, et febris lenis: et tabedo corporis, et faetor sequitur. Solent quoque et typicae accessiones aliquibus fieri ».

« Tum plurimum - ait ille - diligentiae adhibeatur, ut ante vel post accessionem febrium aegroti curentur, aut die inter diem cibentur ex sorbilibus cibis; et ante accessionis tempus fortissimos dato cibos,[1] id est pultes, ova, cerebella: ex volatilibus gallos, capita pedesque porcellorum, et hoedorum in ptisana cocta, et cum anetho et oleo alicam coctam, et aqua conditam, et gallorum testiculos et volatilium axellas columbarum et anatum, et conchylia petrosa tincta in aceto, et condita ex pipere, anetho, libistico, cocto, melliloto et his similibus. Si sine febre infirmus fuerit, lac asininum aut caprinum, statim mulsum, ne infrigidet, comedat. Sit etiam lac de illis ieiunis animalibus, quia aliter post pascua lac eorum constrictivum et desiccativum est, et durae naturae. Conveniunt et his dimifragia, id est acrimonia cocta, sicut est porrus, cepe, sinapis, et cetera; et confricationes totius corporis, plurimae capitis, colli et thoracis. Omnis cura eorum desiccativa sit pro rheumate: hac causa fit electuarium diapipereos, aut diaprassii, et alia quae calefaciant, et desiccent, ad noctem accipiantur. Aeque hyssopum in mulsa coctum aut iris illyrica potui dato, in aëre bono aegroti iaceant - hodierna *statio climatica* -, in hyeme circa caput et collum et thoracem unctiones mordaces, quae cutem, si potest fieri, exulcerent, et epithimata, quae rheuma calefaciant, et desiccent, adhibeantur; et si vires permiserint, catharticis purgentur, et novissima cura thoracem cauterezentur ».[2]

(Sequetur).

Fam.

[1] Idem docent quoque recentiores Medici (omnes ergo cuiusvis aetatis), qui *sexies* nutriendos per diem volunt phtisicos (Cfr. Bum, *Op. cit.*, v. *Tisi polmonare*).

[2] Ita etiam nunc Medici (Bum, *ibid.*).

COMMUNIA VITAE

Deliberatio de Iusu. [1]

DONATUS. Facta est nobis hodie ludendi copia, Rinalde.

RINALDUS. Credo; iustitium est hodie scholasticum.

DON. Agedum, quolibet te provoco lusus genere.

RIN. Ipse tu proponas.

DON. Iaciamus lapides funda ad scopum.

RIN. Atqui lusus hic est vetitus; praeter quam quod plus illi discriminis est quam voluptatis.

DON. Qui te igitur lusus magis oblectat?

RIN. Mihi quidem sphaeris lubet ludere per annulum ferreum.

DON. Hoc lusu nimium quantum me superas; scio quam valido sis brachio. Undecumque globos feris, ut metam transeant; undecumque recta mittis per annulum.

RIN. Velim esse vera quae de me praedicas.

DON. Globis missilibus nos exerceamus potius.

RIN. Neque viribus, neque arte tibi concesero: ita torquebo globos, Donate, ut si tormentum meum foret brachium.

DON. Periclitabimur tamen.

THEODORUS. Eheu vos! amici. Nonne, ut mihi, et vobis placet venatio?

RIN. Placet et mihi quidem; sed ubi canes? ubi venabula? ubi casses?

THEOD. Valeant apri et vulpes; nos insidiabimur aviculis.

DON. Num sal eorum caudae imponendo?

RIN. Ranas potius captemus.

THEOD. Humile hercle! venationis genus.

RIN. Sed iucundum.

THEOD. Quo ranas astu decipis?

RIN. Aliis atque aliis modis. Interdum, ex linea pendula de vimine aut arundine suspendo frustulum panni rubri; ipsum in aquam demitto: avide id glutiunt ranae, et adhaerescunt: illico ex aquis extraho.

THEOD. O lepidum venatorem!

REMIGIUS. Ego vero aliter ranis imponere soleo.

THEOD. Salve, Remigi. Quomodo tu haec? Reti?

REM. Non; sed arcu.

THEOD. Singulare piscandi genus!

REM. Ah! non iniucundum. Habes ballistam modicam, sed longo manubrio; nervo affixum est telum ferrea cuspide, praeacuta et recurva. Manu teneo funem, item nervo annexum: tum autem sicubi ranam undis eminentem aspicio, iaculum admoveo quam possum proxime; nervum adduco; mox impetu remitto in praedam, ut cuspis per ventrem emineat, aut femora.

THEOD. Equidem malo insidiari piscibus. Est mihi hamus elegans, arundo et linea piscatoria ex setis equinis torta.

REM. Et unde parabis escam?

THEOD. Lumbricorum ubique magna est copia.

REM. Est, si tibi velint prorepere e terra.

THEOD. Talpam simulabo. Hoc ligone terram tremefaciam, quasi si talpa lumbricis infestissima humum moliatur: extemplo exibunt foras... Hem, observa paullisper... Videas emergentes.

REM. Rem prodigiosam video!

RIN. Sed quid, si potius certemus nucibus?

REM. Nuces admodum pueris relinquamus: nos iam sumus grandiusculi, et quibus lubitum est ludere nucibus, iisdem non indecorum est ludere par impar, equitare in arundine longa... Num hi vobis et similes ludi allubescunt?

THEOD. Minime, profecto. Donate, qui vocem videris suppressisse, tu praescribito lusus genus: sequamur quocumque vocaveris.

RIN. Experiamur igitur batracicum Remigii venatum.

OMNES. Gratum cadit – Probatur – Hic siet.

DON. Ergo hora post meridiem prima ad portam urbis conveniamus.

OMNES. Illic aderimus. Vale in horam primam.

[1] Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F. – Cfr. fasc. mens. Aprilis huiusce anni, pag. 64.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum [1]

Gravamen – Subiective: Querela; obiective: Molestia.

Gubernator – Praefectus (urbis); Praeses (provinciae); Praetor et iudex; Praepositus.

Gulosum esse – Gulae deliciis indulgere; Dulcedine ciborum trahi.

Gustare – Libare; Delibare; Gustu explorare.

Gustus (*bonus*) – Intelligens iudicium.

Gymnasticus – Gymnicus.

Habilitare – Idoneum facere (reddere) aliquem; Facultatem facere alicui.

Hactenus – Quum *pro tempore* ponitur: Adhuc.

Haereditare – Haereditatem adire (cernere; obtinere; adipisci); In alicuius bona haeredem succedere; In alicuius rei possessionem per haereditatem venire; Rem aliquam haereditate capere (accipere); Alicuius haeredem esse (factum esse; institutum esse; relictum esse); Alicui superesse haeredem. [2]

Haeres universalis – Haeres ex asse (ex libella).

Haeresiarcha – Pravae novae opinionis fabricator (architectus); Falsae impiaeque opinionis auctor; Impii erroris conflator et propugnator.

Haereticus – Pravae opinionis homo; Pravis opinionibus infectus (imbutus). [1]

Hodiernus – Hic; Qui nunc est; Noster.

Honoratus (*vir*) – Vir splendidissimus atque ornatissimus (amplissimus et clarissimus; honestus et summo splendore praeditus). [2]

Honorificare – Honorare; Aliquem honoribus amplificare (ornare; decorare; afficere; illustrare; augere; complecti); Aliquem cohonestare (omni officii genere prosequi).

Horae canonicae – Preces (precationes) horariae; Laudationes ministris sacrorum singulis horis ex lege statae.

Humiditas – Humor.

Humana (*doctrina; humanae artes, litterae; humana studia*) – Artes bonae (liberales; ingenuae; honestae); Litterarum antiquarum studia; Studia humanitatis et litterarum.

Humanare (*se*) – Humanam induere (suscipere; sumere) naturam; Hominum se natura formaque induere.

Humiliare (*se*) – Submittere (demittere) se; Submisse se gerere; Animi magnitudinem inflectere. – *Humiliare alios:* Aliquem deprimere (subiicere; inclinare; submittere; demittere).

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Haereditatem accipere cum beneficio inventarii*: Ex edito bonorum indice haereditatem adire; Ex prodito haereditatis periculo eam cernere et accipere. – *Haereditatem sine ulla conditione accipere:* Sine cretione (nullius cretionis conditione; nulla interiecta cretionis lege; nulla deliberandi conditione) haereditatem admittere (adire; cernere, etc.).

[1] *Ad haeresim*; *ad haereticos transire:* A catholica civitate dissidere; A catholicis sacris palam desciscere; Castra sincerae fidei deserere; Sectarum deliramenta (falsas; pravas opiniones) amplecti; et sim.

[2] Inde *inhonoratus vir:* Vir inhonestus (inglorius atque ignobilis); Vir sine honore (sine existimatione).

Humilis - Modestus; Animi submissi homo; Qui de suis rebus (de se) demisse (minime alte) sentit. [1]

Hypocrita - Virtutis (sanctimoniae) simulator (fallax imitator).

Iacere - De locis: Positum esse; Spectare in (ad).

Ictu oculi - Momento; Puncto temporis.

Identitas - Res eadem; Duarum (Plurium) rerum una eademque natura.

Idololatria - Idolorum cultus; Falsorum (Inanium) deorum (Fictorum numinum) veneratio; Impius cultus commenticiis diis adhibitus.

Ignaviter - Ignave.

Ignivomus - Ignem vomens; Igni ardens.

Ignobiliter - Sordide; Plebeio modo.

Ignominiose - Per ignominiam; Cum ignominia.

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Itaque *humilitas;* Modestia; Submissio animi. - *Humiliter:* Demisse.

ANNALES

Nationum societas.

Londinensem conventum, - cuius inter effectus enumeranda esse videtur Gallorum migratio infra annum a Ruhris provincia, quum Angli iam proximo Ianuario mense e finibus Coloniae Agrippinae excedent, - sequutus est Genevae quintus societatis nationum coetus; sollemnis quidem, quum quatuor supra quinquaginta civitates legatos suos ad eum miserint. Eius praeses pro tempore Hymans, in aditiali sermone, de hoc interventu iure est vehementer gratulatus, inde deducens finem nationum societatis esse tandem optime perspectum, nempe ut societas ipsa fiat mutuae operae et auxilii centrum necessarium ad communes utilitates componendas, animos conciliandos, civitatum studia in singulorum bonum simul coniungenda. Londinensis - ait - recens conventus gravissimam de bellicis damnis reparandis quaestionem solvit; adest tamen gravis non minus, quippe quae omnium animos occupet teneatque, suae cuiusque futurae incolumitatis quaestio. Scilicet necesse est ut paci inter nationes solidum detur iuridicum atque politicum columen, permanens regimen securitatis creando, cui omnibus standum sit. Cuius verbis respondens Motta, quinti huius coetus praeses unanimi fere suffragio electus, addidit arbitratus legem, qua nationes omnes obligentur, triumphalem iam viam iniisse, amplissimo etiam opificum humiliumque favore.

Re quidem vera, quaestio de arbitratu inter nationes omnes statuendo est die VI huius mensis Septembris serio lateque agitata, pro eaque contionem primum habuit Mellus Franco, Brasiliae legatus. Quum autem legatus Canadensis libentem promptamque operam Anglorum simul et Gallorum in re quaesiverit, tum Mac Donaldus eorum nomine, tum Herriot istorum, confirmantem orationem uterque habuere, ita ut una eademque omnium legatorum voluntate huiusmodi proposita sollemniter sancta fuerint:

Nationum Societas, auditis denuntiationibus legatorum civitatum, qui huic coetui interfuere, quum in iis fundamentum certae pacis libenter invenisset, quo magis quaevis quae superfuerit discrepantia concilietur ad finem assequendum, et, consensu acquisito, quo citius, Societati Nationum cura, internationalis conventus de armorum rationibus convocetur, statuit,

I. - Ut viri ad rem in societate ipsa ad armorum quaestiones perpendendas deputati in examen revocaturi sint documenta quae civitatum incolumitatem attingant et armorum minutionem; animum praesertim intendentes in consilia a Gubernis oblata ad mutuam fidem servandam; itemque in officia a Nationum Societate constituta ad securitatis satisdationes, quas recursus ad arbitratum, sive armorum minutio requirere possint.

II. - Ut qui viri in Nationum Societate delegati sunt ad argumenta iuridici et constitutionalis ordinis pertractanda, studia sua convertant in pactionis articulos qui discriminum solutiones respiciant, neque non in certas Curiae Internationalis Iustitiae rationes constituendas, omnibus nationibus facile probandas, quo tutius atque expeditius germanitas item et incolumitas singularum nationum firmentur, pacificis modis solvendo dissensiones omnes in posterum intra civitates orituras.

Non est dubium quin reapse Nationum Societas ad perficiendos humanitatis fines suos nunc magnis itineribus contendat: ita fata eius propositis fortunent!

***

In Sinis.

Interim civile bellum in Sinis flagravit inter provinciarum Che-Kiang e Kiang-Su praetores, ob Shangai urbis possessionem. Motus pariter, voluntariorum militum opera, Canton in urbe et Hong-Kong manarunt; neque videtur factum esse satis Europaearum itemque Foederatarum Civitatum Americae septentrionalis et Iaponiae nationum interpellationibus de navigationis libertate ad oras fluminis Yang-Tse-Chiang, An ipsae suis copiis eam tutabuntur?

Postremi nuncii sunt, rem graviorem in dies fieri, et seditionem ad Mongoliam et Manciuriam usque pervenisse, ita ut bellicae rei in Sinis administer omnium civium delectum indixerit.

***

Ex Chilensi republica.

In Chilensi quoque republica seditio facta est contra civiles administros a factione militari, prouti videtur, gubernio infensa. Dicunt rei publicae praesidem a munere sese abdicasse; sed victores ab eo tantum requisisse, ut a gerendis negotiis pro tempore abstineret, donec scilicet ipsi res quieti restituerint.

***

Mauritanae res.

Hispanorum conditio in Mauritania incerta perdurat, ob incolarum infidum animum et insidias indesinenter perpetratas in Hispanorum copias, quae, inopinantes oppressae, non semper vim vi repellere valent.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Vale, o somne!

Actuosi nos homines nunquam sumus in vita contenti: dies brevis nimis nobis semper videtur, horasque somno datas tamquam tritum tempus reputamus.

Atqui en nobis validum subsidium a clarissimis doctoribus medicis duobus, ab Anglo scilicet David Harris et ab Americano Crile, qui remedium in somnum ex electride invenerunt.

Quid enim est somnus? Aut, melius, quaenam sunt somni causae? An labor adsiduus, ebrietas, lectio libri alicuius nostri temporis, « futuristica » musices, eruditissima oratio, denique simplex ille, quem Molierus indicavit, dormiendi gustus?

Apage cum istis nugis! Docent namque sapientissimi illi, somnum nihil aliud esse quam electro-chemicam reactionem, quae fit in cerebri cellulis. Eiusmodi reactio impediatur; hercle! somnus deficiet. Hinc peculiaris machinae capiti impositio, quam quisque nobis aptare et agitare poterimus, quum quiescendi tempus adventet, nobisque consilium capere placeat ab antiquissimo monito: « In futurum requiesce »; quod futurum profecto quum venerit, requies vera sempiternaque nobis succurret.

Utraque igitur manu facile providis illis medicis plausus est datus; ego vero, ut alias, sollicitatione aliqua teneor. Assentior quidem laeto animo hinc imprimis fore ut tam disputata, imo vexata domorum, quae dicitur, quaestio re solvatur. Nonne enim, somno sublato, cubicula inutilia fient? En igitur identidem sublata hospitia, deversoria aliaque huius generis, non exceptis cubilibus illis in curribus vapore actis, ad divitum somnos aptius componendum stratis. Concedo etiam inventum amplissime profuturum doctis hominibus: si enim scientiae progressus pro ratione est laboris et operae, ideoque et temporis, soporifera nova machina mirabiles quidem utilitates praebebit novis sapientiae inventis excogitandis. Equid vero de ceteris, quorum maior, imo infinitus est numerus, qui nesciunt quomodo suum tempus terant, quosque somnus per tertiam saltem diei partem ob huiusmodi cura beneficentissime subducit?

Dices: - Ad altam lucem dormire pergent.

— Euge! De nocturnis rumoribus ita questi sumus, ut singulare crimen de turbata nocturna quiete in codices induxerimus. Nulla vero amplius poterit in re interdictio, quum libertas cuique fuerit concessa diu noctuque operas et negotia agitare. Quin imo humanum automa immissam sibi habebit electricam vim per vicenas horas et quaternas; licet nihil agendum habeat, licet nihil agere velit, urgetur tamen natura sua commoveri, quati, aliquid agendo occupari...

Adde sed alia. Quum enim somno locus non erit amplius, nemo percipere valebit quid vigilia sit; nemini subveniet commoda illa opportunitas, datis temporibus et circumstantiis, oculos somno connivendi. Manebit quidem oscitatio; sed quod taedium, quod Tantali supplicium! Habere enim se coram iucundi saporis miscellum, quum atroci fame laboremus, neque illud tangere quidem posse, atrox est profecto tormentum; oscitari vero, usque ad maxillarum fracturam, quum nulla sit spes consopiendi, milleque adsint causae ut praeferas somnia veris rebus, nonne in suo genere gravior est cruciatus?

Nec denique datum erit oculos abstrahere a quibusdam hodiernae vitae spectaculis nauseam moventibus; si denegatum nobis erit salutare somni auxilium, tot felinos heu! instinctus nostros quomodo sedemus; quomodo tot tristes horas a nobis abigemus nosque vel parumper ducemus in floridae vitae nimbos?

Si igitur in quotidianos usus ad expuendum somnum electrica machina invehatur, brevi, credo, persuasum quisque sibi habebit et novam humano generi calamitatem esse partam. Quisque experietur, si nihil facere dulce sit - ut desidiosi homines blaterant, - dormire esse identidem dulce, uti de sua statua Noctem effingente Bonarrotius scripsit; nosque eo perveniemus ut marmori illi invideamus, dummodo ne concessum saltem sit inviolabile aliquod somni asylum assequi; sellam dico curulem gerentis magistratum, litterariam tabulam alicuius imperii ministri, scamnum publici legati in coetu legibus ferendis...

Quibuscum non somno, sed vobis hodie valedico.

IOSFOR.

***

Iocosa

CATAMITUS.

Mimi schoenobataeve amictus instar,
Et seplasiam olens, nicotiumque
Unde hic advena, quaeso, Marce? cuius
Imbutum unguinibus galerus ingens
Velat sinciput aemulus lebeti,
Nares corniculata obitque barba,
Longa fasciola obstruitque fauces,
Exit byssina qua sagitta duplex,
Et palmas corium aemulans botellis
Et plantas radians cothurnus arctat?
Qui ceu ludio, musicusve rector
Virgam circumagit syphunculumque
Silani laticem spuentis instar
Praebet mordicus et labella torquet,
Dum nubes vomit aemulus camino?
Qui se magnificum facit, viasque
Talo succutit aemulus caballo,
Et stridet soleis velut cicada,
Palpebrae assiduum admovetque vitrum?
A Gallis oriturne, vel Britannis?...
Sane ridiculum atque inane saeclum!

SALUTIS ZELOTYPUS.

Cum nunquam esurias nunc glutis pharmaca,
[Paule,
Quod nunquam coquis et pharmaca, Paule,
[bibis.
Quod nunquam stertis nunc sugis pharmaca,
[Paule,
Cum nunquam valeas, pharmaca coena tua
[est.
Desuper et desub stillas iacularis et intus,
Te tamquam crustum sive hypocausta co-
[quunt.
Hippocrates retines pergens et pharmaco-
[polas,
Qui iam defessi denique te fugiunt.
Non satis: et montes lustras, collesque et
[arenas,
Albula et undarum, ferrea, salsa secas.
Obvius ecce venis thecis, vasisque, cucullis,
Iam quibus exundat tota repleta domus.
Haec te cum sanum potuissent reddere non-
[dum,
Quae mala scisne tibi?... Divitiae nimiae.

MARULLI NASUS.

Per Latiam quondam spectans monumenta
[Quiritum
Urbem vertebam non properante gradu.
Cum iam caligo late velasset Olympum,
Quiddam longinquo murmure inane tonat.
En pastor nimbum metuens armenta reducit,
Pullorum trepidans tecta petitque cohors.
Vertice rusticula obtecto, mapalia quaerit,
Quaero etiam tectum sic iter ipse vorans.
En te emungentem mirans offendo, Marulle,
Et nosco, nares intonuisse tuas.

F. X. B.

***

Aenigmata

I.

Vilesco discolor terorque sordescens
Et diligentius valens tamen servor.

II.

Demoliendi munus est mihi saevo;
Cui vitam ademi adversor et cohaerenti
Comiti, comite relictum ineptiam actutum.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1, vulgo *Rebus*) *Fert o parem - Ferto parem;* 2) *Plaga.*

Beneficium dando accepit, qui digno dedit.
Despicere oportet quod possis deperdere.

P. SYRIUS.

LEPIDUM CAVILLUM

5)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

SCENA XI.

PROCURATOR, *introgreditur incertus.*

PROC. Unde est hodierna tot nunciorum [copia?
Et mox amicum ad stationem proximam
Misit secreto, secretisque iussibus...
Quis nempe venit? Sum cunctorum [nescius...
Heri, movendum si fuisset folium,
Fuisset ostium aperiendum modo,
Meum quaeritabat semper consilium,
Eumque e tricis liberavi plurimis...
Enim quot accidunt graves quotidie
Res, quae complures congerunt mole- [stias,
Eumque feriunt lancinantque pessime?
Cur sic secretis cingit se mysteriis,
Suum nec me vocavit in consilium?
Fuit sed semper mî magister optimus,
Et mentis callens multa sapientia,
Prudens, cordatus, amans sed silentii...
Unum si verbum mî dixisset, forsitan...
In quas nos tricas coniecisse timeo
Bonum illum socium!.. Quid finxit cal- [lidus?
Quid est molitus subdolo artificio?
Ut os offuciis mihi pulchre sublinat!
In praesens equidem ignoro, at postea...
Ad ostium retro me ponam clanculum,
Ut unum verbum possim expiscarier...

SCENA XII.

PROCURATOR et IUVENES, *exèuntes e diversis partibus; deinde* IANITOR.

IUV. I. Ad te, carissime, venire possumus?
PROC. Quid est?
II. Cur noster Rector languescit opti- [mus?
PROC. Quid dicam vobis, ipse cum nescio?
III. Rector nam tenuit clausum negotium,
Ut rem gravissimam profunde pectori...
PROC. Et una clausus actitat cum medico...
I. Est forte morbus?
II. Morbus est famelicus,
Qui nos molestat semper atrociter...
III. Est morbus studii!
I. Quo laboras maxime...
II. Hoc omnes morbo laboramus affatim.
PROC. Loquuntur... Iuvat nunc silere paululum
Quidquam haurire num possimus au- [ribus.
I. Quae rerum moles!
II. Multa quae varietas!
III. Et ipse parochus...
I. Adest num mortuus?
PROC. Abest collegii sed ipse ianitor,
Solet qui linguae laborare vitio...
Hic quanta diceret vel uno spatio!

(*Intro colloquuntur elata voce*).

VOX MEDICI: Res ad praetorem conferenda [potius...
I. Cur autem Praetor?
II. At quid demum criminis?
PROC. Hoc est Rectoris vox exilis, tenuis,
Meae quam vix aures possunt accipere.
Haec verba medici,.. quid? Adstet cur [et Praetor?
VERBA MEDICI: Simul res ponantur, coniun- [ctis viribus:
Mitte, sis, praetorem qui moneat, paro- [chum...
Uterque clanculum petat Collegium...
I. (*inter se*) Quid praetor venerit?
II. Noster quid parochus?
III. Vocatur ianitor laturus nuncium:..
(*Ad proximum numerum*). (*Exeunt*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO

SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIII, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 225 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 450, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Novembri MCMXXIV Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De Pontificia litterarum latinarum peculiari schola Romae constituta

Non semel atque iterum, immo vero saepe saepius in nostro hoc commentario, cuius finis est praecipuus, ut usum latini sermonis per orbem universum tueatur ac foveat, vehementer conquesti sumus latinitatem malo sidere affici, quippe quae inique in dies vulgo contemnatur, eamque illi ipsi perperam negligant, quibus sanctissime cordi esse deberet; idque tum humanitatis, tum maxime cum Christianae religionis iactura. Neque solum adversum hoc fatum in hisce paginis, sed, quum tulit occasio, apud ipsos Summos Pontifices doluimus, a venerando illo Pio X, qui nobis auctor fuit, ut ignem hunc asservandum et custodiendum susciperemus, ad sapientissimum virum, qui feliciter nunc Catholicae Ecclesiae gubernacula tenet, a quo, consideratissima illa nostrisque laboribus maxime consolatoria verba ex sui ipsius ore humanissime accepimus: «Proposuimus iam Nobis aliquid de re perficere: brevi vos videbitis!».[1]

Sane, post paucos dies, apostolicam epistolam Is edebat de seminariis et studiis clericorum, in qua primum erat de linguae latinae studio in litterariis clericorum ludis omni cura fovendo et provehendo.

Ecquid vero? Obiici ipsi audivimus variis de causis tantam nunc rem perfici non posse, ob eamque praesertim, quod latinitatis magistri deficerent. Actum profecto de latinitate est - respondi - si ita res sese habeat, ut in maioribus saltem seminariis non inveniatur, qui hanc provinciam curandam et administrandam sibi sumat; huiusmodi homines non solum esse me credere aiebam, verum etiam tanto praeditos ingenio tantaque bona voluntate, ut arcem robustis munitionibus cingere atque firmare valerent. Hi discipulos sibi compararent, qui ipsorum doctrina et docendi ratione informati, per minora seminaria deinde effunderentur, praesentemque medicinam complorato morbo afferrent.

Quum autem Romam quotannis studiorum gratia undique conveniant ex quavis

[1] Cf. *Alma Roma*, an. IX, pag. 127.

regione alumni, quidquid de illa animadversione esset, haec adamussim addebam:[1] « Centrum vero et latinae sapientiae maximum hospitium velim Romae, in almae nostrae huius matris ulnis constitutum: huc enim ex universo terrarum orbe affluunt delecti adulescentes, qui praeter alios in spem Ecclesiae crescunt, Christianam doctrinam et humanitatem in suas regiones deinde relaturi: Romae, dico, exsurgat magnum latinitatis athenaeum, quod hos iuvenes colligat, erudiat, atque deinde, latinitatis disciplina et amore imbutos, ad extremas usque oras restituat, quo eamdem scientiam et amorem sint importaturi. Ita non seges tantum, sed fructus brevi comparabuntur ». Hisce autem verbis concludebam: « Quod quidem incoeptum, non nomine tantum, sed re Piissimo itemque doctissimo viro, qui amplissime nunc summum Pontificatum gerit, commendo; idque ut quam citissime perficiat etiam atque etiam rogo ».

Quibus positis, quis dixerit quibus animi sensibus percitus, recens Pontificium documentum, *motu proprio* datum,[1] perlegerim de peculiari litterarum schola in Romano athenaeo Gregoriano constituenda, quae celeberrimi illius divinae atque humanae sapientiae fontis centenarios festos dies, hoc anno celebratos, digne concluderet, et quasi monumentum poneret? Eoque magis magna cum gratia exoptatissimum animi mei desiderium expletum vidi, quia, praeter intentionem meam, hunc ludum omnibus apertum novi, scilicet « ne laicis quidem hominibus exceptis », ita ut non solum, in aemulationem, honestum inter hos et clericos alumnos certamen institui queat ad praemium consequendum, vere Pontificia munificentia dignum; sed in universae latinitatis bonum schola ipsa evadat. Iure itaque meritoque nobis liceat Deo eiusque in terris Vicario amplissimas grates hodie rependere: si enim opus quodcumque nostrum fructum hunc tulit, abunde satis nunc habuit: ad metam enim quo vehementissime tendimus pleniori gradu appropinquamus!

I. Fornari
Almae Romae Conditor et Moderator.

[1] Cfr. *Alma Roma*, an. IX, pag. 148.

[1] Vid. eius textum in huius fasciculi pag. 175.

Sacrosanctae Lateranensis Basilicae Centenaria commemoratio

Dum scribimus, in Sacrosancta Lateranensi Urbana Basilica, dies festi solemnissime peraguntur, ob sextum decimum expletum saeculum, ex quo primum Basilica ipsa dedicata est. Hanc quidem commemorationem Sanctissimus Christianarum gentium nunc Princeps et Pater, Pius XI, tum in postremo Consistorio, tum per litteras die IV mens. Maii MCMXXIV ad Purpuratum Patrem Basilium Pompilj, Vicaria Potestate Urbis Antistitem, vehementer commendavit, quippe causa eiusmodi ageretur, quae mero nudoque terminari nuntio non posset, sed, contra, peculiare desideraret Pontificiae et auctoritatis et pietatis officium; gravissimi autem pulcherrimique facti sic deceret in civium romanorum, immo etiam in catholicorum omnium animis renovari memoriam, ut a saecularibus hisce sollemnibus nulli per orbem Ecclesiae filii se putarent alienos. « Velimus enim - ait - quotquot unius communione et professione catholicae fidei gloriantur, ii omnes in remotae illius fastos aetatis ita considerationem intendant suam, quemadmodum volucri atque incitata laetitia, illuc fertur cogitatio nostra. Testis sane historia est, Constantinum Magnum, Christi religione ad nativam libertatem per Mediolanense edictum vocata, imperatorias in Laterano aedes Miltiadi Papae proprias attribuisse, quibus ipse, eiusque in munere successores, pontificali sede uterentur; praetereaque maximam in coniuncta area Basilicam excitandam curasse, quae Christo Servatori dedicaretur: dedicatam autem publico ritu, die IX mens. Novembris anno CCCXXIV, effectam esse Pontificis, ut Episcopi Romani et oecumenici, ut heredis integrae apostolicae potestatis, cathedralem Ecclesiam, ita scilicet ut eadem esset et diceretur *omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum mater et caput* ».

Igitur abs se non erit, hodie et nos in nostro commentario, qui *Almae Romae* nomine gloriatur, tantum eventum commemorare, praecipuas vices vetustissimi item ac sanctissimi monumenti revocantes.

*
* *

Quod quidem ex ipso loco ubi conditum est primam nobilitatem accepit, ab aedibus scilicet clarissimae olim senatoriaeque Lateranorum familiae in Coelio monte; quae aedes, sive post Plautii Laterani infelicem in Neronem coniurationem,[1] sive virili Plautiorum genere forte deficiente, in Fisci manus pervenerant, atque ineunte saeculo IV in potestatem Faustae Augustae, Maximiani filiae et uxoris Constantini imperatoris,[1] qui post victoriam ad Milvium pontem habitam eas brevi tempore habitavit, atque deinde Pontifici dono dedit, ut inibi - quemadmodum supra, per Pii XI verba, memoratum est - templum Christo Servatori et Pontificia sedes, seu Patriarchium, aedificaretur. Revera Pontifices per annos circiter mille apud Lateranensem basilicam habitarunt, quae anno MCXLIV, addito a Lucio II peculiari cultu Sanctorum Ioannis Baptistae et Ioannis Evangelistae, a Sancto Ioanne coepit nuncupari: quo nomine nunc etiam vulgo distinguitur.

Generalis Lateranensium aedificiorum prospectus usque ad medii, qui dicitur, aevi finem, fere immutatus permansit. Basilica orientem spectat; prope eius absidem, baptisterium cum adnexis suis extenditur; inde, ad dexteram, xenodochium, Pontificium pietate inde a remotissimis temporibus excitatum. Ad templi meridiem amplum patebat coenobium, monachorum domicilium, quibus cura divini cultus erat concredita; ad septem triones autem pontificiae aedes longe lateque efferebantur cum suis porticibus magnisque chalcidicis, ad oratorium usque productae, ubi, nostra actate *Sancta Sanctorum* et *Scala sancta* asservantur.[2] Denique in magnae plateae

[1] De hisce Tacitus lib. XV *de Pisoniana coniuratione:* Anno U. c. DCCCXVIII, a C. n. LXVI, Neronis imperantis XI, P. Silio Nerva et Attico Vestino coss. « Anneus Lucanus, Plautiusque Lateranus, Consul designatus, vivida odia [in Neronem] intulere: Lucanum propriae causae ccendebant, quod famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare, vanus assimilatione. Lateranum Consulem designatum nulla iniuria, sed amor Reipublicae sociavit... Proximam necem Plautii Laterani Consulis designati Nero adiungit, adeo propere, ut non complecti liberos, non illud breve mortis arbitrium permitteret. Raptus in locum servilibus poenis sepositum, manu Statii Tribuni trucidatur, plenus constantis silentii, nec Tribuno obiiciens eandem conscientiam ».

[1] Cfr. Optatus Milevit, *Contra Donatist.*, lib. I: «Dati sunt iudices... Ad urbem Romam ventum est, ab iis tribus (iudicibus) Gallis et ab aliis quindecim Italis. Convenerunt *in domum Faustae in Laterano*» (an. Ch. CCCXIII).

[2] *Sancta Sanctorum*, sive Oratorium S. Laurentii, peculiare erat Pontificium sacellum. In eodem, nunc proprio aedificio distincto, teste Panvino, altare positum erat, sub quo diu iacuerunt Apostolorum capita, et etiam nunc asservatur antiquissima SS. Salvatoris imago, quam *acheiropoitam*, id est « non humana manu perfectam » dicunt, multis iisque pretiosissimis ornamentis aureis, argenteis gemmeisque corusca. Notum est autem capita Apostolorum Petri et Pauli, cratibus ferreis conclusa, nunc religiose coli super ara maxima, in aedicula ex pario marmore, quatuor columnis ex Aegyptio marmore cum capitulis ordinis corinthii sustentata. In ara autem ipsa maxima inclusum ligneum altare est, quo fertur S. Petrus usus fuisse.

centro, ubi nunc Toutmesii III obeliscus extollitur, Annibaldensium Comitum turres surgebant, quas inter atque basilicam, quo per minorem aditum et hinc accedebatur, constitutum erat aeneum illud Marci Aurelii equestre signum, falso Constantini diu habitum, quod Xystus IV «e sordido loco in augustiorem in area ipsa» [1] collocaverat, ac postremo Paulus III in Capitolium transtulit.

Lateranensis vero basilicae structura antiqua atque Constantiniana primaeva quum ferales casus perpessa fuerit, proindeque Pontificum Romanorum religio eam iterum iterumque excitaverit, instauraverit, nullam certam ad haec nostra tempora sui transmisit memoriam. Graviores autem praecipuaeque ruinae refectionesque eius fuerunt quae sequuntur.

Anno DCCCXCVIII quum terrae quodam ingenti motu magna parietum pars usque ad peristylium corruisset, quumque tum civium domesticorumque privatis dissidiis, cum publicis aliquot schismatum vexationibus Romani Pontifices premerentur, «dilapsa fuit Ecclesiarum omnium Mater Romanorumque Pontificum propria potissimaque sedes, informemque suimet speciem ac triste spectaculum per septennium praebuit, quo temporis lapsu penitus destituta utpote inaccessa iacuit». [2]

Attamen

Spes dum nulla foret vestigia prisca recondi,
Sergius ad culmen produxit tertius, ima
Cespite et ornavit ingens haec moenia Papae. [3]

Postea Ioannes XII, creatus an. DCCCCLVI, exstruxit sacrarium ad laevam hodierni porticus, ubi Pontifices sacras vestes induerent; quod Oratorium S. Thomae denominatum fuit.

Anastasius IV (MCLIII-MCLIV) multis fabricis aedificiisque templum auxit ornavitque.

Innocentius III (MCXCVIII-MCCXVI), qui, ut notum vulgo est, Lateranensi basilicae instare ruinam in sommis vidit, ac S. Francisci Asisinatis humeris ne collaberetur sustentari, somnium iuxta litterarum sensus interpretatus, tectum restauravit, turrimque campanariam, quae casum excidiumque minabatur, nova mole excitavit.

Nicolaus IV (MCCLXXXVII-MCCXCII) anteriorem posterioremque basilicae partes iam ruinosas validissimis repagulis firmavit; et paulo post Bonifacius VIII (MCCXCIV-MCCCIII) maximum addidit templo nitorem, arrepta, prouti videtur, Iubilaei magni occasione, quod a Laterano, ex meniano - quemadmodum refert Iotti tabula, quae in Lateranensi basilica adhuc conspicitur - a se exstructum ad benedictionem populo impertiendam, indixit.

Verum, annis paucis transactis, scilicet anno MCCCVIII, - ut in suis *Chronicis* Villanius narrat, - pridie festum S. Ioannis, dum in choro Vesperae canuntur, opificis cuiusdam incuria tecto ignis iniicitur, qui ad reliquas basilicae partes facile diffusus, pene omnes consumpsit. Pontificatum tum regebat Clemens V, Avenione sedens, unde, auctore praesertim Francisco illo Petrarcha, poëta tum italica tum latina lingua celeberrimo, minime cunctatus est Romam pecuniam mittere ad basilicam reficiendam.

Neque Urbanus V (MCCCLXII-MCCCLXX) a restauratione prosequenda abstinuit. Martinus autem V (MCCCCXVII-MCCCCXXI) Alexandrino opere templum ruderavit; quin imo parietes Gentili ac Petro Pisano pingendas commisit.

Eugenius IV (MCCCCXXXI-MCCCCXLVII) columnas et epistylium reparavit; turrim autem campanariam nonnullosque muros Xystus IV.

[1] PANVINUS, *Manuscr.*, lib. IV, c. 8.

[2] CIAMPINUS, *De Sacris aedificiis*, etc., tom. II, c. II.

[3] Hos aliosque de re versus Caesar Card. Rasponus in suo opere de basilica Lateranensi fuisse affirmat in abside et fronte basilicae, musivo charactere expressos. Ante ianuam, quae in sacrarii ducit atrium, deinde translati sunt.

Innocentius VIII (MCCCCLXXXIV-MCCCCXCII) - sive, iuxta alios, Alexander VI (MCCCCXCII-MDIII) - arcum ante Pontificium altare extulit, duabus magnis columnis ex lapide psaronio innixum.

Pius IV (MDLIX-MDLXV) templi frontem ad septem triones restituit; Pius V (MDLXVI MDLXXII) mediam basilicae alam deaurato lacunari operuit; Clemens VIII (MDXCII MDCV) magnificum altare ad SS. Eucharistiam asservandam erexit. transversamque alam omnem, in qua ipsum posuit, picturis illustrandam curavit; quum antea Xystus V (MDLXXXV-MDLXXXX) septentrionali fronti porticus addi iussisset.

Atvero hisce curis omnibus, aliisque, quas, ne longiores essemus, omisimus, minime obstantibus, Lateranensis basilica firmiter consistere diutius nequibat; inde factum est ut Innocentius X, anno MDCL, eam ex integro reaedificari constituerit; quod opus Borrominio commisit, ei in primis praecipiens ne, quidquid antiqui aedificii servari poterat, pro novo immutaretur. Sed, heu!, morosus ille, quamquam in genere suo praeclarus architectus, ne columnas quidem servavit, quas inter latericias pilas abscondit et clausit.

Quum anno MDCCXXX Clemens XII ad pontificatum pervenisset, videns basilicae frontem ad orientem solem digno prospectu carere, quippe quia antiquus etiam tum angustiorque exstaret, novum eumque amplissimum et admirabilem substituit, cuius formam Alexander Galileius excogitaverat.

Denique Leo XIII absidem per metra viginti ulterius produxit ac ditissimis marmoribus, musivis operibus picturisque ornavit; novissime autem Pius X tectum solumque large refecit, proximeque *Seminarium maius* extulit, quo invenes in spem romani cleri crescentes philosophicisque atque theologicis studiis Romae vacantes, transtulit.

***

Haec Lateranensis basilicae brevis historia: cum Pontifice summo, Christi vices nunc in terris gerente, addere iuvat inde atque e vetere Patriarchio omnis doctrinae caritatisque catholicae rationem, diuturno circiter decem saeculorum spatio, in universum fluxisse christifidelium gregem; magna rerum eventa aut inde initium duxisse, aut ibi, quasi in centro terminoque quodam, maturuisse; haeresibus evertendis, disciplinae emendandae, tuendaeque ecclesiasticae libertati habitum Synodorum numerum, quas vel Romanas vel Lateranenses vocant, et Concilia item acta Oecumenica quinque, quorum postremis duobus haud mediocrem sollicitudinem, praeter alia, Palaestinae recuperationem struxisse. Neque abstinere possumus, quin Gregorii illius Magni memoriam recolamus, qui, etsi imbecillior valetudine, mentis acie animique aestu negotia necessitatesque totius orbis complexus est. Ille idem in Patriarchio celeberrimam aperuit scholam pueris ad concentus liturgicos instituendis, quos ipsemet docere Pontifex non erubuit: unde ceterae iam tum scholae et cantus sacros et canendi leges usumque sunt mutuatae feliciter. Atque ex coenobiis circum Lateranas aedes excitatis quum Gregorius Augustinum monachum sociosque novem et triginta ad Britanniam Christo subigendam dimisisset, eum postea episcopum consecravit et archiepiscopali denique pallio auxit, hac lege ut Cantorberiensi Ecclesiae, quam ipse regeret, reliquae per Britanniam dioeceses aut erectae eo tempore duodecim aut in futurum erigendae, tamquam suffraganeae, parerent.

Recte igitur Pater sanctissimus concludere poterat: «Gravissima ista quidem omnia atque ad memorandum laetabilia, quae aequum est in animis filiorum No-

strorum, qua late patet catholicum nomen, sic defixa esse, ut commemorationem dedicatae ante annos mille et sexcentos Archibasilicae quo meliore modo participent».

Quod felix, bonum, fortunatumque fiat!

X.

De Paulo Segneri iterum

Neptunium, nostis, urbs haud indecora in agro Romano, nuper, magna civium advenarumque frequentia, clarissimum hunc virum novis decoravit honoribus, quem abhinc tercentos annos in lucem edidit.

Ipse enim, experrecto ingenio praeditus litterisque pollens, in ipso aetatis flore, principem sibi locum inter sacros oratores obtinuit gloriamque immortalem patriae conciliavit.

Iam, domi priore litterarum curriculo peracto, inter sodales societatis Iesu se contulit et mox pietatis laude inclarescens, mortalia infra se posita arbitratus, ad caelestia admodum contendit.

Et imprimis, adsiduus, disertus, et pugnax in deliciis habuit sacras ad populum conciones agere. Ita brevi tempore per omnes Italiae civitates peregrinatus, summam oratoris admirationem ad se excitavit, atque incredibilem audientium conventum undique cogere consuevit. Flexanima enim hominis eloquentia auditorum tenebat, pervadebat pectus, omniumque voluntates quo vellet impellebat. Orationes autem, quas solemnes per ieiunium quadragenarium habuit, uti vividum sacrae eloquentiae exemplar, vix in vulgus editae fuerunt, mira admodum omnium admiratione receptae, et nunc lectorum manibus feruntur. Alii enim doctrinam, alii pietatem, omnes denique pectoris suavitatem admirati, aequalium iudicium confirmant et superegrediuntur.

Quo factum est, ut Segneri, etiamsi multa alia volumina in vulgus ediderit, omniaque sint omnibus probatissima, ob sacras conciones maxime celebretur, idque gloriae consecutus sit, ut ipse, non iam hominis nomen, sed eloquentiae habeatur.

Ad haec, quod de Cicerone Quintilianus scripsit, Segneri quoque nostro adtribuendum esse nemo quidem dubitaverit: «Quis enim docere diligentius, movere vehementius potuit? Cui tanta unquam iucunditas affluit? Ipsa illa quae extorquet, impetrare eum credas, et quum transversos vi sua auditores ferat, tamen ille non rapi videatur sed sequi».

Et eius opere quot beneficia in populi pietatem manabant! Et inter cives passim mali hominum mores cessabant, et omnes certatim ad meliora bona summopere contendebant.

Itaque ingens sanctitatis rivulus undequaque derivabat. Quam vere per vulgus post eius adventum in civibus ferebatur:

Occidet et serpens, et fallax herba veneni
Occidet!...

Adeo multa inter homines convicia atque iurgia extinguebat eius suavissimum eloquium, et multae quoque virtutes et castae loquelae passim exaudiebantur, ut primo adveniente vere rosae in pratis et lilia renasci videntur. Adeo potens erat atque efficax eius eloquentia et perennis morum disciplina!

Haud desunt qui Segneri pluribus e causis incusent, atque inferiorem in omnibus existiment, si cum magnis illis dicendi magistris componunt, quos *sanctos Patres* adpellamus. «Visne magnus reputari? – ait Leopardi – Impune semper ceteros carpe malignoque corripe dente!» Quis, inter hos iudices, immortales illos oratores vel obiter legerit? Hanc vero calumniam ab aetate in aetatem improbi transferunt, et

nullo prorsus prohibente, eam omnes facile accipiunt certissimamque retinent.

Segneri noster vigentem se ac parem in omni scribendi genere ostendit; atque hoc nomine praesertim laudandus, quod stilum prudenti ratione rebus et hominibus accommodavit. Quod quidem non in concionibus tantum spectamus, sed in omnibus operibus, et in ipsis epistolis, quae ab eo scriptae sunt ad familiares, ad principes, qui tunc Italiae praeerant. Quae sane epistolae tum ad mores et ingenium hominis cognoscendum, tum ad turbidas rerum Italicarum conditiones sui temporis explicandas, tum vero ad civilem prudentiam atque elegantiam stili mirum in modum conferunt.

Ad Italiam conversus, haud desinit ei omnia bona omina auspicari, atque ad ducem mox nasciturum divinitus respiciens ut patriae saluti consulat precatur:

Pacatumque regat patriis virtutibus orbem.

Quam opportunum, nostris quoque diebus, augurium!

I. B. Francesia.

VETERA ET NOVA

De morbi Phthisis Pulmonariae curatione.[1]

Inter auctores medicos saec. XVII consului quemdam Doct. Barbetti; et ex eius opere, cuius titulus Praxis Barbettiana *cum notis et observationibus Friderici Deckers Medicinae Doctoris* (Patavii, Typis Petri Mariae Frambot, 1681), quae sequuntur referre censui, ad rem nostram, ex textu auctoris et ex notis.

[1] Cfr. fasc. sup.

«Cap. *De Phthisi.* – I. Phthisis est *Consumptio humoris nutritii.*[1]

II. *Pars affecta* interdum quidem pulmo est, sed non eo quo vulgo putatur modo, ut ex causis patebit. Primario plerumque patiuntur Ventriculus, Pancreas, Glandulae lacteae, etc. Pulmo[2] per consensum.

III. *Causa* est 1. Ventriculus male chylum digerens. 2. Succus pancreaticus male sese miscens bili; unde 3. Chylus crassior male transcolatur per glandulas mesenterii lacteas: evenit, inde 4. quod crassior chyli pars in glandulis lacteis haereat, non transcoletur, illas induret, sic ut nonnisi serosior illius pars per ductum thoracicum perveniat ad cor.[3] Interim ve-

[1] «Ab omnibus fere, et optimae notae authoribus definitur per ulcus pulmonum, et febrim hecticam». Clar. auctor hic atrophiam potius quam ipsam phthisim describere videtur, ut ex sequentibus patet; hocce de effectu videatur P. Forestus.

[2] «Pulmonem esse partem affectam constat ex ulcere pulmonum, malumque in ipsis pulmonibus haeret, ideoque *per idiopathiam,* non vero *per consensum* afficitur pulmo; ast a ventriculo, pancreate, glandulis misenterii lacteis male affectis malum in dies augeri, graviusque reddi concedimus».

[3] «Haec clariss. authoris dicta saepe praecedere posse, antequam Phthisis oriatur, assentimus; attamen tum nondum Phthisis est, sed quidem ansam dant, acrioresque in dies tum fiunt humores, qua acredine postea vasa quoque eroduntur. Causae, ut plurimum sunt catarrhi falso acres. C. Celsus quoque lib. 3 cap. 22 pag. 167, catarrhis in pulmones delabentibus adscribit: quare etiam Hippocrates *in coacis praenotionibus,* in principio, inquit. suppurati salsuginosum spuunt p. m. 563 (saepe post gravedinem, non vel male curatam) ut quam accuratissime observantur Practici quamplurimi, inter quos D. Freisagius, qui frustra curationem phthiseos aggredi, catarrhis primo non sublatis, putat: et constare quoque potest ex Gul. Fab. Hildano *observ.* 38 Cens. III p. m. 210, ut et ex Cratone lib. 3 p. 76: sic quoque a tuberculo in pulmonibus genito suppurato atque disrupto phthisin aliquando generari pro' at Riverius, *praxeos* lib. VII cap. 7 p. 336 tuberculumque tale pulmonis idem vocat tumorem exiguum in quadam illius particula collectum; in quem finem inspiciatur Hippocr. *aphor.* 41 sect. VI ut et lib. *de morbis.* Non semel quoque in cadaveribus phthisi extinctis ulcus pulmonis observavimus».

siculae tam orbiculares quam sinuosae pulmonis noviter a cl. Malpighi inventae ex legibus circulationis sanguinis, replentur lympha, quae in illis crassior fit, anhelationem causat atque tussim, [1] vapores ascendentes, angustias intermittentes. Ulcus pulmonis tabem esse non admitto, nisi longo temporis tractu degeneraverit, vel in Vomicam vel Emphyema; [2] dissectione enim semper contrarium reperi in cadaveribus hoc malo exstinctis.

IV. *Differentiae.* Practicus tabem in tres species divido. Prima, eaque praecipua, est illa quae provenit ex glandulis mesenterii lacteis lympha crassa, vel ut alii loquuntur, pituita obsessis; quae sic in causa sunt, ut minima assumptorum ciborum pars perveniat ad cor, corporisque partes reliquas; maxima vero illorum pars pereat per alvum. [3] Secunda est quae propter sanguinem, et in illo lympham serosiorem, [4] tussim excitat continuam, dum per pulmones circulatur cum succo nutritio ad cor. Tertia species illa est, quam antiqui ulcus pulmonum vocavere. Procedit ex lympha crassa [5] in vesiculis pulmonum supradictis diutius haerente, et circulationem sanguinis impediente.

V. *Signa diagnostica* [1] incipientis phthisis sunt: Inflatio ventriculi, tumorque totius abdominis; anxietas cordis et interdum palpitatio; tussis sicca; appetitus prostratus; macredo; [2] febricula continua. Consummatae tabis signa sunt: appetitus maior sed vagus (provenit ille puto ex febre aucta et maiore, quam non solum continuam observavi, sed in plerisque in dies suam exacerbationem habentem: hancque febrem voco duplicem tertianam continuam (an illa ex pulmonibus trahere possit ortum iudicet iudicio pollens Medicus); tussis continua; respiratio difficillima; marcor; cutis arida nigricansque; sputum [4] viride, crassum et aquae purae immersum, matulae fundum petens.

VI. *Prognostica.* Phthisin infantum imo adultorum in principio facile curaveris, si abdominis [2] maiorem habueris curam, quam pulmonis, hicce enim tunc non peccat, nisi per accidens. Consummata fere semper incurabilis [3], sed vomica pulmone laborantes curatos vidi varios, ut et alii mecum Practici.

VII. *Indicationes curativae.* Lympha crassa incidenda [4] abundans leniter et per epicrasin evacuanda. [5] Diaeta sit exquisita: reficiatur tamen saepe stomachus.

VIII. *Curatio* Intelligenti sufficient indicationes curativae. Hoc saltem addo, me contra omnium forte scriptorum Practicorum sententiam acidis temperatis felicissime usum. Ratio patet ex praescriptis. Dulcia acidis non temperata, cum multis aliis observavi, aegris semper, ad minimum plerumque obfuisse. FAM.

(*Sequetur*).

---

[1] « Tussim ab humorum acredine vellicando, et corrodendo excitatam putamus, nam acrimoniam temperantibus, ut Mass. pilul. de *cynoglosia*, *laud. opiato*, etc. exhibitis, unde humores magis adhuc incrassantur, sedatur; exinde satis superque liquet tussim non tam ab humorum crassitie, quam quidem acredine oriri ».

[2] « Aliquando in emphyemate paracenthesis instituenda, ut pus etc. praeter naturam intra thoracem, collectum, educatur. Paracentheseos instituendae modum, ac institutae usum et finem etc. videsis apud doctiss. Thomam Fienum, tract. V *de Chirurgiae controv.* Cap. 1, et seq. p. m. 39 et sqq. et Riverium, *observ.* 79 Centur. 1 ».

[3] « Haec vocatur a Practicis *atrophia,* Inspiciatur ea de causa Joel., *prax.* lib. 3, p. m. 59 ».

[4] « Videtur cl. auth. per serosiorem intelligere serosiorem acrem, nam alias vix tussim excitant, ast quidem acris: quatenus sua acredine corrodunt, pungunt, vellicant ».

[5] « Hippocr. lib. *de internis affection.* tract. 4. p. 201, ipsam vocat pituitam falsam, quae coacta et compacta in pulmone suppuratur: propter lympham crassam, in capite stagnatio humorum fieri potest, cuius stagnationis maleficio acriores redduntur humores, sicque catarrhi et in primis quidem falso acres generabuntur. qua catarrhorum in pulmonem depluentium acredine tussis primum exoritur, dein ipsa vasa sanguinea capillaria corrodendo aperiuntur, extravasatus ita exstillansque subinde adhuc sanguis, iam stagnans acriorique defluxioni occurrens acrior redditus putrescit, sicque pulmonum ulcus producit; ut probat Hippocr. lib. 1 *de Morbis*, Tract. X p. 12. Optime Clar. Freitagius concludit, non curatis catarrhis phthisim curari esse impossibile ».

[1] « *Imminentis* phthiseos signa proponuntur ab Hipp. lib. *de morbis* tract 9 his verbis: Fit autem et suppuratus, si pituita (scil. falsa) ex capite ad pulmonem destillet; et primum quidem latenter defluit, tussimque tenuem exhibet, et sputum paulo amarius solito, et aliquando tenuis adest calor (febricula). - Plerique quoque Practici gravedinem praecessisse observarunt: quibus cl. Riverius addit pravam thoracis conformationem et aetatem iuvenilem... Quanto vero magis tempus progreditur, tanto magis pus sincerum spuit, et febres acutiores fiunt, tussisque frequens et fortis, et inedia vexat et tandem alvus inferne turbatur: hic quum ad hoc pervenerit, perit. Quibus adde capillorum defluvium, genarum livorem, inque rubedinem una duabusve circiter a cibo sumpto horis cum pulsu maiori et celeriori, mutatum: quod certum hecticae febris signum Schnettus, *de feb.* p. 339 putat ».

[2] « Quae in carpis manuum primo observatur ».

[1] « Primo falsum dein amarum, postea dulce excerni annotavit Hipp. loc. cit.; sed *notandum:* aliquando pituitam putridam puris aemulam tussiendo excerni: pus autem coloris est cineritii, et minus album quam pituita, et interdum varii coloris, et in aquam tepidam puram proiectum fundum petit, in eaque dissolvitur, prunisque vivis impositum, faetet ».

[2] « Imprimis quoque catarrhorum falso acrium in pulmones depluentium malum in dies augentium ».

[3] « Attamen spes quaedam curationis effulget (modo non haereditaria) si vires robustae sint, sputum album, aequale, unius coloris et facile expectoretur, catarrhusque alio divertatur, febrisque inde minuatur, appetitus vigeat, sitis absit, alvum naturaliter deponat, pectus habeat amplum et hirsutum etc. Quibus vero phthisicis sputum graviter oleat, aut capilli defluant, aut alvi fluxus superveniat, aut sputum supprimatur, aut facies hippocratica appareat, mors in propinquo est; docente Hippocr... *Contagiosam* quoque esse Phthisim Practici observarunt... ».

[4] « Catarrhique sistendi, eorumque acrimonia blande temperanda ».

[5] « Fortiora enim purgantia, ut et omnia aloëtica maxime phthisicis nocent, quia facile hypercatarrhus exoriretur, vasorum que orificia aperirentur aloës maleficio: vitentur quam maxime animi pathemata ».

Miserere mei, Deus!

(PARAPHRASIS PSALMI L.).

Propitius, quaeso, trepidi miserere vocantis,
Multa qua gaudes pro bonitate, Deus!
Multiplicisque memor pietatis et immemor irae,
Quae reus admisi crimina foeda lava.
Haec, precor ingeminans, iterumque iterumque [remittas,
Lotus ut indigna labe carere queam.
Nunc tibi namque, Deus, decet ausa nefanda [fateri,
Semper sunt oculis quae lacrimanda meis.
In te deliqui vecors noxamque patravi,
Extrema ut vincas quam reserabo die.
Ecce etenim primi conceptum crimine morbi,
Mater in aerumnis me generavit inops.
Intemerata tibi cordi nam vera fuere,
Abdita cum placuit pandere sacra mihi.
Hyssopo adsperges sancto penitusque piabor,
Fiam et fulgidior candidiorque nive.
Laetificas placido mihi fundes ore loquelas,
Ac laetabuntur sedibus ossa suis.
Dimoveas faciem culpis oculosque reflectas,
Cordeque depellas crimina cuncta meo.
Cycnea namque mihi cupio praecordia fingas,
Iusque animo renoves visceribusque pium.
Respicias, meque aspectu ne subtrahe dulci,
Munda nec a sacro flamine corda vetes.
Redde mihi placidi spem Servatoris avitam,
Nostro quam pascat Spiritus ille sinu.
Inde docebo reos tua non contemnere iussa,
Doctos et faciam cognita iussa sequi.
Me tamen incolumem scelerato a sanguine ser- [ves,
Dias et laudes iustitiamque canam.
Quod si dicenti trepidantia labra secundes,
Proferet eximium fervida lingua decus.
Certe, si dubiis placuisset victima caesa
Prae verbis, illam nunc ego rite darem.
At potius diri bene mens sibi conscia facti
Hostia parcenti est pluris habenda tibi.
Numine Christiadum populum defende beni- [gno,
Pergas et Sion aedificare novam.
Iustitiae laetis nam tum placabere sacris,
Mystica caelestes cum feret ara dapes.

GALILAEUS VENTURINI, S. I.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

I.

De novis verbis in latinum sermonem inducendis.

ANDREAE AVENARIO, Sacerdoti praeclaro et observando amico, EMMANUEL JOVÉ C. M. F. salutem plurimam dicit.

Tuam vicem, mi Avenari, maxime dolui. Dei est equidem bonos sibique acceptos aerumnis multis afficere, ut, si quid est orichalci in ipsis (hominem non puto, cui absit omnino) igne probationis evanescat, neque quidquam aliud praeter aurum purum remaneat.

Superos obtestor omnes ex animo me tuam integram valetudinem cupere eamque precibus efflagitasse. Haec animi mei manifestatio, si forte, quod absit, tua hucusque infirma perduret valetudo, velim maximo sit tibi solatio.

Sed iam ad vocabula venio.

Quod attinet ad Menge *repetitorium* meis scito satis volutasse manibus, nec unquam tamen mihi persuaseram nomen illud fuisse Latinum, sed Germanum ex Latina lingua deductum et apud eruditos vestrates receptum, sicut tot alia nomina, quae vos habetis in *um* desinentia.

Hoc magis sic credideram, quod quicquid tituli in *repetitorio* restat Germanam linguam sonat.

Gallicum illud *refrain* ego quidem *postcinium* vocare pergam, dum tuum *intercinium* musicis illis opellis (*operette*) aptabo, quas meminit Horatius de comoediis agens (*Art. poet.* 193, 194):

> *Actoris partes chorus officiumque virile*
> *Defendat, neu quid medius* intercinat *actus.*

Postcinium certe iterationis « ideam » non refert, sed neque *intercinium*. Si enim inter actiones duas medium semel ponas canticum quodvis, hoc recte *intercinium* vocabis: attamen quod post unum et alterum modulaveris, rectius *postcinium* dices: postremum hoc non prius accidit in *refrain* atque ipsum Germanum nomen *schlussreim* aptius *postcinio* quadrat, quam *intercinio*.

Quod tu *extinctorium* vocas, ipse *siccatorium* nuncupare malo; nam meo animo *extinctorium* in negotio latius patet quam par est; instrumento enim illo rotatili litteras non extinguimus, sed tantum siccamus.

Pulvillum quo sigillum tingis optime mihi placeret, si iam non *tinctorium* positive, sed diminutive *tinctoriolum* nominares.

Quod de liquido illo elemento, quo totiens est magistris utendum ut discipulorum scriptiones multa litura coherceant? Tibi *atramenti* verbum non facit satis; at neque mihi, quod saepe atrum non sit. Ut *litura*, sic *linimentum* a *lino* ducit originem et invicem se habent tanquam effectus ad materialem, quam vocant, caussam. Dic ergo pro *atramento* illo, *linimentum violaceum, rubrum*, etc.; et bene se habebit.

Summis aedibus eminet passim teres ferrea virga, cuius apex cupreis quasi digitis in se recipit irati Iovis ignes, quos in baratrum innocuos praecipitet. A discipulis interrogatus qua eiusmodi virga Latina insigniretur voce: Dicetis inter vos - respondi - dum aptius non habebitis verbum, *fulminivorum*, quasi instrumentum vorans fulmina. Numquid male? « Boves, *omnivori* fere sunt in herbis », ait Plinius (XXV, 8, 53), et habes ,similiter apud veteres *monstrivorum, multivorantia. Vorago* autem a *vorando* est, quia, ut asserit Forcellinius, in eam cadentia non emergunt, sed absorbentur. Valetne igitur analogia in *fulminivoro?* Tuam de hac re sententiam ultro expectabo. Interim bene vale.

II.

Unicuique suum.

FRANCISCUS X. REUSS salutem dicit plurimam IOSEPHO FORNARI, Commentarii *Alma Roma* Moderatori.

In recenti fasciculo egregii tui Commentarii; ubi (pag. 134) meum inseruisti poëmatium de *Lampade Eucharistica*, notare oblitus sum, illud esse *paraphrasim* carminis italici, quod eius auctor amice mecum communicaverat et latinis quoque versibus reddere parabat. Me vero textus italicus tam iucunde affecerat, ut ab auctore veniam petierim sensus eius, tam nitide expressos, latine interpretandi, qua maiori possem fide, metro usurus iambico. Idque mihi benignus poëta ultro permisit, cui proinde gratias ex animo rependo. Vale.

Romae, die XVIII mens. Oct. a. 1924.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Ignorans - Ignarus; Imperitus; Inscius; Indoctus; Eruditionis (doctrinae; omnis scientiae) expers; Rudis.

Illegitimus - Non legitimus; Spurius.

Illicite - Per nefas; Non sine culpa.

Imaginari - Animo fingere; Imaginem rei alicuius mente concipere; Cogitare.

Imitationem (*ad*) - Ad exemplar.

Immediatus - Proximus; Ipse; Nullo interveniente.

Immisericordia - Inhumanitas.

Immortalis - Coniungitur cum « gloria », « memoria »; nunquam cum titulo aliquo honoris. Tum: Vir divinus; Vir apud posteros aeterna gloria donatus (affectus; illustratus; ornatus; decoratus) et sim.[1]

Immunitas (*ecclesiastica*) - *Praefectus S. C. Immunitatis*: Praefectus Sacri Consilii ad Ecclesiae iura retinenda.

Impassibilis - Pati nescius; Patiendi expers (exsors); Malo nulli obnoxius.

Imperfecte - Imperfecta re; Imperfecto opere.

Implere (*legem; officium*) - Servare (Sequi) legem; Parere legi; Officium exsequi (obire); Officio satisfacere.

Impossibile - Quod fieri (esse; evenire; praestare; effici; ad exitum deduci) non potest.

Imprimere - De libris; Librum typis exscribere[2]; Litterarum formis describere; Ars typographica.[3]

Imputare - Adscribere (Assignare; Attribuere); Culpam in aliquem conferre.

Inaccessibilis (*locus*) - Inaccessus; Quod adiri non potest. - Ex omni parte ad aliquem locum clausum (obstructum; praeclusum; interclusum) esse omnem aditum.

Inadvertentia - Incuria; Inconsiderantia.

---

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] Inde: Laudem alicuius nominis ad sempiternam temporis memoriam propagare; Alicuius nomen posteritati consecrare (posteritati tradere omnium scriptis, sermonibus [et sim.] exornandum [extollendum; celebrandum]); Alicuius nominis gloriam (existimationem) cum omni posteritate adaequare (ab hominum oblivione [ab interitu] vindicare); Alicuius mortem monumento sempiterno ornare. - Item: Consequi suis laboribus ne qua res sui nominis famam delere possit (ut omnis de se posteritas loquatur; ut nullae suas laudes litterae taceant [de suis laudibus conticescant]; ut de se fama perpetua [aeterna; immortalis] fiat; ut fama nunquam deficiat [consenescat; obscuretur; nullo tempore exstinguatur, deleatur]; ut nulla die terminetur; nullo temporis spatio circumscribatur; nulla vetustate corrumpatur; ut nomen vigeat in omnes annos; ut vigeat memoria saeculorum omnium; ut posteritas omnis et audiat et loquatur de ....

[2] Non *excudere*.

[3] Itaque non *impressor*, sed « typographus ».

Inappetentia - Cibi fastidium; Stomachi languor. [1]

Inaugurare (*aliquem locum*) - Dedicare; Consecrare.

Incertitudo - Incerta fortunae (casuum, belli; etc).

Incessanter - Continenter; Indesinenter; Sine ulla intermissione.

Incidere - Caelare. [2]

Incisor - Sculptor. [3]

Inclinare (*in aliquam rem, artem, etc.*) - Animum vergere; Natura (Animo) esse propensum (proclivem); Proclivitate quadam naturae ferri; Naturali quodam studio incitari (incendi; incensum esse; concitatum esse); Naturali quadam inductione diligere. I. F.

(Ad proximum numerum).

[1] *Inappetentiam habere*: Cibi fastidio laborare (teneri); Omnes fere cibos haustusque stomacho fastidiente respuere. - *Inappetentiam tollere:* Cibi fastidium detrahere (demere; auferre; abigere; Cibi (stomachi) fastidium extundere.

[2] *Bulino incidere* - Aera caesim punctimque caelare.

[3] *Aeris incisor* - Sculptor linearis aere caelando.

ARTHURUS CONELLI.

Arthurus Conelli, sacerdos, quem multi non modo amabant sed diligebant, vegeta adhuc aetate, Romae, ubi iamdiu negotiis Salesianorum tenebatur, repentino morbo correptus, in suorum complexu, flebilis omnibus, occubuit.

Mediolani natus, sexagenario minor, Augustam Taurinorum, studiorum causa, se contulit, et divino spiritu afflatus, puer adhuc sacrae a Ven. Ioanne Bosco conditae familiae, patre ipso legifero suffragante, nomen alacer dedit.

Multis ingenii virtutibus praeditus, ad philosophiam potissimum colendam se contulit, eamque cum suorum alumnorum profectu tradidit. Pro eorum utilitate volumen etiam in vulgus edidit, quod magistri summis cum laudibus acceperunt.

Incredibile est quanti ob hominis prudentiam eum omnes fecerint. Id fiebat tum plurimis eius officiis, tum summa et singulari modestia.

Omnibus Societatis muneribus egregie est functus, cunctis temporibus parem se gessit et cum diversis hominum ingeniis officiosus fuit atque humanissimus.

Ave, suavissimum, nuper nostrum solatium atque ornamentum, nunc moestissimum desiderium; et in nobis *semper honos, nomenque tuum laudesque manebunt.* FR.

ANNALES

Nationum societas.

Genevae, in quinto Societatis Nationum coetu, non sine ulterioribus fructibus processum est: unanimi enim suffragio ratum est Commentarium - (*Protocollum* vulgo appellant) - ad discrimina pacifice componenda, quae inter nationes oritura in posterum sint. Eventus memorabilis quidem est, quippe optime ad pacem auspicatur, eoque magis quod diversa consilia, Gallorum altera et Iugoslavorum rigida magis, Anglorum et Italorum liberaliora, circa sanctionum obligationis interpretationem, bona profecto partium voluntate, conciliare datum est.

Priusquam legati discederent, Germanici gubernii litteras acceperunt, ex quibus desiderium Nationum Societatis et ipsum partecipandi satis apparebat; quod videtur minus gratum Russis cessisse, timentibus ne vincula Germaniam inter et Russiam recens sarta inde laxari possent.

Proximus Nationum Societatis coetus die x proximi mensis Decembris Romae cogetur, in eoque conventus de deponendis armis prarabitur.

***

Russicae atque Anglicae res.

Neque acceptum magis Russorum administris nuncium fuit, Septentrionalis Americae Civitates nondum induci ad Russicarum rerum statum perferendum, ideoque nullum eas commercii foedus quodvis cum Russico gubernio inire velle.

Ex adverso Mac Donaldus, Anglici regni administer primus, non solum pacta pro civitate sua statuit, imo etiam eo processit, ut legem rogaret de praesidio Russis publice concedendo, ut mutuam pecuniam ab Anglis obtinerent. Cui quidem legis rogationi quum publici ferendis legibus legati obstitissent, Mac Donaldus eorum coetum dimisit, novaque comitia indixit. Temere vero; haec enim, quae abhinc diebus duobus habita sunt, Conservatorum parti, ipsi acerrime adversanti, secunda omnino successerunt.

***

In Gallia.

In Gallia Herriot ille rerum publicarum nunc moderator, civilem rationem catholicorum studiis infensam infauste resumpsit: saevire in Religiosorum societates, laicas leges in ipsam Alsatiam inducere, abrogationem proponere Gallicae legationis, recens restitutae, apud Apostolicam Sedem ...

***

Sinense civile bellum.

Sinense civile bellum, post moram, quam dixerunt consulto effectam, ut scilicet pacta a Manchuriae administris cum Russicis contra Pechini gubernium interea sancirentur, in idem gubernium iterum revera exarsit, Feuy-yu-sing duce. Inde dictitant factum esse, ut Reipublicae praeses a supremo suo munere sese abdicaverit.

Kalendis Novembribus MCMXXIV.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

Ssmi D. N. Pii PP. XI *Motu proprio* de peculiari litterarum latinarum schola in athenaeo Gregoriano constituenda.

Latinarum litterarum quae quantaque sit dignitas ac praestantia, nulli obscurum putamus, qui antiqua earum monumenta non ignoret atque in humanitatis optimarumque artium studiis aliquem sensum habeat. Romani enim scriptores - quos perperam dixeris, exscribendo imitandoque, meros Graecorum pedisequos fuisse, cum horum, contra, sapientiam atque inventa ad patrium accommodaverint ingenium suaque ipsorum industria elaboraverint - tali commentaria et volumina sua rerum sententiarumque gravitate ornavere, eamque in amplo apteque composito verborum circuitu praeferunt maiestatem cum concinnitate elegantiaque coniunctam, ut latinam linguam, quae, in omnes gentes pervagatissima, Imperii universitati servierat, Romanus Pontificatus delegerit habueritque dignam, qua tamquam magnifica caelestis doctrinae sanctissimarumque legum veste uteretur. Nec facile quisquam infitiabitur, complures e Patribus, Doctoribus et christianae fidei defensoribus latine ita scripsisse, ut optimis ethnicorum non multum vi ac venustate orationis cedere videantur, idque praeterea Ecclesiae esse honori tribuendum, quod non modo vetustissimos latinos codices iniuriae temporis eripuit incolumesque posteritati servavit, sed etiam quod, hac latinitatis laude si qui saeculorum decursu floruerunt, ii plerumque aut in utroque clero numerabantur aut Urbis plausum ac praemia assecuti sunt. E qua quidem operosae artis quasi palaestra alium percipi licere fructum, eundemque sane laetissimum, est apud intelligentes communiter receptum: scilicet, quo plus studii laborisque in latinas insumitur litteras, eo maiorem inde

efficientiam aptioremque verborum structuram ad usum patrii sermonis traduci. Quo in genere memoriae proditum est, Iacobum Bossuet et Paulum Segneri, qui inter oratores suae quisque gentis principem locum obtinent, solitos fuisse dicere, si quid dignitatis ac virtutis in suis orationibus esset, id se in primis Marci Tullii studio acceptum referre.

Cum igitur non tam humani civilisque cultus quam religionis ipsius Ecclesiaeque catholicae interesset, latini sermonis plenissimam in clero scientiam provehi ac propagari, eandemque non praeceptis et arte circumscriptam, sed etiam ad usum exercitationemque polite ornateque scribendi translatam, nihil mirum si decessores Nostri, nunquam, pro rerum temporumque condicione, sibi temperaverunt, quin latinitatis rationibus prospicerent: quod eo studiosius egerunt, quo deteriorem in statum latinae litterae decidissent. Quem quidem suum purioris latinitatis amorem iidem Romani Pontifices vel hoc ipso ostendere visi sunt, quod, quotiescumque sibi licuit – atque non uni quidem eorum licuit – adiutoribus usi sunt latinae scriptionis haud mediocriter peritis. Commemorare autem vix refert, cum in re versemur notissima, quam impense imm. mem. decessor Noster Leo XIII litterarum disciplinam, praesertim latinarum, in clericis provehere studuerit. Ad Nos vero quod attinet, quae hac in re esset mens Nostra, haud semel – datis videlicet Epistolis Apostolicis *Officiorum omnium* et *Unigenitus Dei Filius*, altera die I mensis Augusti anno MDCCCCXXII, altera XIX mensis Martii hoc anno – aperte significavimus: sive enim de Seminariis et de studiis clericorum promovendis, sive de alumnis Ordinum regularium aliarumque Sodalitatum religiosarum rite instituendis loquebamur, non tam peremptorium, ut aiunt, Codicis praescriptum invocavimus, quam additâ argumentorum copiâ, velle Nos diximus, praecipuaque quadam voluntate, ut linguam latinam uterque clerus haberet scientia et usu perceptam. Qua in re etsi non dubitamus quin adfutura Nobis sit moderatorum diligentia, in quos cura et periculum recidit aptae suorum institutionis, in spem sacri ordinis succrescentium, nullum tamen non experiri consilium volumus, ut laus illa, quae antehac in utroque clero eluxit, perfectioris latinitatis, ne omnino depereat, immo etiam, quoad fieri poterit, feliciter augescat. Consentaneum enim est, ut Romanae Curiae, Cancellariis episcopalibus, religiosis Sodalitatibus adiutores seu officiales non desint, qui in decretis sententiisque conficiendis, in epistolarum, quod vocant, commercio, tam decore latinum tractent sermonem, ut eorum scripta Ecclesiam, optimarum artium altricem, nullo pacto dedeceant.

Itaque haec, quae sequuntur, Motu proprio, apostolica Nostra auctoritate decernimus:

I. Apud Athenaeum Gregorianum, Societati Iesu iterum centesimo ante anno ab Apostolica Sede concreditum, a proximo mense peculiaris esto Schola litteris latinis tradendis.

II. Quemcumque Societatis vel Athenaei moderatores ad tale munus, de Nostro consensu, delegerint, is sibi religiose proponat, ut auditores, seu praestantissimorum latinitatis exemplarium commentatione, seu crebris latine scribendi exercitationibus, ad exquisitiorem orationis formam excolant atque evehant.

III. Eiusmodi litterarum latinarum curriculum, in praesens atque interim, biennio contineatur. Auditoribus, qui, post completum biennium, se, periculo facto, delectis iudicibus probaverint, testimonium, seu diploma, curriculi egregie peracti tradatur. Quod quidem testimonium, seu diploma, quicumque impetrarint, iidem in certaminibus ad quaevis officia apud Sacras Congregationes, Curias dioecesanas et Seminariorum ludos consequenda propositis, ceteris paribus, praeferantur.

IV. Qui, dato post biennium latinae scriptionis experimento, non modo reliquis condiscipulis praestiterit, sed iudicibus peculiari dignum praemio communiter visus erit, eundem numismate aureo donabimus.

V. Schola omnibus pateat, ne laicis quidem hominibus exceptis. Eandem celebrari cupimus ab iis etiam Seminariorum religiosarumque Sodalitatum alumnis, qui aut domi aut apud alia Athenaea docentur, immo – quod certe emolumento vacuum non foret – vel a sacerdotibus iunioribus, qui Romanae Curiae operam suam navant. Episcopi autem Italiae atque exterarum gentium rem dioecesibus suis utilissimam Nobisque pergratam facturi sunt, si quos habent clericos heic disciplinis sacris imbuendos, eorum aliquem, prae ceteris ad latinitatis studia propensum, Scholam propediem aperiendam frequentare iusserint.

Quae quidem supra constituimus, ea rata firmaque sunto, contrariis quibuslibet non obstantibus. Interea, Dei praesidio in primis, praetereaque operae dilectorum filiorum Praepositi Generalis Societatis Iesu et Athenaei Gregoriani moderatorum, quorum erga Nos pietas atque observantia est Nobis exploratissima, et probata alias haud semel voluntas rerumque agendarum sollertia, ut res ita bene vertat quemadmodum velimus, vehementer confidimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Octobris anno MDCCCCXXIV, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XI.

VACUI TEMPORIS HORA

Superiore Septembri mense certiores vos feci, o humanissimi, qui frustula haec mea persequimini, quid sit vita nostra chemica analysi perspecta; hodie, teste Americano physiologiae doctore, **nonnulla** addam, **de humani corporis compositione;** eritque hisce diebus opportuna de humanis rebus meditatio.

Centum igitur et quinque ossa cuique nostrum sunt; musculi autem prope quingenti. Alimentarii cuniculi longitudo ad octo metra extenditur; hominis adulti sanguis pondus librarum circiter triginta exaequat.

Cor, generatim, - pollicum sex in longitudinem, quattuor vero ex diametro, – septuagies in singulis momentis primis pulsat; hoc est quater milies et ducenties in singulis horis, et quotannis tricies et sexies milies septingenties septuagies bisque. Quod si consideremus unamquamque pulsationem transitum praebere sanguinis unciae cum dimidio, facile deducemus per singula momenta uncias centum septuaginta tres, per integrum horae spatium sanguinis libras sexcentas quinquaginta sex fluere; per mensem autem librarum quindecim millia et septingentas quadraginta quattuor; per annum quinquagies centena septuagena et quadragena sena millia librarum et quingenas senas! Ecquis crediderit?

Atque tamen totus corporis sanguis tribus momentis corde manat!

Pulmones, regulari statu, aëris *litra* quinque continent; communiter aërem carpimus milies atque ducenties in singulas horas, trecenta aëris litra inspirantes; singulis diebus septena milia et ducena.

Cutis tribus straturis, quarum spissitudo a quarta ad octavam pollicis partem variat, in homine adulto superficiem occupat quadratorum pollicum circiter duorum milium. Quum autem aëris pressus sit librarum quatuordecim pro unoquoque pollice quadrato, modicae corporaturae homo compressum patitur fere quadraginta librarum millium.

Quisque denique cutis quadratus pollex triginta et quinque milia tubulorum, sive meatuum, ad sudationem continet; quorum unusquisque quartam pollicis partem in longitudinem patet, ita ut integra eorum longitudo, scilicet totius corporis, per ... chilometra sexaginta producatur.

— Num ulterius in argumento pergamus?

— Quod bene vertat, apage, apage.

***

Paulo itaque maiora canamus, quum tamen ex America non avertamus gressum.

Nostis profecto **grammophoni,** canentis illius machinae, **virtutes;** fidem vero facio, vos recentissimam ignorare, quam Americanus architectus induxit: grammophonus adhiberi potest ut ferreae illae capsae, in quibus nummi et pretiosae res custodiuntur, sponte aperiantur.

Haud quidem nugas agimus; res enim felici exitu abunde comprobata iam est.

Sermocinans illa machina, cui, prius, certum verbum concreditum sit, in capsa reponitur: quum verbum idem singulari huic excubatori repetatur, en capsae ostiolum mirabiliter panditur.

Evoe! Circularis serra, quo fures nunc tanta fortuna utuntur, ad scruta damnabitur. Satis enim erit ut fur ante arcae postes orationem habeat: quum datum verbum occurrerit, ipsi reserabuntur detegentque thesaurum diripiendum.

***

Post quae, cedo locum SUBALPINO nostro, qui hanc **fabellam de Angelo somni et de Angelo mortis**, Novembri mensi consentaneam, nobis ultro obtulit:

Olim caelestes somni et mortis Angeli
Ibant in terris iuncti familiariter.
Dum vesperascit, montis ad cacumina
Perveniunt, domus unde propemodum
Omnes videntur pauperum per ordinem.
Sistunt; mirati cuncta circumspiciunt...
Est magnum circa territans silentium,
Plenumque dulci cordibus moestitia.
Nec aeris sacri sonitus per aërem
Abrumpit placidam quietem gentium.
Ambo silentes, res ut ipsa postulat,
Ambo nunc hominum tutelares genii
Sedent et laeti se amplexantur mutuo.
Nox proximabat... Somni prior Angelus
Surgit, et quietis nec visus semina
Huc illud fundit, levis quae serotina
Ut aura pauperum petit tugurium...
Suavis illico suis somnus tenebris
Involvit vetulum, qui recumbit baculo,
Ipsum et puellum, vagit qui in cunabulis...
Aeger malorum protinus est immemor,
Laborum miser, suffert qui molestias,
Et qui pavescit mox futura pessima,
In somno claudunt oculos nunc placido,
Cuncti ab aerumnis qui solvuntur dulciter.
Suo sic optime perfunctus munere,
Ad fratrem redit factis bene meritus,
Et innocenti gaudio gestiens
Exclamat: « Bonum pectori quam meo,
Vel ignotum posse adiuvare pauperes!
Enim novus surget cum dies crastinus,
Ultro mihi valde benedicent homines,
Amico tamquam et patrono munifico.
Quam felix ego! Licet nec visibilis
Auctor bonorum queis mortales gaudeant.
Datur quae pulcrior mea legatio? ».
Sic somni fatus largiter est Angelus.
Eum contra mortis Angelus respiciens,
Oborta ex oculis quinimo et lacrima,
Et moestus undique parens in facie:
« Heu! nunquam - dicit - gratos ego invenio...
Cunctis adpellor semper adversarius,
Usque destructor deliciarum vocor! »
« Frater, - reponit somni felix Angelus -
Surgens, post ultimum somnum vir integer,
Vitam qui duxit procul a sceleribus,
Bonis et ipse te respiciet oculis,
Amicum dicet, Te patronum pariter,
Te verbis gratus cumulabit plurimis.
Nonne fratres sumus? Pater nonne unus est,
Communia et nobis qui commisit munera? »
His dictis mortis Angelus resplenduit;
Et ambo amice se amplexantur Angeli.

***

Iocosa

In via.

— Viden illum hominem? Ei multum quidem debeo.

— An est pater tuus?

— Minime gentium.

— Ecquis igitur?

— Domus meae locator.

—

Tuccius, renovare coactus scientiae suae periculum, Magistro:

— Ah! si ne hodie quidem ad superiorem scholae classem promovear, Tiberis gurgitibus me miserum concedam!

— Sine timore facias; cucurbitae enim aquis semper innatant.

***

Aenigmata

I.

Bellis emicuit *totum;* praeponito *plantam:*
Praeclare cecinit pascua, rura, duces.
A planta *totum* demum si legeris, urit
Atque suis icit pectora cuspidibus.

II.

Altera pars numerus. Subito discede, viator:
Hic patet atra *prior;* nam quidquid constat utraque
Est nocum (tellus, lympha, aër) pestiferumque.

Aenigmata in superiore numero proposita his respondent: 1) *Charta;* 2) *Bipennis.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. EM. IO..., *Vici.* - Fasciculos spissa charta involutos funiculisque optime constrictos ad novos illos meridionalis Americae socios misimus, atque speramus fore ut eamdem sortem quae Hispanis contigit, minime habeant. Quinam amicorum tuorum fasciculi singulariter deperditi sunt? - Quam misisti unius socii pecuniam accepimus.

Cl. v. HER. GEIG. ..., *Monachii in Bavaria.* - De humanitate tua amplissimas gratias et habemus et referimus.

Cl. v. ANDR. HAB. *peregrino Germanico* - Pancratius nos invisit; tempus vero nondum fuit, ut ei morem gerere possemus.

Cl. v. ANG. NAR.., *Aquilae.* - Carmen serius ad nos pervenit, quam ut in hoc fasciculo illud edere nobis liceret.

A. SECRETIS.

Libri recens dono accepti.

Vita. Satiram composuit I. I. HARTMAN. - Lugduni Batavorum edid. E. I. Brill, 1924.

GIOVANNI GENTILE. *Preliminari allo studio del fanciullo.* - Romae, edid. C. De Alberti, 1924. - Ven. lib. 5.

D. M. MARCHI, *I grandi santi italiani.* - Edid. I. B. Paravia et Socii Augustae Taurinorum, Mediolani, Florentiae, Romae, Neapoli, Panormi, 1924. - Ven. lib. 3,75.

FELICE CASALE. *Ricreazioni* (Dialoghi, Commedie, Monologhi, etc.). - Indidem. Ven. lib. 7,50.

GIULIO SIOPPESE. *La liturgia dei defunti esposta al popolo.* - Ex officina Societatis Italae Catholicae (L. I. C. E. T.), Augustae Taurinorum.

LEPIDUM CAVILLUM 6)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

Apparet IANITOR, *qui introgreditur et exit, ferens prae manibus duas epistolas. Profecturus dicit:*

Quae nunciorum multitudo adsidua!
Meis quod cruribus crudum fastidium!
III. Velim videre ut videtur de specula...
II. Gradu festino dicessit hic denuo...
Quid est quod accidit nobis novissime?

SCENA XIII..

PUER STATIONIS et DICTI...

PUER. (*ingressus timide postulat*):

Est hic Collegii Procurator forsitan?
PROC. Is sum! Boni quid refers? Cede tes-[seram.
PUER. Dabo; tu dederis prius munusculum...
PROC. Dabo!
PUER. Non placet! *Dabo* nam significat
Tempus futurum... Praesens mihi per-[lubet.
Facit quid aeris magna vis in crastinum?
PROC. Tene, puer! Tesseram si des dummodo!
PUER. (*praeferens tesseram*) Scis quot ferat [haedos baiulus proxime?
Septem!
PROC. Da, cedo, istam tesseram pro-[tinus!
PUER. Frui si possim ferculis tantummodo
Quae mox feruntur... Fortunati iuvenes!
Meos vel digitos alacer roderem...
I. Quae nostrum gaudium, laetitia pec-[toris!
II. Quid?
III. Septem! Septem!
II. Septem?
I. Septem haeduli,
Noster quos coculus mittet in ferculis!
PUER. Iusta profecto vestra iubilatio!
PROC. Quid est cur tantas turbas facis, fur-[cifer?
PUER. Mox, mox videbis, apage!
PROC. Da tesseram!
(*legit*) Septem sunt haeduli pingues et teneri,
Tulit quot fertilis copiosa regio...
Hos et iucundi pro nobis comedite!
PUER. Meum da munus. Fortunati iuvenes!
PROC. Tene, vade hinc recto, nec haedos co-[gita!
PUER. Non possum! Cerno positos in cap-[sulis,
Crassos et pingues, acrius cum rapulis
Et rosmarino, quae saporem diffluunt,
Molles medullas hilarant quae centies,
Ut essent mensis iam paratis positi...
En ipse baiulus venit cum curriculo...
Io triumphe!

SCENA XIV.

RECTOR, MEDICUS, PAROCHUS, BAIULUS, IANITOR, *et* CETERI...

REC. Turbas quis tantas facit?
Tu? Vel tantillus?

(*Interea apparet* BAIULUS, *et ordinatim longe appropinquantes introgrediuntur* PAROCHUS *et* PRAETOR, *qui ob rerum novitatem hilari iam vultu et sibimetipsis congratulantes honeste adveniunt*).

BAIULUS. (*iocose et canticans*) Vos laetantes [iuvenes Collegii,
Parate vestri pectoris laetitiam...
Haedi nam veniunt septeni sapidi,
Omnem qui vestram superant sapien-[tiam...

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

NN. XI - FASC. XI MENSE DECEMBRI MCMXXIV

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 4; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 5.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XI Romae, Mense Decembri MCMXXIV Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12,1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

SOCIIS ET LECTORIBUS COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Annum vitae nostrae XI faustis quidem aspiciis concludere hodie nobis datur, quum viderimus ipsum prae ceteris, qui praecesserunt, Latinitati ampliorem viam aperuisse. Sint igitur imprimis grates Deo; sit autem nobis quaedam animi refectio, novusque ad persistendum stimulus. - Quibus peculiaribus rationibus munus nostrum anno MCMXXV absoluturi simus, in proximo numero edicemus; satis hodie sit confirmare immutatum ab Administratore nostro subnotationis pretium iri relictum, scilicet:

Pro Italia	. . . . .	libell. 12 —
» Gallia, Helvetia, Belgica	. . . . .	franc. 15 —
» Hispania	. . . . .	peset. 15 —
» Batavia	. . . . .	floren. 7,50
» Anglia	. . . . .	shell. 12,1/2
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	. . . . .	doll. 3 —

Pro ceteris nationibus summa erit *Italicas libellas 20* exaequans.

Qui autem per civitatis alius pecuniam mittet, pretium aequabit cum permutationis pretio die transmissionis vigente.

Socios denique - neque hi pauci sunt! - qui nondum rationes suas nobiscum exaequaverint, iterum iterumque rogare liceat, ne ulteriorem moram interponere velint: subnotationum enim pretium, unicum *Almae Romae* fulcimen est. Quibus consideratis, quisnam viribus nostris abutatur? Nemo, profecto, uti firmam spem habemus. Quinimo confidimus fore ut quisque, praeter suum, et unius saltem novi subnotatoris nomen et pecuniam nobis tradat. Duplicatus tum fere sensim sine sensu erit sociorum numerus, atque identidem commentarii nostri vis duplicata.

Hanc fiduciam non in vano esse positam *Almae Romae* et Latinatis amici re demonstrent; quibus novum annum Superi amplissime nobiscum fortunent!

ALMA ROMA.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

III.

1. *Quid Latinorum cultus atque humanitas lucrata sint ex commercio Graecorum inde a sexto saec. ante Ch. n. – Signa litterarum ad scribendi usum a Cumanis Romam importata. – 2. Antiquissimae latinae inscriptiones: fibulae Praenestinae, triplicis vasis a Dueno facti, cippi sub nigro lapide. – 3. Alia indicia Graecae artis et industriae apud Latinos.*

1. Si nativum Romanorum ingenium multa humanitatis semina insita habebat, tamen non dubium est, multum etiam eos lucratos esse ex commercio aliarum gentium. Ut illas omittamus quas Arii in Italiam venientes quasi indigenas invenerunt, animadvertamus ante omnia quid Romani ex Graecis mutuati sint. Mature enim cum Magnae Graeciae colonis incolisque Romanos commercia et concilia habuisse pro certo creditur, praesertim cum Euboïca illa Chalcidensium colonia, quae multo ante Romam condita fuisse dicitur, multumque potentiae in Campania finitimisque regionibus sibi conciliavit, cui postea Cumaea Sibylla tantum attulit celebritatis. Indicium certissimum huius commercii hoc est, quod signa litterarum in scribendi usum a Romanis adhibita eadem sunt quae Cumani inter suos propagarunt in aliasque gentes invexerunt; quae litterae diversae sunt ab iis quibus Etrusci et Umbri et Osci usi sunt. Nullum igitur dubium est quin Romani efficacissimum hoc humanitatis subsidium et instrumentum a Cumanis acceperint, ante quam in vim et dicionem Etruscorum caderent; si enim iam Etrusci Romanis imperitassent, litteras suas quoque iis sane imposuissent.

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Octobr.

2. Iuvat hîc prisca Romanae scripturae monumenta in memoriam revocare.

Antiquissimum omnium, fortasse septimi vel sexti saeculi ante Ch. n. inscriptio est fibulae aureae Praeneste repertae, in quodam sepulcro, quae sic se habet a dextra parte ad sinistram legenda.

MANIOS MED FHEFHAKED NUMASIOI

h. e. *Manius me fecit Numerio;*

ubi Manius est nomen artificis, Numerius ille cui, vel cuius iussu fibula facta erat. Animadvertat lector eam formam perfecti temporis quae est *fefàked,* Praenestinae dialecti propriam, pro eo quod a ceteris dicebatur, *fecit;* cuius *fefaked* (cfr. *cecidit,* etc.) nullum aliud exemplum in omni latinitate apparet.

Venio ad alteram inscriptionem quae super vas Romae repertum inventa est. Nempe anno superioris saeculi octogesimo, dum in valle quae est inter Quirinalem montem et Viminalem humus effoditur novae domui construendae, triplex vasculum figlinum repertum est, vel sacris libationibus aptum, vel odoribus et unguentis servandis. Qui hoc vasculum desuper inspiciat inscriptionem circum undique legit a dextro initio sinistram versus pergens, quae sic se habet lineis rectis verbisque separatis:

IOVESATDEIVOS QOI MED MITAT NEITE
ENTEOD COSMIS VIRCOSIED
ASTED NOISI OPETOITES IAI PACARIVOIS
DVENOS MED FEKED EN MANOM EINOM DVE
NOI NE MED MALO STATOD

Ad hanc inscriptionem interpretandam multi operam contulerunt, a Dresselio qui primus eam vidit ad Comparettium nostrum aliosque.[1] A prioribus verbis IO-

1 Inter recentiones memorabo COCCHIA, cuius est Commentatio in Actis Academiae Neapolitanae, edita, cui titulus: « Il *carmen dedicationis* della iscrizione di Dueno ».

VESATDEIVOS, ubi nomen Deorum memorari visum est; *Iovi Saturno Deis,* iudicarunt nonnulli formulam libationis hîc contineri. Sed nuper illud IOVESAT intellectum est ut vox ἀρχαϊκή, pro eo quod esset *Iurat.* Potest igitur tota inscriptio sic converti: *iurat Deos qui me mittat* (loquitur nempe ipsum vasculum), *ni in te comis virgo sit.*[1] *Ast te nisi ope* utens (i. e. *oites*) *ei pacari vis*[2] ... *Duenos* (en nomen artificis) *me fecit in bonum;*[3] *ideo Dueno ne me in malum pone.*[4]

Non omnia hîc esse perspicua non est inficiandum. Quod ad litteras pertinet animadverte usum litterae Ↄ vel C, cum in inscriptione fibulae K solummodo appareret; praeterea F iam adhibetur sine adspiratione, et forma perfecti ex verbo faciendi resonat *feced* non *fefaced.*

Venio ad cippum in foro romano repertum.

In memoriam primum revocandum est, tunc in Comitio, i. e in ea parte fori quae est prope arcum Septimii Severi, non sine doctorum admiratione in lucem venisse *lapidem* illum *nigrum* quem Festus (p. 177 M 188 Tewrek) dixerat locum funestum significare, Romuli morti destinatum. Etiam ex Varrone Scholiasta Cruquianus[5] memorabat Romuli sepulcrum post Rostra, ubi etiam, ait, in huius rei memoriam duos leones erectos fuisse constat. Utrum niger lapis in foro repertus idem sit ac lapis Festanus, multi dubitarunt; at ea res nihil ad nos. Quod nostra refert id est, nempe sub nigro lapide stelem repertam esse forma pyramidis tetragonae, sed trunco cacumine et vertice. Quattuor haec latera inscriptionem praebent, quae e parte eorum superiore in inferiorem et ex inferiore in superiorem βουστροφηδόν, ut dicitur, erat incisa. Quum caput steles abscissum sit, trunca est etiam epigraphe, cuius sensus igitur nos fugit.

Primum latus, quod ad Capitolium i. e. in Occidentem vergit has litteras exhibet, si legamus βουστροφηδόν:

QVOI HOI ···
··· AKPOS ESE
ED SOPD ···

ubi facile agnoscitur initio illud QVOI iam ex vasculo Dueniano notum: est autem pronomen *qui.* Post, litterae *ho* quibus sequitur hasta obrupta dicere possunt *honc,* vel aliud quid. Secunda linea incipit a voce AKPOS, hoc est *Sacros,* sequiturque *esed,* h. e. erit, *sacrus erit, sacer erit,* quae est formula exsecrationis notissima. Prima sententia fortasse actum quemdam vetitum enuntiabat sequebaturque in apodosi sanctio exsecrationis. Litterae sequentes SORD... in mentem revocarunt *sordes,* quasi sermo sit de sordibus loci removendis; sed omnia incerta sunt.

Secundum latus ad septem triones spectans, h. e. ad Curiam, has litteras exhibet:

IA ··· IAS
RECEI
EVAM
QVOS R ···

Praetermitto, illud: IA (S) IAS quod quibusdam visum est ultima pars vocis *pecun* (*IARIAE*), quasi sermo sit de multa pecuniaria transgressoribus prioris praecepti imposita. Magni momenti visa est, illa vox REGEI, quae quibusdam e nostris certissimum argumentum apparuit, totam inscriptionem ad primos Romae reges esse

[1] Italice: *se non sarà verso te cortese la fanciulla.*

[2] Italice: *se poi non ti vuoi rappaciare con lei,* se non *servendoti di un aiuto, di un filtro...* – Alii legunt: OPE TOITESIAI *Nisi vis precari Opi Tuteriae,* Italice: *Se non vuoi doverti propiziare la dea Opi Tuteria.*

[3] v. FESTUM, s. v. *manum, manes.*

[4] Italice: *Non mi adoperare a fine dannoso a Dueno stesso.*

[5] IACOB de CRUSQUE (Cruquius) 1621 Batavus, scholia in Horatium vetera edidit, ubi passim notitiae alicuius momenti reperiuntur. (JORDAN – *De comment. Hor. Cruquiano,* Königsb, 1883).

referendam; eximiae igitur antiquitatis habendam esse et vetustissimae memoriae regum Romanorum, a Romulo ad Tarquinium Superbum, testem locupletissimum. At subito animadversum est illud REGEI referri posse ad *regem* illum *sacrificulum*, qui sacris Romanorum praepositus etiam reipublicae tempore vigebat. Sequitur illud... *evam*, fortasse *devam*, Deam, cuius tamen sensus nos fugit. Neque scimus quo referatur *quos r*... fortasse *quos rex*, unde initium ducit ultima linea. Sunt qui somniaverint: *Sordes quoi faxit poenas pecuniarias Regi luat et agnad placet Devam. Quos Rex plostreis vehi sciad* etc.

Tertium latus ad Orientem spectans priores lineas habet litteris inversis:

M KALATO
REM HAI
IOD IOVXMEN
TA KAPIA DOTAV

Ibi occurrit vox *kalalor*, quae in memoriam revocat officium *calandi*, quod erat minoris pontificis, qui populum in Curiam *Calabram* convocabat, reque divina facta pronunciabat, quot numero dies a primo mensis, i. e. a Kalendis, ad Nonas superessent, quinquene an septem, verbis illis adhibitis: *Quinque dies te calo, Iuno novella; Septem dies te calo, Iuno novella;* quum enim primis cuiusque mensis dies Iunoni sacri essent,[1] pontifex per quinque vel per septem dies invocabat Iunonem novellam. Ceterum calatores erant servi publici, qui Sacerdotibus apparebant eorumque iussu ad aliquem vocandum, vel indicendum aliquid mittebantur.[2] Et calatores vocabantur etiam quidam servi in privatis familiis. – Animadvertenda etiam in hac facie vox *iouxmenta*, quae certe antiquior forma est pro eo quod esset *iumenta*. Totus sensus sic quidam exspiscatus est: *quos re[x plostreis vehi sciad suu]m calatorem hap[ens pro poblicod ioudi]iod iouxmenta kapi]d dota[mve uxoria]m;* quasi hic lex contineatur; *Nequis plostris per sacrum locum vehatur; poenaque ei sit ut iumenta ei capiantur.*

Venimus ad quartum latus, quod ad meridiem spectat. Eius litterae sunt:

M ITERI ···
M QVOI HA ···
VELOD NEQVI ···
··· OD IOVESTOD

Ibi animadverti dignum illud *iovestod*, quod idem esse potest ac *iusto*, ablativo casu; cfr. in inscriptione vasculi *iovesat*, iurat. Sensus ac somnium: *Iter in[eundi potestas sied solo]m quoiha (cuia?) volet nequ[is... arbitr]iod iustod...*

Restat denique angulus inter hoc novissimum latus et primum, qui angulus leviter obtusus versum incisum exhibet, his litteris:

IOIVOVIOD

alii legunt: IOIVQVIOD

Interpretati sunt: quoi VOVTO[D] D [eicaved]. Ad summam, quamquam sensus vetustissimae inscriptionis (ad V saeculum pertinere credunt rerum antiquarum studiosi) totus incertus sit, praesertim ob ruptas lineas, tamen nemo inficiabitur, maximi momenti eam esse in tanta paenuria reliquiarum, quae ad prisca Romanorum tempora referri possint.

3. Praeter vetustissimas inscriptiones cumanis litteris exaratas, non desunt alia indicia, ex quibus erui potest commercium quoddam notionum et artium inter priscos Latinos fuisse et Magnae Graeciae colonos. Non equidem in hoc numero posuerim vasa quaedam Graecae rationis in vetustissimis Urbis sepulcris reperta; ea enim non ex Magna Graecia, sed ab Etruscis Romam pervenisse verisimile est. Neque expiscabor in prisco sermone latino verba locutionesque Graecas, quae certe non

[1] Ovid. *Fast* I. 55; Macrob. *Sat.* 1, 0, 10-13, 150.
[2] Cfr. Forcellinium ad h. v.

videntur defuisse; velut vox *poena*, a graeca quae est ποινή derivata, iam in legibus XII tabularum legebatur eo sensu quo postea vox *multa* in usu erat,[1] sed hac in re non facile secreveris verba priscae aetatis ab iis quae sequiore aevo et post Graeciam denique captam in Latium invecta sunt.

At inter reliquias vetustissimorum templorum in Latio passim repertas, hîc sane graeca quaedam vestigia licebit deprehendere. Non longe ab Antio, vetere Volscorum capite, in Appiae viae regione, ubi ad Asturam flumen oppidum erat nomine *Satricum*, quod oppidum a Romanis IV ante Ch. n. saeculo plus semel captum et direptum, denique dirutum penitus est et incensum,[2] nunc vicus est cui nomen *Casale di Conca*, duorum templorum reliquiae exstant, in quibus ornamenta quaedam fictilia et aliae res repertae sunt, quae consensu doctorum virorum, Graecae arti et industriae accepta sunt referenda.[3]

Alterum horum templorum Bernabeius noster probabiliter suspicatus est, idem esse ac templum illud *Matris Matutae*, a quo incendendo Livius ait abstinuisse se urbis oppugnatores, ob eam rem «quod vox horrenda templo edita erat cum tristibus minis, ni nefandos ignes procul delubris amovissent».[4] Erat autem haec Dea matutini temporis, eadem ac *aurora*,[5] et ob bonitatem praesertim in deliciis habita.[1] Mater Matuta erat igitur socia eius qui dicebatur *matutinus pater Ianus*, ab Horatio laudatus.[2]

Ut ad nos redeamus, Templi Satricensis, Matri Matutae dicati, reliquiae, quae etiamnunc exstant, testimonio sunt, nonnulla vestigia Graecae industriae etiam apud priscos Latinos deprehendi posse. Cuius rei ratio habenda est illi, qui Romanae humanitatis cultusque progressus persequi et describere velit.

Felix Ramorinus.

(*Ad proximum numerum*).

[1] Si iniuriam faxit alteri, XXV aeris poenae sunto (Gell. XX, 1, 12; cfr. Gaium 3, 223).
[2] Vide Livium VI, 7, 8, 22, 32, 33; VII, 27; VIII, 1; IX, 16. Post incendium anni 246 a. Ch. n. nihil superesse videtur huius urbis nisi templum *Matris Matutae*. (Cfr. Liv. VII, 27, 5).
[3] Petersen, in *Röm. Mittheil.* XI p. 168 descriptis reliquiis Satricensibus ait: *unverkennbar griechisches Vorbild... aber in eigenthümlicher Weise modificiert und zum Tuskanischen Tempel eine Uebergang bildend.* (Cfr. Bernabei, *Notizie Scavi* 1896 p. 101 et p. 195).
[4] VI, 33, 4; Cfr. VII, 27, 5.
[5] Lucr. 5, 656, *Tempore item certo roseam Matuta per oras Aetheris auroram differt et lumina pandit.*

[1] Pauli excerpta ex Festo, s. v.: *Mater Matuta, manis, mane... dictae videntur, ut ait Verrius, quia sint bona.* Alio loco Paulus (p. 122 M.): Matrem Matutam antiqui ob bonitatem appellabant, et *maturum* idoneum usui, et *mane* principium diei, et inferi Dii *manes* ut suppliciter appellati bono essent, et in Carmine Saliari *Cerus Manus* intelligitur: *Creator bonus.*
[2] *Satir.*, II, 6, 20: *Matutine pater, seu Iane libentius audis, Unde homines operum primos vitaeque labores Instituunt.* – Dea etiam tutae navigationis habita est (Arnob. 8, 23), praesertim postquam cum Ino Leucothea confusa est. Videsis Cic. *Tusc.* 1 28; Ovid. *Fast.* 6, 545: *Leucothea Grais, Matuta vocabere nostris.* Festum huius Deae Iunio mense celebrabatur, nomine *Matralia* (Ov. l. c. 475: *Ite, bonae matres... vestrum Matralia festum);* ad quod matronae tantum univirae admittebantur, ancillis omnino exclusis (Cfr. Plut. Q. *Rom.* 16). Flava quaedam lita tunc Deae offerebantur, quae Varro (*l.* 5, 106) ait appellari *testuacia*, quod in testu calido coquerentur.

DE ANNO SANCTO

En nobis festino pede approximat, et mille iam vocibus renuntiatur exspectatus ille annus, qui vulgo Sanctus adpellatur. Patres nostri, abhinc annos quinque et viginti, narrabant nobis puerulis, qua animorum laetitia gestientes, adnitente Leone XIII P. M., qui vere sui saeculi fuit decus atque ornamentum, eum celebrassent, et amplissimis verbis eum nobis

tradiderunt. Atque adeo et nos confidimus magna nobis bona adlaturum proximum hunc annum, quem universi orbis terrarum incolae grato animo libentique acceperunt ex ore Pii XI Pontificis Maximi, qui ovanter omnibus felicem anni Sancti adventum adnuntiat atque benigno vultu auspicatur. Et profani, qui plus aequo rebus humanis adhaerent, eisque unice student, multa iam sibi prospera praesagiunt, et laeto animo advenientem annum longe salutant et hoc nomine bona omnia patriae ominantur. At nos, meliore sane ducti consilio, alia equidem ratione feliciorem annum hilares salutamus, et caelestium undique donorum copiam ferentem in primis adprecamur. Et quo maior erit advenarum multitudo, eoque maius nobis gaudium et maiores Deo gratias pro munere agemus.

Ac propterea e sacrae Urbis limine homines undique advenientes hilari iam vultu laetisque verbis accipiens, ad rem meam festinans adgredior.

Et primum quidem si tu candide postulas, quid sibi velit hoc verbum: *annus sanctus*, repetam, Hebraeis usum fuisse quinquagesimo quoque anno, ex divino pracepto, Iubilaeum agere, et annum illum solemnem *sanctum* adpellare. Et, quid sibi hic annus volebat?

A *Jobel*, ex Hebraeorum fonte, quod idem est atque *remissio, instauratio*, Iubilaeus oritur. Huius vero institutionis causa, sic simpliciter se habet.

Dominus, ut populum a se electum, plus aequo, ut novimus, rerum terrenarum cupidum aliquantulum fraenaret, atque ita ad caelestia facilius converteret, complura sapientiae placita salutisque monita solemniter protulit. Illud in primis decrevit, ut, quinquagesimo quoque anno, tabulis aeris alieni absolutis, omnia in pristinum reverterentur, ius suum unicuique tribueretur, lites dirimerentur, atque omnibus in pace undique compositis, sacris ceremoniis omnino liberiusque inservirent. Ad hoc, ut ob mercedem ad meliorem frugem gens libentius se reciperet, eamque admissorum paeniteret, Deus multa ei praemia tum inter vivendum, tum post mortem ultra pollicebatur.

Huiusce rei institutio et ad alios populos aliquando transiit, et Romani annum quoque saecularem solemni ritu celebrabant. Quis enim haud mente reputat immortale illud Horatii Carmen, eiusque ardentissimum votum ad caelestes:

... Possis nihil Urbe Roma
Visere maius?

Tunc ludi agebantur, precesque publicae effundebantur, ut Urbi faciles deos ac propitios redderent.

Quum tandem aurea vere saeculorum aetas nascitur, et brevi post tempore, Roma christiana sapientia imbuitur, et virtus Romanorum eorumque mite ingenium ad sanctissimos animos adhibetur, et Romani Pontifices annum saecularem instaurarunt, et magna cum morum utilitate adhibere consueverunt.

Etiam si vero nos Iubilaei memoriam de coniectura assequi possumus, attamen nos facile iis assentimus, qui eum viguisse adfirmant, secreto quidem modo, labentibus annis, usque dum publicae et solemni iterum ritu a Pontifice Maximo promulgatus est.

Idque, prater omnium opinionem faustissime evenit anno millesimo tercentesimo, quum ad sacra rerum gubernacula sederet Bonifacius Octavus, qui insignis pietate vir, in magna animorum concitatione a potentiorum iniuria sollerter gentes christianae professionis prohibuit, et catholicam libertatem adseruit.

Adveniente illa aetate, vir quidem ex Allobrogum gente, – ita narratur, – centum et amplius annos natus, hîc atque illic dictitare nec dicere desinebat, magnas prioris saeculi, pro anno sancto, ceremonias oculis suis vidisse, et multa religionis

beneficia, auctoritate Pontificis maximi ubique gentium in populos effusa, atque eorum acquirendorum causa infinitum peregrinantium numerum omni illo anno labente, Romam petiisse. Hac fama longe lateque vulgata, Pontifex maximus, incredibili Christiani nominis laetitia, annum sanctum, ineunte novo proximo saeculo decimoquarto, tot post saecula, in omnium animarum salutem, splendidiore forma restitutum, adclamantibus omnibus, Romae iastaurandum curavit.

Tunc omnes orbis terrarum incolae, mira quadam Dei omnipotentis dispositione, immortalis Pontificis nuncium accipiunt, quod posteri in historiis narrant, et Giotto, insignis iam illo tempore pictor, eximie coloribus illustrat, et Dantes Alligherius divino carmine exornat. Quam vere, quam apte, Deo vero opitulante, Roma componitur, quod Horatius per fallacia antiquitatis numina facienda adprecabatur:

Romulae genti date remque prolemque
Et decus omne!

Quod propius videbimus.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

OB SOLLEMNIA CENTENARIA
Archibasilicae Sanctissimi Salvatoris

Non ita te vidit, fulgens Ecclesia Mater,
Qui Crucis in Labarum
Signa tulit, rumpens Maxentî perfida castra
Regius Helenides.
Non ita, cum dono coecis venientibus antris
Haec sua Christicolis
Tecta dedit! Fumabat adhuc tunc horrida [caedes,
Quae tria saecla viros
Ferbuit in Fidei! Squalebant arva ruinis
Barbaricisque fugis.
Sanguineam volvebat adhuc et Milvius undam;
Dilacerata diu
Roma novum exspectabat libertatis amorem
Pacis et imperium.
Hos inter casus Constantî regius haeres
Nuncia pacis agit,
Christiadasque iubet certos agitare triumphos.
Tunc Laterana Domus
Fulget! Miltiadesque potest tunc primus ab [orbe
Cogere concilium.
Gaudet mole sacra regali divite cultu
Caelius! Alma domus
Ara Dei Magni, sedes o prima per orbem
Inclita Pontificum,
Salve! Saeclorum cursu quassabere nullo,
Turbine nec stygio;
Nec si, coniurata tuas perrumpere turres,
Praelia regna ferant.
Undique te populi recolent, per acuta precan- [tes
Relligionis opem.
Gaudia iamque refert pia centenarius annus
Septimus et decimus,
Ex quo Silvester sacratis chrismate saxis,
Templa dicata dedit.
Quotquot sunt terris aedes, ubi sacra litantur
Turribus altisonis,
Hymnis et thuris dono facibusque coruscis
Laetitiam recinant!
Signaque mille ferant regali foedere iunctae
Relligio et patria.
Tuque, Deus Salvator, ave! Sub imagine dia
Lumine propitio
Respice luctantem, iam fractis viribus orbem:
Tu potes! Affer opem!

Aquilae.

A. NARDIS.

Bonis nocet quisquis pepercerit malis.
Bonum quod est supprimitur, nequaquam exstingintur.

Caret periculo, qui etiam quum tutus est, cavet.
Cave quidquid incipias, quod post poeniteat.

P. SYRIUS.

AESTHETICAE NOTAE

De Pulchri prima origine.[1]

Natura quaelibet eo pulchrior est, quo altiorem naturae gradum tenet. Iam ex hoc apparet Deum pulcherrimum esse, quia plenissimam habet exsistentiam. Quidquid igitur de natura Dei adfirmatur, optimo iure de pulchritudine divina adfirmandum est. Merito itaque pulchritudo Dei dicitur prima, summa, infinita; a se, improducta, absoluta; simplex, incorruptibilis, incommutabilis; inaccessibilis, incomprehensibilis, ineffabilis; vera, evidentissima et valde desiderabilis...

Sed ne pigeat hac in re aliquantulum immorari.

Pulchritudo integritate naturae, partium congruentia formaeque claritate constituitur. Atqui ista elementa plenissimo eminentique modo in Deo sunt. Deus ergo pulcherrimus est, seu ipsa pulchritudo.

Naturae Dei nihil deesse potest, imo omnis integritatis ratio in eo habetur. Deus enim est «Ens a se», est «suum esse,» est plenitudo substantiae, est verum «esse substantiale» nullo circumscriptum limite, gaudens modo sui optimo et proprio enti improducto.

In Deo est summa proportio et adspectabilis unitas in varietate. In Deo omnes perfectiones ac nobilitates, quae aut in mundo exsistunt, aut sola mente excogitari possunt, proprietates sine numero praefinito essentialiter, eminentissime, veraciterque adsunt, quun tamen in hac summa pluralitate nobilitatum, perfectionum, attributorum nulla imperfectio sit aut confusio, sed potius congruentia maxima, summus ordo, perfecta unitas.

Denique formae claritas excellentiori modo in Deo refulget. Ipse enim non solum *in se* splendor est lucis aeternae; sed etiam *quod ad nos attinet* clarissimus est. Nemo Deum ignorat, quia natura humana sine studio ac labore ex rebus finitis ac mutabilibus certissimam Dei cognitionem sibi comparat.

Nec satis. Pulchritudo definitur etiam (ex effectibus): *id, quod apprehensum placet.* «Num amamus aliquid nisi pulchrum? Quid est enim pulchrum et quid est pulchritudo? Quid est, quod nos allicit et conciliat cum rebus quas amamus? Nisi enim esset in eis decus et species, nullo modo nos ad se moverent.» [1]

Atqui Deus est supramodum delectabilis: in eo enim est decus, honor, gloria; in eo charitas, benignitas, magnificentia; in eo iucunditas, pretium et praemium humanae vitae; in eo est quidquid nos ad amandum provocat et plenissimo gaudio replet.

Quod si per omnes proprias Dei perfectiones discurramus, optime comprobari potest Ipsum esse omnimodam pulchritudinem intellectualem, moralem, infinitam, ideoque mensuram, originem, fontem totius pulchritudinis. Itaque Augustinus: «Si pulchra sunt quae fecit, quanto pulchrior est qui fecit?» [2]

Praeterea, Dei pulchritudo est immortalis. Deus enim ita gaudet supremo vitae gradu, ut illam amittere nequeat; est enim vivens a se et semper in actu. Pulchritudo autem sequitur ipsam rerum naturam. Unde in Deo est pulchritudo inamissibilis vitae. Omnia nascuntur, occidunt, fluunt, labuntur, nec diutius manere uno et eodem statu possunt:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad [*annos*
Fit minor, et spatio carpitur ipsa suo:
Nec semper violae, nec hiantia lilia fiorent,
Et riget amissa spina relicta rosa. [3]

De mortali venustate auctor Sacrorum inquit: «Fallax gratia et vana est pulchritudo.» [4] Sed quam felix homo, cui contigerit fieri speculator et amator illius formae divinae in sempiterna patria Caeli!

G. Lepore.

[1] Cfr. fasc. sup. mensis Octobris.

[1] S. Aug., *Confess.*, lib. IV, cap. XIII.
[2] *Enarr. in psalmum 148*, n. 15.
[3] Ovidius, *Art.*, lib. 2, vv. 113-116.
[4] *Prov.*, 31, 6.

Maria labis omnis nescia impietatis hodiernae victrix

Sacrorum Antistiti Francisco Xaverio Schoepfer, Episcopo Tarbien. et Lapurden. transactis in episcopatu annis XXV.

Quinque tibi, Francisce pater, sunt lustra per- [*acta,*
ex quo mitratus Pastor ovile regis.
O te Pontificem bis terque quaterque beatum,
cui Tarbellica gens claraque prodigiis
Urbs commissa fuit (solium Mariale) Lapur- [*dum,* [1]
quo vix sanctior est alter in orbe locus!
Agmina quanta vides orantum Rupe sub alma,
quam niveo tetigit diva Maria pede!
Utque avide de Fonte bibunt divinitus orto,
unde animis manat corporibusque salus!
Heic o sit tibi fas longaevam ducere vitam!
Hinc tandem, meritis plenus, ad astra voles!
Eheu! qui toto, Satanas, bacchatur in orbe
saevius in Gallos perfidiusque furit.
Cives namque malos stygiis afflatibus urget
latius ut spargant undique nequitiam.
Sic patriae frigescit amor, sic livor et irae
dissociant animos diraque bella cient.
Languet avita Fides et honestas pristina mo- [*rum;*
nascitur indocilis raraque progenies.
Lubrica, pro templis, populo patuere theatra;
impia lex atheas struxit ubique scholas.
At ne desperes, Marianum *Gallia* Regnum!
Montibus e sanctis experieris opem. [2]
Auxilium feret hinc Arx Pyrenaea, Lapurdum;
hinc Vosagus, castrum militis Alsatici.
Orco erupte Draco, quod nunc caput erigis [*audax,*
hoc tibi victrici calce Maria teret.

Franc. Xav. Reuss, SS. R.

[1] Vulgo *Lourdes.*
[2] «Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi» (*Ps. 120*).

VETERA ET NOVA

De morbi Phthisis Pulmonariae curatione.[1]

Hisce omnibus expositis, cl. Auctor, ad practicam descendens, medelas quibus uti oporteat contra hunc Phthiseos morbum praescribit, quas inter multae inveniuntur, quae hodieque a clarae notae Medicis ut salutis restitutrices praedicantur.

Medicamenta Anti-Phthisica: Radices Chinae - Salsaparillae - Polipodii - Hellenii - Symphyti maioris - Ireos - Fol. Capill. Ven. consolid. - Hedera terrestr. - Hyssopus - Iacea - Millefolium - Pilosella - Pimpinella - Taraxicum - Plantago - Prunella - Pulmonaria - Sanicula - Scabiosa - Veronica - Flores Hiperici, Rosarum, Violarum, Amantiorum - Semina altheae, malvae, papaveris 4 frigid. maiora et minora (Amygdalae non assae) - Pistacia - Santalum citrinum [2] - Sulphur vivum praeparatumque. (Item) Aq. Antiphthisica Minsichti, Quercerani, Rolfincii. (Insuper) Spir. Sulphur per Campanam - Salis dulcis Balsama sulphuris simpl., vel anisati [3] -

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Item *lignum guaiacum* [quod hodie magni pretii est], eiusque decoctum, quod optime corrigitur *santalo rubro* et *passulis;* aqua *sanguinis suilli distillata;* decoctum *brassicae capitatae rubrae,* etc.; item *laudanum opiatum*, quatenus catarrhum sistat, humorumque acrimoniam temperet, ast parcissima manu exhibitum.

[3] Quidam ex balsamo sulphuris tincturam extrahunt per vim spiritus summe alcoholisati, iterumque ad mellis consistentiam leni calore distillant, aut evaporant, ac summopere in phthisi commendant. - Notandum vero sulphur hîc non semper convenire; quam recte monet Cl. Sennerius in *Institutionib.*, lac sulphuris in primis per se, nec semper in magna quantitate exhibendum; potest tamun cum humectantibus (in primis *decocto chinae cum passulis et glycirrisa admixto*) quoque misceri; et quod observandum, ex nimio balsami sulphuris usu plurimos in phthisin incidisse testantur Practici.

Elix. proprietatis. - Syrup.[1] papaveris tam erratici quam albi, diacadii, Altheae, de Symphyto Fernelii. - Loch de pulmone vulpis. Antiphthis. Mynsichti. - Antidotus maior Querc. Pulvis Haly, refectivus Myns. - Spec. Diatragacant. Frig. Oc. Cancr. - Tragea antiphthisica Q. Coffi - Succolata - Antimonium diaphoret. Bez. minerale - Flores Sulphuris eiusque lac - Pil. propriètatis Mys.[2]

FAM.

(*Sequetur*).

[1] Item syrup. de nicotiana s. succo tabaci quo solo phthisicos etiam et tabidos quosdam restituisse testatur HEURNIUS *de tabaco*, tract. Ultraiect. anno 1644 editus. Conscriptus ab AEGIDIO EVERARTO et IOANNE NEANDRO, lectu dignissimus, inspiciatur; convenit quoque *hydromel antiphthisicum* apud cl. RIVERIUM, lib. VII, cap. 7, p. 349.

[2] Lac ab omnibus fere commendatur, in primis vero lac humanum calide sumptum, item caprinum, equinum, asininum, vaccinum, omnibus curationis intentionibus adimplens, teste Platero; magis tamen proderit, si animal specificis fuerit nutritum; in lacte quoque aliquid sacchari rosati dissolvi convenit, ne in ventriculo coaguletur ab acido, etc. Commendatur quoque externe et quidem unguentum ut et balneum ex lacte dulci; attamen balneum nocere, si ex sanguinis sputo, testatur TICLEMANUS in *aphor. Hippocr.* p. 278. - A plerisque Auctorib. *conserva* et *sacchar. rosar.* omnibus praefertur remediis, ex quibus multos curatos testatur RIVERIUS *in Avicenna* ...

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Incombustibilis - Flammae non obnoxius (non cedens); A flamma invictus; Flammam non concipiens (non admittens); Adversus ignem indomitus (insuperabilis; inviolabilis; invictus): Ustionis expers; Ab ustione immunis.

Incomparabilis - Cuius par non habetur; Quocum nemo conferri (comparari, contendere in comparationem; in contentionem venire) potest: Cui nemo aequiparari (assimilari) potest; Qui solus (unicus) est.

Incomparabiliter - Longe (cum adiectivo comparativi gradus; ex gr.: eruditior).

Incompatibilis - Insociabilis; Consociationis impos; Societatis intolerans (impotens); Qui a mutua societate abhorret.

Incomprehensibilis - Incomprehensus.

Incorporeus - Corporis expers.

Incorrigibilis - Emendationis (Correctionis) incapax (expers); Non emendabilis; Qui nullam spem facit frugis melioris; Cui desperata est emendatio; Qui obduruit ad vitia.

Incorruptibilis - Incorruptus: Aeternus; Immortalis.

Incredulitas - Obstinatus ad fidem habendam animus.[1]

Inculpare - Incriminari; Insimulare; Arguere quempiam alicuius rei; Dare alicui aliquid vitio (culpae; crimini): Culpam in aliquem conferre (coniicere; iacere); Crimen in aliquem transferre (traiicere, convertere); Aliquem alicuius criminis reum substituere.

Incurabilis - Insanabilis.

Indaginis (*altioris rem esse*) - Haec diligentius sunt indaganda (investiganda).

Indebite - Immerito; Iniuste.

Indefessus - Non defatigatus.

Indevotum esse - Pietatem in aliquo requiri (desiderari); Minus religiose sacris operam dare; Non eam quae debetur pietatem (religionem; non qui debetur cultum) praestare; Non satis diligenter Deum colere.

In diebus nostris - Nostra memoria; Quod audierimus.

Indifferentem esse - Nec in bonis, nec in contrariis (Neque in virtutibus, neque in vitiis) esse; Neutram in partem (Neutro) animum vertere (propendere; moveri).

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] Itaque *incredulus* - Obstinatus.

Indigus - Indigens.

Indolentia - Ignavia; Segnitia; Socordia.

Indubitanter - Sine dubio; Haud dubie. Non dubitanter.

Indubitate - Procul dubio.

Indubius - Haud dubius; Indubitatus.

Indulgentia (*ecclesiastica*) - *Indulgentia plenaria:* Delictorum cunctorum venia; Lex per quam qui criminum confessione rite abluti sancta de altari reverenter libaverint atque rem Christianam religiose Deo commendaverint, piaculo omni et statis admissorum poenis exsoluti abeant (discedant); Lex per quam admissorum poenam omnem expiare datum est. - *Indulgentia septem annorum* (*et sim.*): Ut supplicatio ad labes animi expiandas septennis satisfactionis instar sit. - *Indulgentia quotidiana trecentorum dierum* (*et sim.*) Ut cuncti, quos deliquisse ex toto animo poenituerit, trecentos quotidie de poenalium dierum numero expungant. - *Indulgentia defunctis applicabilis:* Ut semper, qui malit, piorum Manium labes, ex more supplicando, singuli singulorum expiare possint; Uti defunctorum erratá etiam et poenas expiare supplicando possint. - *Indulgentiam concedere:* Delictorum veniam indulgere (impertiri). - *Indulgentiam consequi:* Noxarum (delictorum) veniam adipisci (percipere; mereri; consequi).

Ineffabilis - Inenarrabilis.

Inexcusabilis - Excusationem non habens.

Inexstinguibile (*odium*) - Implacabile; Immortale.

Infallibilis - Verus; Qui falli (errare) non potest.

Infamatus - Infamis; Ignominia notatus; Fama spoliatus.

Infans (titulus honoris) - *Infans Hispaniae:* Hispaniensis e domo regia princeps; Princeps Hispanici nominis.

(Ad proximum numerum).

I. F.

VETERUM PRAECEPTA[1]

- Quid dulcius, quam habere amicum, cum quo omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes qui illis, aeque ac tu ipse, gauderet? Adversas res ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.

— Secundas res facit amicitia splendidiores et adversas partiens communicansque leviores.

— Quae domus tam stabilis, quae tam firma civitas est, quae non odiis et dissidiis funditus possit everti! Ex quo, quantum boni sit amicitia, iudicari potest.

— Solem de mundo tollere videntur, qui amicitiam e vita tollunt, quo nihil ad usum mortalium habemus iucundius.

— Si utilitas amicitias glutinaret, eadem commutata dissolveret.

— Erumpunt saepe vitia amicorum tum in ipsos amicos, tum in alienos, quorum tantum ad amicos redundat infamia; tales igitur amicitiae sunt remissione usus elevandae et dissuadendae magis, quam discindendae. Cavendum autem erit, ne non solum amicitiae depositae, sed inimicitiae etiam susceptae videantur.

Sapiens sic secum loquitur: « Aluit me patria tute, atque honeste perduxit usque ad hanc aetatem; munivit meas rationes bonis legibus, optimis moribus, honestissimis disciplinis. Quid a me satis persolvi possit, unde haec bona accepta sunt? ».

— Si a multis eligere homines vellent commodissimum quodquam, quam sese uni alicui certo addicere, minus in arrogantia offenderent, non tantopere in

[1] Ex Italico saec. XIV classico opere BARTHOLOMAE A S. CONCORDIO, cui titulus: *Gli ammaestramenti degli antichi.* - Cfr fasc. sup. mens. Iunii.

vitiis perseverarent, et aliquando levius ex inscitia elaberentur.

— Quorum volumus memoriam habere, imagines eorum certis locis collocare oportebit; nam loci cerae aut chartae simillimi sunt; imagines literis; dispositio et collocatio imaginum scripturae, pronuntiatio lectioni.

— Variare orationem magnopere oportebit, nam in omnibus rebus similitudo satietatis est mater.

— Sicut hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore vero recedunt, ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt; simul ac hiemem fortunae viderint, devolant omnes.

— Quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa effingere et constituere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare; sic nostri animi defessi negotiis gestiunt, ac volitare cupiunt vacui labore et cura.

— Africano industria virtutem, virtus gloriam, gloria aemulos comparavit.

— Mihi semper Peripateticorum, Academiaeque consuetudo de omnibus rebus in contrarias partes disserendi non ob eam causam solum placuit, quod aliter non possit, quid in unaquaque re verisimile esset inveniri, sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio.

— In ipsa Graecia philosophia tanto in honore nunquam fuisset, nisi doctissimorum contentionibus, dissentionibusque viguisset.

— Quod cum vita pugnet oratio, videtur mihi esse turpissimum; ut enim si grammaticum se professus quispiam barbare loquatur, aut si absurde canat is, qui, se haberi velit musicum, hoc turpior fit, quod in eo peccet, cuius profitetur scientiam; sic philosophus in vitae ratione peccans turpior est, quod in officio, cuius magister esse vult, labitur. artemque vitae professus, delinquit in vita.

— Praemeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quae venientia longe antea videris.

I. S. P.

MEDITATIO

Et a litterarum latinarum recens a Summo Pontifice condita Schola universis latina, quum sit ad iungendas, *ut omnes unum sint,* omnium mentes utilis, commendatur meditatio. Quia vero singulis maior populis universus homo, et saeculis est antiquior *ante omnia creata* sapientia, patriis ideo finibus amplior, suis temporibus fiat mens altior oportet, quae verbis electis cogitet, sonisque latinis.

Postquam ergo in speculam ascendit, aegyptiaca primum videt opera: turritos urbium congestus, metalla, fodinas, fornacum in fulmen hastata fumi spiracula, picatum lapidem vectori stratum et ferrum, maris aërisque navigationes, areas cursu, levitate folles sublatos; aethere quoque sparsos cantus ac nuncios audit, et bellici recinentes tubas clausulam cantici. Quibus rebus despectis, ad meliora, scilicet ad pios, se convertet, *occulta sapientiae* quaerentes, *Maris Stella* duce, clavumque gubernaculi Pio tenente. Equidem *Ianua Caeli* post *factam lucem* manet Virgo semper, aeterni sponsa Dei.

Tunc, ex vinculis etsi speculata mens est caelestia, tantis tamen mundi, dumtaxat fluxi, tremefacta miraculis, initium ingreditur sapientiae, Dominumque timet.

Tornoduri in Gallia, Pridie fest. Immaculatae Conceptionis B. M. V., MCMXXIV.

IACOBUS TASSET.

ANNALES

Novembris mensis proxime elapsus magni momenti eventibus aditum non dedit; quae enim peculiari mentione digna apparuere, sunt quae summatim sequuntur:

In **Anglia** Mac Donaldo illi ex «laboris» parte, Baldwinus, «Conservatorum» princeps, successit, qui sibi collegas in re publica gubernanda inter alios adscivit claros viros Winstonium Churchill et Augustinum Chamberlain, qui exteris negotiis moderandis praepositus est. Novum administrorum collegium opportune quidem et optime edixit, suum adventum a nullo homine tamquam factionis cuiusvis victoriam esse reputandum, sed unice habendum tamquam mentem populi universi, ut concordiae pacisque opera ubique in regno instaurentur.

In **Aegypto** proditoria manu interemptus est Anglicarum copiarum dux; inde iustus Anglorum de iniuria conquestus, eoque magis quod et Sudanenses Kartum in urbe seditionem pertentaverint, quae vi coercenda fuit. Aegyptiorum vero gubernium debitam facinorum satisfactionem Anglis praestitit.

In **Austria** Seipel doctor a supremo civilis ministerii munere sese abdicavit. Quum de successione agitur, provinciae sese gubernandi ampliorem libertatem repetunt, centrali gubernio tantum relinquere cupientes publicorum cursuum administrationem et onus publicae incolumitatis tuendae.

In **Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis** ex comitiis habitis ad novum Praesidem eligendum Coodlige delectus est.

In **Italia** tum publici coetus legibus ferendis, tum senatus sessiones resumptae sunt, sese tamen adhuc ab illo abstinentibus partibus hodiernis gubernatoribus vehementius infensis.

In **Mexicana republica,** contra, publicorum legatorum conventus dirimi oportuit ob partium acerrimam contentionem, in qua nec ab armis est temperatum. In conflictatione Morenos, aliusque «syndacalistarum» legatus, manuballistulae ictibus graviter vulnerati sunt.

In **Sinis** christianus dux Feng-Yu-Hsian vires in dies sibi adiicit, easque prospere firmat. Wu-Pei-Fu, favens iam rei publicae praesidi – cuius a munere abdicationi addita est fides – ipse obsistere conatus est, sed infelici omnino exitu; fusus enim fugatusque cum suis est.

Proximis denique Decembris mensis diebus, uti praenunciavimus, Romae, **Societatis nationum coetus** congregabitur: speramus fore ut novus ad stabilis exoptatae pacis metam assequendam gressus signetur.

Kalendis Decembribus MCMXXIV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Quoties, o humanissimi vos qui legitis, quaestionem vobis proposuistis, **quanam ratione abhinc annos centum nepotes nostri victuri essent,** quum tamen impares eidem enodandae fueritis? Atqui hodie non Americanus, sed Germanicus doctor, electricae disciplinae summus magister vobis tandem absolute facit satis: ei, ecastor! fides amplissima danda est. Quum enim revocaverit recentissima eaque mirabilia ex electride inventa, ea monet frustula esse, prae novis, ad quae infra saeculum homines erunt perventuri. Imprimis

caelum serenum indesinenter splendescet; nullus enim tum locus sive vaporariorum, sive machinarum fumo, quum res omnes electride processerint. Vel humillissimus homo domibus claris, nitidis, commodis omnibus instructis recipietur, quae simul iunctae civitates salubres, miro ordine dispositas, acceptissimas efformabunt. Magna humani generis pars, quae tanta nunc ignorantia laborat, tum multas horas, quae ex omnium debito labore vacuae supererunt, ad sese corpore et moribus perficiendam consecrabit, per amplissimas institutionis omnis generis rationes, quae novo saeculo vigebunt. Neque homo intra fines rerum ipsum attingentium terraeque huius a nobis habitatae sese continebit; sed facile per electricas undas in aethere agitatas cum incolis Martiani saltem sideris commercium instituet. Quid plura? Quum sat erit quattuor tantum diei horas, uti diximus, laboribus tribuere, viginti quae supererunt ad capessendam felicitatem concedere etiam licebit.

Nullum itaque dubium quin infra saeculum vita iucundissima futura sit,... dummodo ne non provisus aliquis accidens delicias praetervertat. Bona igitur pace Germanici prophetae, nostra sorte nostroque tempore contenti hodiernam vitam vivamus: et ulterius enim procedere et excelsiora iam nunc in paupertate nostra assequi possumus, scilicet caelestia, quae unice semper, veram felicitatem eamque perpetuam constituent!

***

Nos enim tandem **qui sumus?** Respondeat haec, quam ad nos misit SUBALPINUS, narratiuncula:

Ut saepe veritas exit a re tenui
Hoc nobis admodum factum significat.
Apud Collegium quod *Rollense* dicitur,
Parisiis, pollet litteris quae civitas,
Docet magister, qui institutor optimus,
Suos discipulos colit tenerrime,
Eosque ducere ad pietatem studet.
Agentem puerum hic prehendit nequiter,
Ipsum quum docet diligens pro viribus.
Quem indignatus fortiter dum commonet,
Eumque verbis increpat gravissimis,
Omnes sunt mirum territi discipuli,
Reus circumspiciens obtortis oculis,
Et obstupescens, simulans se nescium:
— Quid? - ait - eiulas, me obiurgas graviter?
— Rem tu fecisti maxime prohibitam!
— Prohibitam, dicis, a quonam, hercule?
Ferens id indigne sic respondit merito:
— Puer prave, scito: ipse qui prohibui!
— Id nempe mihi prohibes? Sed tu quis es?
Scribit Magister: « Hocce verbum improbi
Contrivit meam capitis superbiam.
Meo confisus unice consilio
Deum vetare unum non memineram:
Grave sic pueri monitum commerui.
" Sed tu quis es? „ procax dixit et petulans,
Divina fixus veluti sapientia.
Discant mortales, sint in aevum moniti:
Deus vetat, Ipse legifer, et imperat,
Eiusque cuncta pendent arbitrio.

***

De dicteriis.

Constat inter omnes, plures gentes, et etiam singulos homines dicteria tamquam sui peculiare signum assumpsisse, tum quasi ad animi exoptatum finem exprimendum, tum quoque ad gesta aliqua commemoranda. Quid si eorum aliquot repetamus? Ex quibus facilis quoque meditatio succurret quam fluxa et mutabilia humana sint.

Austriaci enim imperii erat (idque litteris A. E. I. O. U. expressum): *Austriae Est Imperare Orbi Universo.*

In insigni Gallicae Borbonicae familiae, liliis constituto: *Lilia non laborant, neque nent.*

Angliae clypeus habet: *Deus et meum ius.*

Ordinis vulgo « Jarretière »: *Propudium sit qui male cogitat.*

Sabaudici Ordinis a Deipara ab Angelo salutata: *F. E. R. T.;* hoc est, iuxta scriptores nonnullos, ad Sabaudicum ducem eius conditorem sese referentes: *Fortitudo eius Rhodum tenuit,* iuxta alios, respicientes torquis formam quo equites decorantur: *Fert (amoris laqueos).*

Lusitanici regni: *In hoc signo vinces.*

Scoticae gentis: *Pro rege et pro grege.*

Hannoverensis civitatis: *Suscipere et finire.*

Saxonicae: *Bona causa tandem triumphat.*

Danorum: *Dominus mihi adiutor.*

Turcarum: *Allah! Allah!* hoc est: *Deus! Deus!*

Valentina, Mediolanensis foemina dux, post mortem viri hoc suum fecit: *Nihil amplius mihi, nihil mihi.*

Tallien, famosa illa mulier, cuius insigne rosa erat, eidem subscripsit: *Mali, spinam tantum in ea vident.*

Rousseau, atque, post eum, Marat: *Vitam impendere vero.*

Quanto verius et rectius Cartesius: *Qui bene latuit, bene vixit!*

***

Iocosa.

Ludimagister omnem adhibet industriam ut legendi artem sui discipuli addiscant:

— Legendum est - ait - quomodo loquimur.

Quum autem praecepta melius re firmet, in folio haec verba scribit: « Pauline, quaeso, redde mihi calamum scriptorium ».

Deinde Tuccium arcessit:

— Lege igitur quemadmodum nuper praecepi.

Tuccius oculos in chartam primum vertit, postea in magistrum, atque tacet.

— Euge! Dic, tamquam si Paulinum alloquutus fueris.

Tuccius in silentio suo permanet.

— Dii boni! Si Paulinus calamum tuum scriptorium sibi sumpserit, quid ei dixeris?

Tuccius

— Pauline, nisi calamum mihi statim reddideris, te verberibus necem!

Magister Tuccio iterum:

— Quum dico: « Alumnus amat magistrum », quod propositionis genus profero?

— Non quidem propositionis genus, sed mendacium profers!

***

Aenigmata.

I.

Parte priore rogare soles; sed *parte secunda*
Monstrare, aut lentam carpere segnitiem.
Utraque mixta quid est? Divi supremi vo-[luntas,
Quae regit et terras, et regit astra poli.

II.

Littera me pavit, nec quid sit littera novi;
In libris vixi, nec sum studiosior inde;
Exedi Musas, nihil hinc tamen ipsa reporto.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondeut: 1) *Roma, Maro, Amor;* 2) *Palus-ter.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. FR. SO... AL..., *Radicenae in Calabris.* - De viri illius morte nuncium nullum ad nos pervenit. De certamine poëtico Ruspantino supremum iudicium nondum, dum scribimus, latum est. Dicunt rem ea praesertim de causa moram passam esse, quod innumera carmina examinanda fuerint, quorum aliquot poëmata omnino erant!

Cl. v. GEORGIO HER..., *Matriti.* - Unus post alium!...

Cl. v. Fr. Cor..., *Genuae.* – Iterum iterumque nunciavimus, primi fasciculi opellae, cui titulus *Communia vitae,* ne exemplar quidem uuum superfuisse.

Cl. v. Al. Rev.... – Fasciculum, quem desideras, ab aliquo amico repetere debemus, qui nobis remittat; nos enim eo omnino caremus. Illius numeri involucrum aliquod a cursu publico deperditum profecto est; quod enim tu repetis, socii alii plures ante te repetiverunt.

Cl. v. Frid Le..., *Panormi.* – Iungamus igitur amice dexteras! Salve et vale!

A Secretis.

Libri recens dono accepti.

Franciscus Sofia Alessio. *Pauperrimus bonorum.* Carmen in certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXIII magna laude ornatum. (Con versione poetica italiana dello stesso autore, introduzione e note del P. Giovanni Semeria). – Romae, Via dei Chiavari, 6. – Ven. lib. 3.

M. Barbera S. J. *Lo studio della lingua latina nella scuola classica.* – Romae, edid. *La civiltà cattolica.*

P. G. A. Angelucci, O. S. M. *Il grande segretario della Santa Sede.* Sunto della vita del Card. Ercole Consalvi. – Romae edid. Schola typ. Pius X, 1924.

LEPIDUM CAVILLUM 7)

ACTIO DRAMATICA I. B. FRANCESIA

SENARIIS VERSIBUS CONSCRIPTA.

Rec. (*Sermonem interruptum pergit*) Illae quae [sunt sarcinae?
Proc. Ferunt portentum! Septem haedos mor- [tuos!
Rec. Dixisti?
Proc. Dico: haeduli sunt perlucidi
Septem crassiores, conditi balsamis,
Tuus quos amicus mittit in munera.
Rec. Et non sunt septem mortuorum corpora?
Med. Sunt omnes mortui ut viventes hilarent!
Par. Potes quos extra condere parochiam!
Praet. Nec ullus codicis rumpitur articulus!
Rec. Quo nempe insolito afficior gaudio!
Nondum sed credo, timeo fallacias:
Scio quot saeclum plenum sit malitiis.
Sine, sine, meis ut certius oculis...
Proc. Adhuc times? Vide! Pulcri sunt haeduli
Et saginati, pingues, ut nihil supra!
Bai. O fortunati iuvenes!
Med. Adde et senes!
Rec. Rebar ego homines esse demortuos,
Mihi quos ille ad sepeliendos mitte- [ret!...
Ob haec Praetorem vocavi et Paro- [chum,
Mei doloris et fastidii socios,
Ut essent mihi praesenti consilio.
Quoniam sic optime vertitur fabula,
Vertitur cunctis et gaudium generat,
Ut haedos mecum vos edatis deprecor.
Par. Erunt et multo suaviores gustui.
Praet. Nihil fuisse contra leges fateor.
Rec. Erunt cariores ....
Med. Post aerumnas maximas.
Omnes: Ita quam bene clauditur hic dies!
Bai. Vobis, non mihi!
Rec. Sed et tibi volo,
Meam qui fecisti integram laetitiam:
Habe mercedulam pro spe coenatica.
Ianitor. At ianitori dabitis quid?
Iuvenes. (*una voce*) Neutiquam!
Ian. Sit hodie neutiquam non conditum sa- [pide,
Quod omne tollat vulnus infortunii!
Iuvenis qui prologus egit:
Ita, en, concluditur bene comoedia!...
Mihi cum grege, spectatores, plaudite!

Finis.

Dr. Iosephus Fornari, *Moderator, Sponsor.*
Romae. – Typis Polyglottis Vaticanis.

INDEX RERUM VOL. XI

(An. XI — Fasc. I-XI).

PAG.

Alloquia sociis et lectoribus. . . . 1, 181

Annales. 14, 32, 50, 67, 88, 103, 122, 140, 158, 174, 193

Apologetica.
De cultu S. Laurentii Martyris (*Senior*) . . 129

Ars.
De Iesu Christi Passione Augustae Taurinorum ex vero efficta (*Subalpinus*) 7, 23, 59, 77
De exquisita eaque singulari animi virtute in pulchrum, quae « Genius » dicitur (*G. Lepore*) 55, 85, 109
De pulchri prima origine (*G. Lepore*) 145, 188

Carmina.
Iesu pŭero (G. *Venturini*) 7
Pio XI altero exeunte anno a summo Christianorum magisterio suscepto (*C. Mambretti*) 19
Aloisio filio elegia (*I. Bozzi*) 43
Tres fratres sacerdotes parentum ante sepulcrum (*F. X. Reuss*) 47
Pro lege sancta .... (*A. Basili*) 62
Georgio Gulielmo Mundelein et Patritio Iosepho Hayes in Purpuratorum Patrum coetum nuper evectis (*F. X. Reuss*) . . 80
Caelestis visio (*G. Venturini*) 97
Ad SS. Virginem de Monte Carmelo (*I. Cacace*) 116
Lampas Eucharistica (*F. X. Reuss*) . . . 134
Fides ex auditu (*A. Basili*) 154
Miserere mei, Deus! (*G. Venturini*) . . . 171
Ob sollemnia centenaria Archibasilicae Santissimi Salvatoris (*A. Nardis*) 187
Maria labis omnis nescia impietatis hodiernae victrix (*F. X. Reuss*) 189
Vide etiam **Vacui temporis hora.**

Communia vitae.
Cornelius (*E. Jové*) 12, 27, 47
De nonnullis praeceptis ab iis tenendis, qui ad latinitatem accedunt (*I. F.*) 64
Nuntius exspectatissimus (*E. Jové*) . . . 98
Ausonii humanitas (*E. Jové*) 117

PAG.
Ex Antonii Van Torre dialogis familiaribus (Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit *I. F.*):
Pecunia petitur, mutuo datur 136
Deliberatio de lusu 156

Epistolare Sociorum commercium.
Epistolae *Andreae Avenarii:*
De nuper natis verbis latine exprimendis, et de pronunciatione latina 9
De novis verbis in latinum sermonem inducendis, aliisque 119
Epistolae *Emmanuelis Jové:*
Quomodo latine dici possit illud, quod Galli *refrain* appellant 63
De novis verbis in latinum sermonem inducendis 172
Epistolae *Iacobi Tasset:*
De nominibus quibusdam peregrinis latine reddendis 44
De novis rebus latine redditis (*H. M. Iacobelli*) 25, 64, 82
De una eademque pronunciatione latina ab omnibus adhibenda (*I. Fornari*) . . . 44
Paulino nepoti dulcissimo (*P. S.*) 101
Unicuique suum (*F. X. Reuss*) 173

Geographia.
Ampla litoris Veneti instauratio (*Senior*) . 26
Camulus [Camogli] (*Senior*) 46
Ad Morimundum (*Subalpinus*) 87

Historica.
S. Thomae Aquinatis brevis chronographia vitae et operum sexto exeunte saeculo ex quo Sanctorum ordinibus est adscriptus (*A. Bacic*) 39, 57
De anno sancto, qui dicitur Iubilaei (*P. D. V.*) 74
De Diaconia S. Eustachii martyris notitia historica (*A. Aureli*) 95
Paulus Segneri (*E. R.*) 131
De Romanorum villis (*I. B. Francesia*) 132, 151
Sacrosanctae Lateranensis Basilicae centenaria commemoratio (*X*) 164
De Paulo Segneri iterum (*I. B. Francesia*) 168
De anno sancto (*Iunior*) 185

PAG.

Horae subsecivae.
Coena Modiliani (*F. X. B.*) 89
Sacerdoti ex Ordine S. Francisci inter Equites Coronae Italicae adlecto (*F. X. R.*) . 89

Hygienica.
De nimio studiorum labore in adolescentibus (*R. S*) 20
De morbi phthisis pulmonariae curatione (*Fam*) 154, 169, 189

Libera a pittaciis responsa.
18, 35, 53, 107, 125, 143, 179, 195

Libri recens dono accepti 53, 71, 179, 196

Litterae et Philologia.
De numerosa latina oratione (*F. A. B.*) . 3, 21
De latinae linguae foecunditate (*H. M. Iacobelli*) 5, 84, 139
De nova apud Italos studiorum ratione (*I. B. Francesia*) 37
Res nostra (*A. R.*) 73
De certamine poëtico Hoefftiano Amstelodamensi an. MCMXXIII 97
De latinarum litterarum historia praelectiones (*F. Ramorinus*):
I. De latinarum litterarum praestantia . 111, 127
II. De aetatibus, in quas latinarum historia dividi possit. De prima aetate, qua nondum litterae excoli coeptae erant . . 147
III. Antiquissimae latinae inscriptiones . . 182
Latinae adnotatiunculae: Acceptum referre - Expensum ferre (*H. B.*) 114
De Pontificia litterarum latinarum peculiari schola Romae constituta (*I. Fornari*) 163
Vide etiam **Epistolare Sociorum commercium, Historica, Roma Sacra.**

Necrologium.
Arthurus Conelli (*Fr.*) 174

Pius Pp. XI.
Vide **Carmina, Litterae et Philologia, Roma Sacra, Annales.**

Philosophia ac Theologia.
De Sanctorum Communione (*E. Hugon*) . 91

Pro iunioribus.
Parvum antibarbarum (*I. Fornari*) 13, 30, 48, 65, 82, 99, 120, 137, 157, 173, 190

Roma Sacra.
Indictio universalis iubilaei in annum santum MCMXXV 104
SSmi D. N. Pp. XI *Motu proprio* de peculiari litterarum latinarum schola in athenaeo Gregoriano constituenda 175

PAG.

Scenicae fabulae.
Ad fontem Bellaquei. Actio dramatica (*I. B. Francesia*) 36, 54, 72
Lepidum cavillum. Actio dramatica (*I. B. Francesia*) . 90, 108, 126, 144, 162, 180, 196
Vide etiam **Communia vitae.**

Vacui temporis hora *(Iosfor).*
Ad arma! 17
Mala medica, limonia et citrea 17
Risus 33
De horologio 51
De sphaera Archimedis, quam « armillarem » vulgo nuncupamus 51
Crystallina moles caeli instar elaborata . . 51
Per oscitationem medela 70
Laurentii le Brun pilae ludus 70
Hodierni domus constituendae mores . . 106
De ratione vocem curandi 106
Caroli de Luca Harpastus 106
Domus amplissimae et ornatissimae . . . 123
Incerti auctoris funambuli spectaculum . . 124
Domus volubiles 141
Hominis corpus ex analysi chemica perspectum 142
Praecepta vivendi diutius 142
Vale, o somne 159
Nonnulla de humani corporis compositione 177
Grammophoni virtutes 178
I. B. Francesia fabella de Angelo somni et de Angelo mortis 178
Quanam ratione abhinc annos centum nepotes nostri victuri sint 193
Qui sumus? 194
De dicteriis 194
Iosephi Bernerii carmina ludicra:
Festivi plausus 34
Romanenses, vulgo *Romaneschi* 52
Iocosa 18, 35, 53, 70, 107, 125, 143, 161, 179, 195
Aenigmata 18, 35, 53, 71, 89, 107, 125, 143, 161, 179, 195

Varia.
De « folliludio » (*E. Jové*) 81
Athenaeorum mores veteres et recentiores (*A. C.*) 93, 115
Sacrarum missionum expositio Romae (*Senior*) 96
Veterum praecepta (Ex italico saec. XIV classico opere Bartholomaei a S. Concordio, cui titulus *Gli ammaestramenti degli antichi* latine vertit *I. S. P*) . 101, 191
Templum votivum internationale Romae, ad collem Parioli (*E. Jové*) 135
Meditatio (*I. Tasset*) 192

N. XII – FASC. I MENSE IANUARIO MCMXXV

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Ianuario MCMXXV Fasc. I

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

"ALMA ROMA,,
IN ANNUM MCMXXV

Rationes quibus munus nostrum per novum annum MCMXXV expleturi simus proponentes, brevi nos expediemus. Namque post annos undecim iam in provincia nostra non sine diuturni laboris aliquo fructu, uti in superiore fasciculo adnotavimus, transactos, non opus est nobis proposita exponere, neque identidem profiteri nos operam impense daturos, ut fidem nostram praestemus. Quis enim ignorat in condendo nostro commentario, quem latinitatis praeconium ediximus, finem nobis constituisse supremum quem sumus in omni vita fideliter prosequuti, ut re ostenderemus latinam linguam, vel nostris ipsis diebus, sese exhibere amplissimam semper, nobilem, flexibilem aptissimamque, idque sine integritatis suae vitio, ad omnia vel hodiernae vitae exprimenda; eamque revera haberi facile posse tamquam linguam universalem, quam nuncupant, plurimique expetunt viri aliqua scientia imbuti? Quisnam, nostrum iter sectatus, non vidit ad id nos accessisse omnis generis argumenta tractando, a litteris ad bonas artes, a civilibus ad oeconomicas et sociales quaestiones, ad historias, carmina, fabulas, ludicra, eaque per eventuum, temporum rerumque opportunitatem ita distributa, ut varia in unitate, una in varietate componeremus?

Nec tamen nos acervatim et confuse, ut ferret occasio, ea exhibuimus; profecto ordini eique lucido prospeximus, quemadmodum et in posterum perspiciemus, certis maxime constitutis argumentis, quae, ut ita dicamus, rei caput summum constituunt. Haec fuerunt praesertim a suprema necessitate exquisita, quae in primis voluit, nec iam velle desinit, ut qui ad latinitatem accedunt ipsi latino sermone sese exprimere, idque non sine venustate, valeant. Hinc *Sociorum illud epistolare commercium,* quod laeto animo vidimus fines suos postremo anno amplificasse veramque attulisse utilitatem in studio de novis verbis inducendis ad novas

res exprimendas; hinc *Colloquia illa latina* de argumentis communia vitae respicientibus; hinc denique *Parvum antibarbarum,* ab ipso Moderatore nostro patienter exaratum, in quo dum in vitium sive infimae sive depravatae latinitatis invehitur, amplissima dicendi copia suppeditatur. Haec itaque argumenta peculiariter, imo in unoquoque commentarii fasciculo, agitata et hoc anno invenientur; agitata, addimus, non ab unis nobis, sed nobiscum et apud nos, uti spem habemus, a duobus illis scientiae focis felici alite recens in Italia succensis, athenaeum dicimus catholicum Mediolanense, et latinitatis scholam in Gregoriana Romana Universitate Pontificio nutu constitutam; de quorum altero iam promissum habemus per clarissimos illos viros, qui latinam disciplinam illic moderaturi erunt: Felicem Ramorinum, quem laboris nostri socium honori duximus iam diu habere, et Ioannem Galbiati, qui ab *Almae Romae* ortu lectorum nostrorum familiae nomen dedit, hodieque scriptis suis et ipse nostras paginas cohonestat. Gaudebit hisce profecto et animus sapientissimi Patris et Pastoris, qui Catholicorum gentem, Christi vice, nunc in terris moderatur, quique Natalitiis Domini diebus proxime elapsis quum ad pedes suos inter ominantes Ei in annum hunc sanctum felicia, nos qui scribimus vidisset, sollicite atque studiose de *Alma Roma* hac nostra est statim percontatus ac benevolentissima item ac stimulantia verba habuit, ut in proposito sibi tam grato persisteremus.

Paterno igitur favore atque benedictione suffulti, animo forti et erecto si unquam alias, anno hoc MCMXXV in nostra via progrediemur, in qua non solum veteres comites habere nobiscum confidimus, sed novos accessuros.

Iam et ad rem consilium nostrum aperuimus: quisque scilicet unum saltem socium ALMAE ROMAE ipse inveniat, vel, minimum, aliquem nobis indicet, ad quem commentarii specimina mittamus, non sine spe et eum in nostram societatem adnumerari posse. Tenuis quidem - iteramus singulis labor; uberae vero operi nostro fruges!

***

Iamvero consociationis regulas repetere iuvat:

Pretium subnotationis ALMAE ROMAE commentarii in annum MCMXXV erit:

Pro Italia	. . . . .	libell.	12 —
» Helvetia	. . . . .	franc.	15 —
» Hispania	. . . . .	peset.	15 —
» Batavia	. . . . .	floren.	7,50
» Anglia	. . . . .	shell.	12 ½
» Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis et Canada	. . . . .	doll.	3 —

Pro ceteris nationibus erit summa *Italicas libellas 20* exaequans. Qui autem per pecuniam alius civitatis pretium mittat, idem aequabit cum permutationis pretio die transmissionis vigente; et *qui acceptilationis testimonium desideret, pro eodem addat publici cursus pretium.* Omnia denique per eundem publicum cursum, sive per syngraphan apud aliquam Nummariam Mensam in Urbe exigendam, *recto tramite* mittantur ad IOSEPHUM FORNARI, Equitem Torquatum, ALMAE ROMAE commentarii moderatorem atque administratorem, *Romae, 12 - Via del Governo Vecchio, 96.*

Praeterea hae consociationis leges immutatae sunto:

1. *Consociatio sub anni exitum non retractata pro redintegrata habetur.*

2. *Qui* ALMAE ROMAE *specimina habuit, neque post fasciculos tres acceptos reddidit* - (quod nullo impendio facere poterat: quae enim a publico cursu tradita recusantur, gratuito ea mittenti restituuntur) - *tamquam socius valide reputabitur.*

***

Monemus autem socios, et veteres et recentiores, apud Administratorem nostrum acquirere sese adhuc posse tum Milesias lepidas fabulas latine descriptas, scenis apud ephebea facile agendas, FRIDIANUM et FRANCISCULI PRANDIUM, singulas pretio libell. 2; ambas pretio libell. 3,50; tum opusculum quod inscribitur COMMUNIA VITAE, *fasc. II,* continens phrases et formulas latinas *de omnis generis officiis,* pretio libell. 3; tum denique Herminii Iacobelli librum, cui litulus IN CAMPO LATINITATIS NOVI FLORES, recentiorum rerum lexicon parvum et perutile, pretio libell. 5 si tegumento solutum; libell. 6, si xylina structura aureoque vel argenteo titulo eleganter ita contextum, ut memoriae ergo atque donationis praemiique gratia optime offerri possit. *Iis vero qui extra Urbem omnes hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium,* iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.

Quod si quis *integram* ALMAE ROMAE *commentarii collectionem* habere sibi cupiat - (eius enim nonnulla adhuc supersunt exemplaria) mittat recto tramite, uti supra, libell. 250 si in Italia, idemque pretium duplicatum, libell. scilicet 500, si ex exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est. *Collectiones bibliopolis non traduntur.*

ALMA ROMA.

DE FONTIBUS

M. T. Ciceronis librorum qui manserunt de re publica et de legibus

Quum in studium M. Tullii Ciceronis librorum qui manserunt de *re publica* et de *legibus* diligenter incumberem, persuasum facile mihi habui, dissensisse Ciceronem graviter a Platone, qui princeps de re publica disseruisset, in quo autem impugnando totam contentionibus dissensionibusque constitisse Ciceronis saepe orationem viderem; discessisse etiam ab Aristotelis sententia, Dicaearchi, Theophrasti, ceterorum, a quibus diligenter, Tullii ipsius iudicio, *τὰ πολιτικὰ* et copiose tractata essent; profectum vero esse in iis quae de optima re publica exquirenda in cognitione et aestimatione essent posita, a Panaetio, magno homine atque in primis erudito.

Qua in re vel suadenda vel explicanda libros de legibus, licet inferioribus annis a Cicerone sint conscripti, haut tamen ab iis, qui sunt de re publica, seiungi posse credo: immo vero illam de officiis praeclaram disputationem uberrimamque, ex diversa quidem parte diversaque ratione, at certe cum iis, quae de re publica disputantur, tam arte cohaerere, ut in hac, quam mihi suscepi, de illorum librorum fontibus quaestione, Ciceronem exemplo Panaetii institutoque officia tractantem plane non esse neglegendum confirmaverim: libris enim de re publica quasi alteram de officiis disputationem contineri arbitror, quum profecto agatur in ista de officiis privatorum inter se, pertractet autem in ea de re publica Tullius hominum iura et officia in amplissima societate versantium, quae civitas appellatur.

Sunt igitur de officiis libri ad similitudinem derecti librorum de re publica, quos ante adornaverat Tullius. Sed accedebat eodem testis locuples idemque copiosus profectusque a Panaetio Polybius, qui non solum de rebus Romanis quam diligentissime conscripserat sollersque in primis tempora investigata notaverat, verum etiam, a Panaetio eruditus eodemque auctore, rebus Romanis narrandis in sexto libro tantum praemittendum curaverat, quantum de re publica eiusque origine, vi, natura, generatim atque universe *ἀνήκειν ὑπελάμβανε πρὸς τὴν πραγματικὴν ἱστορίαν*, quam erat narraturus, *καὶ τὴν κοινὴν ἐπίνοιαν*, quem ad modum a Panaetio potissimum scribente de optimo genere civitatis esse factum accepimus. Etenim ex omnibus, qui has quaestiones aut attigerint aut tractaverint, Stoici recentiores de rebus publicis fere soli populariter atque accommodate ad commune iudicium popularemque intellegentiam disputaverunt. Inter hos autem magnus homo in primis et eruditus Panaetius neque, ut scio, a maximis negotiis ipse remotus fuit, sed rem publicam domi summa industria et iuvare et augere studuit, neque unos adiit ex Graecia philosophos, qui de rebus publicis verbo tenus disserere solerent, sed Romanorum etiam civitatem atque instituta cognovit eaque cum philosophia ita coniunxit, ut certam quandam de re publica disciplinae formam eamque popularem, quae Polybio et Ciceroni maxime probaretur, quaerentibus nobis instituisse atque exstruxisse videatur.

Plane sunt ista, ut dicimus. Adiungam, constituisse Ciceronem, si minus in libris de legibus, certe in libris qui sunt de re publica, ut abesset ab obtrectatione et invidia neminem includere in dialogos eorum qui viverent: ad eam igitur aetatem Romani nominis inlustrem clarissimamque sermonem rettulisse, qua, quum insitiva disciplina doctior facta esset civitas, latissimum imperium adepta, ad singularem sui famam primum adsurrexisse visa est,

acceptis tum maxime atque ascitis Panaetii et Polybii studiis doctrinae, neque tenui quodam e Graecia rivulo in urbem, sed abundantissimo amne influente Graecarum disciplinarum et artium. Quod ipse animadverterat Polybius, ut video, scribens de eo tempore sic: *πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιῤῥέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀνθρώπων* (— qui videlicet *τὰ μαθήματα*, artes disciplinasque docerent —). Itaque pertinent hi libri, quibus studemus, de re publica, ad rerum summas atque sententias quod attinet, ad eam Scipionis et Laelii doctiorem sane excultioremque iam aetatem, cuius nobis imaginem pluribus verbis atque erudite viri qui bene existimare solent reddiderunt. Siquidem in florentissima rei publicae tempora incidimus, in Scipionis Laeliique iuventutem, in ipsa denique liberalioris institutionis initia, quae laetius postea in dies concrevisse scimus. Romam enim Panaetius contendit, postquam inde senatus auctoritate atque adnitente Catone discesserant nobiles philosophi (in iisque Carneades ille ex Academia), Atheniensium legati. Quorum quum infesta rei publicae et legibus visa essent consilia et insolens disputandi ratio, Panaetius contra et Polybius, Graeci homines et ad Graecorum exquisitissimam consuetudinem eruditi, in Scipionis et Laelii familiaritatem multorumque amicitiam, nullo adversante, sunt recepti.

Sed omnia, ut placet, quasi adumbrans dico multaque praetereo.

Quae quum ita sint, adhibuisse Tullium, dum scriberet de re publica disputaretque, in primis eos libros qui in ea tamquam familiarium congressione, quae in domo Scipionis haberi soleret, legerentur, aut eos demum, quibus illa, quae, Panaetio et Polybio et Scipione et Laelio ceterisque disserentibus, de optimo genere dicta essent, continerentur, quis tandem dubitare potest?

Quae vero a nobis de Panaetio sunt dicta fonte praecipuo, ex quo praecipua Tullius, neque tamen rem omnem minimi momenti, ad suam condendam civitatem sumpserit hauseritque, ipsos autem saepe colores liniamentaque duxerit. Ea igitur, quae posita sunt, non ita intellegi velim, ut tueri videar, Ciceronem in tanto opere moliendo tantaque rerum varietate exquirenda rebus argumentisve tantummodo expetitis aliunde usum esse, nihil per se excogitatum addidisse aut unam hanc transmarinam atque a Panaetio adventiciam doctrinam adhibuisse, ceteros neglexisse auctores eosque bonos cum ex Graecis tum ex Latinis. Varronem (proferam enim exemplum) certe habuit Tullius, ut ipse profitetur, scribens de re publica quibusdam in rebus comitem, etsi propter fragmentorum, quae sunt servata, ieiunitatem et copiam lacunarum ne coniectura quidem quibus locis vir tantus ingenio tantusque doctrina et Romanorum omnium doctissimus sit adhibitus adsequi possum.

Quid de Posidonio, discipulo Panaetii, dicam; quid de iis quos ex Graecia Tullius adhibuit in Somnio? Sed huius generis multa possem exempla proferre, nisi brevitati hoc loco consulerem maximae.

Neque enim, dum praesenti oblata occasione haec scribo, est necesse rem uberius persequi neque officio fungi sive *φιλοσοφοῦντος* sive *ἱστοροῦντος* aut exquirentis late cuiusdam. Itaque, ut omnia brevi comprehensione dicam, quantum Cicero Panaetii auctoritati tribuerit, libri de officiis luculenter testantur. Cohaerentesque et congruentes cum iis libros de re publica in Stoicorum minorum, Panaetium nempe designo, disciplina conscriptos esse contendo mediaque ex ea omnes fere, quos loquentes de optima re publica induxit Tullius, tum principes rei publicae viros, ut Scipionem et Laelium, tum lectissimos adulescentes, exstitisse et profectos penitus esse. Eaque de causa afuisse Tullium ab

Aristotele animadverto longeque a Platone persaepe, quorum tota erat sine proposito exemplo disputatio de rebus civilibus. Illorum enim fuit heroum, verbo tenus atque ut adsolerent in scholis acute quidem in suis acroamatis, sed non ad hunc usum popularem atque civilem, qui Panaetio vehementer est probatus, disserere, etsi a Panaetio, qui in utriusque libris legendis ac perdiscendis multam operam collocavisset, Aristotelis et Platonis plura Tullius tradita accepit.

Etenim civilis hic Tullius atque exemplo institutus Panaetii haud vaganti sermone disputat, sed defixo, ut ipse ait, in Romanorum re publica; eamque nititur recentis a Panaetio Stoicae disciplinae praeceptis, virtute maiorum et legibus instaurandis ab eo discrimine interitus, quod ipse consul averterat, cohibere. «Ego autem,» inquit, « si modo consequi potuero, rationibus iisdem, quas ille vidit (— Plato videlicet —), non in umbra et imagine civitatis, sed in amplissima re publica enitar, ut cuiusque et boni publici et mali causam videar attingere,» non quidem Platonis auctoritate et copia permotus aut ubertate completus, sed Panaetii in primis ingressus vestigiis, etsi Ciceronis acris cum Graecis aemulatio, interdum vero cum ipso Platone, exploratissima est.

Sed enim Tullium audiebam ex tertio de officiis queri quod nos veri iuris germanaeque iustitiae solidam et expressam effigiem nullam teneremus, umbra et imaginibus uteremur. Atque «eas ipsas,» ut ait ille, «utinam sequeremur! feruntur ex optimis naturae et veritatis exemplis».

Scribebat autem, de politicis etiam libris loquens, Attico suo quo ipso anno de re publica disputatione quaesivit: «Amisimus omnem non modo sucum ac sanguinem, sed etiam colorem et speciem pristinam civitatis. Nulla est res publica, quae delectet, in qua acquiescam». Quae quidem verba tam similia quinti libri de re publica prooemio sunt, ut ab illo, quod iis forte diebus scribebatur, in epistulam, aut contra ex epistula in prooemium velut transfusa iam A. Maio viderentur.

Atque ob eam rem, quum, aliquot post annis, ab omni negotio animum sevocasset indeque solacia repeteret, in eo sibi elaborandum esse censebat Tullius, ut leges, instituta, rem publicam, si non rebus gestis aut administratione civitatis, certe scriptis suis ad Panaetii praecepta artemque redactis quam maxime posset iuvaret. Exclamabat enim, ad Atticum scribens: «Utinam aliquod in hac miseria rei publicae πολιτικὸν opus efficere et navare mihi liceat»; tribus vero post annis constituebat, si minus in curia atque in foro, at in litteris et libris, ut doctissimi veteres fecerant, iuvare rem publicam et de moribus ac legibus quaerere. Ita sane ut mihi perelegans illud, quod est apud Plutarchum, de Bruto et Dione Syracosio, quorum ὁ μὲν αὐτῷ Πλάτωνι πλησιάσας, ὁ δὲ τοῖς λόγοις ἐντραφεὶς τοῖς Πλάτωνος, ὥσπερ ἐκ μιᾶς ὥρμησαν ἀμφότεροι παλαίστρας ἐπὶ τοὺς μεγίστους ἀγῶνας, conferri iure meritoque cum Cicerone posse videatur, qui quum se studio Panaetii teneri in condenda civitate prodidit, tum id studium rebus gerendis amplissimis, neque igitur modo in sole atque in pulvere, sed in ipso discrimine acieque comprobavit confirmavitque; quem ad modum, ut apud eundem est Plutarchum, post gestam auctamque rem publicam Panaetius ad scribendum de rebus civilibus processerat.

IOHANNES GALBIATI,
Praefectus Bibliothecae Ambrosianae,
Doctor latinis litteris tradendis
in Mediolanensi Catholicorum Athenaeo.

Citius venit periculum quum contemnitur.
Cito ignominia fit superbi gloria.
Considera quid dices, non quid cogites.
Consilio melius vincas, quam iracundia.
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.

P. SYRIUS.

DE PRIMO ANNO SANCTO

Bonifacius Octavus, Pontifex Maximus, tot rebus clare gestis optime celeber, *Anni Sancti* auctor quodammodo fuit, qui, omnibus posthabitis contrariis, « aspera dum positis mitescunt saecula bellis », seu potius, ut gentes per religionem ad pacem revocaret, anno millesimo tercentesimo, Annum Sanctum promulgare voluit. Et annus ille, ut omnes historiae narrant, celeberrimus habetur, Annorumque Sanctorum princeps facile creditur, et per omnem late orbem terrarum amplissimis verbis decoratur.

Iuvabit equidem, arrepta opportunitate, paucula describere, quae tunc primum Pontifex Maximus fecit, quaeque, in posterum, nonnullis leviter exceptis, Pontifices, eius vestigiis insistentes, facere consueverunt. Referunt enim, octavo kalendas Martias eiusdem anni, ex Lateranensibus aedibus, Bonifacium Octavum, adstantibus patribus Cardinalibus, omnique Pontificali Domo, Annum Sanctum fuisse auspicatum, et mira omnium adstantium solemnitate, Litteras Pontificias, ex Vaticano datas, quibus omnium admissorum venia cunctis credentibus ederetur, in ara maiori deposuisse.

Vixdum hoc felix nuncium longe lateque est diffusum, incredibile gaudium excitavit, isque hominum numerus, ex omnibus prope Europae regionibus, ad Urbem invisendam contendit, ut cuncti renascentem quodammodo religionem admirarentur, et ipsa Roma, adeo capax atque spatiosa, parvula omnino visa sit. Quin imo, rerum magnitudine perculsa, incredibilem sane rem, sed opportunam, mirum in modum excogitavit.

Ut omnis ergo peregrinorum multitudo, absque periculo, ad Sancti Petri templum libere pervenire tutoque possit, Pontem a sancto Angelo dictum, ea lege, in duas partes diviserunt, ut qui sancti Petri aedem peterent, sinistrorsum transirent, dextrorsum vero qui reverterentur. Quod quidem Dantes noster mirabiliter immortalibus versibus decoravit, in nobili illo carmine, cui ab *Inferno* est nomen inditum. In lectorum commodum, versibus ego alternis eadem latine reddita referre non dubitabo, cum ipsis Aligherii carminibus integre conscriptis.

Romani veluti Iubilaei grandis in anno,
Per pontem incedunt plebe frequente Tybris,
Hae namque ad castrum, et Petri gradiuntur in [aedem
Illae ad montem numina vestra tenent. [1]

Ad haec, quum ob tam magnam piorum peregrinantium copiam, ipsa cibaria iam in Urbe deesse coepissent, ne quid incommodi hospitibus devotis accideret, Pontifex Maximus prudenti admodum ratione e Sicilia frumentum opportunum in tempore transferri iussit. Nec sapiens hoc consilium atque providens absque hominum significatione erga Pontificem Maximum cecidit. Namque ipsos hospites, ut aliquo modo voluntatem suam in Patrem adeo beneficum ostenderent, eam pecuniae vim ultro obtulisse traditum est, ut cito, omnibus publicis impensis rite absolutis, Castrum funditus hoc aere aedificaretur, quod a Iubilaeo primum diuque adpellatum, foret hospitibus ornamentum, qui hanc sacram peregrinationem adgressi fuerant, et futuris incitamentum non parvum. [2]

Haud denique erit abs re meminisse illa fortunosa eademque celebri tempe-

[1] *Come i Roman, per l'esercito molto*
L'anno del Giubileo, su per lo ponte,
Hanno a passar la gente modo tolto;
Che dall'un lato tutti hanno la fronte
Verso il Castello, e vanno a Santo Pietro,
Dall'altra sponda vanno verso il monte.
(*Inf.*, XVIII).

[2] Deinceps vero nonnulla documenta traditae rei fallaciam demonstrarunt.

state, ad Urbem se contulisse, magno equidem in religionem decore, nonnullos praeclari nominis viros et dignitatis lumine ornatos et ingenii virtutibus. Inter quos, honoris causa atque laudis, libenter Carolum Martellum, Hunnorum regem recensebo, Carolum Valsesium, Philippi regis Gallorum fratrem; Dantem Aligherium, et Giotto et Cimabue, qui eo tempore primas in pictura facile referebant.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

DE BASILICIS

QUAE IUBILARI ANNO ROMAE VISITANTUR

Qui iubilaris veniae cupidi in Urbem peregrinantur, iis quattuor praecipuae basilicae visitandae sunt, in quibus definite iuxta mentem Catholicae Ecclesiae Patris et Pastoris preces Deo effundant. De his aliquam notitiam hîc referre opportunum sane duximus.

In primis vero ad nominis generalem significationem quod attinet, adnotare iuvat «basilicas» fuisse olim illa nuncupata aedificia, quae praedispositis porticibus locum darent ab aestu tutum ac pluvia, tum fastis diebus iura imperanti, tum petentibus et accipientibus civibus. Dum penes commune ius fuit, quidquid capital erat, vel circa, iudicia populi cognoscebant, et erat in aperto et sub dio locus iudiciorum in foro; postquam ius in arbitrium principis redactum est, basilicae, nempe haec porticibus praecincta aedificia, locus iudiciorum fuere. [1]

A Christianis autem basilicae passim ea templa sunt vocata, quae regio more, magnificentia regia exstruerentur, praesertim si gloriarentur regiis auctoribus.

***

Nunc ad singulas. Atque illa prior esto, quae, «ecclesiarum Urbis et orbis mater et caput», *Constantiniana* dicta est, quia Constantinus imperator, cognomento Magnus, Lateranorum aedes, Imperatorum tunc temporis res, sancto Silvestro Papae, anno 314, donavit, qui egregium templum dicavit Servatori, et patriarchium constituit in ipso palatio Lateranensi, quod usui Pontificibus mille circiter annos fuit.

Aurea quoque appellata est a divitiis propemodum innumerabilibus, quibus explendescebat, ipso Imperatore magnificentius cumulante, quas qui cupiat cognoscere, Anastasium Bibliothecarium accedat. *Lateranensis* insuper dicitur ex vetusto – uti iam recens in hisce paginis commemoratum est, [1] – nomine dominorum, qui olim ante Augustorum aetatem locum possederant, molemque exstruxerant et ornaverant. Quinto mensis Maii die, anno 1308, flagravit incendio ac paene subversa est. Anno 1313 patriarchium eadem horrenda perpessus est, et, ne prorsus etiam memoria periret, quot exinde fuere Pontifices, totidem incubuere ut rem restituerent, neque intermissum est opus ad nostra usque tempora, quibus nova absidis molitione a fundamentis, novo ornatu picturis, musivis operibus et sculpturis, amplificato etiam regio prospectu in septentrionale latus et porticu, quasi maximum priscis cumulum addidit Leo PP. XIII Quae pars autem spectat contra orientem solem, digna fronte, tiburtino marmore aedificata, in Apenninos prospicit, et plateae amplissimae imminet.

Neque silentio pratereunda causa est, qua sanctissima haec arx, Christo Iesu Servatori olim dicata, utriusque Ioannis, Baptistae nempe et Evangelistae, nomi-

[1] Cfr. SENECAE lib. III, *De ira*, cap. 3; PLINII lib. III, ep. 33; ISIDORI lib. V, *Originum*.

[1] Cfr. fasciculum super. mens. Novembris MCMXXIV, pag. 161 et sqq.

nibus decoretur. Narrat enim Paulus Diaconus, anno 568, Langobardis monasterium Casinense vastantibus, monachos e caede effugisse et incendio, atque, Pelagio I concedente templum coenobiumque exstruxisse iuxta basilicam Servatoris; templum autem sanctis Pancratio martyri et utrique Ioanni dicasse. Quo factum est, ut renovata basilica nomina secum omnia tulerit, in eorumque festis sollemnia agat.

***

Vaticanae basilicae longe pariter a praesenti diversum fuit opus; quippe antiquitus neque ingentes, qui nunc sunt, porticus, neque fontes ambo copiosissimi, neque Apostolorum signa exstabant. Fortasse aut pro completis dabat geminas turres campanarias, aut ibidem erat molis praescripta frons.

Quid autem intra parietes? Quamplurimae deerant statuae, multa marmorum, multa ornamentorum vis et virtus deerant, quae omnia nunc certe non desunt. Verum nos non ita amentes erimus, qui et seriem rerum, et thesauros, quae tamen in veneranda hac basilica asservarentur, describere tentemus. Unum sit innuere templi originem, scilicet a sepultura Principis Apostolorum, cuius sanctum corpus Cletus presbyter, comitantibus funeraticio iure Christianis, hîc, martyrum in cryptis Vaticanae catacumbae, recondidit, atque postea desuper oratorium aedificavit. Alio delatum, corpus postea redditum loco est, et Constantino Magno iubente, augustum templum ac speciosissimum erectum fuit, magno auri argentique pondere non modo in opus, sed et in supellectilia effuso. Quid ultra? Portae argenteae erant. Ab uno cetera disce.

At vero, iam diebus Nicolai V Pontificis fatiscentes parietes opem a fundaminibus postulabant, sed tantum Iulius II, moras et refectiones omnes interrumpens, aequavit vetera solo, novaque fundamenta iecit.

Quid inde, usque ad nostros dies? Quae nunc sit basilica beati Petri videre potes, enarrare non potes...

(Ad proximum numerum).

X.

IN «ANNUM SANCTUM» MCMXXV

En Sacer Annus adest Summo Pastore iubente,
Claudere qui caelum, quique aperire po-
[test;
Tempus adest plene culpas poenasque piandi,
Mellifluo e caelo munera larga ferens.
Quam felix oritur Christus dum nascitur orbi,
Pacis qui est Princeps, gentium et Ipse
[salus!
Invitat Regni superi iam Claviger omnes,
Caelum qui terrae conciliare cupit:
Eia humiles gentes ad Magnum currite Patrem,
Cunctis una fides, sit simul unus amor;
Et vos, Rectores populi Regesque, venite,
Vos primi veniam poscite cum lacrimis:
Tot vani secus et cassi pro pace labores,
Angelici nuper quam cecinere Chori.
Nec sit quem pigeat Lauretum tendere gressus,
Pacis ubi sedes Virginis Alma Domus;
Tendite Lauretum, populi, bona corda gerentes,
Deiparaeque pii solvite vota, preces:
Ut noxa ablata, in Christo cunctisque novatis,
Anni Pax redeat laeta corona Sacri!...

Laureti in Piceno, die Christi Natali an. MCMXXIV.

IOANNES FRATINI.

Geminat peccatum quem delicti non pudet.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.

Ius omne supra iniuriam positum scias.

Heu! quam miserum est ab eo laedi, de quo non possis queri.

Fortuna quum blanditur, captatum venit.

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

P. SYRIUS.

COMMUNIA VITAE

De nonnullis ad mundum muliebrem spectantibus. [1]

MAURUS RICCIUS FRANCISCO MORELLIO S. P. D.

Apage, apage puerorum lexicon si vis latine dicere quae ad mundum muliebrem spectant, ac potius lege Plautum, non illum quem Germanus [2] quidam cerebrosus Maccium appellavit, sed qui se ipse vocavit *Marcum Acciuni*, hominem *rufum, ventriosum, crassis suris, subnigrum, magno capite, acutis oculis, ore rubicundo admodum, magnis pedibus*. Haec verba, si nescis, deprompta sunt ex eius *Pseudolo*, quibus non temere grammatici putaverunt comicum poëtam se graphice descripsisse. In *Mostellaria* igitur mulierem audies petentem *speculum et cum ornamentis arculam*, quam gallico nomine *toilette* vulgo appellamus; item *cerussam et purpurissum*, quibus elegantes foeminae ora sibi albo vel rubro colore pingebant. Actus autem varii sese ornandi explicat Plautus amoenissime in *Pseudolo* iis versibus:

...Ex industria ambae nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari.
Poliri, expoliri, pingi, fingi.

Sunt ibi ornamenta aedium *belluata conchyliata tapetia*, quae nempe ostentant belluas et conchylia: in *Menaechmis* sunt *armillae* in utroque brachio gestandae, *spinther*, in sinistro, *inauris stalagmia*, pendulum aurium decus.

At nihil amoenius quam elenchus mercatorum, quem recitat in *Aulularia* Megadorus, uxorum luxuriam incusans. Est *fullo*, qui vestes purgat, *phrygio* qui eas acu pingit, *artifex lanarius*, qui vestes laneas facit venditque. *Patagiarii, indusiarii, manulearii, strophiarii, semizonarii*, tuae uxori, sis, praebebunt patagia, (Tusce *i goletti*), indusia (*le sottane*), manuleos (*i manichini*), strophia (*le fascie*), zonas minus latas (*le cinture*). Adde *limbularios*, a quibus orae vestium limbo ornabantur, ac *linteones*, quos cave confundas cum *lintearüs*: hi enim lintea vendunt, illi texunt. Artificum qui ad vestes tingendas incumbebant, non unum nomen erat: *flammearii* tingebant croceo colore, *violarii* violaceo, *molochinarii* malvaceo. Infector autem *crocotularius* croceo colore crocotas, tunicarum genus, inficiebat. Neque, ut uxor tua sciat apud quos, si opus sit, haec vel obsoleta emat, desunt *propolae* (apud nos *i rigattieri*).

Hactenus de vestibus, earumque ornatu. Corium ad calceos filiae tuae, si quam habes, conficiendos, quaeres a *coriariis*; varia autem calceorum genera, Plauto ipso auctore, vendent vel *calceolarii*, vel *sedentarii sutores*, vel *solearii*, vel *diabathrarii*; quos omnes invenies in *Aulularia*. Unguentis ac suffimentis calceos imbuent, si Romanorum huiusmodi usus aliquando reviviscet, *murobrecharii*.

[1] Anni quinque super viginti iam effluxerunt ex quo - VI Kal. Febr. MDCCCC - Romae extremum vitae spiritum edebat Maurus Ricci, Scholarum Piarum Praepositus generalis, italici sermonis non minus quam latini scriptor praeclarus. Qui quidem, quum me, quem a pueris vix excedentem cognoverat, et opus quodcumque meum ad latinitatem fovendam provehendamque summa animi dilectione prosequeretur, iam iam moriturus « Variae latinitatis » volumen, a se exaratum, cuius unicum exemplar ipsi superfuerat, dono dedit, humanissima verba et prope moerentia addens, quae ego sic accepi, tamquam officium mihi commissum ut eius nomen, memoriam et exemplum aliquando revocarem, ne indebita oblivione obruerentur. Itaque per annum hunc in hoc nostro *Almae Romae* latinitatis praeconio iterum eius epistolas, et fortasse nonnullas latinas orationes edere constitui, quae propius ad rem nostram accederent. Sit hoc magistro desideratissimo quasi ex testamento tributum, sociisque et lectoribus commentarii nostri grata et praeceptrix delectatio. - I. F.

[2] Fridericus Ritschelius.

A calceis ascende ad capillos, quos calamistris crispabunt *ciniflones*, ita dicti quod ad bene opus exsequendum in cinerem flabunt.

Arculam denique ubi mundum muliebrem foeminae tuae recondant, conficient *arcularii*.

Si dubitas an haec sint uti scripsi, meum amicum Vallaurium sciscitare. Vale.

COLLOQUIA LATINA

Petitur facultas ad varia. [1]

FAUSTUS, IUVENALIS, CONRADUS, LUDIMAGISTER.

FAUST. Pudet me, magister optime, toties admoneri de garrulitate: cupio deinceps taciturnus esse in schola, si quis alius; sed rogo humanitatem tuam...

MAG. Quid, adolescens?

FAUST. Ut mihi liceat mutare locum quo vis alio.

MAG. Locum, non ingenium mutabis, ut coniicio.

FAUST. Confirmo fore ut secus eveniat. Nunc assideo Emmanueli illi; puer est inquietus, identidem me irritat; modo aliquid mihi insusurrat ad aures.

MAG. Simula te indignari; desinet.

FAUST. Haudquaquam. Colloca me, quaeso, ubi placuerit, modo ne prope Emmanuelem: obmutescam illico et pendebo ab ore magistri docentis.

MAG. Tentemus!

IUVENALIS. Licebitne mihi ut per scholam postmeridianam provocem adversarium ad disputandum de praeteritis et supinis verborum, de nominum comparatione et de imponendis adagiis?

MAG. Faciam tibi provocandi potestatem libenter. Sed quem ex condiscipulis?

IUV. Petrum, qui princeps in re habetur, et post eum alium quemlibet, qui mecum contendere velit.

MAG. Vide, sis, ne utrinque spe excidas. Alterum e duobus lacesse; nam qui duos insectatur lepores neutrum capit.

CONRADUS. Veniam dederis mihi conveniendi studiorum nostrorum Praefectum?

MAG. Ubinam eum conveneris?

CON. In area modo erat; sin inambulat certe nunc in porticu.

MAG. Quid illi habes dicere?

CON. Heri vespere adivi eius nomine causidicum quemdam nobis vicinum, destinaturus epistolam; nunc illi responsum referam, si tibi placet.

MAG. Placet.

FAUST. Placet identidem facere mihi potestatem recurrendi domum? Quam citissime revertar.

MAG. Quid te urget?

FAUST. Excidit mihi scripturam afferre et pensum.

MAG. Suspicor te alterum exemplum thematis non descripsisse.

FAUST. Salva pace tua, descripsi hodie, primo mane. Seposueram dum exsiccarentur characteres; deinde non memini recondere in sacculo librorum. Imprudens quidem feci, sed...

MAG. Ego te prudentem faciam et memorem.

FAUST. Si unquam posthac, non recuso supplicium.

MAG. Hodie interim non prius ab hac aula proficisceris, quam absolutae scholae signum datum fuerit.

FAUST. Quod iubes fiat; alteram vero, eamque humilem rogationem meam non repugnabis, spero.

MAG. Quam rogationem?

FAUST. Ut reddas mihi crepundia illa hisce diebus mihi erepta.

MAG. Non ideo eripui, ut mox restituam.

[1] Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

FAUST. Fateor me violasse mandatum tuum quum in scholam intuli: posthac nunquam importabo.

MAG. Omnia tibi posthac! - Quas res requiris?

FAUST. Bombyces meos; metuo ne moriantur fame..... Praeterea globulos, quos inter sunt marmorei tres quattuorve. Et forficem, qui non est meus, sed spectat ad sororem..... Denique imagines, scalprum, haematiten hinc rubram, inde caeruleam...

MAG. Cras recipies; at si te unquam alias attulisse deprehendero, extremum tunc videbis.

FAUST. Cavebo thesaurum hunc exponere praesenti periculo. Insto autem ut illa reddas hodie, quum crastina die necesse sit ut a schola absim.

MAG. Quid nunc novi nominis?

FAUST. Non quidem veri species, sed ipsa veritas. Eundum mihi est rus cum parentibus: proficiscemur summo mane in villam nostram. In pago illo paganalia celebrantur.

MAG. Quando redibis?

FAUST. Crastino vespere in urbe certe erimus; perinde mane ego in schola.

MAG. Abi igitur atque inter rusticos esto sapiens. Quum rediveris crepundia tua recipies.

FAUST. Sed forficem saltem reddas mihi.

MAG. Dixi, et fiat satis tuae petulantiae.

CONR. Cras, ne ego quidem potero scholam frequentare...

MAG. Quid impediet?

CONR. Ex medici iudicio sumenda mihi potio medica ad purgandum corpus: tentatus fui febricula hisce diebus: medicinam adhibebo, ut obstem principiis.

MAG. Optime utique; obstandum est principiis, nam sero medicina paratur, quum mala per longas convaluere moras. Cura igitur, o rerum dulcissime, valetudinem tuam... Ne tamen redux obliviscaris exhibere super hac re parentum testimonia. Et haec pro Fausto quoque dicta sunto.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Infernus - Inferi; Orcus; Sedes (Regio) infera; Sceleratorum (Impiorum) sedes; Inferorum carcer; Tartara.[2]

Infidelis - Homo a fide aversus (a Christo alienus); Fidei christianae infestus hostis.

In fine (libri, epistolae, et sim.) - In extremo libro; in extrema epistola.

Infinitudo - Infinitas.

Infirmare - Aegrotare; In morbum implicari.

Infirmitas - Infirmitas corporis (valetudinis).

Infirmiter - Infirme.

Informatio - Cognitio; Inquisitio; Exploratio; - *Informationem dare*: De aliqua re aliquem docere (certiorem facere; reddere; monere); Alicuius rei statum alicui exponere (aperire; significare; declarare; indicare; patefacere); Alicuius rei notitia aliquem instruere. - *Informationem quaerere*; Aliquem de aliqua re interrogare (quaerere); Alicuius sententiam cognoscere velle; Alicuius iudicium exquirere; Ab aliquo sciscitari.

In genere - Generatim; Universe.

Inglutire - Glutire; Deglutire; Vorare; Devorare; Sorbere aliquid.

In gratiam (alterius) - Alterius causa.

Ingratitudo - Ingratus(Immemor beneficii) animus.

Iniurare - Iniuria aliquem afficere; Iniuriam facere (imponere) alicui; Aliquem contumeliis (ignominiis; iniuriis; maledictis; opprobriis; conviciis) facessere (vexare; lacerare; laedere; proscindere; figere; configere); Aliquem convicio (maledictis)

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Itaque: Ad inferos descendere; Ad sempiternum interitum festinare; Orco addici; Tartareis ignibus subiici; In inferos detrudi.

appetere (onerare; incessere; exagitare; iactare); In aliquem contumeliosas voces iacere (immittere; conferre; congerere; coniicere); Aliquem conviciis verberare (consectari); Alicui contumeliose maledicere; Aliquem probris incessere (contumeliis excipere; asperioribus verbis offendere; probris et conviciis proscindere) Alicui convicia ingerere; Maledicta in aliquem evomere: Aliquem iniuriis (iniquis verbis, inhonestis dictis) violare (vexare; perstringere; opprimere).

Innotescere - Percrebrescere; Palam fieri.

Inopinus - Inopinatus; Nec opinatus.

Inordinate - Sine lege ac modo.

In quantum - Quatenus; Qua ex parte - *In quantum potero:* Quantum in me erit; Quantum consequi potero.

Inquisire - Quaerere in aliquem.[1]

(Ad proximum numerum).

I. F.

ANNALES

Nationum societas.

Ut fuerat constitutum, Romae primis superioris mensis diebus nationum societatis supremum concilium est congregatum, cuius peculiare munus esset disceptatio prima circa pacta de armis deponendis. At vero Chamberlanius, novus Anglorum legatus, institit, ut res ad aliud tempus deferretur, scilicet postquam civitates quae Anglico dominio arctius latiusve subiiciuntur, suam protulerint de argumento sententiam; eoque magis quod Anglico gubernio constiterit, eas non omnes idem sentire, non solum de muneribus Nationum societati concedendis, verum etiam de ipsa eius utilitate. Quum igitur conventus caput, ut ita dicamus, obtruncatum fuerit, defecit singulare eius momentum, imo et finis praecipuus.

[1] Itaque *S. Inquisitionis Tribunal:* Fidei Quaesitorum tribunal (collegium; concilium). - *Sacer inquisitor:* Fidei (De rebus fidei) quaesitor; Qui iudicium in pravas opiniones exercet; Qui criminum pravae opinionis quaestionibus praeest; Cui munus in pravas opiniones inquirendi publice mandatum est; Iudex pravarum opinionum (in pravis opinionibus infectos).

***

Albanensium seditio.

Albanensium factiones iterum in armis sunt. Ahmed Zugu, usque ad mensem Iunium superioris anni administrorum consilii praeses, cum suis summa rerum per vim iterum potitus est, depulso atque fugato Fan Noli, nunc rei publicae praeposito, qui in Italiam confugit. Quamquam Ahmed pacem promiserit fueritque protestatus sese in inimicos minime saeviturum, res in quietem nondum reductae dici possunt. Proximae gentes, Italica nempe et Iugoslavorum, iuxta foedus Romae quondam pactum, seditionem tamquam internum eventum considerantes, a quovis interventu abstinuerunt, eoque magis ceterae nationes idem fecere.

***

Germanicae res.

In Germania nova comitia habita sunt ad populi legatos legibus ferendis eligendos, eaque favorabilia simul iis qui mediam, ut vulgo dicunt, partem tenent, et socialistarum factioni cessere, parte extrema hinc «nationalistarum,» inde «communistarum» omnino victa. Sed tamen impossibile evasit novum congerere administrorum collegium; tanto magis, credimus, quod ingratam quidem quaestionem solvendam statim inveniet: emigrationem dicimus exterarum copiarum, Anglorum maxime, ex Coloniae regione, quae die X huius mensis Ianuarii fieri deberet, neque reapse fiet, quia dictitent peritos ad rem delectos declarasse Germanos fidem non

praestitisse Versaliensis foederis capiti de armis deponendis. Fortiori igitur iure Gallia a Ruhris provincia minime abscedet!

*
* *

Ex aedibus Vaticanis.

Romae, faustis Dei auspiciis, anni sancti sollemnia inchoata sunt, quibus Pontifex sacrum Purpuratorum Patrum secretum consistorium de more praemisit, ubi legatos suos «a latere» creavit ad basilicarum, praeter Vaticanam, portas sanctas aperiendas, Basilium Pompilj, Vicarium suum in Urbe, ad S. Ioannis in Laterano; Vincentium Vannutelli, Principem Sacri Senatus - cui sorte unica, quod sciamus, in historia contigit eadem sacra in magno iubilaeo bis peragendi, - ad S. Mariae Maioris; et Caietanum De Lai, Episcopum Sabinensem, ad S. Pauli. In oratione, quam tum habuit, Summus Christianae Ecclesiae Pastor laetabilia recolere voluit, quae ipsi Ecclesiae recens contigissent. Horum eventuum primum iure adnumeravit Concilium Plenarium, quod Sinarum immensis iis interminisque regionibus, quasi quaedam inter tenebras aurora, feliciter primum illuxit. In urbem Shangai, praeside Pontificio Legato, Sinensium sacrarum Missionum Vicarii ac Praefecti convenere ad unum omnes; nullum aut stirpis, aut patriae, aut religiosae sodalitatis discrimen impulit, ut in diversa studia discederent; una iis Redemptoris Christi caritas, una Apostolicae Sedis reverentia, una populi illius, evangelica luce carentis, miseratio.

Nec profecto minor laetitiae causa exstitit ex Conventu quarto, quem Pium Apostolatus Opus, a beatissimis viris Cyrillo et Methodio nuncupatum, in civitate Welehrad, prope venerabile Methodii ipsius sepulcrum, mense Iulio MCMXXIV agendum curavit. Propositum eiusmodi Conventui, quemadmodum tribus prioribus, Orientalium populorum, qui catholico nomine defuissent, cum Ecclesia Romana unitatem provehere. Complures ei e dissidentibus fratribus interfuere, «reliquis paene omnibus e longinquo in Conventus labores animum intendentibus; bona quidem voluntate utrinque disputatum; inter alia, quae possent faciliorem orientalibus munire viam ad eo, cum sanctorum caelitum Ecclesiae suae gaudio, remigrandum, unde discessio non ante saeculum nonum facta esset; visum est, incorruptam servari liturgiam veterem Slavam eiusque edi divulgarique monumenta, et non modo in athenaeis Seminariisque latinis... doctrinas Orientalium sacras coniunctasque cum iis disciplinas alumnis, quoad fieri poterit, copiose tradi, sed etiam de hisce ipsis argumentis, in peculiaribus coetibus, per Conventus, praesertim Eucharisticos, inter nationes in posterum habendos, accurate referri. Quid, quod hoc ipsum consilium egregii ii viri, qui Conventum Amstelodamensem ordinaverunt, absolutum quarto die ante quam Welehradensis inchoaretur, felici quadam futurarum rerum praesensione ac scientia, occupaverant? Nam episcopi et sacerdotes, alii ex alio orientali ritu, sociis tum nonnullis e Sacra Congregatione Ecclesiae Orientalis negotiis praeposita adiutoribus, tum praeside pontificalis Instituti (de rebus Orientalibus Romae conditi), Amstelodami, in peculiarem ac proprium congregati coetum, de suae Ecclesiae fide, historia, ritibus, praesertim quod ad Eucharistiam pertineret, et erudite et ad mentes inlustrandas percommode disseruerunt. Ex qua quidem studiorum materiaeque novitate recte dixeris Amstelodamensi Conventui Eucharistico, ex omnibus nationibus septimo ac vicesimo, aliam quandam accessisse singularem notam, praeter eam, quam ipsa indiderat loci condicio, quod nempe, perinde ac Londinensis, in tali civitate haberetur, quae longe maximam partem ex acatholicis constaret».

Postquam autem Summus Pontifex in Conventu illo Eucharistico Amstelodamensi amplissimis verbis fuisset ulterius immoratus, ac praeterea qui hîc illic varie sequuti sunt commemorasset, Panormitanum, Washingtoniensem, Hannoverensem, Caroloregiensem; adnotavit in Gallia, «his ipsis diebus, ex ea temporum condicione, nec felici sane nec optabili», hoc feliciter exstitisse, «ut quotquot sunt catholici professionis ac nominis, mirabili quadam consensione foedus inter se societatemque coniungant ob tuendas religionis res; quod quidem est et gallicae gentis res praestantissimas, quin etiam animarum salutem ac Numinis ipsius iura tueri».

Post quae, quum Russicas res brevi recoluisset, gratulatus legatis, qui recens a sospitatis nomine suo Russis redierunt, ad ea perrexit, quae Romam proxime contingerent. Fuerunt haec et translatio a Petriana basilica ad Lateranensem venerabilis corporis Leonis XIII, et sollemnia cum magno religionis fructu peracta exeunte sexto decimo saeculo a dedicata Christi Dei Servatoris Basilica illa Constantiniana. «At vero - conclusit - multo uberiorum exspectationem spiritualium fructuum Nobis Iubilaei maximi celebratio commovet, quam propediem singulari Dei beneficio, auspicaturi sumus».

Et quidem, postquam die XXI ipsius mensis Decembris Sacrarum Missionum expositionem, a se promotam et magnificentissime effectam, inaugurasset, in vigilia Nativitatis Domini ritum aperitionis portae sanctae in Vaticanae basilicae porticu felicissime absolvit inter magnam populi multitudinem, quae ovantem et gratulantem Eum, Vaticanam ipsam basilicam ingressum, excepit, pietatemque suam Patris dilecti benedictione refecit. Quod felix, bonum, fortunatumque non Romae tantum, sed orbi universo sit!

Kal. Ianuariis MCMXXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Licet profecto mihi novum annum laeto animo vobiscum consalutare; dedit enim ut novam disciplinam in hisce paginis hodie nunciarem: **calceomantiam** dico, seu proprius **soleomantiam.** Haud nugas ago: eo nempe pervenimus, ut Buffonii notam illam definitionem immutare ita debeamus: *Solea est homo!* Id enim haec soleomantia docet, ut quisque calceorum soleas quum exploraverit, de induentis natura et moribus non modo, sed de fato ipsi imminenti tutum ferre valeat iudicium. Papae! Non unum itaque quod memorati sumus rhetoris clarissimi effatum praetervertendum est, sed et vetustissimum adagium, quo monemur alios ex comitibus dignoscere; dicemus scilicet in posterum: *Pedes extolle, ego qui tu sis indicabo.*

Garré de Bâle novae doctrinae est inventor et magister, cuius nomen inter immortalium seriem procul dubio referretur. Caveat enim quisquam ne eius repertum inter somniantium portenta ausit adnumerare; sciat namque in solido fundamento idem esse constitutum: acute nempe auctor animadvertit soleae consumptionem ex incessu recta procedere; incessum autem intimam cum hominis natura relationem habere, optimumque psychologicae investigationis praebere indicium. Ex quo facile praedicare licet fore ut ex hac soleomantiae seu calceomantiae disciplina brevi et scientia altior a clarissimo viro universo stupenti orbi vulgetur, *incessumantia.*

Sed ne longius abeat oratio: colligemus, contra, ipsi nos et a Garro isto - o typotheta, caveas ne scribas: «Garrulo!» - sapientiam compilemus.

An dexterum calcei labrum conteris? Valde opiniosus vir es; tantundem vero praesens non ades; negligentior in vesti-

bus modisque, remotus ab hominum consortio, in tuum unice amorem perges, librata mente. Sed quid inde speras? Felicitatis parum tibi vita apportabit.

Quanta, ex adverso, te manent, si sinistrum conficias! Dominatrix ad summum tibi natura; pertinax, usque dum fines tuos assequuturus fueris, non dubitationi, neque religioni, neque etiam violentiae parcebis. Vere Nicolai illius Machiavelli discipulus videris, et voluntas in hominis vestes inducta. Magna tibi itaque mens; non vero sapientiae satis.

Vae tibi si calceorum verticem exedas! Intelligentia carens, imbellis et pavidus, ab omnibus circumventus, deceptus et oppressus, nihil eris in vita nisi glebae servus!

Neque valde te iuvabit cum vertice et fulmentarum quoque segminis partem atterere. Fortuna tibi prospera aliqua concedere poterit; non vero tu ea consequi tuis viribus valebis: de nulla re dolens, Pyrrhonius, fati vim unice spectans... Fi!

Melius forte tibi, si fulmentarum segmen totum absumas: poteris quidem violentus esse, machaerophorus ad crimen usque, rudis, plebeius, superbus; sed etiam - numne e minore segminis ipsius consumptione? - rerum gloriosus tantum ostentator, gestaque rumoribus unis continere. Quum autem et pertinaciae, praestantis intellectus et corporis valetudinis dotes huiusmodi solearum fricationem semper comitentur, indeque impensa vitae ratio, hanc ad instrumentum boni procurandi adhibere poteris, quod tibi aliisque felix bonum faustumque fiat.

Si quis autem una cum omni segmine et soleam omnem peredat, huic profecto egregia indoles: gravis homo est, operosus, honesta aequilibritate praeditus. Nihil somniorum, mollitiae nihil: gnarus, in rebus versatus, optimus paterfamilias, austerus, apprime honorandus, isque cui omnino fidere nobis liceat.

Atvero si soleae centrum et segminis partem tantum conterat, docilem nimis sese praefert, nimis officiosum, trepidulum, abusui remisse obnoxium; hominibus nefariis ille operam suam facile condonabit.

Melius o! ei continget, qui soleae centrum unice erodat: vir enim indicatur multi consilii, sollers, sedulus, nihil ad libidinem suam fingens. Ad suscipienda atque expedienda negotia maxime aptus, actuosus, acer, integer, fieri non poterit, quin secundas res sibi comparet.

Habetis igitur, o humanissimi vos qui legistis, tutam ab hac die pro vita vestra normam: quum aliquem conveneritis quocum negotium aliquod vobis ineundum sit, ipsius solearum statum attente inspiciatis; neque minus quum vos rem aliquam aggressuri sitis, calceos vestros perscrutemini, ut coniiciatis utrum natura necessarias ad successum virtutes vobis elargita fuerit.

***

Interim et **Gallum monentem** audiamus. Ecquem Gallum? Quem scilicet SUBALPINUS noster cantantem audivit, cuiusque carmina collegit, in hunc commentarium nostrum singulis mensibus per hunc annum relaturus. Ita igitur ille primum:

Morem secutus ab Aesopo traditum,
Tenet quem cuncta mordicus antiquitas,
Quod bestiae interdum sapienter doceant,
Mihi voluptas est latine dicere,
Phaedro magistro versibus senariis.
Nobis est praesens pullus gallinaceus,
Prudens qui gestu docet nos et canticu.
Quotquot sunt domui viri praepositi
Dicit superbe proloquens ex cathedra,
Meum sequantur iudicium fidius!
Interdiu cano noctuque pluries,
Cano sed usque stridulis cum vocibus,
Nunc alis ferio terras horridulis
Superbe gracidans nunc et percutio...
Tunc circum plumae collum quae stant tu-
[midum,

Turbari incipiunt, crispari asperrime...
Vae tunc gallinis, errant quae per horrea!
Sum quoque agricolis signum temporis...
Horas diurnas et temperies indico,
Et terraemotus sentio divinitus...
Cano ego: Pater imperet familias,
Suosque filios moneat quid agant!
Sed clare dicat saepius per ordinem;
Non semel tantum, repetat sed iterum;
Prior sed exemplo mandata compleat.
Haec si nec facit quis? Gerit se pessime,
Opus facit cassum cunctis et funestius...
Discant a gallo patres ita moniti
Suis exemplo filiis praecedere.

***

Iocosa.

Magistri praecepta Tuccius assidue tenet, ut opportuno tempore in suam utilitatem revocet.

Quum e schola redux diu lateque per oppidum et compita vacasset, mater eum prohibuerat, ne per reliquam diem domo exiret. Ut ex imposito sibi sacrificio delectationem aliquam sibi compararet, ad fenestram accessit, sed heu! condiscipulos aliquot vidit laetanter iocantes. Post brevem moram:

— O mater - clamitat -; veni et aspice in via infelicem illum senem macilentum, laceris vestibus; quis animo tam duro erit praeditus, ut obolum ei negaverit, quod, voce ad miserabilem sonum inflexa, a viatoribus impetrat?

— Optime, o mi bone. En tibi nummus, quo ipse tu ei subvenias.

Accepta pecunia, Tuccius festino pede ad domus ostium contendit.

— Heus, Tucci! Ne domo, ut te iussi, egrediaris! Pecuniam ad misellum illum e fenestra proiice

Tuccius: - Nunquam fiat ut praecepta violem magistri, qui indesinenter nos monet: Ne pecuniam fenestra unquam proiiciatis!

Et fugit.

Tuccius in schola a Magistro interrogatur:

— Quot menses viginti et octo dies numerant?

Tuccius: - Babae! Omnes!

***

Aenigmata.

I.

(*Permutatio vocalium*).

O terram tetra tenebris caligine cingit;
I gelido hanc ipsam velamine contegit albo;
E, contra, vivos vigilat saevissima in armis;
U tibi, si frangas, oleum dabit optima, et
[escam.

II.

(*vulgo* REBUS)

Han Eg Ru Bis A

Aenigmata in postremo superioris anni fasciculo proposita his respondent: 1) *Num-en;* 2) *Tinea.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. EM. IO..., *Vici.* - Quid de te amicisque illis tuis?...

Cl. v. v. FR. SO.... AL.... *Radicenae in Calabris* et M. FU.... *Formicolae.* - De sorte poëtici illius certaminis novas notitias sumere sategimus. Videtur fore ut responsum intra mensem hunc tandem edatur. Interim certamen novum immutatum ad proximum Februarium mensem manet.

CRACOVIENSIBUS PHILOSOPHIAE DISCIPULIS. - De humanissimis vestris litteris amplissimas gratias habeo, vobisque vicissim novum annum bonum, faustum, felicem a Deo adprecor ex animo.

A SECRETIS.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS

ACTIO DRAMATICA FRANCISCI WIELAND

(LATINE REDDIDIT ANDREAS HABERL)

PERSONAE.

CAIUS, pontifex maximus.
REPARATUS, eiusdem diaconus.
TARCISIUS, acolythus, adolescentulus.
SEBASTIANUS, praefectus Praetorianorum.
PANCRATIUS, amicus Sebastiani.
QUADRATUS, Sagittariorum princeps.
TERTULLUS, praefectus Urbis.
CORVINUS, huius filius.
TORQUATUS, neophytus.
SEVERUS, fossor.
AGELLUS, cursor imperatoris.
HYPHAX, sagittarius, Afer.
CHRISTIANI, MILITES.
Locus actionis, urbs Roma.
Tempus, persecutio Diocletiani et Maximiani imperatorum.

ACTUS I.

(*Apertum palatii imperatorii atrium. In parte scenae remotiore medius exitus in podium, tectum aulaeo viridi, adducit*).

SCENA I.

TERTULLUS. AGELLUS, CORVINUS.

TERTULLUS (*moto animo ultro citroque incedens*): Ergo necdum satis est effusi sanguinis? Num Urbs sanguine civium suffocabitur? Triginta annos et amplius thronum ruinas dare dixeris circumstipatum illis, qui motu civili funestissimo et se et te, almum regnum, dilanient! (*Consistit*). Tantopere eheu collapsam esse tuam maiestatem, urbs regia! Ubi nunc sunt principes? Ubi sunt Caesares? Ubi Octaviani sunt, quibus olim ducibus fulgebas tamquam luminibus? (*Procedit*). Occisi sunt filiorum tuorum praestantissimi. Robur civium contemnitur. Nunc adularis alienos dominos, et, quod proprium iugum excussisti, insolenter te suo subdit iugo barbarus. Corvi ex Septentrionibus advolantes certant tuis de parietinis, quum vilis multitudo modo hunc modo illum tollit laudibus (*Consistit*). Num Iuppiter, quo stultos sternat, fulmine deseritur?

AGELL. (*festinanter intrat cum litteris*): Modo hae ad te adferuntur litterae.


TERTULLUS: Ab ipso principe! Non ego fausta nuntiari suspicor. Scriptae videntur sanguine. Ex ipsis lineamentis caedes ringitur. Quid moliris, Maximiane? (*Aperit*). Annon eram suspicatus? Corvinum ad me vocate! (*Agellus abit*). En igitur novam caedem Urbi praecipis! Exitium intendis Christianis. Quod genus perduellium, etsi dudum dignum morte est – quantopere ego eos odi! – tamen horreo eorum sanguinem: nam quidquid susceperis, erit irritum. Ducentos annos Christianorum trucidamus millia, et tamen Romani ex caesorum sanguine, tamquam ex copioso semine, novos hostes vident surgere. Nondumne sapis, Maximiane? Est fere portentum. Hoc aenigma non solvitur nostro gladio! (*Ad Corvinum, qui interim ingressus est*): Vocavi te, rem gravem ut tibi confiderem. Quam luctuosa, quam fatalia sint tempora, noveris.

CORVINUS. Novi equidem istud, pater. Et hoc ipso die accepi Aegyptum, terram ceterum fertilissimam, nunc dura premi fame, et in Creta insula Neptuni undis templum absorptum esse cum populo (*Studiose*). Et dicunt hanc culpam esse Christianorum, quorum orbis universus artes magicas...

(*Ad proximum numerum*).

N. XII - FASC. II MENSE FEBRUARIO MCMXXV

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Februario MCMXXV Fasc. II

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

PIO XI P. M.

SACRI PRINCIPATUS ANNUM IV AUSPICANTI

Annum illuxit sacer; estque quartus,
Pontifex ex quo, PIE, Tu Supremus
nactus es Claves aperire promptas
aethera terris.

Caelitum per Te reserata sedes
o quot affundit miseris Adami
posteris gazas, facili labore
cuique lucrandas!

Strena Romanis patet advenisque,
si, brevi fusa prece, septicollis
vicies Urbis potiora visant
templa quaterna.

Lapsa de caelis opulenta merces
incolas Urbis trahat universos!
Attrahat densas, genitas sub omni
sidere, turbas!

Nec semel tantum, PIE, pandis aethram;
haec recludetur, quoties novellum
Caelitem prodes, sua quem probarit
inclyta virtus.

Claviger Mystes, Tibi saepe fas sit
aureas caeli reserare valvas!
inter et cives Patriae supernae
scribere longam

militum Christi seriem, periti
qui duces nobis praeeant, suisque
gressibus sternant iter ad beatam
Numinis aulam!

Caelites nostri sua quisque regna
protegat! Gallis parochus Ioannes [1]
adsit afflictis; roseum det imbrem
parva Teresa! [2]

FRANC. XAV. REUSS, SS. R.

[1] Ioannes Vianney, olim parochus pagi, cui nomen *Ars*.

[2] Teresia a Puero Iesu, Ord. B. V. a Carmelo.

De Titi Livii recenti quadam larva [1]

Quod bonum, faustum, felix fortunatumque sit Pontifici Maximo Pio XI; Tibi praesuli amplissimo, eius in Urbe Vicario; universo coetui, reique nostrae litterariae bene vertat.

Hodierno die, quo, pro veteri Maiorum instituto, ad praemia labori ac virtuti discipulorum assignanda universi nos convenimus, ego in dubiam famae existimationisque aleam pene tumultuarius orator accedo. Mihi enim nil tale cogitanti, ab excellentissimo atque humanissimo nostro studiis regundis Praefecto, hoc in tam solemni apparatu atque doctissimorum virorum corona, haec salebrosa quamvis ornatissima vobis acroasin habendi, provincia tradita est. Nemo tamen, ut puto, mirabitur si perspecta semel et iterum audientium humanitate, moderatione, spes in me prosperi cursus oboriatur et metus omnis intercipiatur. Ipsum argumentum, quod elucubratum vestris auribus committo, novitate, utilitate, exspectatione id est, ut vires addat, nec ullus nasutus auditor, oratorem de Titi Livii patavini casibus loquentem, non probaverit. Itaque recentis cuiusdam livianae apparitionis opportunitatem nactus, argumentum a quo haec acroasis initium coeperat dilatandum esse censueram. Nemini enim de Tito Livio disserenti, plura in animum cadere non possunt, quae antiquitus circa Livium congesta fuere: ita ut livianam quandam larvam iteratis temporibus saepe saepius inter homines apparuisse confiteri necesse sit.

Hisce tamen positis, rem breviter expediam.

E livianis scriptis plus quam duae tertiae partes a nobis desiderantur; nam rerum monumentis traditum accepimus Livium epistulam ad filium de arte oratoria misisse, dialogos ex historia atque philosophia depromptos, nec non tractatus ex philosophia unice collectos, exarasse; quae omnia periere. Princeps eius opus ab Urbe condita ad Drusi funus in Germania celebratum, septingentorum et triginta sex annorum spatium, libris centum quadraginta duobus, complet. Ex iis triginta quinque, quorum integri primi decem, a vigesimo primo ad quadragesimum quintum libri, nec non fragmenta quaedam, in quibus unum a doctissimo viro ac familiari meo Marco Vattasso in Lateranensi sacello nuper repertum, adhuc nobis supersunt. Ex iis quae dicentur, facile colligi potuerit quod nulla nobis spes livianos codices inveniendi arridet, nec temeritate notandus qui credat ab ipso Caio Caligula Livianae historiae infestissimo, ut a Suetonio accepimus, [1] multa exemplaria esse deleta et partes praecipue, quae a nobis desiderantur. Id vero nullum impedimentum vobis adulescentibus afferet, quominus Patavini, quae exstant scripta, diligenter perlegatis. A vobis enim postulatur ut doctrina aliquando instructi non ad speciem apud indoctos, sed ad veritatem inter doctissimos litterati esse possitis. Liviana exemplaria quam plurium ad oratoriam facultatem augendam prodesse, Quintilianus nobis auctor est: «Nec indignetur sibi Herodotus -. inquit - aequari Titum Livium, quum in narrando mirae iucunditatis clarissimique candoris, tum in concionibus supra quam enarrari potest eloquentem; ita quae dicuntur omnia cum rebus tum personis accommodata sunt: affectus quidem praecipue eos qui sunt dulciores, ut parcissime dicam; nemo historicorum commendavit magis. [1] Hoc a me bene et praeclare factum cogito, quum

[1] Acroasis in Pontificio Seminario Romano praemiis alumnis solemniter distribuendis habita, mense Ianuario MCMXXV.

[1] *Caes.* XXXIV.

[2] *Inst.* l. X. cap. X. - 101.

vos ad bonam latinae eloquentiae laudem urgeo; nam de benignitate Benedicti XV Pontificis Maximi munus habui impositum - decimus primus iam annus est - ut delectos Ecclesiae alumnos ad cognitionem excolerem usumque latini sermonis, talique ego munere et honore fungar in iis, quorum ex ingeniis, diligentia, laboribus, laeta admodum seges proventura sit multisque utilis et ad multa. Vos namque, iuvenes, Ecclesiae spem si appello lectissimam, si vestra ingenia per quam bonis institutis educata collaudo, si sollertiam quoque industriamque ex ipsis frontibus eminentes perspicio, pace vestra fatear, nil rebus affingo, omnia vere atque ex animo dico. « Litterarum scilicet laus » (Vincentii Tarozzi verbis utar) « contra quam haud pauci opinantur, nequaquam vana est et leviorum hominum, sed immo et propter admirabilem quandam in animos efficacitatem et propter praesidia quae habet ad affirmandas maiores doctrinas insignioresque reddendas ita commendatur, nemo ut prudens non eam sibi petendam censeat et sequendam ». Leo vero XIII in epistula ad Lucidum M. Parocchi, vice eius sacra in Urbe fungentem, ita de Patribus locutus est: « Quantum sua cuique tempora siverunt, exculti litteris omnes: nec in eis desunt qui tantum ingenio et arte valuerunt, ut veterum romanorum graecorumque praestantissimis non multum cedere videantur». Quae documenta animos viresque nobis addere debent, ut Livii scripta amemus atque exoptemus. Doctissimus quisque vir, nullis exceptis aetatibus, vehementi amore se ad Livium attrahi expertus est, nec veritate caret ea notitia qua scimus a dissitis quoque terrae regionibus summae auctoritatis viros iter ingressos esse, ut Livium adhuc Romae viventem convenirent. Quo amore, nimio dicam amore incensi, nonnulli inter humanistas etiam commune sensum demiserunt. Res verba confirmabit.

Abhinc non multos menses, Maium ferme et Iunium superioris anni, inexpectata notitia de totius Livianae historiae inventione per quotidianas ephemerides grassari coepit. Humanum genus cupido trepidoque animo in magnam ac flagrantem spem adduci visum est. Ianuarius De Martino Fusco, in evolvendis codicibus doctus ac peritus, de inventione tanti thesauri in cryptis Castri *ab Ovo* Partenope delitescentis, nuncium evulgavit. Quo audito, magna vis auri ad thesaurum comparandum sive publico sive privato nomine ei statim oblata est; gaudium atque exspectatio talia fuere, ut non lingua expresserit, non auris audiverit. Sed, proh dolor! Hac in tanta re quoque illum ridiculum horatianum murem natum vidimus. Publica enim auctoritate rescitum est, non de integris livianis codicibus agi, sed tantum de quadam, circa livianorum codicum existentiam, probabili notitia.

Mehercule! Liviana larva nunquam hominum mentes quiescere sinet?

Novimus enim Franciscum Petrarcam, - o vere beatus ille vir! - furore quasi divino abreptum, quamplurimas litteras ad Titum Livium misisse, eumque neque vigiliis neque angustiis pepercisse, sive per se sive per alios, ut tandem desideratos codices inveniret. Coluccius Salutati, humaniorum litterarum exquisitissimus cultor, tribus Pontificibus in latinis litteris a secretis, ipsum Petrarcam, cui addictissimus fuit, facile superavit, spe livianos codices requirendi vehementer inflammatus. Prima opportunitas a Margravio Theodoro moravo oblata fuit. Hic vero ad Coluccium rescripserat se totos livianos invenisse codices, eorumque exemplar ad eum brevi trasmissurum. Coluccius integram fidem non adhibuit, sed quum ab ipso Margravii Cancellario audivisset in coenobio quodam Sancti Benedicti Lubeccensis dioeceseos, codicem illum omnia liviana opera amplectentem exstare, sed tam incomprehensibilibus api-

cibus, ut nihil ex eo legi possit; enixis praecibus exoravit, ut codex sibi mitteretur. Sed exinde nulla in posterum de liviano codice notitia habita est. Quinquaginta fere annis liviana larva quievit, quum Dominicianus quidam e Colonia Agrippina, quartam Titi Livii decadem se in tabulario Carthusianensis cathedralis vidisse affirmavit, eamque ob scribendi rationem penitus absoletam nullam dare legendi facultatem. Haec quoque notitia nullis argumentis probabilis brevi tempore inventa est; nihilominus in animis flammam aliquid inveniendi enutrivit; illa alma spes quae nunquam occidit, quae contusa erigitur, quae pulsa recurrit.

Martino quinto regnante, anno millesimo quadringentesimo quarto supra vigesimum, a Dania quidam Nicolaus ad nostra littora appulit, qui omni verborum fide iureiurando affirmabat, se apud Carthusianos in coenobio Sòroe ad Roskildem tria immensa volumina vidisse, atque ex unius titulo non tantum de Patavini codicibus agi se intellexisse, sed etiam ipsius tabulam perlegisse. Visus est Danus hic nullam habere mentiendi causam: qua re Cardinalis Ursinius a Poggio Bracciolini multis precibus adstrictus in eo fuit, ut legatum ad livianum thesaurum requirendum mitteret. Sed Poggius ipse eodem tempore precibus Nicolaum Niccoli convenit, a quo illectus Cosimus Mediceus suum in Lubecca urbe legatum statim eo proficisci omniaque diligenter inspicere iussit. Legatione facta, nullus eius generis codex in eo coenobio inveniri potuit. Quibus rebus et incommodis frustra peractis, liviana larva tertio ante Bracciolini oculos stetit, quum nugator quidam de *Nordico* quodam *Livio* ad aures Nicolai quinti nonnulla insusurravit.

Poggius fidem totam non adhibuit, sed Pontifex rem experiri statuit. Enoc quidam ascolitano in humanis litteris versato, haec provincia nordici Livii detegendi delata est, qui pontificiis litteris commendatus bibliothecas omnes ecclesiarum coenobiorumque Scandinavae regionis invisere et excutere debuit.

Regionem hanc noster Enoc peragraverit nec ne, parum comperimus; sed id pro certo, quod Philelphus serius affirmavit. Enoc videlicet non solum Scandidavam regionem, sed etiam dissitas nordici oceani insulas inspexisse. Duobus annis post, de Enoc redeunte notitia tandem pervenit, sed non cum eo liviani codices iter fecerunt! Reapse anno millesimo quadringentesimo quinto, vere ineunte, Enoc in patriam remeavit: tabulam quandam de rebus a se inventis legendam tradidit, sed nullum exemplar liviani exoptati operis ostendit. Petiit tamen, ut pro tantis laboribus duo vel tria centena florenorum a ditissimo quodam Maecenate sibi solverentur.

Petrus della Valle, inter eos qui per dissitas orbis regiones peragrare instituerunt insigne nostrum decus, sua quadam epistula, decimo primo kal. Iulias anno millesimo sexcentesimo quinto et vigesimo, de liviano quodam codice talem notitiam dedit, ut ab eo codex ille manibus contrectatus oculis inspectus videri posset. Sed hac quoque vice quaelibet spes evanuit nullumque codicis vestigium inventum.

Ipse tamen in epistula, de qua mentionem fecimus, bona fide affirmavit; «Constantinopoli in Turcarum bibliotheca cui a *Serraglio* nomen inditum est, quaeque a constantinopolitanis imperatoribus collecta quam plurimos thesauros condit, totius liviani operis codex asservatur. Florentinae reipublicae Dux Magnus superioribus annis codicem acquirendi causa quinque milia aureorum obtulit, sed negotiatorum imperitia res effici non potuit. Nos vero nunc, legato cooperante, bibliothecae custodi, seni cuidam imbecillo, decem milia scutata obtulimus, brevi manu, remotis arbitris. Ille codicem daturum promisit, sed mala Titi Livii sorte bubo hic custos affirmat, se oblitum esse ubi codex lateat». Quapropter hac vice quoque liviana larva apparuit atque «spissis noctis se condidit umbris».

Non est inficiandum quod in bibliotheca *a Serraglio* nuncupata summi momenti codices asserventur, neque Petri Della Valle spes nullo veri fundamento caruisset, sed conata eius prorsus periere. Demum nostra aetate, nimiae levitatis Ianuarius De Martino Fusco documentum praebuit, qui in cryptis Castri *ab Ovo* sexti saeculi codices membranaceos centum quadraginta duorum liviani operis librorum adesse ac se decadis secundae librum septimum transcribere, affirmavit. Ex iis tamen, quae supra diximus, id unum inferre possumus: doctum virum seu deceptum, seu decipere conatum esse.

Sed haec omnia qui amor, in Livium, animos exagitaverit facile ostendunt eiusque scripta, quae supersunt, quanta cura ac sollertia ab omnibus qui oratoriae facultatis laudem exoptant, sint requirenda.

Nunc tandem ego meam expediturus orationem, doctissimi viri Petri Angelini verbis ad litterarum cultum humanitatemque acquirendam incitantibus, finem faciam. Ipse in illo suo exquisitissimo *Lollio* lectorem admonet: «Dolent multi litterarum fatum, praesertim latinarum, his nempe temporibus. Falsone an vere disputabit Lollius, qui censet, hac de re minus iudicari posse ab iis, quos triplex occupat praeiudicata opinio; primum *litteras esse aliquid a sapientia doctrinaque seiunctum...*». Nam perperam, nos addimus nonnulli ingenuas artes, quae ad animi oblectationem pertinent, a mollioris humanitatis otio ac corruptela profectas putant, quum earum iudicium in hominum mentibus natura verissimum fixerit. Hi si secum reputarent vel ab remotissima antiquitate, quae homines cogitarent, quaeque sentirent artium ministerio fuisse commissa, profecto intelligerent, non modo earum originem nihil habere commune cum vitiis, sed optimae hominis parti per ipsas praeclare fuisse consultum. Neque enim hoc tantum praestamus maxime feris, quod exprimere dicendo sensa possumus, sed etiam quod eadem per artes liceat potissimum immortalitati commendare. Si vero nulla disciplina, oratoria facultate vacabit, quid de religionis scientia erit dicendum? A vobis qui in sortem Domini vocati estis ea doctrinae atque oratoriae facultatis laus quaeritur, a cuius adeptione non labor frangat, non difficultas terreat, non voluptas avocet, non somnus retardet: et eo quidem maior quaeritur, quo maiore vobis in dies a Summo Pontifice Pio XI, ab eius Vicario et ab iis omnibus, qui vestrae institutioni consulunt, ad eam acquirendam facultatem cura studioque incredibili, adiumenta praestantur. Cavete igitur, et magna animi provisione cavete, ne exspectationem fallatis, ne divinum verbum, ne evangelica seges rudi et incondito dicendi genere, nullis veneribus nulloque lepore a vobis effundantur. Magnum quidem onus est suscipiendum, sed si animos rei magnitudini pares afferatis, facile sustinendum. Satagite!

Nunc tamen diem hunc respiciamus. Advenit iam tempus illud, quod tantopere concupiebatis, tempus illud, inquam, advenit, quo vestra ingenia magis ac frequentius exculta pro meritis tributa praemia excipiant, ut exinde alacriores animi fiant viresque. Vos modo facite, ut amantes gratique erga Matrem Ecclesiam eius gloriam velut in cunabulis foveatis et paulatim grandescentem in vobis pro virili parte vestra eam adiuvetis. Quam vero muneris vestri esse intelligetis *nil oratoriae artis omittere*, in liviana lectione nobilissima exempla inveneritis, ea vobiscum ipsi exagitate, perpendite, vertite quam diligen-

tissime atque, ut horatiana illa sententia dicam:

Nocturna versate manu, versate diurna.

Denique, si haec omnia qua par est diligentia praestabitis, nihil erit quod vos magis delectabit, nihil quod me haec verba protulisse poenitebit... En spatium patet studiorum, quod mihi vobiscum est metiendum: agite, una ingrediamur. Quo faciamus autem acrioribus animis, et velis, ut aiunt, remisque insistemus, haec summa incitamentorum sit, labores nos huiusmodi, quantamvis difficultatem sint habituri, suscipere velle et perferre constanter pro Ecclesia Christi, in qua et magistra, et duce, et matre vehementer gloriamur; cuius ad dignitatem si commodi quidquam nobis et ornamenti accesserit, nullum profecto erit praemium, quod vel amplius exposcamus, vel honorificentius unquam desideremus.

ALEXANDER AURELI.

DOCTRINAE DE INDULGENTIIS
BREVIS CONSPECTUS

Incoepto iam *Anno Sancto*, haud exiguae utilitatis est hanc quaestionem breviter versare.

Mos est tres periodos seu epochas in re distinguendi, nempe ab initio ad saeculum VII, a saeculo VII ad XII, et a saeculo XII ad nostram usque aetatem.

In prima quidem periodo manifestatur indulgentia sub illa singulari forma, quae est mitigatio poenitentiae publicae.

Dum enim reconciliantur publice et solemniter poenitentes, non absolvuntur a culpa, quae iam erat remissa, sed a poena; non solum in foro Ecclesiae, sed etiam in foro interno, ita ut Deus poenitentem *restituat in pristinam dignitatem*, prout loquuntur *Constitut. Apost.*[1]

Id porro fiebat auctoritate Ecclesiae per intercessionem martyrum. At vero poenae remissio etiam coram Deo, per auctoritatem Ecclesiae et ob merita martyrum, est vera concessio indulgentiae ex *thesauro* Ecclesiae; ergo viguit iam ab initio verus quidam indulgentiarum usus.

A saeculo autem VII ad XII, additur alia forma, nempe ut poenitentia canonica *commutetur* in aliud opus, ut erat *peregrinatio*. « Papa – explicat S. Thomas - dat indulgentiam, quod qui vadit ad unam ecclesiam habeat septem annos de indulgentia; cuiusmodi etiam indulgentiae a beato Gregorio in stationibus Romae institutae sunt ».[2]

Deinde *expeditiones* in Terram Sanctam, vel etiam *peregrinationes* vim habuerunt indulgentiae plenissimae.

Quod in his specialiter animadvertitur, est determinata indulgentiae forma, et *commutatio* poenae in aliud opus, vel etiam indulgentia *localis*; sed semper servatur dogmatis substantia quod indulgentia sit remissio poenae *etiam coram Deo*, ac *de thesauro* Ecclesiae, extra sacramentum facta.

In tertia periodo frequentior fit indulgentiarum usus per opera faciliora.

Insignis indulgentia plenaria, cui favores et gratiae generales adnectuntur, est *Iubilaeum*. Bonifacius VIII prima vice, uti notum est, iubilaeum concessit pro anno 1300 et quolibet sequenti anno saeculari; deinde vero Clemens VI (1343) statuit ut deinceps Iubilaeum fieret quolibet anno quinquagesimo, initio facto ab a. 1350; qui mos permansit usque ad Paulum II. Hic autem constituit, ut deinceps, nempe ab a. 1475, quolibet vigesimo quinto anno fieret Iubilaeum.

[1] *Constitut. Apost.*, lib. 11, c. XL; *P. G. I*, 695.
[2] S. THOM., IV *Sent.*, dist 20, q. 1, a. 3, sol. 2.

Qua ratione Pontifex possit indulgentias concedere, recolit *Codex:* « pro vivis per modum *absolutionis*, pro defunctis per modum *suffragii* ».[1]

In fideles quidem vivos Papa potestatem habet iurisdictionis, ac proinde, exercendo in ipsos actum potestatis *iudicialis*, valet illis poenam remittere auctoritative, nec tantum per modum suffragii, sed per veram absolutionem, qua liberantur a poena, sive quia Ecclesia absolvit a poenis a seipsa iniunctis, sive quia *de suo thesauro et per potestatem clavium* tantam facit elargitionem, quanta sit necessaria ad *extinctionem totius reatus poenae* coram Deo debitae. In defunctos autem Ecclesia non iam retinet iurisdictionem, et idcirco nequit indulgentias defunctis directe largiri, quasi auctoritative satisfactiones Christi applicando.

Quapropter recte dicitur concedi indulgentia defunctis per modum *suffragii*, seu auxilii quod vivi praestant mortuis. Hoc autem discrimen inter absolutionem et suffragium viget, quod absolutio habet pro termino directo subiectum cui concedatur; suffragium autem non habet pro termino directo defunctos, sed vivos, qui valent indulgentiam lucrari, et pro indirecto defunctos, quibus possunt vivi indulgentiam cedere.

Intelligitur autem suffragium, non meritorium, nec impetratorium, sed *satisfactorium*. Hinc dicit Billuart: « Applicare indulgentias defunctis est offerre Deo satisfactiones Christi et sanctorum in solutionem seu compensationem poenarum, quas debent pati in purgatorio ».[2]

Ex his facile apparet quid efficiat Papa respectu defunctorum, licet indulgentiae per fideles vivos defunctis applicentur. Possunt quidem fideles vivi orare pro mortuis, propriis satisfactiones ipsis cedere, at non possunt satisfactiones Christi distribuere; dum vero Papa concedit indulgentias pro defunctis, iam praestat ut vivi possint offerre Deo satisfactiones Christi et sanctorum in solutionem poenae, quam defuncti solvere debent.[1]

Deus quidem non tenetur illas indulgentias acceptare ex iustitia, sed ex misericordia suscipit, quia preces Ecclesiae dignae sunt quae non respuantur.

Posita autem acceptatione, intervenit quaedam iustitia, « quia satisfactiones de thesauro Ecclesiae sunt iusta compensatio et de condigno poenarum, quas defuncti pati debent in purgatorio. Hinc inferes, saltem probabilius, indulgentias applicatas non semper habere certum et infallibilem effectum: quum enim Deus, ex mera misericordia et liberalitate, acceptet, non constat eum illas semper acceptare, sive in toto, sive in parte. Et hic est sensus communis fidelium, qui, applicata indulgentia plenaria alicui defuncto in altari privilegiato, nihilominus pro illo offerre alia sacrificia et orare pergunt ».[2]

Omnis illa doctrina de indulgentia nititur verbis Christi promittentis Petro potestatem *clavium*, cuius vi quod ipse et Ecclesia remittit in terra sit remissum et in caelis.[3] Ratio autem theologica praecipua desumitur ex *unitate corporis mystici*. Ecclesia scilicet est corpus unum, in quo bona spiritualia, praesertim satisfactiones Christi et sanctorum, ita sunt communia, ut possint omnibus membris prodesse, dum distribuuntur ab eo qui multitudini praeest, et donat in persona Christi.[4]

EDUARDUS HUGON, O. P.

[1] Cfr. *Cod. Iur. Can.*, can. 911.
[2] BILLUART, *De indulgent.*, art. VI.

[1] De diversis modis quaestionem illam explicandi; cf. BILLUART; P. PESCH., t. VII, n. 478; P. GALTIER, n. 509.
[2] BILLUART, loc. cit.
[3] MATTH., XVI.
[4] II *Cor*, II, 10. Et cfr. quae in *Alma Roma*, anno elapso, pag. 91, de *Sanctorum Communione* disseruimus.

ANNUS SANCTUS SECUNDUS [1]

(AN. 1350)

Annus, qui prae ceteris *sanctus* dicendus esse videtur, est, uti vidimus, tercentesimus supra millesimum, qui etiam aliorum veluti initium est et origo. Ad Bonifacium Octavum propterea omnino respicere debemus, eique sunt omnium rerum receptarum gratiae referendae, et optimus in religione fructus hominumque instauratio. Hinc factum est ut homines, illius dulcissimae memoriae adlecti, etiam atque etiam, adproperante quinquagesimo anno post primum Annum Sanctum, enixe postularint a Pontifice Maximo, ut, omnibus difficultatibus posthabitis, auctoritate sua atque ritu hanc adeo sanctam et salutarem institutionem in gentium commodum indicaret.

Hi nunquam praedicare desinebant, eamdem peccatorum universalem indulgentiam in quinquaginta modo annos differre optatissimum esse atque acceptum, ut plures tam magno beneficio inter vivendum frui possent. In his adnumerabatur et Franciscus Petrarca, verum illo tempore Italiae lumen atque ornamentum, qui, vel nobilitate ingenii et praeclaris editis voluminibus, principem locum inter doctissimos viros facile obtinebat. Et est utique addendus Nicolaus ille Laurentii, celeberrimus in Urbe tribunus, qui, admirantibus omnibus, in magna rerum perturbatione, ad rerum Romanorum gubernacula pervenerat, et mira sane omnium voluntate Romae imperitabat. Uterque, alius alia equidem ratione, eo potissimum contendit, ut Pontifex Maximus, Episcoporum postulationes, omniumque populorum desiderium libenter assecutus, annum tercentesimum quinquagesimum supra millesimum *sanctum* designaret.

[1] Cfr. fasc. sup.

Attamen gravis populorum conditio obstabat. Res enim nostrae in peius semper ruebant, et Roma, Pontificibus suis deturbatis in Gallia degentibus, et mutuis civium cladibus dilacerata, haud securum peregrinis hospitium praestare videbatur. At boni, libero ore Pontifici profitebantur non paucorum vafritiam, commodis suis omnino servientium, non clamores inconditae multitudinis composito per vicos et per compita ruentis, sed fusas multorum ad Deum preces, et petitiones undique exortas verissime testari quorsum animi Italorum spectarent. Ad haec antiqua ac firmissima populorum studia in pubblicum Parentum atque egregiae Romanorum virtutes novum rerum ordinem Catholico Nomini faustum et felicem auspicabantur.

Magna erat animorum suspensio. Nihilominus, etiamsi res quasi ex improviso advenisset, et Pontifex, in quo maxime Iubilaei eventus nitebatur, longe abesset, attamen universus terrarum orbis laetitia gestiens, gratias pro munere Pontifici egit, maioresque habiturus, si omnibus posthatis adversariorum consiliis, Romam petiisset. Pontificis vero Procurator, gravitate, mansuetudine, alloquio Petri dignitatem optime retulit, et aequabilitatem in omni vita secutus, sui muneris modestiam et Pontificalem magnitudinem miscere consuevit. Quo factum est, ut nec quum ipsa asiatica lues urbes nostras atrociter grassaretur, et plures Italicae regiones civium discordia dilacerarentur, peregrini minus frequentes fuerint; qui optatam sibi itineris metam assecuti, maxima pectoris exsultatione, Romanorum quietem admirabantur, magnisque laudibus eorum pietatem ad sidera ferebant.

Adnumerabantur inter celebriores peregrinantes Sancta Birgitta, regiis clara natalibus, innocentia tamen vitae longe clarior, cum Catharina sanctissima filia; Ludovicus primus, Hungarorum rex, qui magnam auri copiam donavit, et Franciscus ipse Petrarca, qui instaurationis eius anni sancti princeps et auctor voce populi per vias festive salutabatur.

Hic autem tot pericula rerum memorans, et animorum difficultates superatas, Romanos de se, de civitate sua timescentes bene sperare iubebat, illa Vergilii repetens:

Durate et vosmet rebus servate secundis!

IUNIOR.

DE BASILICIS

QUAE IUBILARI ANNO ROMAE VISITANTUR [1]

Basilica, contra, S. Pauli abhinc vix saeculo longe lateque est refecta. Nam, anno 1823, ea nocte, quae inter decimum quintum et decimum sextum Iulii mensis diem fuit, subito igne correptum, magnificum templum, cedrinis, ut aiunt, insigne trabibus mole singularibus, sexcentis sublime columnis, operibus celeberrimorum virorum celeberrimum et ipsum, concidit omne, praeter absidem ac tumulum sanctissimi Apostoli, a quo flammae refugere visae sunt, quasi ea sacrilegii metu contingere horruissent. Tanta calamitate christianus orbis universus ingemuit; at non diu segnis permansit in lacrimis; nam, adhortante Leone XII, totus fuit ut incensa ac perdita iterum costituerentur et restituerentur. Argento igitur undique conlato, Ostiensis basilica reficientium omnino agminibus strepere coepit, et inter annos quinque et septuaginta, ferme ad pristinum, immo ad ampliorem et speciosiorem formam, felicissime rediit.

Etiam basilicam hanc, olim Silvestro efflagitante, Constantinus Magnus erexit, in praedio Lucinae, ubi Apostoli Pauli corpus pausaverat, antequam in Vaticanam deduceretur. Tres ei Imperator munificentissimus ministeriales calices dederat aureos duodecim librarum pondo, viginti argenteos decem librarum pondo singulos, quatuor vasa argentea ducentarum librarum pondo, auream patenam triginta librarum pondo gemmis distinctam, et auream crucem centum librarum super sepulcro Apostoli erexerat; reditus basilicae eiusque ministris imperatoria munificentia dedit e Tarso Ciliciae provinciae, unde Paulus erat profectus, atque ex pluribus Asiae Romanae regionibus. Insuper porticum marmoreis editam columnis plumbeisque lamnis et cupreis auratis contectam a porta Ostiensi ad basilicam per quindecim stadia constituit. Theodosius et Onorius Augusti, Adrianus II et Benedictus II Pontifices restaurarunt, ornarunt. Vindelici, Saraceni depopulati sunt eam; terrae motus quassavit, aliaque damna est per saeculorum cursum perpessa; at Pontifices plures ita in reficiendam incubuerunt, ut amplissimum et splendidissimum catholici nominis pietatisque monumentum ipsa pateret. Nunc quasi novo vere reviruit, rursusque assurrexit oculis admirabile signum.

***

In prodigiis coram populo basilicae denique S. Mariae Maioris origo. Apparet enim noctu Dei Genetrix piissimis coniugibus e patriciis, monetque ut aedificent in Esquiliis templum Matri Dei iuxta modum locumque, quae nix – (quinta Augusti mensis nox erat) – designaret. Mox illi ad Pontificem Liberium, qui comitante clero et populo Esquiliis adest, niveque obrutum locum reperit; nec mora, ligone notat ambitum templi. Haec anno post Chr. n 352.

Aedes restaurat anno 432 Xystus III; porticum addit porphyreticasque columnas Eugenius III, anno 1145; porticum reficit Gregorius XII an. 1532. Praesentem erigit porticum – prior enim fatiscebat, – servato tamen opere musivo in superiore ambulacro, Benedictus XIV, an. 1743. Gregorius XI

[1] Cfr. fasc. sup.

campanariam effert turrim an. 1377; columnam ante basilicam extollit Paulus V, an. 1614. Septentrionalem frontem, gradus, omnesque in circuitu parietes tiburtino marmore decoraverunt Clemens X et Clemens XI. Obeliscum in platea constituit Xystus V, an. 1587; laquearii contignationem sculpi iussit Caelestinus III, an. 1191; Alexander VI, anno circiter 1500, laquearium auro, ex Americis deportato, iubet distingui, foliisque, maeandris et figuris insigne facit. Xystus III musivo opere mediam navem constravit anno 432. *Confessionem,* ut aiunt, marmore pretioso vestivit, suique orantis simulacro ornavit Pius IX. Quid vero de Burghesiano; quid de sacello Praesepis Dominici?

Obruimur magnitudine rerum, doletque sane unice iniisse sermonem iniquum rebus, quia exiguum et fere nullum ...

X.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De valetudine sua = Iterum de *refrain* gallico; de *siccatorio, fulminivomis,* aliisque novis verbis latine redditis.

ANDREAS AVENARIUS s. d. p. EMMANUELI IOVÉ.

Quale de mea taciturnitate tu feceris iudicium, nescio: ego, si tam tardas tu ad me dares responsiones, tibi subirascerer. Et utinam coram exponere liceret, qui factum sit, ut in mensem tertium procrastinarem officium! Ostenderem coeptas iam mense Novembri litteras, certas voluntatis meae studiique testes; commemorarem occupationes scholasticas et epistolarum vertente anno in dissitas regiones mittendarum onus; audires etiam, qua cura rei Divinae per Iesu Natalicia humeri pressi essent mei, denique tanta uterer facundia, ut prae verborum grandine obliviscerere muttire.

Haec autem mense Novembri scribere coeperam: O miram vim linguae Latinae, qua mihi, quum primoribus, ut aiunt, gustaverim labris, ex obscuris Bohemiae silvis exortus, amicum comparaverim vel ex Hispanis! Utinam vero liceret huic vacare linguae, quantum licuit tot viris litteratis Leonis decimi temporibus! Nam illa tempora a Pastore, historico illo notissimo, lepidissime descripta inter patinas catinosque recitamus. An cuiquam esse potest dubium, quin etiam nos, si partem haberemus illorum hominum otii, in eo genere, cui caput appareret et cauda, efficeremus? Nunc autem dilaceramur mille negotiis, ut vix diutius mens et cogitatio in uno eodemque haereat.

Quam suavem odorem caritatis tuae mihi afflavere litterae! Quam fraterne meae timebas valetudini! Sic ingenuus animus tuus remoto longe corpore praestitit, quod «visitare infirmos» Magister appellat, cui operum generi futura vita promissa est, in quam quum veneris, tuae erga me caritatis fructum centuplicem teneas!

Atque interim valetudinem restauratam esse nuntio. In Monacensem regionem profectus pulchre egissem ferias, nisi pluvia quotidiana fere nimium retentus essem inter parietes. Sed tamen mutatione cibi et potus et libera respiratione satis convalui. Post autem ferias, i. e. post mensis Septembris initia, collectis vasis ex Bonnensi pago, in Paderbornensem migravimus.

Hic, Aquis Driburgensibus, quantum homini sub potestate constituto prospicere fas est, stativa castra posuimus, ad radices montis cuiusdam, in cuius vertice parietinas cernas arcis quondam Saxonum, postea monasterii virginum Benedictinarum. Qualis autem haec vita sit, hoc facile suspicaberis ex vicenis binis in hebdomada scholis Latinis et Graecis ex eaque cura, quam vita communis imbecillo homini videatur imponere.

Saltem ut vita mea in decrepitam usque traheretur aetatem a medico quodam Berolinensi nuper provisum est, ultro missis tribus *renascini* theculis pretio tabellario repraesentando. *Renascinum* vocantur pastilli, quos quam diu transglutias, tam diu vivas. Illa igitur medicina consumpta, tam purus brevi feretur per venas meas sanguis, ut horum hominum superaturus sim aetatem omnium. Sumne ego felix? ...

Sed iam ipse calamus monet responsionem me scribere. Eatur tuo ordine.

Primum igitur miratus sum tot alia nomina, quae nos Germani haberemus in *um* desinentia. - Utinam vero!, Sic - mecum loqui coepi - utinam meus Emmanuel saltem tria quattuorve id genus vocabula proposuisset! Nam vocabula Germanica, quae in *um* syllabam exeant, perraro invenias. Sed hoc verum est, multum in ore doctis esse vocabula, quae hodie in Plinio vidi vocabula nominari extera, quae quoties in *um* ceciderunt, aut Latina sunt nota etiam antiquis, aut ex Latinis nata sunt, ut haec vox adiectiva: *repetitorius.* De *intercinio,* quod non referret iterationem vicisti me, sed nondum obtines de illo *refrain.* Iam ante huius anni initium, dum vello, ut fit, vocabularii folia, occurrit oculis *reversio,* figura rhetorum, eiusdem verbi ad finem periodorum positio. Eugapae, inquam, et nos operam consumimus investigantes quo vocabulo reddi videatur illud Gallicum, *refrain!* Dicamus ergo: *postcinium,* vel *versus* aut *iterativos* aut *repetitorios,* vel simpliciter: *reversiones,* vel novate et pluraliter: *reversoria,* aut *iterativa.*

Priusquam totum hunc locum relinquamus, dicere debeo vocem *refrain* Germanice sic poni atque pronuntiari solere, ut ex Gallia allata est. Qui tamen nomen exterum vitare maluerint, dicent non *Schlussreim,* hoc est ipsum *postcinium* tuum, sed *Kehrreim* dicent, propterea quod isti versus revertantur. Reverti enim Germanice est, *wieder-kehren. Kehrein* ad verbum sit: *homoeoteleuton revertens.*

De *siccatorio,* tinctoriolo «linimento», tibi assentior et habeo gratiam.

Fulminivorum non male fateor indagatum; meis tamen auribus aliquid sonat poëticum; quod malim evitari ita, ut *fulminarem* (perticam vel antennam) vocemus, vel simpliciter *fulminare,* quemadmodum derivamus *luminare* et *collare.*

Neque tamen haec ita dixerim, ut quae tibi placuerint, ego exclusa velim; tantum ut comparatis sententiis, quae videre videamur meliora, haec amplectamur tradenda aliis nonnunquam tacite, aliquando palam et importune interrogantibus,

Sic nuper quidam, superiore anno, discipulus qui fuerat meus, per litteras me percontatus erat, quid esset Latine, quod Gallice *aiguilleur* vocaretur. Respondi *orbitarium* dici posse. Deinde se scire velle, quid esset: *appareil de radio télégrafie* et *concert de radio.* Quid responderem homunculo? Ad aliquam reicerem encyclopaediam, quae adhuc in votis, re nulla esset? Rescripsi haec: *Concert* est symphonia. Difficultatem habet *radio,* quoniam te vocabularia in hac re prorsus tuo relinquunt intellectui. *Radio* igitur dicuntur ista, quoniam quidam quasi radii electrici percurrant aëra; qui radii apte excepti, sonos etiam longinquos, terrestres tamen adhuc, post aliquot annos lunares etiam atque Martiales, referant. *Radiare* est plerumque idem atque lucere, mittere radios. Interdum tamen transitive video adhiberi, ut ista *symphonia radiata* dici queat, hoc est *concert de radio.* Et quoniam superiore anno cognovimus, instrumentaliter si quid dicendum esset, in has exire syllabas: *brum, crum. bulum, culum, orium; appareil de radio* dum melius quis obtulerit novato vocabulo appellabo ego *radiabrum* vel *radiabulum* vel *radiacrum* vel *radiatorium* vel *radiorum receptaculum.*

Idem adolescens - Carlilio nomen - interrogaverat, quibus vocibus redderem: *barre fixe* et *barres parallèles* et *film*.

Rursus, omnibus silentibus vocabulariis, haec ego dissero: *Barres* ego iuga appello, quod bina iuga iungantur pueris ad artem gymnasticam, qui proinde ad iuga exerceant corpora. Posse etiam appellari censeo *iugalia*.

Film est vox Anglica, neque quidquam significat, nisi laminam negativam artis photographicae. Iam igitur intelleges quid dicam: *movendas rei laminas conficere; movendis laminis rem ante oculos ponere,* vel *oculis videndam subicere*.

Dici etiam posse censeo: *Motum laminarum dare*.

Quodsi ista displiceant, sumamus ipsum vocabulum ut nascatur nobis: *filmus* et *rem filmare*, et *filmatio* et *filmatum reddere* et *filmice aliquid depingere*.

Haec sunt quae subicienda statui iudicio tuo, qui in Latiniore provincia quam ego editus, plus videas in rebus similibus.

Sed hoc ad extremum oraverim, ne, tarditatem imitatus meam, in mensem quartum ableges responsionem, non quo maturiorem meritus ego sim, sed ne lecturientes socii tuo tam diu fraudentur munere. Vale.

III Kal. Februarias MCMXXV.

EX ITALIS URBIBUS

De Sancto Petro *in Bosco*.

Est *Alla,* uti nosti, oppidum, quod *ad Palatium* priores vocabant, in agro Tirolensi et in ipsa Via Appia Augusta. Haud ita longe, a Longobardis est olim funditus excitatum exiguum equidem sacrarium, *Sancto Petro in Bosco* dicatum. Quod et antiquitate venerandum, pretiosius utique nobis aestimatur, quoniam, etsi temporis iniuria squalidum, novisque etiam accessionibus est deturpatum, veterem tamen aetatis nobilitatem non amisit, nec ob ipsam hominum inscitiam. Est ei turris quadrata laterisque exstructa et pulchrior visu et satis temporis iactura servata, Ghibellinorum aetatem optime referens; cum arcubus rotundis, laquearibus portisque ad temporum rationem exactis.

In aedicula oblonga, rotunda quoque mensura, Servatoris imago colitur incolumis affabre et nimis aequo fortassis grandior, illis sed simillima quae passim Romae in hypogaeo sancti Callisti inveniuntur. Sed ipsi qui rem e limine salutarunt, optime noscitant Bizantinum morem prae se ferre, atque ad saeculum sextum adsignandam esse cogitant. Re quidem vera, hanc ecclesiam cum vetustissima Sancti Pauli Basilica Ostiensi alii componunt, alii cum Vincentiana in Urbe apud tres fontes, alii denique cum ecclesia Principe Veronensium.

Id propemodum esset dicendum de eius origine. Historici enim acerrimis argumentis perhibent, aedem a Theodolinda Bavariae funditus fuisse constructam, in memoriam faustissimi eventus quum, a Francis effugiens, in hunc locum, cum Autari sponso primum convenerit. Namque Theodolinda, ut gratias Deo ageret quod a tam gravi vitae periculum evasisset, aediculam condidit et reliquiis ditavit, quas a S. Gregorio Magno acceperat. Quam rem reliquiae, quae ibi devotissime asservantur, perspicue confirmant.

Ad quid haec humilis Sacrarii prolixior historia?

Olim enim, annis equidem multis transactis, peregrini a Germania Romam pedestres profecturi, hanc primum sacram Italiae regionem salutare debebant, et rerum antiquarum cupidine adlecti, hoc S. Petri sacellum ut patrium mira religione colebant. Nostra aetate, qui hac transit, nec iam ignotus tentari vias contendit, nec hostiles animos volutare, sed pronum modo ad pietatem pectus in Italiam gerit, *paciferaeque manu ramum praetendit olivae.*

I. B. F.

COLLOQUIA LATINA

Facultas varia petitur egrediendi schola [1]

DISCIPULI, LUDIMAGISTER.

— Licetne, Magister bone, ut ego et patruelis meus eamus domum?

MAG. - Quid eo?

— Ut obviam occurramus patri nostro Lutetia redituro sub vesperam.

MAG. - Cur iam nunc, tam cito?

— Mater domi nos opperitur ad hanc horam.

MAG. - Ipsa etiam procedet obviam?

— Ipsa et universa familia. Famuli praecurrent pedites. Nos rheda vehemur.

MAG. - Abi: sit iter felix et commodum.

— Commodum ut sit, subvereor.

MAG. - Quamobrem?

— Quia schola exeo, onustus...

MAG. - Qua sarcina?

— Argumento scriptionis cras reddendo. O si hoc onere me levaveris!

MAG. - Quid polliceris mihi?

— Futurum ut sarciam hanc iacturam dupla deinde diligentia.

MAG. - Per me licet, sed videris, mihi fidem serves.

— Liberabo apud te fidem meam.

—

— Placet ne, Magister optime, mihi facere potestatem egrediendi schola?

MAG. — Quid causae est?

— Rure in urbem venit mater mea: condixit locum et tempus quo se conveniam.

MAG. - Quid istud opus est?

— Ut mater emat mihi libros necessarios. Raro in urbem venit; occupanda est mihi occasio.

MAG. - Affer mihi a matre testimonium in crastinam diem.

— Non novit mater scribere.

MAG. - Igitur testem adducas tecum.

— Id curabo: numquid aliud vis?

MAG. - Ut meis verbis officiose matrem salutes.

—

— Hora undecima fiet sacrum funebre anniversarium pro avo meo: iussit me pater interesse: placetne Magistro ut eam? Iam imminet undecima.

MAG. - Quanam in aede sacra iusta haec fient?

— In S. Nicolai.

MAG. - Missum te faciam hac lege, ut pomeridianas praelectiones firmius imprimas memoriae.

— Callebo ad unguem.

—

— Emitto sanguinem e naribus: placetne exeam schola?

MAG. - Exi, et lava ad proximum fontem aut antliam.

—

— Licebitne mihi egredi schola empturus chartam et calamos?

MAG. - Quo?... Iam excipiendum est argumentum scribendi.

- Est officina hîc in proximo; e regione gymnasii.

MAG. - Propera.

— Illic sum atque hîc sum.

MAG. - Libenter quotidie exiretis e schola sexies. Non patiar. Prospicite quibus rebus opus sit ante scholae initium.

[1] Ex dialogis familiaribus ANTONII VAN TORRE. - Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Insensatus - A mente consilioque deductus; Animo non valens; Neque mente neque sermone constans.

Insignire - Ornare; Notare; Distinguere.[2]

Insitare - Arborem inserere (ex. gr. surculis - calamis - ex piro - ex malo).

Insolentia - Procacitas; Petulantia; Protervitas; Immoderatio.[3]

Insolite - Praeter (Extra) morem; Non ex communi consuetudine: Non ad aliorum exemplum (Non aliorum exemplo); Non ut mos est; Extra quotidianum usum; Sic, ut nihil magis (ut nihil supra; ut nihil ultra; ut nihil simile; ut nihil aequale sit; ut nihil par esse possit; ut eius generis nihil sit).

In somnio - Per quietem; In somniis.

In specie - Speciatim; Sigillatim; Nominatim.

Inspector - Curator (ex. gr. Valetudinis)

Inspiratio - Afflatus (Instinctus) divinus; - *Inspiratus* Afflatu (Instinctu) divino perculsus (tactus).

Instabilis (vita, fortuna) - Varia et commutabilis vitae ratio; Vaga volubilisque fortuna (vicissitudo).

Instructio - Institutio.

Instructor - Doctor; Exercitator.[4]

Intarsium (exsequi) Segmentariam factitare; Opus facere segmentatum (tessellatum).

Intellectus - Ratio; Intelligentia.

Intentio - Mens; Consilium; Animus; Propositum.

Intentum (habere, obtinere) - Propositum assequi (tenere); Votorum summam (apicem) adipisci; Optata nancisci (obtinere; attingere; pertingere; impetrare; invenire; reperire; acquirere; sibi comparare); Alicui optata obtingere (contingere); Optatis frui (potiri); Optatorum compotem fieri; Rem ad alicuius voluntatem fluere; Rem ex animo (voluntate) alicuius procedere; Aliquid alicui e sententia cedere. - *Res (Negotium) iuxta intentum meum successit:* Res cecidit (processit; evasit) ut expetebam; Eum exitum res habuit (sortita est; invenit; nacta est) quem exoptabam (volebam).

Intercedere (pro aliquo) - Deprecari (Supplicare) pro aliquo.[1]

Interdictum - Interdictio Sacrorum; Pontificia divinorum interdictio.[2]

Interficere se - Manum sibi inferre; Se interimere; Mortem sibi consciscere; Se morte mulctare.

Interfectio - Caedes; Occisio.

Interfector - Percussor; Sicarius; Parricida.

Interlocutores - Qui inter se colloquuntur - *Dramaticae actionis interlocutores:* Dramatis (Fabulae) personae; Qui in fabulis loquentes inducuntur.

(Ad proximum numerum).

I. F.

---

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Verum bene adhibentur: Insignitus - Insignite.

[3] Itaque *Insolens homo*; Homo protervus (petulans; procax). Et etiam: Homo audax (temerarius; elatus; natura ferox) - Homo immani acerbaque natura (furore atque amentia) incensus; Natura truculentus; Eo semper contendens quo furor rapit; Omni immoderatione affluens; Eo procacitatis progressus, ut . .; Homo plenus fastus (superbiae et contumeliae). - *Insolenter:* Superbe; Arroganter; Petulanter; Immoderate.

[4] Exempla: Doctor campi; sagittariorum; cohortis - Exercitator equitum.

[1] Itaque *Intercessor* - Deprecator; *Intercessio* - Deprecatio.

[2] Itaque: Urbem interdictione sacrorum punire; Civitatem divinis interdicere; (Sacrorum aditu et auditu prohibere); Urbana templa Pontificia interdictione afficere (ferire; mulctare)! - Civitas Pontificia interdictione mulctata (affecta; perculsa; divinorum usu privata; sacris interdicta). - *Interdictum tollere:* Sacerdotibus rursum sacris operandi ius facere.

ANNALES

Pecuniarius foederatarum in Europa nationum conventus.

Dum indictio conventus exspectatur, qui de alieno singularum nationum aere sit, Lutetiae Parisiorum congregati sunt foederatarum in Europa civitatum legati, ut communes pecuniarias res pertractarent; praesertim rationes acceptorum et expensarum de Ruhris occupatione, et distributio solutae primum a Germanis pecuniae, iuxta Darvesi pecuniarium prospectum; utque et de Septentrionalis Americae Civitatum foederatarum petitione disputarent ad eidem distributioni participandum; cui quidem petitioni Foederatae in Europa Civitates non multum favent, quod America cum Germania separatim de sua refectione egerit. Vicissim Anglia in dies maiora exigere videtur. Dictitant enim sibi ipsam repetere a Germania et a Gallia, ab Italia et a Belgica integram summam quam Americae ipsa debet, nec ullam rationem habere sese velle de quovis Germanorum solvendae pecuniae defectu. Si vero in hisce Foederatae Europeae civitates uno animo minime apparent, in unum tamen consenserunt, ut ab Coloniae Agripplnae regionis occupatione haudquaquam recederent, quo Germaniam punirent, quia Versaliensibus pactionibus de deponendis armis non obtemperaverit; quod Germania omnino negat.

***

In Germania novum rei publicae gubernium constitutum.

Negat per novum Cancellarium suum, Luther, qui tandem administrorum collegium componere valuit, collegas deligens hinc ex « nationalistarum » parte, inde ex viris in singulis rebus peritis. Quamquam eius verba rigida non satis pluribus visa sunt, ita ut iam praenuncient ipsum in munere suo non diutius permansurum.

***

Gallici gubernii intemperantia.

Idem et de Herriot, Gallici gubernii praeside, videbatur; praesertim quum multa pervertens multaque falso prorsus machinatus, in Summum Christianorum Pontificem acerrime saeviit, ut legatio apud Apostolicam Sedem supprimeretur; eoque magis tum videbatur, quum ei vehementer obstitit Briandus ille, qui renovandae eiusdem legationis auctor fuit. Verum, quum ad suffragia ventum est, haec favorabilia Herriot cessere. Quid inde?...

Ne Gallorum populum cum hisce nautis confundamus; vere equidem nautae, qui in periculo Superos invocant; eo remoto, vituperio et contumeliis afficiunt!

***

Ex Mauritania.

Ex Mauritania magni momenti nuncius allatus est: Abd el Krim, « Riffanorum » dux, vicit atque ad deditionem coegit Raisulium, Gebularum caput, quem « Hispaniae instrumentum » in Mauritiana habebatur. Addunt ipsum Abd el Krimo proposuisse foedus, ut coniunctis viribus, ambo contra Hispaniam procederent... Quidquid fuerit, certe Raisulius captivus factus est.

***

Regalis luctus.

Monachii, in Bavaria, quatuor super octoginta annos nata, supremum obiit diem Maria Sophia e Bavarica regia stirpe princeps foemina, vidua Francisci II, Neapolitanorum regum ultimi.

Kalendis Februariis MCMXXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Planetici facinoris, de quo hodie sermonem facere constitui, auctorem primum volunt Iulium Verne, foecundissimum illum virum, qui tot tantaque sua mente concepit, quae tum somnia et vanae species auctori ipsi viderentur; nunc vero re et actu admiramur effecta. Ipse enim in notissima commenticia fabula sua cogitatione finxit **tormenti beilici ictum a terra ad lunam,** quum tamen ne suspicaretur quidem aliquem esse posse, qui eum ut serio dicentem assumeret. Ex adverso, de rei possibilitate longe lateque est disceptatum: consilia lata sunt, et praevisum, diem fore, in quo omnia ad terrestris bolidis iter in promptu esse praedicarentur.

Atqui, si nunciis ex Americis advenientibus credendum est, fortunatum illud tempus adventat: Goddardus quidam doctor affirmat sese proxime ad iactum processurum giganteae torpedinis a se ita constructae, ut facile terrae nostrae satellitem consequatur.

Tormentum huiusmodi, a peculiari machina emissum, terram relinquet initiali velocitate chilometrorum undecim pro singulis momentis secundis, ut vulgu nuncupantur: motus servabitur per multorum *explosivorum* – (novis rebus non verba!) – conflagrationem, quae, per distributionem mechanice factam, successive incendentur. Quum novi huius generis fusus in regionem intersidereorum spatiorum sic pervenerit, atque a terrae attractu liber evaserit, tum per inertiae vim iter suum prosequetur.

Hac ratione lunarem gravitationis campum attinget, et acceleratu motu cadet: non tamen prius quam magna magnesii moles, in eo inclusa, exusta fuerit, tam vividam lucem efficiens, quam doctori clarissimo ex telescopio suo fas sit videre. Cui quidem fistulae post diem circiter cum dimidio oculos is applicabit; non enim tempus minus necesse torpedinis itineri erit.

Addidit Goddardus, si bene successerit experimentum, sese illud iteraturum; neque iterum in lunam, sed in Martem. Heu! Num igitur is cogitavit illius planetae incolas, quos pro certo exsistere dicunt, tanta humanitate et scientia praeditos esse posse, ut sese teneri autument par pari, nisi maiora nobis referre?... Tum hercle! nos felices!...

***

Goddardiana machina in mentem mihi revocavit, quod **de incendiaria bolide** quondam legi in Indorum historia a P. Maffeio exarata. Iuvat repetere, ut saltem comparatio perspiciatur inter huiusmodi instrumenta prima atque elementaria, et ea quae hodiernus, quem dicunt, progressus adduxit. Quid autem in posterum?... Atque utinam sideribus inhospitibus servetur!

« Nihil Indos – ita ille – aeque terrebat, atque incendiariae bolides, quod est inventum huiusmodi. Ollam ex argilla semicocta, quod facilius deinde rumpatur, circumdatis ansulis tribus quattuorve, sulphureo complent pulvere, et osculum diligenter obturant. Tum ad eas ansulas igniti funiculi, e gossipio, vel stupa alligantur. Ubi ad coniectum eius teli ventum est, contorta brachiis illa repente diffringitur et simul arreptis e fomite adalligato favillis, ingenti circunstantium damno, flammas edit inevitabiles. Quod missilium genus in praeliis dumtaxat navalibus primo usitatum; ad terrestria quoque certamina exitiabili commento deinde translatum est ».

***

Sed iam terrificis argumentis relictis, SUBALPINI nostri **Gallum monentem** audiamus:

Monere pergo Gallus semper homines.
In mediis noctu moror altilibus,
In ipsis glorior versari interdiu.
Omnem diu lustro diligenter aream,
Et cunctos oculis angulos visito.
Elatius caput gero cum superbia;
Nunc sinistrorsum, nunc dextrorsum tueor,
Cuncta sint sursum, vel ad terram posita.
Minaces audio si voces asperas,
Gallinas cerno vel decertantes simul,
Adcurro ad pugnam furenter gracidans,
Meumque mussitans *car car* ferociter.
Alis percutio terram terrificus,
Meisque pacem refero beneficam.
Avis comparet rapax si per aërem,
Eum primus oculis cerno perspicuis,
Et fusos garrulus pullos admoneo,
Ut certum vitent exitium proximum.
Noctu sto vigilans in gallinario,
Mea et do fidem pullis praesentia,
Quam laetus integro voce saepissime.
Pater sic morem, quem natura prosequor,
Gerat, instructus qui divinis monitis.
Domi suis semper intersit subditis,
Ipsemet praesens moretur et diligens.
Absentis alter admodum vicem gerat;
Domi sint vel foris quî vivant resciat.
Diebus festis vel profestis vigilet,
Ipsis in ludis, cunctis et laboribus.
Rixas avertet omnes et discordias:
Cuncta prohibebit pater pericula.
Ita ego Gallus patres monere soleo.

***

Iocosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER. – Esto igitur, discipuli: vestri enim libri sunt vestra arma! – Ecquis vestrum veritatem sententiae huius mihi declarabit?

Discipuli omnes tacent.

— Nemo igitur intelligit curnam libri arma vestra dicendi sint?

TUCCIUS. – Ah! Quia libri sunt iaculi primi, quos alius in alium coniicimus, quum rixamur!

Magister simulatoris mores explicavit, deinde ut certior fiat, discipulos vel bardos lectionem suam intellexisse, a Tuccio quaerit ut exemplum aliquod simulatoris enunciet.

Tum ille, parumper meditatus: – Puer qui scholam laeto vultu ingrediatur!

***

Aenigmata.

I.

Tota, volat per aquas. Truncor si *vertice,* [mellis
Dona dabo moriens: aëra possideo.
Bis me *si minuis,* tua quae sit redde volun- [tas.
Sed cum *ter minuar,* lector, abire voles.

II.

Garrula sum volucris. Frontem mihi sigmate [adauge:
Maturae segetis culmina summa noto.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Nox, Nix, Nex, Nux;* 2) [vulgo *Rebus*]: *Latet anguis in herba.* IOSFOR.

FRANCISCUS XAV. REUSS

Dum hic commentarii numerus sub prelo est, die XIII mens. Februarii MCMXXV, **P. Franciscus Xaverius Reuss,** qui paucos ante dies nos inviserat, carmen oblaturus Pio PP. XI dicatum, quo prima huius fasciculi pagina honestatur, improviso impetu diabetici morbi, qui iam diu eius vitae insidiabatur, fato concessit.

Virum praeclarum, non tam amicum quam magistrum nobis observandissimum, itemque latinarum litterarum benemerentissimum, debito honoris tributo in proximo numero prosequemur; hodie eius mortis nuncium *Almae Romae* sociis et lectoribus cum lacrimis referentes, ut animae candidissimae iusta nobiscum et ipsi persolvant etiam atque etiam efflagitamus. I. F.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

TERTULL. (*abnuens*): Apage aniles fabulas! Urbis sum ego praefectus. Utrum gladius plus valeat an virga divinatoria, patebit. Ecce tibi Maximiani litteras, quibus in Christianos mors et pernicies...

CORV. Opipare! Da, pater!

TERTUL. Placide, fili, et considerate! An tu es oblitus hoc genus multos iam annos igne, gladio, tormento impugnatum nobis ludibrio ex proprio sanguine reparari semper atque restitui? Adhuc semel pro veterum cultu deorum voce, scripto, dolo, ferro pugnabimus: victi si erimus, deorum simul religio devicta erit (*Post moram severe*): Sed age, postremum conabimur!

CORV. Ego certe in re ista valde utilis esse possum. Quaedam enim mihi cum manu impia necessitudo est.

TERTULL. Corvine!

CORV. Interream, ni adolescentulus quidam ex isto est grege!

TERTULL. Quis ille est?

CORV. Ludum frequentamus una, odique dudum, quippe qui tam absurde semper se gerat. Veri amantissimus – nam veri se ferri studio dictitat – saepe nobis turbavit iocularia. Se nolle, prouti nobis lubuisset, mentiri, hoc probe teneo.

TERTULL. An idem nuper manum dedit mendaci homini, qui eum, uti a te accepi, turpi consectatus erat convicio?

CORV. Et gentem dedecoraverat suam! Quis credat illius in venis aliquam esse stillam maiorum sanguinis?

TERTULL. Quod illi nomen?

CORV. Nobilissimae gentis Romanorum extrema proles est. Is Christianos semper adiuvat: is verbis et exemplis fortia excitat. Qui simul ac ceciderit, firmissimum illorum iacebit praesidium.

TERTULL. (*impatiens*). Quin tu, quis sit, eloqueris?

CORV. Pancratius.

TERTULL. Pancratium Christianum tu dicis?

CORV. Certamque praedam meam. Possum iurare ego, eum adorare crucem.

TERTULL. Num et confirmare?

CORV. Bene spera, siquidem etiam documenta investigabo. (*Voce submissa*): Dudum ego verti oculos in quendam, quem quidem ego suspicor esse Christianum, sed nomine tantum, quum tranquillitate careat, careat modestia, qua Christianos dignoscas illico. Eum mihi videor, facile flexurus, per hunc ad crucem viam inventurus.

TERTULL. Miror, Corvine, tuam sagacitatem. Permagno hercle patriae eris commodo! (*Submissa voce*): Et imperator remunerabitur! Me iussit modo fortes deligere adolescentes, qui me in perquirendis Christianis adiuvarent. Num meliorem te invenero? (*Porrigit litteras*). Haec facultas est. Semper fer tecum! Huius tibi licebit vocibus quicumque suspicionem moveat, comprehendere, licebit nomine imperatoris adsciscere, quantum tibi visum erit, militum. Hac ipsa nocte imperatoris litteras ad forum perfer! Omnibus fixum documento sit; sed curabis, ne intereat. Quod si ignavum istum conveniendi sit copia etiam hodie cum eo colloquere!

CORV. Id certum est, pater, conventurum, qui hacce incedat quottidie.

TERTULL. Ergo etiam hodie tende insidias! Procrastinare res est periculi plena. (*Abit*).

CORV. Tandem dies venit ulciscendi! Non minus, hercle, quam arenae bestiae sanguinem sitit meus animus, sanguinem tuum, scilicet! (*Acrius*): Impure simulator! Per me Christianis esse liceat omnibus et suo liceat arbitratu! Te, te solum exsecror, nec conquiescam, dum ad pedes abiectus meos palpitans labores spiritu. Attat, ipsum video; ultionem meam sentiat!

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C. DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Martio MCMXXV Fasc. III


ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

FRANCISCUS XAVERIUS REUSS

Honoris et obsequii tributum, quod Francisco Xaverio Reuss nos hodie soluturos ediximus, tristi nimis, sed libenti animo damus; non enim aliter nos quodammodo expedire possumus ab iis officiis, quibus ille nos et qualecumque hoc est opus nostrum sibi arctissime devinxerat.



Nonne is animos nostros labantes impulit ut grave onus fidenter susciperemus? Nonne id fecimus, quum is consilium et auxilium promisit, nunquam nobis non defutura? Quae quidem talia fuere, ut singulos *Almae Romae* fasciculos a prima ad postremam paginam accuratissime, prius quam vulgo ederentur, percurreret, non unos typorum errores forte delapsos corrigens, sed quae ratione quavis dubia, obscura, involuta, incomperta apparerent, summo cum studio adnotans, emendans.

Quid autem de eius modestia, morum simplicitate, animi summa demissione dicamus?

Nunquam in tot consuetudinis annis, quae nobiscum intercessit, factum est, ut quum carmen aliquod confecisset, antequam alicui traderet, non nobis monstraverit, legerit mentemque nostram et iudicium exploraverit. Magister a discipulis sententiam quaerebat! Eamque tam sincere, candide, simpliciter quaerebat, ut non semel ipsi nos interrogaverimus, an ingenuus adulescens coram nobis esset, non doctissimus senex; eoque magis id nos rogabamus, quum, in familiaribus colloquiis eum narrantem audiebamus primorum annorum, quos in suis montibus transegit, gesta; pueriles nempe calliditates et ludificationes.

Natus enim erat Bergheim, in oppido Alsatinae regionis, quam teneris deinde carminibus cecinit, an. MDCCCXLII ; Alfonsi de Ligorio, Patris legiferi, regulam Congregationis Sanctissimi Redemptoris quum cognovisset, ab eius spiritu tractus, atque non minus exemplo sodalium eiusdem Congregationis, quos in patria sacri Evangelii praecones audiebat, eam amplecti decrevit, in eamque est cooptatus anno MDCCCLIX, quum humanitatis studia iam egisset. Tum ad humanarum et divinarum rerum scientiam sese applicuit; identidem in linguarum praecipuorum populorum cognitionem, in quibus tantus progressus fecit, ut non solum eas facile loqueretur, sed etiam diserte scriberet, in iisque versus componeret. Sed maxime a latino sermone, a latinis poëtis noster alliciebatur, quos ita sibi suos fecit, ut latinorum verborum omnium numeros et modos in succum et sanguinem in se convertisse dixeris.

Hae peculiares Francisci dotes, ac potissimum mirabilis minimeque vulgaris illa virtus pluribus sermonibus perpolite scribendi atque ornatissime, Superiorum ante oculos eum posuerunt, qui Romam advocarunt ut adesset a secretis Maximi Sodalitatis Rectoris, anno MDCCCLXVIII, quum iam duos annos ad sacerdotium fuisset promotus. In Urbe quum esset, in hac veteris ac recentioris humanitatis alma sede, vel inter officii ardua ac diuturna munera, quae ad mortem usque peregit, sacra et profana studia sibi dilecta intentius colere coepit, nec tantum sibi, sed sodalibus suis, quibus, sollertia ac patientia summa, bibliothecam comparavit, quae etiam eius nomen posteritati tradet.

« Etiam » diximus; nam Francisci Xaverii Reuss nomen in latinarum recentiorum litterarum historia summa cum laude manebit.

Eius scripta argumenti varietate distinguuntur, quibus varietas metrorum opportuno iudicio respondit. Eius stropha alcaica, - ut Marci Galdi verbis utamur, - [1] elatior sublimiorque, elatiora ac sublimiora convertit argumenta ; sapphica sensus animi motusque perdulces et ea quae caritatis sunt, callidissima interpres, effert; distichon quamcumque rem, quemcumque eventum, vel levem vel insignem, optime describit; hymnus, perbrevi forma conclusus, martyres et heroës religionis nostrae sanctissime extollit. In qua varietate metrorum quum omnia cum re proposita convenienter congruant, electa invenies verba, suaves imagines, comparationes idoneas, sermonem purissimum. Quin etiam ea est simplicitas versus, ea facilitas et prope dixerim effusio, ut nihil quaesiti, nihil simulati vel putidi redoleat; legentes vero, numerorum capti simplicitate, desinentia verba sive exitum uniuscuiusque strophae fere occupant et interiorem concentum percipiunt. Quod est vere poësis: quippe quae non aures offendat, non mentis sive intelligentiae intentionem requirat, sed sponte animum alloquatur, eumque totum obstupescentem devinciat.

Ita Galdius; qui demum concludit (eique plane assentimur): Non ego dubitaverim Reuss cum Statio lyrico quodammodo conferre... Cum eo enim habet communem felicitatem scribendi versus; artem variandi eadem argumenta, eandemque rem novis formis vestiendi; peritiam vitandi difficiles abstrusasque sententias et verba difficilia: in utroque eadem ingenii celeritas et facilitas, eadem animi inflammatio, idem verborum eligendorum cultus. Quin imo in nonnullas phrases congruunt.

Atque tamen huiusmodi poëta in tenebris latuisset, nisi latinus noster commentarius, Vox Urbis prius, nunc autem Alma Roma, in eum doctorum hominum inten-

[1] Cfr. *Alma Roma*, mens. Sept. MCMXXII.

tiones cogitationesque allexisset. Noster enim tum quum commentarius ille edi coepit, tantum Alfonsi de Ligorio, Legiferi Instituti sui Satoris, italicas cantinuculas in latinam linguam metrice converterat, idque in Sodalium suorum commodum, a quorum familia non excesserant; ex commercio autem nostro profecta est felicissima illa versio fabularum Ioannis La Fontaine, quas in volumen collegit anno MCMV; et series illa carminum, quae invenitur in voluminibus, quibus tituli: *Tentamina poëtica* (an. MCMXI) et *Nova tentamina poëtica* (an. MCMXXII); quorum carminum plura certamini Hoeufftiano Amstelodamensi etiam participarunt, magnaque laude ornata sunt, ut *Rus Albanum* (MCMII); *Ad Franciam* (MCMIV); *Hirundo Alsatina* (MCMVI); *Excidium Correrianum* (MCMVII); *Claudia Vestalis* (MCMVIII); *Diluvium* (MCMIX); *Strages Infantium Bethlehemitarum* (MCMXIII); *Pacis in bello administri* (MCMXV); *Vivax patriae memoria* (MCMXVI); *Pax* (MCMXVII); *Epistola senis ad iuvenem* (MCMXVIII); unum autem, *Mnemosynon* (an. MCMXIV), aureo numismate honestatum est. Hoc vero numisma, vix recepit, Franciscus Xaverius Reuss Summo Pontifici offerre sategit. Quo quidem actu mihi videtur sacerdos pientissimus suavisque poëta animum suum et omnis vitae propositum, qualia ea fuerint, sine fuco, graphice depinxisse!

Vale, deliciae nostrae, nostrumque decus et ornamentum! Aeternum vivas felix in Christo, nostri usque memor!

ALMA ROMA.

Sacerdos senex annosi templi minister [1]

Adstruxit veteri templo sua tecta sacerdos.
Is senuit, decies octonis natus ab annis;
octo sed a saeclis stat moles ardua templi.
O veneranda duplex hominis templique vetu-
[stas!
Incurvus graditur demissa fronte sacerdos;
nutat molle genu, male certus saepe labat pes.
Turris item nutat templi, succussa procellis;
vix arcent, corrupta situ, caementa ruinam.
Nec tamen annorum turbat templumque vi-
[rumque
pristina, quae periit florens ac firma iuventus.
Ambobus superest sua princeps gloria: Regnat
imo in corde senis, veterique latescit in ara
fons vitae, Deus: unde viget natura reditque,
post hiemis senium, iuvenilis gratia veris.

[1] E gallico carmine (*sonnet*) ANATOLII DE SÉGUR latine vertit FRANCISCUS X. REUSS, nobisque paucis ante eius mortem diebus edendumt radiderat. De aliis scriptis clarissimi auctoris nondum editis, unum, quod sciamus, superest, poëmation de latinarum litterarum historia, in quo et ALMA ROMA nostra memoratur. Grati erimus Sodalibus Congregationis Ssmi Redemptoris si quum repererint, ad nos miserint per nostras paginas et ipsum vulgandum.

DE ANNIS SANCTIS [1]

Annus sanctus tertius.

In memoriam annorum quos Iesus Christus vixit in terris, Urbanus VI, Pont. Max., labente anno tercentesimo et nonagesimo supra millesimum, statuit ut annus sacer celebraretur trigesimo quoque anno. Hac de causa *Bullam* promulgationis solem-

[1] Cfr. fasc. sup.

niter edidit. At, sic Dei ferente voluntate, frustra admodum sibi; quoniam eodem anno diem obiit supremum, omniaque facienda Bonifacio IX, successori, reliquit. Interea seditione Romae coorta, factiosis, ob schisma occidentale, ut narrant historici, rem publicam obtinentibns, pauciores peregrini ad Urbem accesserunt. Memorabile sane ausu, quodque ceteri imitarentur dignissimum, Albertus Estensis patricius Ferrariae Marchio, una cum quadringentis equitibus, humilique peregrinantium habitu cum baculo Romam petiit. Cui, honoris gratia, incredibili laetitia gestiens, iubente Pontifice Maximo, Ordinis Melitensis magister obvius fuit.

Annus sanctus quartus.

Bonifacius X, posse melius reputans religioni inservire, et fessis Italorum animis quietem tandem permittere, ineunte saeculo quadringentesimo, magnam pro populis peccatorum veniam indixit. Verum multas ob causas peregrinantes non multi Romam petierunt. Factiones enim plurimae, quorum nomina erant, nunc *Albae* nunc *Nigrae,* universam Italiam dilacerabant, eamque ad incitas reducebant. Quod quum ipse Pontifex pertimesceret, sapientia sua disposuit, ut ad limina saltem venirent, ad statutam peccatorum veniam obtinendam.

Rariores Itali adparuerunt; plures e contra Galli, qui, posthabito Clemente VII haud legitimo Pontifice, Romam contenderunt, ut in gratiam Pontificis redirent, omnemque poenarum remissionem assequerentur.

Interfuit attamen Ducius Corsini florentinus, sancti Andreae atavus, et Ioannes Dominicianus, qui postea caelestium honores promeruit.

Annus sanctus quintus.

Erat annus christianus millesimus quadrigentesimus tertius et vigesimus, quum Martinus quintus Summus Christiani Nominis Pastor renuntiatur; qui pacem Ecclesiae post magnam et turbulentissimam aetatem dare constituit. Ipse primo reluctans, precibus atque obtestationibus Cardinalium perpulsus prolatum sibi sacrum principatum acceperat. Ut res christiana tot malis afflicta maximo hoc beneficio recreraretur, quintum annum sanctum indidit. Universa vero Europa improbis calamitatibus bellisque vexata, obstitit quominus longe peregrini Romam accederent.

Annus sanctus sextus.

Anno millesimo quadringentesimo nono et quadragesimo, decimo quarto Kal. Februarias, Nicolaus quintus solemnibus ceraemoniis proximum annum sanctum nuntiavit.

Hunc longe ditissimum fuisse tum ob egregia facinora, tum ob immensum peregrinorum concursum omnes una voce historici concedunt. Ante omnes ipse Pontifex praeestitit, qui maximis exornatus virtutibus, poenitentium habitu indutus idemque excalceatus, ab universa Pontificali domo circumdatus atque Cardinalibus, Basilicas ritu religioso lustravit, egenis liberalitate, aegris solatio, calamitosis consilio adfuit atque re adiuvit.

Is quoque fuit peregrinorum numerus, ut, multorum iudicio, qui Bonifacii octavi Iubilaeum honestarunt, longe superaret. Nec infortunia defuerunt.

Referunt enim, quadam die, ad pontem sancti Angeli, quum multi illac transire quaererent, coorta propter multitudinem confusione, se mutuo conculcasse, quorum alios in flumen prolapsos ibi vitam miserrime finisse. Et Pontifex maximus, praeter omnium opinionem, pro defunctorum animis sollemnia parentalia iussit, et poenitentibus in ipsis sacris conficiendis morte praereptis eos aequandos statuit. Unus Franciscalium conventus ad *Aram caeli,* illo anno labente, tria milia et octigentos sodales hospitio accepit; in quibus Sanctus

Ioannes a Capistrano, Iacobus a Marca, Petrus Regalatus, et Didacus de Alcalà. Interfuerunt et Beatus Franciscus a Ticino; Philippus ab Aquila; sancta Catherina a Bononia, Rita a Cascia. Insuper princeps Fridericus cum coniuge sua, et Albertus ex Austria, cui Pontifex gladium cum pileo, a se nocte Nativitatis I. Ch. sacratum, offerri iussit.

Annus sanctus septimus.

Paulus II, quo anno Pontificatum suscepit, millesimo quadringentesimo quinto et septuagesimo, sollemniter statuit ut Iubilaeum universum vicesimo quoque quinto anno, in plurimorum commodum celebraretur, et Xyxtus IV eius successor, idem ratum habens, labentem annum appellavit sanctum.

Verum ob acerrima bella, quibus illo tempore Europa dilaceraretur, pauci omnino christiani Romam visere ausi sunt. Adfuerunt e contra complures Principes, quasi sic Deus vellet, ut exiguus peregrinantium numerus a virorum dignitate quodammodo compensaretur.

Re enim vera, convenit Ferdinandus Neapolitanorum rex, qui, antiquorum principum magnitudinem aemulatus, Basilicas Ss. Petri et Pauli pallio aureo donavit; Christianus I Danorum rex, Carola Cypri Regina, Bosniae Regina, Principes Andreas Paleologus Peloponnensium et Leonardus Dalmatiae; et tandem Ioannes Saxoniae dux, et Alphonsus Calabriae. Quot homines, tot series longissimae rerum!

Octavus annus sanctus.

Hic, ob elegantiorem potissimum suae aetatis magnificentiam, omnium annorum sacrorum inter celebriores habitus est.

Alexander enim Sextus, qui et Portarum Sanctarum fuit auctor, ter Iubilaeum universale praenuntiari voluit, et tertio, inter magnum tubarum clangorem, populo romano indixit, ex more qui antiquitus inter Hebraeos positus erat.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

IV.

1. *Quid Latinorum cultus et humanitas ex disciplina Etruscorum in rem suam derivaverint – De rebus divinis deque arte divinationis, praesertim de haruspicina.* – 2. *De rebus musicis et arte histrionica et Fescennina.* – 3. *De lingua Tusca apud Latinos, tum quod pertinet ad voces tuscas a Romanis usurpatas, tum quod ad vocabula graeca, quae Romani a Tusco ore audita in patrimonium sermonis sui acceperunt.* – 4. *De arte et artificibus Etruscis apud Romanos. Nonnulla de vestibus.*

1. Si Magnae Graeciae coloni priscis temporibus ad cultum et humanitatem Latinorum contulisse dicendi sunt, at multo maiorem vim in ea re habuerunt Etrusci; quos notum est magnam potentiam non solum in Etruria sed in ea quae post Gallia Cisalpina est appellata, nec non in Latio et Campania, consecutos esse, quosque ipsi Romae reges suos imposuisse eique dominatos esse, non minus verum est, etiam si alto silentio id a Romanis rerum scriptoribus praeteritum sit. Ceterum etiam reipublicae tempore Etruscarum litterarum notitiam non defuisse Romanis, testis est Livius, qui in IX° libro de bello in Etruscos anno 310 a. Chr. n. a Romanis gesto sermonem habens, et M. Fabium quem-

[1] Cfr. fasc. mens. Decembr. MCMXXIV.

dam memorans Caere educatum, et Etruscis litteris eruditum, linguaeque Etruscae non ignarum, ait: « Habeo auctores vulgo tum Romanos pueros, sicut nunc Graecis, ita Etruscis litteris erudiri solitos ». Non est mirum igitur si humanitatis rivulus quidam dicitur ab Etruria Romam fluxisse.

Ante omnia res divinas et praesertim artem divinatoriam iuvat animadvertere. Ait Cicero in I° *de Divinatione* libro (92): « Etruria de caelo tacta [1] scientissime animadvertit, eademque interpretatur quid quibusque ostendatur monstris atque portentis ». Additque quod cum Livio supra laudato congruit: « Quocirca bene apud maiores senatus, tum cum florebat imperium, decrevit ut de principum filiis sex singulis Etruriae populis in disciplinam traderentur, ne ars tanta propter tenuitatem hominum a religionis auctoritate abduceretur ad mercedem atque quaestum ». Praesertim extispicium ab Etruscis inventum esse, testis est vox *haruspicina,* ex *haru* ducta, h. e. apud Etruscos « intestinum ».[2] De hac re Cicero, *de Div.* L. 93: « Etrusci... quod religione imbuti studiosius et crebrius hostias immolabant, extorum cognitioni se maxime dediderunt ». Iecoris praesertim fissa (*le fessure*) et fibrae [3] observabantur (Cic., *Div.* I, 166 « Quid fissum in extis, quae fibra valeat accipio, quae causa sit nescio »). – Ceterum omnia portenta et prodigia Etrusci studiosissime animadvertebant, interpretandique peritissimi erant. Idem Cicero l. l. ait: « Quod propter aëris crassitudinem de caelo apud eos multa fiebant, et quod ob eandem causam multa inusitata partim e caelo alia ex terra oriebantur, quaedam etiam ex hominum pecudumve conceptu, portentorum exercitatissimi interpretes exstiterunt » [1].

Iuvat in mentem revocare, cuinam haruspicinae inventionem Etrusci tribuerent. Idem Cicero in II° *Div.* lib. (50) scribit: « Tages quidam dicitur in agro Tarquiniensi, quum terra araretur et sulcus altius esset infossus, exstitisse repente et eum adfatus esse qui arabat. Is autem Tages, ut in libris est Etruscorum, puerili specie dicitur visus, sed senili fuisse prudentia. Eius aspectu quum obstipuisset bubulcus, clamoremque maiorem cum admiratione edidisset, concursum esse factum, totamque brevi tempore Etruriam in eum locum convenisse, tum illum plura locutum multis audientibus, qui omnia eius verba acceperint litterisque mandaverint; omnem autem orationem fuisse eam qua haruspicinae disciplina contineretur; eam postea crevisse rebus novis cognoscendis et ad eadem illa principia referendis. Haec accepimus ab ipsis, haec scripta conservant, hunc fontem habent disciplinae ». [2] Haec omnia igitur aliaque ad res divinas pertinentes ab Etruscis ad Romanos transisse manifestum est. Quid plura? Ipsa *Τριάς* Capitolina, i. e. trium deorum, Iovis, Iunonis, Minervae coniunctio, ab Etruscorum disciplina originem habuisse pro certo habetur; [1] certissime simulacrum Iovis Capitolini Tusci artificis, Vulcae Veientis, opus fuit.

2. In aliis rebus etiam apparet quanti momenti Etruscorum humanitas fuerit ad educandos Latinos Romanosque, rebus agrestibus bellicisque deditos ideoque per se rudes et a cultu artium alienos. Et primum omnium in *musica* arte, Phrygiis tibiis modulate canere in morem Romanorum, per Etruscos videtur illatum esse; quod nemini mirum videbitur consideranti Etruscos, ut probabilior de eorum origine fert opinio, ab Asia Minore per Aegaei insulas, Lemnum praesertim, in Italiam immigravisse.

Venio ad artem *histrionum,* quae, ut notum vel lippis et tonsoribus est, Tuscae origini accepta est referenda. Nempe nemini ignota est Livii in VII narratio (2), qua dicitur, occasione pestilentiae anni 363 ante Chr. n., ludos scenicos, rem peregrinam, primum institutos esse: « Sine carmine ullo, sine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruria acciti ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more Tusco dabant. Imitari deinde eos iuventus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus, coepere; nec absoni a voce motus erant. Vernaculis artificibus, quia hister Tusco verbo ludius vocabatur, nomen histrionibus inditum ».

Hanc rem confirmat Valerius Maximus in II. *Memorabilium* (c. 4.) scribens: « C. Sulpicio Petico C. Licinio Stolone coss. (i. e. 363 a. Chr. n., ut supra memoravimus) intoleranda vis ortae pestilentiae civitatem nostram a bellicis operibus revocatam domestici atque intestini mali cura adflixerat, iamque plus in exquisito et novo cultu religionis quam in ullo humano consilio positum opis videbatur. Itaque placandi caelestis numinis gratia, compositis carminibus vacuas aures praebuit, ad id tempus Circensi spectaculo contenta... Verum, ut est mos hominum parvula initia pertinaci studio prosequendi, venerabilibus erga Deos verbis iuventus rudi atque incomposito motu corporum, iocabunda gestus adiecit, eaque res ludium ex Etruria arcessendi causam dedit. Cuius decora pernicitas, vetusto ex more Curetum Lydorumque, a quibus Tusci originem traxerunt, novitate grata Romanorum oculos permulsit. Et quia ludius apud eos histrio appellabatur, scaenico nomen histrionis inditum est. »

(*Ad proximum numerum*).

Felix Ramorinus.

---

[1] H. e. res fulmine ictas, quas « fulgurata » vocat Seneca Q. N. 2, 21, 2 (*omnibus fulguratis odor fulminis inest*).

[2] Falisca lingua *haracna* idem est ac haruspex (cfr. Planta III, 2). Latinae voces ex eadem radice sunt *hira,* intestinum ieiunum (v. in lexicis), *hillae* (Non. 122: *hillas* intestina veteres esse dixerunt). Confer etiam vocem graecam quae est *χορδή* eodem sensu adhibita, unde latina vox quae est *chorda,* ad musica instrumenta plerumque translata (proprio sensu Petr. 66, 7: In Summo habuimus caseum mollem ex sapa et cochleas singulas et *cordae* frusta et hepatia...).

[3] Cels. 4, 11: *iecur in quattuor fibras* (h. e. partes) *dividitur.*

[1] Arnob. *Adv. g.* vii, 26: Genetrix et mater superstitionis Etruria.

[2] Cfr. Ovid., *Metam.* XV. 553:

Tyrrhenus arator...
Fatalem glebam mediis aspexit in arvis
Sponte sua primum nulloque agitante moveri,
Sumere mox hominis, terraeque amittere formam,
Oraque venturis aperire recentia fatis;
Indigenae dixere Tagen, qui primus Etruscam
Edocuit gentem casus aperire futuros.

Cfr. etiam Lucan., *Phars,* I-635: *Conditor artis Tages.*

[1] Wissowa, *Religion der Römer* p. 361. De Etrusca disciplina videsis Thulin in Pauly-Wissowa-*Real Encyclopädie,* s. v. Etruria.

DE MAXIMO

SACRARUM MISSIONUM CONCURSU ROMAE

Iam igitur Pontifex maximus, Patrum Purpuratorum frequentia stipatus, coram frequentissimo civium advenarumque conventu, sollemnibus caeremoniis est concursum exterarum missionum auspicatus. Eius autem consilium, quod omnibus placuerit, laetatur; iure quidem, nam res ut prae ceteris recentiorum placitis maxime apta semper laudabitur. Itaque Pius XI, decessorum suorum morem sequutus, ad magna semper atque utiliora spectans, nunc laudabilem concursum consilio et re adiuvit, et in praesentiarum magna est pectoris consolatione adfectus, quod industriam cernit et intelligentiam universorum religiosorum hominum, qui totis viribus et sollerti animorum studio, ad optimum rerum exitum obtinendum, alacres contendunt.

Re enim vera, non in agonem homines hi descendunt ut aliquam sibi gloriolam comparent, utque meliusculus et commodius vitam assequantur, vi ingenii rerumque abundantia gaudeant, vel de mortalibus inventis, ut passim, excellant in novis ad interficiendum excogitatis instrumentis; quae quidem humanam ferociam se superasse facile profitebuntur.

Longa alia equidem est mens, longe alia Missionariorum contentio. Namque tota christiana sapientia in hoc modo posita est, ut animi lenitate ac suavi alloquio populos ad pietatem excolant in Iesu Christi placitis accipiendis, atque in ipsis fortiter perficiendis stabiles permaneant. Et non armis proeliantur, non violentia; sed una animis persuasione atque vi caritatis.

Olim erat Romanis decus atque fortitudinis signum, si hostes ad internicionem redigerent, et in ruinam populos impellerent. *Ubi solitudinem fecerunt, ibi pacem adpellant,* de Romanis vulgo effutiebatur. Christiani, e contrario, vitam populis adferre praedicabant, et Iesu Christi sapientiam ad pacem, ad vitae iucunditatem et in terris suis alumnis pollicebantur.

Atque primi Missionarii, Apostoli scilicet, ex Oriente profecti, et divino instinctu afflati per universum terrarum orbem doctrinam christianam attulerunt, qua re principem locum obtinet Palaestina, unde pervenit et salus ad omnes populos. Quae quum Urbem pervasit, in Romanam subito conversa, hinc in omnes late gentes beneficium affudit; et paucis labentibus annis religione tenuit, quotquot Romani armis primum usurpaverant.

***

Hîc locus ipse, rerum conditio et tempus me monet, ut

Magnanimos duces totiusque ordine gentis
Mores et studia, et populos, et praelia dicam.

Sed copiosa rerum multitudo ad brevitatem impellit.

Inter Missionarios ponendum esse Sanctum Petrum eumdemque principem vocandum, nemo sane dubitaverit.

Propterea prior hic est Romae cum Paulo meritoque magister advocatus, qui a Domino ipso missus ad Urbem venit, quum esset adhuc regina mundi, aliosque in omnem terrarum orbem missionarios mittere coepit. Atque adeo Roma, iam imperii caput, novarum rerum divinitus facta est pulcherrima magistra, et imperium terris vereque animos aequavit Olympo. Hinc enim, post aliquot annos, Gregorius Magnus, vestigiis Petri insistens, qui Anglos ad religionem erudirent misit, qui Germanos et Batavos, ita ut brevi Pontifex Maximus super et Garamantes et Indos imperium protulerit.

Haec omnia, mirum in modum et graphice, per diversa loca, sed per annorum seriem, viator nunc Romae, in ipsis Vaticanis aedibus, perspicit. Sic tibi est prior obvia Asia, mox Europa, deinde Africa, America demum; quae, cum universis locorum divitiis, hominumque cultu, omnium fere regionum cultum referunt. Omnia tamquam tabula, recentiorum more, luce depicta, tibi apparent; quae primum erant, qua mox atque nunc, novis sed institutis moribusque exornata. Quae sane laeta rerum hominumque in melius mutatio!

Et quoniam Missionarii per diversa tempora alii alios exceperunt; sic per ordinem nunc Franciscales adsunt, qui in extrema media aetate, quam vocant, exorti, omnium Missionariorum veluti ductores exstiterunt; et Mercedarii et Iesuitae aliisque nominibus producuntur, ad eadem usque spectantes, ut homines ad pietatem atque ad mansuetiores mores perducantur.

Hîc atque illic ad invisentium cultum atque hilaritatem adsunt et instrumenta, quibus illae gentes agriculturam colant, ut vitam miserrime actitent; adsunt et recentiora, et illa denique, quae ad ornamentum tantummodo spectant. Est ibi propemodum universalis generis humani historia. Quam vere, quam apte diceres:

Sunt hîc etiam sua praemia laudi!
Sunt lacrimae rerum et mentem mortalia tangunt!

Quot enim Missionarii vitam laboriosam inter exquisitissima Barbarorum tormenta feliciter finiverunt! Quot et ignoti in immensis illis regionibus inter ignotos occubuerunt!

Ut olim Iulius Caesar commentarios rerum suarum scripsit, sic, et meliore equidem alite, Missionarii, identidem, senio confecti, uti milites nobili rude donati, res a se gestas edixerunt, quae nunc religiosorum labores atque industriam portendunt, nunc et populorum ingenium perfecto opere ac diligentia evulgant. Nec equidem obiter atque temere, sed quod diu viderunt ac tractarunt absque invidia ac devota veritate exponunt. Et quanta saepe laudabili simplicitate et suos errores narrant et prima in rebus tentamina!

Quis enim ad diligentiam adsurgere tentabit Cardinalis Massaia, qui patrum memoria, ad Gallas Ethiopiae populos redimendos perrexit, atque apud illos triginta et amplius annos industrius permansit?

Nos merito admiramur quod Vergilius sapienter de cultu apium descripsit, atque ad exemplum, in medium referimus quid eis prodesse quidque nocere poterit. Quis enim non meminerit eum monentem, ubi alvearia ponenda?

Haec circum casiae virides et olentia late
Serpylla, et graviter spirantes copia thymbrae
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.

Inter gentes, homines Dei omnia studiose tentant, omnia curant, omnia diligenter prosequuntur, ut animos indigenarum exculpant eorumque ingenium perquam accuratissime scriptis promant; et quo amore sint ipsis postea devincti et tota mente sint ipsis devoti.

Haec vero non turbatim adstant vel confusim, sed omnia sunt ita proposita ad hospitum commoda, ut raptim quisque atque uno veluti oculo, res, quae ad Asiam pertineant, usurpet apteque perspiciat, et recte quae maxime delectant mente assequi possit.

Quo factum est, ut omnes uno ore rem optime commendent, et Commentarii rerum diurnarum, quos *politicos* vocamus, et qui de rebus praesertim religiosis vel superbo quodammodo ore aspernantur, vel fastidiose leviterque attingunt, mutato more, frequenter et nobiliter de hoc certamine in Urbe scripserint, idque summis laudibus generose exornaverint.

Honoris ergo Londinense diarium memorabo, cui est nomen *Times,* quod, uti constat, etiamsi a Romana doctrina prorsus alienum, attamen amplissimis Missionariorum certamen laudibus ad caelum extulit, illudque candide praedicavit inter praeclara Urbis monumenta quae visitentur dignissimum.

Quae quum ita sint, iam non dicam romane: Quod felix faustum fortunatumque fiat? Omnes enim uno ore, felici alite inchoatum esse adserunt, atque ad finem usque, Deo adiuvante, adclamantibus gentibus, progressurum esse confidunt.

At ubi exponitur?

Est apud amoena Vaticana viridia prae ceteris locus insignis, cui est nomen *Cavaedium S. Ioannis ad Pineam.* Ibi sunt ampla atque eximio artificio confecta lignea tabernacula mirumque in modum disposita et commodo affabre studio, in quibus apte contineantur ut se se etiam atque etiam saepe visitantibus commendent. Quod alias et fusius.

Unum restat, quod Deus, opitulantibus Sanctis, a nobis omnem pravorum mentem arceat, et factionibus longe ablegatis, omnis peregrinus, Italiam sacram petiturus, in pacatam Urbem ovans invehatur.

I. B. Francesia.

In obitu Francisci Xaverii Reuss

Sodalis e Congregatione SS. Redemptoris
in poësis latinae magisterio versatissimi

Epicedium

Almae fasciculus *Romae* nuperrimus ictu
Me prope fulmineo perculit intimius;
Notitiam referebat enim mihi mortis acerbae:
Franciscus cessit, cui Pater ipse Reuss.
Abripuit subito morbus diabeticus, eheu!
Cultorem Latii carminis eximium.
Discipulus multis vatem reverebar ab annis
Emunctae naris caenobiique decus.
Suavi libabam studio eius carmina in *Almae*
Adsidue *Romae* prodita ephemeride.
Contigit et quando aeterna me sistere in Urbe,
Doctum adii toties, corde fovente, Virum.
Plurima tunc genii assueti documenta Camoe-
[nis
Gaudebat cupido sponte aperire mihi.
Unde ego iucunda tactus dulcedine, mentis
In sene mirabar vim iuvenilis adhuc,
Occidit at victor certaminis Amstelodami,
Toto quod cunctis vatibus orbe patet;
Et precor, ut lauros, quos est, dum vixit, ade-
[ptus,
Laetetur palmis inseruisse poli.
Roma sed *Alma* nigris exi circumlita limbis;
Vatis Apollinei nam lyra fracta silet,
Quae numerosa piis te ornabat saepius hym-
[nis
Augustum illustrans nomen ubique tuum.
Aemulus haud impar exsurgat, quoque vire-
[scat,
Eloquium Flacci Vergiliique potens!
Sic maiestatem redolens, Latiique vetustus
Sermo dabit colere et mystica rite loqui.
Tunc iterata recens, cathedra haec firmante
[magistra,
Iure Pii undecimi vota repleta forent!

Mediolani, V Nonas Martias 1925.

Sac. CAESAR MAMBRETTI,
Praep. Parochus S. Mariae ad Portam.

COLLOQUIA LATINA

Obsequia scholastica invicem praestita.[1]

BERNARDUS, ANDREAS, FABIANUS, VINCENTIUS, MARIUS, PAULUS, LUDOVICUS, CAESAR, DONATUS, FRANCISCUS, HENRICUS, GABRIEL, RODULPHUS *discipuli.*

BERNARDUS. Quid actum est in schola postquam abieram domum?

ANDREAS. Interpretatus est magister epistolas Ciceronis; deinceps dictavit argumentum scriptionis hodie vertendum.

BERN. Quando autem reddendum?

ANDR. Perendie mane.

BERN. Iamne vertisti?

ANDR. Nondum etiam omnino; sed bonam partem.

BERN. Dicta mihi, quaeso, vernaculum.

ANDR. Quaere tibi alium qui dictet; nunc ego tibi non possum operam dare.

BERN. Cur non?

ANDR. Est mihi aliud negotium, idque necessarium.

BERN. Nolo te urgere; sed saltem commoda mihi tua adversaria.

ANDR. Accipe, utere, ubi libet, modo ne abutare.

BERN. Ne verere.

FABIANUS. Serione scribis, an tu nugas agis, Vincenti?

VINCENTIUS. Equidem scribo serio; sed quorsum id rogas?

FAB. Fuit quum elegantius scriberes. En literas! Aeque scite gallus gallinaceus scalperet unguibus.

VINC. Deest mihi calamus accomodus; da mihi, obsecro pennam novam.

FAB. Non sic dantur mihi.

[1] EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

VINC. Nolo mihi dono des, sed commodato.

FAB. Sunt mihi tantum duae.

VINC. Unam mihi commoda per amicitiam nostram.

FAB. Amicorum omnia sunt communia. En tibi pennam, eamque imo cum longo et firmo caule.

VINC. Reddam tibi statim quum scripturam descripsero.

FAB. Nolo mihi reddas.

VINC. Quid igitur faciam?

FAB. Quidquid voles; a me enim tibi dono datur. Age igitur, profer atramentum, intinge calamum et periculum facias.

VINC. Exarabo nomen tuum, ut referam gratiam.

FAB. Phuy! Et nunc lituras verius fingis quam literas.

VINC. Adhaeret fibrula aliqua vel flocculus.

FAB. Debuisses prius introspicere; nunc saltem, si ita est, demas...

MARIUS. Quaeso, Paule, ut appares mihi hanc haematitem.

PAULUS. Non habeo scalpellum scriptorium.

MAR. Petam mutuo a Ludovico.

PAUL. Vade.

MAR. Ludovice, da mihi mutuum tantisper scalpellum tuum.

LUDOVICUS. Scilicet ut magister eripiat, si te utentem deprehenderit.

MAR. Utar clanculum sub pallio.

LUD. Habe tibi: tamen tuo periculo.

MAR. Omne in me periculum transfero.

LUD. Hac lege a me auferes, ut, si praeceptor te spoliet, persolvas pretium.

MAR. Omnino hac lege. – En scalpellum, Paule.

PAUL. Heu! quam obtusum!

MAR. Age, expedi, priusquam magister veniat.

PAUL. Utrum amas scribere? Cuspide duriuscula an molliore?

MAR. Attempera ad manum tuam.

PAUL. Ego molliore uti soleo.

MAR. Habeo iam alteram haematitem tenui cuspide: para nunc mucrone crassiore.

PAUL. Faciam; tu autem ipse addiscas artem parandi: incommodum est enim alienam semper operam emendicare.

MAR. Tentavi frequenter; sed oleum usque nunc et operam perdidi.

CAESAR. Quis commodabit mihi dimidiatum chartae folium? Obsecro te, Donate.

DONATUS. Habeo folium unicum; sed ego ipse egeo.

CAES. Tibi alterum dimidium serva; alterum dimidium sufficiet mihi.

DON. Revelle ex codice tuo compacto chartam vacuam.

CAES. Non fecero. Inde sensim compactio dissolvitur et liber membratim discerpitur.

DON. Sufficitne tibi hoc frustulum?

CAES. Hei! non capiet sex versus, ex meis praesertim.

DON. Scribe in utraque folii facie, et duc versus densiores: quid necesse habes tam magna interstitia relinquere?

CAES. Egone id facio? Vix intervallum est ullum; nam literae sese utramque attingunt. Eh vero! quid tu non instruis? Nolim scribere ad exemplar tuum. En, ut parvos ducis versus!

DON. Scribe seorsum, et tace.

FRANCISCUS. Estne tibi bonum atramentum, Henrice?

HENRICUS. Cur id rogas?

FR. Ut mihi des aliquantulum de superfluo.

HENR. Nunquam non tibi aliquid desit! Dic, quid est discipulus sine calamo et atramento?

FR. Quod miles sine clypeo et gladio, fateor; sed in posterum instructus veniam.

Nunc dato mihi pauxillum in praesentem usum.

HENR. Sed atramentum meum instar limi crassum est; haeret in pennae crenis, nec defluit.

FR. Diluas aceto.

HENR. Non est mihi acetum ad manus.

FR. Cedo, ibo ad antliam: instillabo guttas aliquot aquae.

HENR. Periculum est ne charta perfluat.

FR. Quid refert? Non scribimus aeternitati.

HENR. Vah! Nimium infudisti. Vide, quaeso, quam dilutum: est instar aquae.

FR. Quale, quale erit mihi usui; infundas.

HENR. Porrige atramentarii cornu apertum.

FR. Infunde plusculum.

HENR. Deprime gossypium calamo; alioquin redundabit atque effluet.

FR. Satis: quaenam est haec profusio? Plus dedisti mihi quam tibi retinueris. Habeo tibi gratias; referam quum et tu egebis.

HENR. Utere commodo tuo.

GABRIEL. Nemone arenam habet ad manum?

RODULPHUS. Habeo; sed perparum.

GABR. Oro te, scripturam meam consperge modico pulvere: invertenda est pagina; confundentur literae lituris.

ROD. Insere chartam bibulam.

GABR. In promptu non est mihi.

ROD. An pulverem abradam de pariete?

GABR. Nefas est scalpendo deturbare scholae parietes. Quid cunctaris? Insperge pauxillum de theca tua arenaria. Attentus es nimium ad rem nihili: arena quid est vilius?

ROD. Nihil; verum ad litus maris, ubi eius est copia. Tamen quia noster es, explica folium et excipe.

GABR. Referam vices quum tibi opus fuerit. Quod video? Iamne nunc descripsisti integrum scriptionis argumentum?

ROD. Descripsi.

GABR. Utinam mihi essent articuli tam celeres! Equidem perquam tarde scribo.

ROD. Num potes dictantis vocem scribendo assequi?

GABR. Aegre admodum eoque magis quod prima mihi cura est ut bene scribam; proxima ut celeriter. *Sat cito si sat bene.*

ROD. Belle! Sed istam cantilenam magistro cane quum dictat...

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Interpolare – Alienis verbis, demendo addendo literas (librum tabulam, etc.) adulterare (corrumpere; vitiare).

Interpositor – Conciliator.[2]

Intitulare – Appellare (aliquem); Inscribere (librum).

Intitulatio – Titulus.

Intonacum – Opus tectorium.[3]

Intrinsece – Intrinsecus.

Intrinsecus (a, um) – Interior.

Intuitus – Adspectus; Respectus; Ratio.

Invalidus – Irritus; Non legitimus; Non idoneus; Non ratus.

Inventarium (facere) – Indicem conficere.

Inventio – Inventum.[4]

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Itaque: *Ex eius interpositione* – Eo conciliatore.

[3] Hinc: Murum tectorio polire (expolire); Muro tectorium inducere (obducere). – Apud Vitruvium: Murum (parietem) trullissare.

[4] *Typorum inventio* - Ars nova libraria codicibus multiplicandis. - *Telegraphi inventio* – Novum inventum ad res de longinquo significandas. - *Iuxta inventionem atque directionem* – Ex ingenio praescriptoque. – *Festum inventionis S. Crucis* - Sollemnia ob memoriam inventae Crucis D. N. Iesu Christi.

Inverecunde – Impudenter.[1]

Investire – Possessionem alicui dare; In possessionem aliquem mittere.

Invisibilis – Qui oculorum aciem (obtutum) effugit.

Involuntarius – Non voluntarius; Invitus.

Irate – Iracunde; Cum ira.

Irrationabiliter – Sine ratione; More rationis expertium.

Irrationalis. – Rationis exspers.

Irregulariter – Vitio, Vitio factus.

Irreligiosus – Ab omni religione alienus (remotus); Impius.

Irrequietus – Sollicitus; Laboriosus.

Iudiciosum esse – Iudicio valere (praestare; pollere; excellere; abundare); Recte iudicare; Facultatem habere recte iudicandi; Inesse alicui magnam iudicii vim; Iudicii praestantia (vi; excellentia; subtilitate) praeditum esse; Optimo iudicio uti.

Iuramentum – Iusiurandum; Sacramentum.[2]

Iurista – Iurisconsultus; Iurisperitus; Legum peritus.

Ius habere – Iure posse.

Iustificare – Iustum declarare; A culpa absolvere.

Iustificare se – Crimen suum diluere (depellere; dissipare); Noxa se purgare (eripere se); Innocentem se ostendere.

Iustitiare – Morte mulctare; Capitis (Capitali) poena (supplicio) afficere; Capite plectere (punire).[1]

Iuxta Ciceronem (et sim) – Ut est apud Ciceronem; Secundum Ciceronem; Ex Ciceronis sententia.

Labor – Ars; Artificium; Opus; Opificium.[2]

Laborare – Operari; Opus facere (efficere); Opere se exercere. – Ad opus (opera) exire (prodire; discedere).

Laborator – Operarius.[3]

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Itaque: *Inverecundia* – Impudentia.

[2] *Iuramentum facere* - Iurare; Sacramenta dicere; Iureiurando sese obstringere: Fidem suam obligare. – En iurisiurandi formulae nonnullae: Ita me Deus amet (respiciat; iuvet; servet; tueatur; non destituat; non deserat); Ut ego non mentior; Ut vera dico; Ita mihi a Deo prospera contingant omnia; Ita quae opto feliciter eveniant; Ita mihi bene sit; Mihi propitius sit Deus, ut vera profero; Ita vivam; Ita diu felicique vivam; Ita diuturna lucis usura fruar; Ita sim salvus ut vera sunt quae dixi; Ne vivam; Dispeream; Moriar; Male mihi sit; Male mihi superi faciant; et sim.

[1] Pro *Iustitiam facere:* Iustitiae partes explere; Ad legem normamque iustitiae sese conformare; Nihil a recto aequitatis cursu deflectere.

[2] Itaque *Labor perfectus:* Opus omni ex parte perfectum (perpolitum); Opus absolutum (omnibus absolutum numeris; perfecte absolutum); Opus omnes numeros habens. - *Domus laboris:* Ergasteria artificiis aperta. - *Domus laboris et correctionis:* Custodiarium ad pueros exercendos coercendosque. - *Domus laborum sericorum (et sim.) ad puellarum custodiam:* Domus in usum operis serici et ad puellarum tutelam. - *Laboris dies:* Dies profesti.

[3] *Laborator creta:* Fictiliarius. - *Laborator musivus:* Musivarius; Museiarius. - *Laborator aere:* Aerarius; etc.

VARIA

De quodam avaro.

Crumenam auro refertam amiserat avarus. Illam reperit villicus inops, qui unum de centenis aureis, quos sinu suo tegebat, nummis, sibi excepit, ad capitis operculum comparandum, ne hiemis asperitate rigeret. Hisce compertis sordidus, illico ad hominem advolat, rogans ut, quod suum non esset, statim ille reddat. Paret momento rusticus, demisse simul candideque confessus, se gelu prope rigentem, nummum sacculo hausisse. Escanduit sentiendo pecuniae cupidus, subitaque elatus ira, ad hominem exclamat voce magna:

– Tu mihi pecuniam meam furatus es; marsupium de manu tua non recipiam, ni totidem aurei quotquot erant, antea mihi reddideris. – Eumque vocitans in iudicium arcessivit.

Utriusque iurgis auditis iudex, omnibusque perpensis, zonam digitis apprehendit atque ad petentem conversus:

– Tu ergo, – inquit, – nummariam thecam centum aureos habentem perdidisti, nonne?

– Certo certius, – promptior ille.

– Atqui – reponit iudex, – ista novem supra nonaginta tantum habet; ad te igitur minime pertinet.

Et haec dicens, zonam homuncolo attribuit, qui illam invenerat.

Optima quidem sententia: immitis enim Crassus haud fuerat meliori sorte dignus.

Ex *Schola morum* Blancardii latine reddidit

H. Iacobelli.

ANNALES

Nova de bellicis debitis consilia.

In superioris mensis civilium eventuum recensione nostra, de recenti pecuniario foederatarum in Europa nationum conventu diximus, deque discrepantiis inibi exortis circa bellicum aes alienum invicem solvendum. Nova hodie de re agitata consilia recolenda sunt, eaque Churchilii, Anglici administri, qui immutatam pro singulis annis summam cuique solvendam proposuit, addita aequa ab unoquoque parte, pro singulorum acceptis ex Dawesii ratione; quae quidem summa tum minuenda esset, quum Germania, oeconomica virtute sua resumpta, largioribus solutionibus satisfactura foret debitis suis. Dictitant ad huiusmodi consilia inter nationes simul disceptanda et alium conventum Londini proxime iri congregatum.

Interim vero legatorum foederatarum nationum coetus Lutetiae Parisiorum sedens, in examen revocavit iudicium a militaribus procuratoribus emissum circa oboedientiam Versaliensi foederi a Germania praestitam; quae, contra, violata ita esset, ut dici liceret iuvenes omnes bello paratos in Germania ipsa etiam nunc haberi!...

***

Turcas inter et Graecos discrimina.

Quum Turcae Byzantio expulerint Graecorum patriarcham, Constantinum nomine, Graeci, tamquam gravi iniuria affecti, acriter in Angorae gubernium conquesti sunt. Res eo processerunt, ut iam de novo bello praedicaretur, nunciaque vulgata sint de militari foedere Graeciam inter et Jugoslaviam in Turcas. At vero, et opportune quidem, Nationum Societas intervenit, atque discrimen sibi iudicandum assumpsit.

Paucis diebus post, Turcarum respublica novis difficultatibus occurrit, tum ob seditionem in Curdistan regione obortam, tum ob administrorum suorum dissensiones; quibus factum est ut administrorum collegio, cui Fethi-Bey praeerat, aliud suffectum sit, praeside Ismet-Pacha.

***

Funera.

In Svedia vita functus est Branting, collegio administrorum praepositus, vir doctus et popularis, qui magnum sui desiderium reliquit.

Sed vehementius conqueruntur Germani, qui necopinato morbo breviter absumptum viderunt Ebert, primum novae reipublicae praesidem, ex cuius prudenti atque sapienti consilio victus fuerat insanus evertendarum omnium rerum illorum furor, qui Germanicam civitatem ad Russicae formam convertere contendebant. Vir in omnes obsequens, omnium observantiam sibi conciliaverat.

Comitia ad novum reipublicae summum magistratum eligendum die XXIX huius mensis Martii fient.

Poplicola.

VACUI TEMPORIS HORA

Rediit in scenam – et salvum advenisse gaudeo – Anonymus ille meus, hodie suasor, ne tricis et iocationibus nimiam impendam operam hoc iubilari anno poenitentiae adsignatum, atque praesertim quadragesimali hoc tempore; ut autem opera sua mihi succurreret, nonnulla excerpta a parum cognitis latinis scriptoribus, quae ad rem conferrent, mihi offerebat. Gratias ego clarissimo viro et habeo et reddo, tum ob eius consilia, tum etiam – ecquid taceam? – ob insperatum auxilium. Si enim ille sciret quantum laboris necesse mihi sit, ut singulis mensibus qualiacumque haec frustula componere valeam!... Morem itaque libentissime ei geram; ei, aliisque, si qui fuerint, optimis, quos adiutores mei validissimi ad rem accessuri sint.

Erit igitur hodiernum argumentum **de abstinentia,** quod Anonymus meus excepisse affirmat a vita S. Elisabeth, a Perpiniano, Sacerdote e Societate Iesu, descripta:

Abstinentia – inquit – est veluti fidissima nutrix integritatis, firmissimum praesidium salutis sempiternum, quaedam quasi arx munitissima cum omnibus vitiis pugnare cupientium, et fortissimorum Christi militum clausum ad omnes aditus castellum; quod qui tenuerunt uti oportebat, facile furorem teterrimorum hostium eluserunt. Reprimit enim corporis libidines, tuetur et custodit castitatem, avocat mentem a curis vilissimis fluxarum rerum ad divinas et aeternas contemplandas convertit; diminuit de onere, quo illa deprimitur ad terras; auget cursus celeritatem in sempiternam illam domum; magnifice sentientes et loquentes de se compescit: submisse se gerentes et sui cognoscentes excitat; superbiam et contumaciam contundit; alit animi submissionem et modestiam; satisfacit Deo de peccatis et maleficiis admissis; in posterum ne plura committantur obstat; offensionem illius magni Patris, si quam habemus, delet; si quam timemus, vitat; corporis valetudinem sustentat; mentis sordes eluit; stultam et scurrilem loquacitatem repudiat; sobriam et moderatam semper orationem amplectitur; denique, ut omnia paucis comprehendam, omnium vitiorum fluctus a nostra pernicie depellit; pectus omnium virtutum moderatione tranquillat; inferos exterret, caelestes recreat; placat mundi huius fabricatorem et scelerum vindicem severissimum.

Ita ille; at iam pridem Paulus ad Corinthios (I, 9): « Omnis qui in agone contendit, – scripsit – ab omnibus se abstinet, et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam ». Et infra: « Ego igitur sic curro, non quasi in incertum; sic pugno, non quasi aërem verberans. Sed castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar ».

***

Abstinentiam autem comitatur **leiunium:** de quo mihi liceat – viden, Anonyme mi, me tibi auscultasse? – verba aliquot hîc addere, ex Chrysostomi Oratione III in profectione Flavii episcopi:

Quemadmodum – aiebat – hyeme praeterita et aestate apparente, nauta quidem navigium deducit, miles arma detergit, equumque ad bellum parat; agricola acuit

falcem; viator fiduciae plenus novum iter aggreditur; et ad certamina pugil expoliatur et nudatur; sic et nos ieiunio, tamquam aestate quadam spirituali apparente, et arma tamquam milites abstergamus, et falcem acuamus tamquam agricolae, et tamquam naturae contra undas, contra absurdorum cogitationes nos opponamus, et tamquam viatores rectum iter apprehendamus, tamquam pugiles ad certamina spoliemur. Exue vitae negotia, et athleta factus es; indue arma spiritualia, et factus es miles. Sis agricola; excole animam tuam et spinas exscinde; semina verbum pietatis, pulchras disciplinae plantas insere et cum multa diligentia repastina. Acue falcem tuam, quam per crapulam hebetasti, acue per ieiunium. Sis viator, aggredere iter in caelum ferens asperam et angustam viam; attinge et ambula. Ubi enim via angusta, magnum impedimentum est carnis ex crapula obesitae. Absurdae undas concupiscentiae reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum, salva scapham, multam ostende peritiam, et factus es gubernator. Horum omnium nobis magister ieiunium est, medicina est ieiunium. Sed medicina, licet millies utilis, per utentis imperitiam inutilis saepe fit. Etenim nosse oportet, et tempus, quo ipsam imponere opus sit, et ipsius medicamenti qualitatem et corporis temperiem suscipientis, regionis naturam, anni tempus, et congruum victum, et multa alia; quorum si quodlibet praetermissum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem, ubi corpori mederi oportet, tanta nobis opus est diligentia, multo magis animam curemus, et cogitationibus medeamur; omnia scrutari et cum omni sedulitate considerare necesse est.

Quale igitur erit verum nobis ieiunium? Auctor in Oratione XVIII sequenti clare indicat: « Laetemur quando etiam profectibus ieiunium egerimus, ut ipso transacto, fructus ipsius effulgeat; etenim hyemis lucrum tunc maxime demonstratur, quum illa praeteriit. Namque vernantes segetes, et solum, ac fructu affluentes arbores, per ipsum adspectum clamant utilitatem sibi ex hyeme factam. Hoc et in nobis pariter fiat; etenim pluviis continuis et crebris in hyeme per ieiunii tempus potiti sumus continuam haurientes doctrinam, et semina suscepimus spiritualia, et deliciarum spinas abscidimus ». Itaque (Serm. XVI) « si alius dicat: Istam ieiunavi quadragesimam, tu dic: Inimicum habebam et reconciliatus sum; habebam detrahendi consuetudinem et destiti; iurandi tenebar usu, et mos improbus mihi resolutus est... ».

***

Et nunc Subalpini nostri **monentem gallum** audiamus:

Audi quid restat dici curiosius,
Ni sim molestus! Omen avertat Deus!
Summo mane diligens a somno excito
Gallinas, exeant ut cito a cavea:
Egredior tamen gallus ipse prior,
Deoque gratias pro nocte graccito.
At at sub vesperum, ne qua restet foris,
Morosas pello summa diligentia:
Ingredi cupio ipse semper ultimus,
Scio nam possit pravum quid consilium!
Si quando lautas epulas invenio,
Licet vorandi ferveam cupidine,
Ferar natura saturare guttura,
Frugalior tamen bono pro familiae,
Nec unum patior sumere frustulum.
Clamosus advoco pullos sollicitus,
Qui mecum dividant divina munera;
Ipsis quin imo derelinquo saepius
Quidquid forte occurram per viam dulcius.
Saepe dans ceteris, ieiunus maneo...

Suos sic pater excitet domesticos,
Simul Deo fundat preces diluculo,
Exemplum se se praebeat patientiae.
Cibos acervo resumat de medio,
Prius nil sibi nec coquatur purius;
Suis quid boni donet sed domesticis.

Heu! vino nunquam nimius indulgeat!
Depellat improbam de domo ingluviem,
Et quisque gaudeat quod necessarium.
Turpis sic egestas pelletur longius,
Erit Dei numine rerum abundantia.

***

Iocosa.

Tuccio Pater: – Memento, fili mi, multa in nostra vita esse, quae multo magis valeant quam aurum.

Tuccius: - Sit; sed tamen auro emuntur.

Tuccius amico cuidam suo, qui eum de aetate percontaverat: - Atque tu quot numeras annos?

— Duodecimum proxime explevero.

— Scilicet, qua die?

— Natus sum die vigesima nona Februarii...

— O te felicem, qui annorum numero unum addis quarto quoque anno tantum!

***

Aenigmata.

I.

Fortis venator peragrabam devia saltus;
Nunc rutilum caeli sum decus astriferi.
Principium muta; divinus fio poëta,
Quem delphin quondam fluctibus eripuit.

II.

Rite lego: in silvis praestat, perstatque vigore.
Si lego retrorsum, virginis ornat ora.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Navis, Avis, Vis, Is;* 2) *Pica, Spica.*

Iosfor.

Libera a pittaciis responsa.

Sac. Dri. Alex... Bers..., *Placentiae.* – Accepimus, tibique gratias referimus.

Rev. p. Em... Io..., *Vici.* – Fasciculum mens. Iulii 1924 *tertio* ad te misi, atque spero futurum fuisse ut tandem aliquando ad te pervenerit. Novae tuae litterae his diebus nobis allatae sunt: valde dubito cursus publicus morbo aliquo istic laboret.

Cl. v. Ph.... Reb..., *Rheinpfalz.* – Pecunia suffecit. Ut valetudo tua optime restituatur ex animo tibi ominor.

Cl. v. Ant.... Ba..., *Czewinskii.* – Novus Ruspantini certaminis prospectus proxime edetur eumque in nostris paginis latine redditum vulgabimus. De illo argumento recentiora opera prorsus ignoro.

Rmo. v. Leon.... Per..., *Monte Regali in Canada.* - Pro humanissimis litteris et syngrapha in iis inclusa amplissimas grates rependimus. Ecquando Romam redibis? An res mutatae sunt? Te vehementer exspectamus.

Rev. v. P. G. Menc...., *Modoetiae.* – Omnia accepimus, gratias habemus, tibique morem geremus.

Cl. v. Mich.... J. Go..., *Baltimorae.* - Fasciculos mens. Ianuarii et Februarii ad Lis.... misimus. Syngrapha vero, quam nunciabas, usque ad hodiernum diem (Idib. Marttis) minime nobis delata est.

A. Secretis.

Libri recens dono accepti.

Can. Prof. Avv. Rosario Fiamingo. *Giubileo universale dell'Anno Santo 1925.* – Ven. apud Auctorem Romae (*Via Urbana, 12*) pro Italia libell. 10; extra Italiam libell. 15.

Norme pratiche o *Veni mecum del pellegrino* per l'acquisto del Giubileo nell'anno santo 1925. – Romae edid. Desclée et Soc., 1925. – (Ven. lib. 0,75).

Francesco Sofia Alessio. *Spes Virgiliana,* traduzione di Duilio Zuanelli. – Valdobbiadene ed. off. Bronca, MCMXXIV. (Extra commercium).

Antonio Lupi. *Tavola di analisi logica della proposizione latina.* – (Apud eumdem, in oppido *Prà* ad Genuam, ven. lib. 0,20).

Dr. Iosephus Fornari, *Moderator, Sponsor.*

Romae. – Typis Polyglottis Vaticanis.

PANCRATIUS [3

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

SCENA II.

CORVINUS et PANCRATIUS,

PANCRATIUS. Corvine, salve! (*Et quum ille taceat*). Cur tu vultu tam torvo es?

CORV. Cur? Quia in schola hodie tibi placuit et me, aliosque te et maiores et meliores declamatione expungere. Magna, hoc mihi crede, mihi mota ira est, quum tu in me contemptibiliter vertis oculos et audio verba, quorum te tandem poenitebit.

PANCR. Pro certo habe, nihil unquam me fecisse, quo tuum vulnerarem animum, neque unquam ego me superiorem meis existimavi sociis. Nihil, nihil est, cur adeo turberis animo.

CORV. Est etiam aliud quodpiam tecum mihi negotium. Meum patrem Urbis praefectum esse noveris: quaedam igitur mature scit res, quae te quoque tangant. Hoc habe dictum tibi, ignavissime capitis asini adorator.

PANCR. Si molestus fui, Corvine, ignosce, composita ut pace te relinquam (*Vult abire*).

CORV. (*illum retinens*): Non cum pace tu hinc abibis. Te ego odi ex unguiculis et semper te mea persequetur ultio. (*Signum vigiliae*). Approperant vigiles; dolendum sane!... Perfer igitur hocce pignus futuri quoque odii! (*Impacta Pancratio alapa, abit*).

PANCR. Da robur, o divine mei custos! Nonne vides quantum perturbetur mihi animus, quam mihi ardeat?... Sed Deus sit Corvino propitius, ut ego quoque illi ex animo ignosco... Haec vere acerrima fuit vitae meae decertatio; neque unquam antea caro in me atque sanguis tanta subiere vehementia! Obtunde, Domine, in posterum!

SCENA III.

SEBASTIANUS cum QUADRATO et QUATUOR MILITIBUS – PANCRATIUS – CORVINUS *auscultans ad laevam proscenii.*

SEBASTIANUS. Tu hîc, Pancrati? Salve!

PANCR. Sebastiane, salve!

SEBAST. Quadrate, duc custodes ad palatium! (*Ad Pancratium*). Emoto te video esse animo, mi puer: quid est factum?

PANCR. Parva tantum verborum contentio.

SEBAST. Contendendum verbis? Quocum, quaeso? Quis iniuriam intulit?

PANCR. Nemo iniuriam. A Corvino mihi gratum factum est, ut nunquam gratius.

SEBAST. A Corvino? Qui?

PANCR. Puer misellus quidem, sed minime improbus, dum ego ad antistitem propero, fit obviam. Statim, in schola quod meis esset lacessitus moribus, convicia in me ingerit. Male, opinor, rem nescio quam interpretatus, pugno petiit meam faciem. Sed nobili est animo; quem ego Christo adiunctum velim!


SEBAST. Corvinus in tuum invectus est vultum? Plus quam errorem ego, puer, timeo; cave!

PANCR. Cui ego aetatem omnem habebo gratiam. Sed etiam maiores gratiae debentur Deo, quod per eum occasionem fecit coërcendi motum animi. Ah! Tumultu non leni perturbabatur! Ne posthac tantam caro et sanguis vim faciant!

CORV. (*Submisse*): O ignavum!

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS · EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Aprili MCMXXV Fasc. IV

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

De *saturarum* modis ad quos paullatim ludicra ars perrepsit, e quibus Livius Andronicus, poëta latinus, primus omnia ad fabularum argumenta spectantium animos transtulit, infra sermo erit. Hîc sat sit lectores monere, totam histrioniam artem ex hisce Tuscae originis initiis evidenter manasse; idque magnum est argumentum quantum Etruscis debuerint Romani.

Denique in memoriam revocemus, *Fescenninum morem* rustica opprobria versibus alternis fundendi, ex Etrusca Faliscorum urbe Fescennio Romam importatum fuisse. A Fescennio Fescenninus, ut ab Arretio Arretini, a Clusio Clusini, a Sutrio Sutrini etc. Nam opinio, qua Fescennini versus ideo dicti quia fascinum putarentur arcere, cuius iam testis est apud veteres Paulus in excerptis Festi – (Fescennini versus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Fescennina dicuntur allati, sive ideo dicti quia fascinum arcerent), – haec opinio, quam inter recentiores secutus est etiam Ribbeckius, vir quidem maximae existimationis, auctor notissimae *Geschichte der röm. Dichtung* (Cfr. I, 9). iam diu explosa est, ipsis sermonis latini legibus repugnantibus, quae non patiuntur a «*fascino, fascinatione*» vocem quae est «*fescenninus*» derivari.

3. Venimus ad *linguam* considerandam, quae apud omnes populos index est humanitatis eloquentissimus. Iam pridem a glottologis animadversum est, multa verba et locutiones Romanos sumpsisse ex sermone Etruscorum. Nonnulla exempla refert Paulus in Festi excerptis:

P. 88: *Falae* dictae ab altitudine, a *falado* quod apud Etruscos significat caelum. Erant autem *falae* turres ligneae militares unde missilia iaciebantur, in obsidionibus praecipue adhibitae. Ennii fragmentum apud Nonium legitur (II *De hon. et nov. veterum dictis* p. 114 Müll., ex Ennii XV Ann.): «malos diffidunt, fiunt tabulata *falaeque*» Falae erant etiam in circo, apud veteres propter spectatores e lignis erectae. [1] Notum etiam proverbium erat: *Subire sub falas* (Plauti *Mostell.* 2, 1, 10) i. e. magnum periculum subire.

---

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] *Nonii Marc. de comp. doctr.* ed. Lindsay, I. vol. p. 163. De *falis* in circo cfr. Iuv. 6, 590, ubi mulier plebeia ante falas circi delphinorumque columnas consulit vulgares hariolos an saga vendenti nubat caupone relicto. Cfr. SERV. ad Aen. 9, 705. Erant A. *falae* septem ligneae turriculae in ovi seu coni similitudinem formatae, quae ad singulos bigarum vel quadrigarum circuitus designandos in circo supra columnas, quemadmodum et supra alias totidem delphinorum simulacra, erigebantur; quod fuit inventum M. Agrippae, teste Dione 49, 43; cfr. FORCELLINI *Lexicon.*

Ex *fala* autem *falaricae,* genus teli missile, ait Festus, quo utuntur ex falis, i. e. ex locis exstructis dimicantes. Vergilius in nono (705) de telo maxima vi iacto: « magnum stridens contorta falarica venit Fulminis acta modo ». Erat falarica ad modum hastae valido ferro praefixo. Saguntini ea utebantur artificio quodam exstructa, quale describit Livius in XXI libro, cap. 9, quod videsis.

P. 132 M. - *Mantisa*, additamentum dicitur lingua Tusca quod ponderi adicitur, sed deterius, et quod sine ullo usu est. Addit exemplum Lucilii: Mantisa obsonia vincit (Italice: *È più la giunta che la derrata*).

P. 309 M. - 444 Tewrech de Ponor: *Subulo* Tusce tibicen dicitur. Exemplum Ennii: « Subulo quondam marinas adstabat plagas ». Quem versum etiam Varro laudat L. l. 35 et subiungit: Subulo dictum quod ita dicunt tibicinem Tusci; quocirca radices eius in Etruria, non Latio quaerundae.

Sunt aliae tuscae voces in latino sermone, ut *histrio,* fortasse etiam *lanista*, i. e. qui gladiatores exercet in arte pugnandi, ut Isidoro videtur; nisi forte a *laniando, lanione* hoc vocabulum ducendum est.

Si ad nomina propria, praesertim personarum, gradum faciamus, multum Tuscae originis inter Romanos inveniri potest. Iam Hübnerus in *Quaestionibus onomatologicis* (Bonn, 1854) id animadverterat, at argumenta post eum et exempla cumulavit Gulielmus Schulzius in Commentatione: « *Zur Geschichte Lateinischer Eigennamen* » apud Gottingenses perlecta anno 1900, post edita Berolini a. 1904. Secundum huius commentationis capitulum est de gentium et familiarum Romanarum deque vicorum urbiumque nominibus ab Etrusco fonte deductis; multa autem enumerat, vel in *ina* vel in - *enna* vel in - *arna* - *erna,* ut Caecina, Porsenna; talia: *Abenna,*[1] *Auenna, Adenna, Agisenna, Artenna* (vel *Artena*), quod est nomen urbis inter Caere atque Veios positae, (et alia Artena etiam erat apud Volscos, v. Liv. 61, 10-11); *Avena, Barginna, Caecina, Calesterno, Catinna, Gavinna, Cortenna, Cotena, Ergenna* etc. etc. Tuscae originis etiam ducuntur nomina in *es* desinentia ut *Verres;* in - *o* - *onia,* ut *Sueto, Suetonius.*

Quid plura? *Romae* ipsius nomen etruscum quid sapere credunt; nam ut Caeculus, conditor urbis Praenestinae, auctor est gentis Caeciliae, ita Romulus Romiliae gentis ἐπώνυμος,[2] in memoriam revocat nomen *Rumlnas,* quod est nomen familiae Vulcensis (Fabretti, 2171); hinc igitur ducenda esse *ruma, roma, Remus,* praesertim quum iam Dionysius Halicarnassensis notitiam de ea re habere se ostendat dicens: *Τὴν Ῥώμην αὐτὴν πολλοὶ τῶν συγγραφέων Τυῤῥενίδα πόλιν εἶναι ὑπέλαβον.* Etrusca certe erant nomina tribuum priscae aetatis: *Tities, Ramnes, Luceres.*

Denique animadvertenda sunt vocabula quaedam, quae e fonte graeco manasse videntur, sed interposita quodammodo Etrusca pronunciatione. Veluti *gruma* vel *groma,* genus illud machinulae, ut Paulus ex Festo ait, quo regiones agri cuiusque cognosci possunt, quod genus Graeci γνώμονα dicunt; groma igitur est a graeco γνώμων sed intercedente Tusco sermone. Idem dici potest de *sporta,* a graeco σπυρίς, acc-ίδα; et de *persona* quae est a πρόσωπον, per interpositam tuscam vocem, quae est *sersu,* quod legitur in pictura sepulcri

[1] V. *Onomasticon totius latinitatis* op. et studio Ios. Perin lucubratum Patavii 1913.... Nondum hoc opus ad finem perductum est. Vide etiam indices *Corporis Inscr. Latin.*

[2] Ann. 455 ante Chr. n. consul erat T. Romilius quidam - 2. fr. Rocus Vaticanus.

Cornetani apud hominem persona tragica vel comica indutum.[1]

Sunt aliae voces latinae Graecae originis ut *catamitus,* hoc est Ganymedes, mutata Tusco more pronunciatione; et in universum ubi prisca vox media, ut aiunt, consonante efferebatur, saepe tenui sono in pronunciatione etrusco-latina audiebatur, unde *Alixentrom* Praenestinorum pro Ἀλέξανδρον, *Casentera* pro *Καασάνδρα, Creisita* pro *Χαυσηΐδα.* Interdum vocalis sonus oblitteratur, unde Praenestinorum *Atlia* pro eo q. e. Atilia, *Dcumius* pro eo q. e. *Decumius, Orcvius* pro *Orcevius, Ptronis* pro *Petronius, Trtia,* pro *Tertia,* - quod proprium Tuscorum est, qui habent *Axle* pro Ἀχιλλεύς, *Atlnte-Atalanta, Menle-Menelaos.*

4. Postremo humanitatis Etruscorum vestigia apud Romanos deprehendas licet, si *artem fingendi et pingendi* spectes. Ante Augusti aetatem statuae et simulacra fictilia vel marmorea ad imitationem Etruscorum composita apparent; Tuscique artifices Romae plus semel memorantur, ut Vulca ille Veiens quem iam diximus, a Tarquinio arcessitum, simulacrum Iovis Capitolini argilla finxisse. Cuius imaginem et exemplar fortasse habemus in vetere simulacro Apollinis Veiis reperto, quod nunc in Musaeo *Villae Iuliae* servatur,[2] quodque non inverisimile est ab eodem Vulca Veiente esse factum.

Monumentum Etruscae artis eloquentissimum est etiamnunc celebris illa lupa capitolina ex aere ducta sub finem sexti a. Chr. n. saeculi, cuius lineamenta, positio, ferocia, vultus, quasi gemellos lactentes ab omni hostili incursu defendentis, admirationi semper spectantibus fuerunt, meritoque adhuc sunt.

Chimaera Florentini Musaei eiusdem paene est artis, saeculo fortasse quinto confecta.

Post captos Veios anno 396 a. Chr. n. Iunonis simulacrum Romam deportatum est; quod narrat Livius in quinto (c. 22) religioso quodam studio, colentium magis quam ex urbe capta direptaque rapientium modo, factum esse.[1] Postea anno 265 a. Chr. n. captis Volsiniis, Plinius monet nos (*N. H.,* 34, 34) duo milia statuarum ex aere Romam deportata fuisse. Multa igitur argumenta et indicia habes unde probetur tibi, quam magnum momentum Etrusco-ionica ars habuerit ad excolendos Romanos Latinosque in eisque iaciendos igniculos quosdam et semina humanitatis.

Denique nos non praetereat, vel in *vestibus* et *calceis* nonnihil Romanos ab Etruscis sumpisse; ut ipsa toga eorum fuisse videtur, quum Servius (*ad Aen.,* 2, 781)[2] id apertis verbis testetur, memorans, in Lydia hoc habitu simulacrum Iovis fuisse. Denique *tutulum*[3] quo caput

[1] De etymo huius vocis alii alia protulerunt. Sunt qui conferunt sŏna et Gr. ζώνη in mediumque proferunt voces quae sunt *zonarius, zonatim;* sed haec alio omnino sensu gaudent ac vox *persona.*

[2] V. Eugenio Strong *Roman Sculpture,* trad. Giannelli Firenze 1924, p. 3.

[1] « Iuvenes ex omni exercitu delecti, pure lautis corporibus, candida veste, venerabundi templum iniere, primo religiose admoventes manus, quod id signum more Etrusco nisi certae gentis sacerdos attrectare non esset solitus. Dein cum quidam, seu spiritu divino tactus, seu iuvenali ioco: visne Romam ire, Iuno? dixisset, adnuisse ceteri Deam conclamaverunt. Inde fabulae adiectum est, vocem quoque dicentis velle auditam. Motam certe sede sua parvi molimenti adminiculis, sequentis modo, accepimus, levem ac facilem tralatu fuisse; integramque in Aventinum, aeternam sedem suam, quo vota Romani dictatoris vocaverant, perlatam ».

[2] *Aen,* 2, 781:

Et terram Hesperiam venies, ubi Lydius aura
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris.

[3] *Tutulum* vocabant Romani tum capitis ornamentum in eo positum ut capillorum in conum congeries fieret in vertice capitis, tum pilleum lanatum forma metae, quo flamines et pontifices utebantur. - Festi p. 355 M. (534 Tewrech de Ponor) Varr. d. l. 7,44. Tutulo induti dicebantur *tutulati,* quam vocem v. in Lexicis.

Etruscorum opertum saepe in monumentis videmus, cum pilleo Romanorum evidenter comparari posse dixeris.

Ad summam, licet Etruscorum litterae et sermo tam magna semper obscuritate et tenebris involuta sint, tamen non minimo momento fuisse ad Romanos a prisca rusticitate avocandos, immo multum ad id valuisse, nemo iam inficias iverit.

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

SUAVIS FRANC. XAV. REUSS MEMORIA

IOSEPHO FORNARI, viro humanissimo, MARCUS GALDI s. p. d.

Quo maerore affectus sim quum legerim Fr. Xav. Reuss immaturo funere obreptum esse; quibus lacrimis eius obitum defleverim, vix habeo tibi dicere. Vehementer enim ipse eius amicitia et consuetudine laetabar, ne dicam gloriabar, quippe qui tanta scateret animi suavitate, tantaque morum modestia ornaretur, ut non solum esset perfacilis ad eum aditus, sed etiam unum quemque hilari vultu acciperet, suique ingenii ope adiuvaret. Quas vero animi virtutes habebat conspicuas, eas omnes ingenii lumine collustrabat splendidioresque efficiebat; tamque erat latinis Musis deditus, ut eius numeri et sponte fluere viderentur, et optime tornatos nulla haesitatione diiudicares. Tanta tamque dives modulationum vena nunc - miserum! - arescit, tot suaves concentus, quos ille copiose pro re effundebat, nunc subito conticescunt...

Vidi eum ultimum superiore anno: non poteram me Romam conferre, quin explendi cuiusdam voti causa eius coenobium peterem, presbyterum doctissimum mitissimumque viserem. Quibus benignis verbis me excepit, et quanta eius vocis et vultus modestia! Sermones varii inciderunt nobis; at prae omnibus poësis latinae argumentum valde eum tenuit, quippe quod magnae ei esset mihique delectationi. Mox egit de novo certamine Ruspantinio, breviterque percensuit qui ad illud certamen essent descensuri: voluit quoque legere poëmation de latinarum historia, quo ipse in animo habebat contendere. Attentam legenti aurem praebebam, eiusque voce inflammabar et commovebar, quum ille suos numeros modulatus quasi metiretur, virtutesque antiquorum recentiorumque poëtarum poëtica veste exornaret.

Quaenam sors illi carmini arriserit, miseritne ad certamen auctor an non, ignoro; hoc unum scio, carmen illud me valde delectavisse, opportuneque *Almam Romam* precibus instare apud sodales Congregationis SSmi Redemptoris, ut in suis paginis vulgandum sinant.

Quum illi praestiterim me tacitum pressurum quod mihi concredidisset, paucis aliis mutuo verbis factis, abii. Eius autem imago ante oculos diutissime obversata est, ut nunc etiam atque etiam oberrat et obversatur; eiusque carmina tota percurro, in primis illud deliciolum *Mnemosynon*, aureo numismate honestatum, in quo iudicando haeres, quid pluris habeas, suavitatem sensuum animique mollitiam, an artem delicatos illos sensus tenellulosque mire effingendi. In eis carminibus patet descripta, velut votiva tabella, omnis Reuss vita: quae fuit simplex, candore perfusa, pene sui immemor et contemnens, in honoribus muneribusque humillima, pietatis plena, alieno commodo consulens, liberalium artium studio consecrata.

Omnia haec bona, quae nemo poterat observare quin penitus admiraretur, cum illo perierunt; sed quid dico perierunt? Abiit, non obiit. Quod, si, ut ait Augustinus in *Confessionibus* (IX, 12): « Questibus lacrimosis gemitibusque solet deplorari quaedam miseria morientium aut quasi omnimoda exstinctio », non is fuit Fr. Xav. Reuss, cuius funus flebiliter celebretur. Non omnino enim mortuus est, sed vivit spiritus eius aeternum in Christo felix, ut eius operis boni ac solliciti, eiusque carminum venustissimorum vestigia supererunt. Exstincti memoriam veneratus omni laude piisque precibus cumulabo: Deus plus plusque sospitet illum!

Haec habui quae prae nimio dolore de Reuss nuper ablato dicerem: tu, *Almae Romae* moderator, si quid in illis reperis quod sinceri doloris testimonium certissimumque existimationis documentum interpretari possis, quodque evulgandum censeas, libenter ede.

Vale.

D. Messanae, postridie Kal. April. MCMXXV.

Viro clarissimo IOSEPHO FORNARI *comm. nostri moderatori.*

In ipso proximo nostro volumine
Duae notitiae ferebantur variae,
Quidem quae omnes effecerunt plurimum.
In prima fronte, litteris conspicuis,
Divinis prorsus latinisque versibus,
PIO dantur laudes, regit qui Ecclesiam,
Suoque mundum replet nunc ingenio,
Miris tot rebus hoc labente saeculo.
Et nos plaudentes sequebamur alacres
Vatem, qui spiritu videbatur plenior,
Sonans et ore diva pulcritudine!
Quum legebamus voluptate maxima,
Atque auspicantes ampliora in posterum,
Et ipse vitam terminabat rapide,
Quasi caelitibus laturus carmina!
Est quam viventibus sepulcrum proximum!
Ut olim Cycni, moriturus ultimum
Carmen composuit noster pulcherrimum!
Damus dum lacrimas viro, dum lilia,
Deum rogamus donet nobis alterum,
Ut PATER REUSS bonis sit virtutibus,
Eumque superet si non ingenio.
Ei sint nostrae preces cum suffragiis,
Ut cito adsurgat, protinus ad sidera,
Adhuc si forte teneretur longius!

Maestus et raptim SUBALPINUS scriptitat.

LUDOVICUS PASTOR HISTORICUS

Est in Urbe orator recentioris Austriacae reipublicae Ludovicus Pastor, qui olim in magno Valdidenae - (vulgo *Innsbruck*) - athenaeo historiam tradebat. Dum insignem navat operam in studiis rerum patriae enucleandis, particulari obsequio ductus, in Romanorum Pontificum historiam insigniter respexit, et quoties res postulabat, eos, data opera, ab adversariorum calumniis vindicabat. Atque adeo octo iam volumina, admirantibus exquisiti iudicii viris, in vulgus edidit; et paulo antea in eodem proposito remanens, iisdemque animi artibus ad religionem compulsus, ad nonum pervenit. Ita honoris dignitatem atque amplitudinem immortalibus scriptis cumulare consuevit.

Et quoniam, uti Tacitus scripsit: « Obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur, quum malignitati falsa species libertatis inest », ita noster, divino quodam spiritu afflatus, in aciem pro Pontificibus Romanis invicto animo contendit.[1] Magnum equidem opus et laudibus dignissimum, quod posteri maioribus etiam accipient, si immensam rerum molem vel leviter memoraverint, quas scriptor admovere debuit, ut omnes Pontificum osores facili marte profligaret. Et nunc, effossis undique veteribus documentis, quae perperam in tenebris arte improborum iacerent, Pius V, piissimus omnium merito dictus, in lucem novam veritate splendescens enitet, et sui saeculi ornamentum atque instaurator apparet, quamquam dum magnam spem omnibus affert, fore, ut res praesertim romanas, superiorum tem-

[1] Ipse patrio eloquio historiam exaravit, quam in italicum sermonem nuper elegantissime convertit vir nostrarum elegantiarum magister.

porum iniuria fractas, erigat atque recreet, repentino morbo correptus, post quinque annos, ingemiscentibus omnibus, decessit.

At brevi licet tempore vivens, explevit tempora multa. Illa enim tempestate, magnum Italiae aliisque Christianis gentibus periculum ingruebat, Selim secundi opera, qui hostilibus animis abreptus, in Europam grandibus itineribus infestoque exercitu contendebat. Actum erat de patria nostra, nisi Deus virum excitasset fortissimum, maximique consilii, qui rem Christianam pene perditam virtute sua restituit. Pius V hic est, qui, vel laboribus et infirmitatibus confectus, foederibus inter principes mirum in modum initis, effecit, ut aliquando Christianas gentes ab hostibus vindicaret. Re vera, Pius V Pontifex Maximus, invictam Petri firmitatem referens et Pauli pietatem, Italiam ex impiorum faucibus eripuit. Ipse unus praeter omnium opinionem, auctoritate ac religione fretus, simul Christianorum opes collegit, atque imperatorum animos coniunxit, et in spem victoriae Beatam Virginem armorum potentem invocari in periculis iussit eamque stellam intueri omnes, publicae auspicem felicitatis. Quo factum est, ut quum apud Echinadas tandem insulas bellatum sit, Christiani milites sub ductu Marcii Antonii Columna, Romani Pontificis Maximi procuratoris, insignem de hostibus victoriam retulerint. Quae, omnium sententia, precibus et constantia Pontificis Maximi adtribuitur.

Quot enim animorum difficultates inter principes exortas pia arte compescuit atque est supergressus! Vel absens, litteris sapientissime identidem datis, eorum exercitus morosos saepe atque discordes in societate retinuit, et tandem ad triumphum conduxit. Et historicus, mirum in modum, sapientiam Pontificis depinxit, quibusque animi studiis rem omnem difficillimam complevit, et opus incoeptum absolvit. Quam opportune verba Vergilii clarissimo Viro aptantur:

Non haec humanis opibus, non arte magistra,
Proveniunt....
Maior agit Deus atque opera ad maiora remittit!

Sexaginta quinque annos natus, ad suprema rerum gubernacula invectus, regnum auspicatus, iam de se non spem Pius, sed fiduciam attulit.

Ortum habuerat in Subalpinis in vico Alexandrino, cui est titulus *Bosco-Marengo;* et experrecto ingenio praeditus, adolescens miram sibi exspectationem inter Sodales dominicianos conciliavit. Pontifex Maximus renuntiatus, narrat historicus, clementiae laude subito inclaruit, et restitutor felicium saeculorum undique salutatur. Non est equidem cum Iulio II componendus, sed, quamquam mitissima natura, de potentiorum tamen iniuriis inquisivit, licentiam improborum passim cohibuit, atque in noxium quemque rigidus animadvertit. Bonarum quoque artium studio praeclarus, etiamsi infirma semper uteretur valetudine, primum omnium in ea cura et cogitatione est versatus, ut omnia bona, quae decessor inchoasset, alacriter perficeret.

Candidissimis vero moribus imbutus, acerrimum sane bellum obscenis operibus indixit, omniaque propterea vel insignia antiquitatis monumenta ab visitantium oculis removeri iussit. Hoc ei unum peccatum rigidiores aequo iudices vetustati nimis adhaerentes imputarunt! Omnium autem disciplinarum studiis instauratis, et magisteriis auctis, Romanis scholis, ad temporum rationes exactis, ampliorem dignitatem conciliavit.

Suorum decessorum vestigia ingressus, in artibus instaurandis atque opificibus adiuvandis fovendisquae egregiam operam suam rite praestitit. Et primum quidem splendidum illud conclave, quod vulgo a Xysto appellatur, validioribus operibus communivit, picturisque fornicem renovavit, quae temporum iniuria in deterius ceciderant. Aedes ipsas Vaticanas auxit integrasque complevit. Quibus rebus Vasarium illum praeposuit, qui scriptis et coloribus principem sibi locum obtinuit. In Urbe plurima quoque templa instauravit, vel ab inchoato exstruxit.

At prae ceteris, immortale sibi nomen acquisivit, quum, Romano equidem ausu, opus Vaticanum a Michaële Angelo Bonaroti incoeptum, ingenio Vasarii adiuvante, Iacobo Vignola, perficiendum curavit.

Quo facto, praeclarum et ipsis adversariis spectaculum praebuit; et populus romanus, ad pulcri sensum perpetua suorum principum opera instructus, Pontifici munificentissimo gratulatur, atque identidem singularem suam voluntatem atque immobilem erga eum fidem profitetur.

In hac nostri temporis rerum conversione hominumque perversitate opinionum, quum plures adverso improboque animo Romanos Pontifices incusent, pectus aliquando recreatur, si quis optimi consilii vir, calumnias reprobet, veritatem lumine prodat, sanctosque homines ab iniustis criminationibus vindicet ac libero ore defendat. Et Ludovicus Pastor ex iis est, cui rectissime Horatii verba aptabis, quoniam optima:

Scilicet uni aequus veritati atque eius amicis!

Ad patriam denique conversus, ut aliquod amoris in eam sui pignus maneret, Pius V domum sodalibus dominicianis instituendis amplissimam aperuit in vico, ubi tribus circiter saeculis post, acriter pugnatum est inter Austriacos et Gallos, duce Napoleone.

Ad haec constanti alacritate, quatuor fores aeneas Aedi Lauretanae donavit. Ut autem exterorum incursiones facilius repelleret, complures regni regiones moenibus communivit.

Curis denique confectus, maiora usque in pectore opera ad suorum praesidium atque ad reipublicae ornamentum revolvens, placidissime occubuit.

Utinam vero diutius vixisset, ut rebus sacri principatus iamdiu laborantibus maiorem opem ferret, et rerum novarum cupidis religionis perniciem molientibus sapientia obstaret atque constantia! Et Subalpini in primis P. M. munificentiam memorabunt, pro quibus Collegium aperuit, ubi pueri in patriae spem succrescentes, tuto ac sine ulla offensione animum liberalioribus disciplinis exercerent.

Antequam verbis huiusmodi finem impono, scriptori strenuo maximis laudibus gratulor, qui veritatem impensius quaesivit; rerum italicarum amatores simul et Romanorum Pontificum, et universae reipublicae christianae instauratorum, haec eius volumina perlegere iubebo, nec unquam eos cum Horatio monere desinam: Ludovici Pastor exemplaria

Nocturna versate manu, versate diurna!

I. B. FRANCESIA.

DE ANNIS SANCTIS[1]

In ipso autem Nativitatis Iesu Christi praeludio, ad vesperum, Pontifex Maximus, albo pluviali indutus, ex aedibus vaticanis egressus, sedens in cathedra, cantoribus praecedentibus, a patribus Cardinalibus circumdatus atque ab universa pontificali domo, solemni pompa inter ingentem nolarum buccinarumque strepitum, ad Basilicae porticum descendit.

Hîc ad dexterum latus, altera porta muro septa antea fuerat, quae *Sancta* inde appellata est, apud quam, in solio affabre instructo insidens Pontifex Maximus, tres

[1] Cfr. fasc. sup.

cardinales designat, qui tres identidem portas aperiant S. Ioannis, S. Pauli et S. Mariae Maioris Basilicarum. Iidem, ut sanctam missionem expleant, illico proficiscuntur.

Deinde accipiens e Cardinali, summo criminibus expiandis magistro, Pontifex malleum, Portam sanctam ter rite adprecatus, percussit; quod quidem bis faciunt singuli Cardinales, et mox per ordinem minores praefecti. Quibus omnibus peractis, inter hymnorum sacrorum canticum, porta integre demolitur.

Tum Pontifex, genuflexus capite detecto, manu dextera arripit crucem hastatam, sinistra vero doratum cereum ardentem, dein prior inter gratiarum hymnum ingreditur templum, comitantibus Cardinalibus et incredibili virorum Domus Pontificalis populique concursu, atque ad maiorem aram procedens, ibi, dum vespertinae preces recitantur, permansit.

Sic admodum sanctum annum solemniter Alexander VI initiare voluit.

Quo magis atque magis exemplo religioni decus adderet, die decima tertia m. Aprilis, ipse Pontifex Maximus magno equidem apparatu quatuor rite Basilicas invisit, et die honori Caelitum universorum solemni, e summo S. Petri culmine, maximaque magnificentia Urbi et Orbi omnia fausta cum sua benedictione est a Deo precatus.

Interea huius sancti anni finis festinante pede adventabat, et ipse Pontifex maius pro viribus ei decus caeremoniis addere voluit.

Ideoque quum finis tandem adesset, Cardinales Pontifex elegit, qui nomine suo illis diebus aegrotans Portam Sanctam clauderent. Qui vero, expletis vespertinis precibus anni Iubilaei in ipsa aede Vaticana, atque ultimum Divini Vultus imagine adoraturis proposita, iisdemque sacratis, quae ad septum requiruntur, magna hominum frequentia ad Portam Sanctam procedunt. Ibi fragmentum auri atque argenti, calce commixtum aptant; rem opifices manu sua perficiunt. Quibus persolutis alii alio taciti dilabuntur.

Iubilaeum hoc, tot iamque insignibus rebus memorabile, novisque quoque institutis indictum, multisque late ceraemoniis honestatum, eum peregrinantium numerum ad Urbem accivit, ut Pontifex, in eorum gratiam, optimum duxerit, universalem ipsis admissorum veniam aliquantulum proferre.

Ad haec, quo commodius a Ponte Archangeli Michaëlis, vel longe prospicientibus Sancti Petri templum adpareret, hoc ipso iubilari anno viam novam aperuit, eamque Alexandrinam nomine suo adpellavit.

Multi equidem iidemque illustres hoc tempore Romam petierunt, et nonnulli virtutibus, honoribus ingenioque excellebant. In his ponere iuvat duos Oratores Ludovici XII Gallorum regis, Ducemque Cracoviae.

Nonus annus sanctus.

Sic, post multas ab Alexandro VI Pont. Max. positas et actas ceraemonias, in primis quae de *Portis sacris* in universalibus Iubilaeis essent agenda, qui ei successerunt Pontifices, eo potissimum pro viribus contenderunt, ut instaurarentur potius ac perficerentur quae ad magnum rerum exitum pertinerent. Nonus igitur Annus sanctus sub Clemente VII celebratus est; qui die vigesima tertia Decembris a. MDXXV ad Basilicae Vaticanae porticum eum solemniter cum epistolis pontificiis latine, itemque italice conscriptis indixit, et altera die, pervirgilio Iesu Christi Nativitatis, Portam Petrianae aedis aperuit. Ita vero constituit, ut uno eodemque tempore, Portae aliarum Basilicarum maiorum a Cardinalibus legatis aperirentur.

Nihilominus exigue admodum fuit peregrinorum frequentia, tum ob pravam

Luteri sententiam, quae pestilenti veluti afflatu apud Germanos pessime grassaretur, tum ob Asiaticam luem, quae tunc temporis maxime Italiam vexaret.

Adstiterunt tamen duo Messicanorum Regis legati atque Aethiopum imperatoris; et in primis Petrus Bembus, egregius ille latinarum italicarumque litterarum spectator, qui paulo post est inter Patres Cardinales evectus.

Annus sanctus decimus.

Sanctum hunc annum Paulus III Pont. Max. indixit feria quinta hebdomadae, quae dicitur maior, sed, quum, improviso morbo correptus, occubuisset, eius successor, Iulius III, anno millesimo quingentesimo et quinquagesimo, mense Februario, Portam sanctam aperuit.

Maior quoque fuit peregrinorum frequentia, eo potissimum nomine, quod eo ipso die iubilaeum inciperet, quo Pontifex triplici diademate redimitus sacrum principatum auspicaretur.

Eo ipso anno, ne quis peregrinorum per Urbem inedia deficeret, providentia praesertim sancti Philippi Nerii, sodalitas hospitibus excipiendis curandisque instituitur, a Trinitate Sancta appellata.

Haec mirum in modum omnium commodis consuluit, quoniam ita egenis re atque consilio provisum est.

Super his, cautum quoque fuit, ut quotquot ex nosocomiis pauperiores exirent, usque dum meliusculum se se haberent, per octo et amplius dies commodius reciperentur.

Hoc labente anno in Urbe morabantur sanctus Ignatius a Loyola, Michaëlangelus Buonarrotus, Georgius Vasari, Petrus Vettori et Franciscus Borgia, qui sanctitatis nomine Romae percrebresceret.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

Etiam capillus unus habet umbram suam.

P. SYRUS.

IESU CHRISTI ANASTASIS

Vicit, et e tenebris sese redivivus in auras
Extulit aethereas
Regnator Ductorque hominum, quem funere [diro
Perdiderat Solime,
Infelix Solime! non ulla clade piandum
Ausa movere nefas.
Vicit, et insuetum spectans natura triumphum
Protinus obstupuit.
Tunc valles concussae imae silvaeque supinis
exsiluere iugis:
Immensumque polo liquidumque per aëra visum
Emicuisse iubar;
Crederet ut solem ferventes axe profundo
Deproperasse rotas,
Luteolo caelum quae vix dum coeperat eos
Spargere prima croco.
Deiectum videas, effultam qui lapis urnam
Obiice munierat:
Aethereique duo nivea cum veste ministri
Adstiterunt tumulo,
Testantes victa reducem de morte, sepulcrum
Quem modo texit iners.
Vos, queis ex illo vitae praecepta beatae
Contigit excipere,
Vox agendum extremas Victoris nomen in oras
Ferte Ducisque decus,
Et qua bacchantes violentia solis arenas
Findit hiulca graves,
Quaque pigris horrens nebulis urgetur iniquo
Hispida terra situ.
At gentes, utcumque colant vel regna remotis
Abdita litoribus,
Magnarum discent laudum praeconia pronis
Auribus attonitae:
Oppressas erebi fraudes, de morte relatas
Magnifice exsuvias
Et patefacta iterum stellantia limina olympi,
Quo via certa ferat.
Tunc illae sese, lux tanta ubi fulserit, ultro
In nova iura dabunt:
Quas uni addicet Regi sanctissima casto
Foedere religio.
Nempe, tuis modo quod superest iam laudibus, [orbem,
Maxime Victor, habe.

H. N.

COLLOQUIA LATINA

Coemptio rerum quae ad scholam.[1]

Bartholomaeus, pater *Godefridi; Franciscus,* negotiator.

BARTHOLOMAEUS. Hodie igitur, Godefride, initia sunt studiorum in gymnasio?

GODEFRIDUS. Sunt, et gaudeo illuxisse diem mihi toties exoptatum. Verum coëmenda mihi sunt arma litterarum studiosis necessaria.

BART. Ubi nanciscemur instrumenta ex sententia?

GOD. Prope ipsam scholam aperta est non ita pridem officina. Negotiator vir est affabilis et merces vendit sat commodo pretio.

BART. Eamus itaque ad illum.

GOD. Salvus sis, Francisce.

FRANCISCUS. Et vos salvi item sitis, mei domini; quidam ex usu vestro penes me est?

BART. Apparatum scholasticum desidero huic puero.

FRANC. Soluta est vobis eligendi optio.

BART. Quibusnam, Godefride, opus est tibi rebus? Age, eloquere.

GOD. Imprimis charta.

FRANC. Habeo omnis generis.

BART. Profer.

GOD. Haec est charta tenuis et subhumida: atramentum perfluet. Cedo densam, nec tamen asperam, nec scabram.

FRANC. Haeccine placet?

BART. Quod huius est chartae pretium?

FRANC. Vendo in singulos scapos quinque et viginti centesimis.

BART. Plus minus, ut existimo.

FRANC. Ita ut dixi.

BART. Non tibi opus est, fili, codice ex charta pura consuto?

GOD. Maxime ad excipienda quotidiana scriptionis argumenta.

BART. Videamus volumen aliquod huius generis mediocriter densum.

FRANC. Hoc in annum integrum sufficiet, aut plus eo, ut coniicio. Placetne?

BART. Sic satis; appone ad chartam.

GOD. Vidulus necesse erit, ad supellectilem includendam: chartam, dictata, adversaria, libros.

FRANC. Ecce tibi pasceolum commodissimum ex corio vitulino rubro, aut, si mavis, nigro.

GOD. Ostende mihi pennas.

FRANC. En optimas.

GOD. Vah! Sunt nimis molles!

FRANC. Sunt aliae aliis firmiores. Facio tibi optionem.

BART. Quot vis dare sexaginta centesimis?

FRANC. Dabo duodecim, modo promiscue de manu mea accipias.

BART. Nugas agis: cedo totam arcellam, ut deligam arbitratu meo.

FRANC. Delige, pro me licet, sed solves pluris.

BART. Mox videbimus. Age nunc, profer atramenti vascula et thecas calamarias.

FRANC. Habeo atramenti vascula cornea, torno affabre facta. Thecis quot calamos vis contineri?

BART. Nolo thecam, quae non nisi unicam pennam capiat.

FRANC. Scio quid quaeras: vis thecam oblongam et rotundam?

BART. Ipsam volo.

FRANC. Ecce et calamorum complurium et atramenti capacem.

BART. Haec praestat. Accumula eam in acervum, pariterque lagunculam atramenti bene fluentis. Adesdum, Godefride, numquid desit praeterea?

GOD. Etiam, pater; velim regulam mihi ligneam compares. Curvos enim plerumque versus duco; hematite ducere mihi mens est lineas secundum regulam: his inscribam.

BART. Hoc est opus arcularii. Tace; aliunde tibi prospexero.

FRANC. Numquid placet his amplius?

BART. Nihil. Nunc, o Francisce, indica has merces una omnes, quam sis daturus minimo.

FRANC. Triginta libellis omnia a me auferes, neque obolo minoris.

BART. Numerabo quatuor supra viginti.

FRANC. Tantillo tibi non addixero.

BART. Discrimen pretii dividatur ex aequo: tibi dedecet medium, mihi accidet.

FRANC. Quod bene vertat, habeas; sed mea spe, ut me crebro revisas.

BART. Age, recense pecuniam, et missos nos fac.

FRANC. Nihil desideratur, aut superest. Vis tibi scribam apocham?

BART. Non est opus; habeo tuis verbis fidem.

FRANC. Precor tibi felicem vesperum.

BART. Idem tibi vicissim.

[1] EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Lambicare - Succos distillatione exprimere; Succum ex herbis stillare; Extillantes herbarum (florum) liquores elicere; Stillatitium (Stillativum) ex floribus humorem ducere.[2]

Lapidare - Lapidibus (Saxis) obruere (cooperire; percutere; appetere); In aliquem lapides coniicere (iacere; mittere); Saxorum imbre aliquem operire; Lapidum ictu incessere.

Latinum - Latinae litterae; Latinus sermo.

Lectio - Explicatio.[1]

Legem acceptare - Se legi subiicere; Se lege obligare; Lege se constringere.

Legitimare - Legitimum declarare; Legitime natum pronuntiare; Fidem facere alicui rei.

Lenimentum - Levamentum.

Letaliter - Letifera plaga; Morbo letifero.

Liberum arbitrium - Voluntas libera.

Licentia - Permissus; Dimissio; Missio.[2]

Licite - Iuste; Honeste; Iustis de causis.

Linea - Versus.

Lineare - Lineas ducere (describere).

Lingua materna - Sermo patrius.

Litaniae - Preces; Supplicationes.

Litteratura - Litterae; Politior humanitas.

Livellarius (ager) - Ager vectigalis.

Longanimis - Mitis; Ad iram tardus; Remissior in ulciscendo.

Longo tempore post - Longo intervallo.

Loqui cum aliquo. Ex. gr.: Ut cum Cicerone loquar - Ut Ciceronis utar verbis.

Loqui pro et contra. - In utramque partem disceptare,

Lucta - Luctatio; Certamen.

Lyra (nummus) - Quinque sextertii nummi; Argenteus denarius; Libella.

Magnanimiter - Magno animo.

Magnates - Proceres; Optimates.

Magus - Sapiens.

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Lambicus (Lambiccus)* - Cucurbita distillaria.

[1] Ex. gr.: Incipiunt statae explicationes librorum divinorum. - Hac die desinunt explicationes librorum divinorum.

[2] Itaque: Tuo permissu; Te intercessore. - Aliquem a se dimittere (ablegare; missum facere); et etiam: Iubere aliquem abire; Abeundi potestatem facere (concedere; permittere) alicui; Petenti missionem dare (facere copiam discessus). Itemque: Petere abeundi veniam; Postulare (Petere) commeatum (missionem; abeundi facultatem). - Et: Alicui facultatem (potestatem; copiam) loquendi facere (dare; concedere; largiri). *Licentia* enim bene tantum adhibetur pro «abusu libertatis».

Maiordomus – Praepositus domus; Diaetarchus.[1]

Maiorennis – Puber; Qui sui iuris est; Qui in suam tutelam venit.

Male contentus – Qui animo est alienato et offenso.

Maledictus – Exsecrabilis; Detestabilis.

Male dispositus – Male animatus ad rem.

Malefactor – Malitiosus; Facinorosus.

Malesanus – Valetudine mala affectus (infirmior); Ab valetudine imbecillus; Qui incommoda (tenui) est valetudine.

Malus aër – Caeli gravitas.

Mandatarius – Procurator.

Manierosus – Morum elegantia perpolitus; Moribus elegantibus politisque imbutus; Agendi sciens.

Manifestare – Manifestum (Palam; Apertum); facere; In medium (In lucem) proferre; Patefacere; Divulgare; Aperire; Indicare; Significare; Explanare; Exhibere; Tenebris subducere; Aliquid in publicum edere.

Mantellum – Pallium.[2]

Manuscriptum – Liber (Codex) manu scriptus.

Marchio – Demarchus.

Marcire - Marcescere; Tabescere; Putrescere; Putrefieri.[3]

Mareschallus – Summus utriusque militiae magister.

Materna lingua – Sermo patrius (vernaculus).

Matutinum – Prima vespera.[4]

Mazzerius (Mazzierus) – Accensus.

Media (ad aliquam rem consequendam) – Ratio; Via; Modus. – *Media vivendi:* Sumptus; Facultates; Subsidia.

Mediare – Intervenire; Intercedere.[1]

Mediator – Conciliator; Deprecator. – Interpres; Internuntius.

Medicari – Mederi; Sanare.

Medicissa – Medica; Iatromea.

Mediterraneum mare – Mare internum (medium; nostrum).[2]

Meliorare – Melius aliquid facere (reddere); In melius (in meliorem partem) mutare; (vertere); Melius fieri; Alicui rei meliorem formam indere; Aliquid nobilius exornare (absolutius reddere).

Memorabile – Res memorabilis (commemoratu, memoria digna).

Memoriale – Libellus.[3]

Meridionalis – Meridianus; Australis.

Methodus – Ratio; Via; Ratio ac via.

Mille alii – Sexcenti.

Millium (mensura) – Milliarium; Lapis.

Mineralia – Fossilia.

Miniator – Pictor miniarius.

Minister – Administer. – *Minister rei publicae:* A negotiis publicis. – *Minister Internorum:* Moderator munerum publicorum (rerum civilium). – *Minister Exterorum:* A relationibus rerum exterarum. – *Minister aerarii:* Quaestor; Praefectus aerarii; Magister Publicanorum. – *Minister marinae:* Rei maritimae (Rei navalis; Classis) praeses (praefectus); etc. – *Minister plenipotentiarius:* Orator (Legatus) cum liberis mandatis. – *Magistratuum minister:* Adiutor; Apparitor. – *Minister sacer:* Sacricola.

Minorare – Aliquid minuere (minus facere).

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

[1] *Maiordomus Summi Pontificis:* Pontificiae domui praepositus.

[2] *Mantellum capulatum* – Lacerna.

[3] Itaque *marcius:* Marcidus; Tabidus; Putridus (Putris, Putrefactus).

[4] *Matutinum tenebrarum*: Prima vespera ad lugubres psalmorum cantus.

[1] Itaque *mediate:* Interveniente aliquo.

[2] « Mediterraneum » quod inter terram est; oppositum « maritimo ».

[3] *Deputatus ad memorialia:* A Libellis. - *Memorialium Secretarius:* Magister libellorum et memoriae; Summus scriniarius a libellis.

Dulce etiam fugias, fieri quod amarum potest. Et calamitas virtutis est occasio.

P. Syrus.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

Nova verba in latinum sermonem inducenda.

Andreae Avenario, V. D. Sacerdoti, Emm. Jové, C. M. F., salutem.

Silentium in meas litteras per tertium mensem nihil mihi attulerat irae, sed curae potius aliquid. Certior enim factus ex praecedentibus tuis male tuo corpori esse, suspicari fas erat in peius valetudinem tuam processisse. Te igitur fuisse recreatum atque in dies magis magisque confirmari *renascinis* (reconstituente) illis, quae vel nomine mihi videntur commodissima, maxime sum delectatus. Nec tamen hac caussa tuae morae in respondendo exclusa, ideo male consului quum te decussatis manibus minime potuisse vivere satis perspexerim; praeterquamquod, si quidquam mihi tua tarditate defueris, quod nego omnino, tua demum abunde sarseris iucundissima superiorum litterarum largitate. Nihil est cur in posterum de tarditate tuarum apud me purgare te contendas, non quo minoris faciam sermonem tuum, quem vocarem *aërei mellis caeleste donum*; sed quod me certe quidem non quantum supervacanei restet ei temporis, qui praeter sacrarii munus binis et vicenis per hebdomadam urgeatur scholis. Ipsemet, qui tecum loquor, in quem nulla rerum divinarum incumbit immediate cura, quique vicenas tantum singulas (non nihil dico) hebdomadales horas impendo in Latinitatis atque Universalis Historiae scholis, labore quandoque ac capitis debilitate quo me vertam nescio.

Cottidie video penitiorem inter nos commisceri concordiae et voluntatis sensum. Id aequum est pulcherrimae Latinae linguae tribuere, quae primis Ecclesiae saeculis a Iesu Christi discipulis unctionem illius Christianae caritatis mutuata est, qua *cor unum* erant *et anima una.* Sed verba parcam proloqui, ne postea de novis disserendo vocibus, quam ut par est fiam prolixior. Neque tamen rem aggrediar, quin quattuor tibi offeram nomina in *um* desinentia plus minus apud vos usitata, quibus praestricti forte meae mentis oculi, alia plura nequidquam videre censuerunt. *Centrum* ut pars sit illa civilis quae ecclesiastica iura tuetur ac fovet cottidie apud Germanos sonat et ad nos usque resonat. Sunt etiam in ore scholasticis, ni fallor, vestris et *studium* et *gymnasium* et *harmonium.*

Hoc igitur soluto debito, primum omnium plane confiteor quaesitam te propius rem attigisse tuo illo *fulminari,* quam ipse *fulminivoro* meo, nec sine magno acumine. Quid aliud nempe exprimunt plerumque voces in *ar(e)*, *al(e)* finitae, quam res, quarum intrinseca ratio, ut philosophi loquuntur, est esse ad aliud? Unde sicut *collare* vocamus rem quae ad collum, *tibiale* quae ad tibiam, *puteal* quae ad puteum, *calcar* quae est ad calcem, quidni dicemus id *fulminar* quod natura sua ad fulmina ordinatur? Harum rerum quasi accidentalis vis recte notatur nominibus ab adiectivis proxime derivatis. Quam tu dedisti ansam hanc ego arripio, ut *orbitale* appellem instrumentum illud quo tuus *orbitarius* (*guardagujas,* arridet nomen) extremas *orbitas* (*rieles*) loco transmutat.

Quid de *radiata symphonia?* Aptissime, inquam. In apparatu autem telegraphico, (idem dic de telephonico) duo sunt praecipue distinguenda, et radiorum nempe *transmissorium,* quo radii vibrant per aethera, et *receptorium,* quo radiorum excipiuntur undae. Scisne etiam quid ego *radiaculum* appellem? Scrinium est in cella mea, ubi sub nocturnis lucubrationibus electrica illuminor pirula, quae etsi minus potens, abunde satis libros lumine perfundit meos per quandam campanulam, ut ita dicam, pirulae superpositam, radios super me colligentem, ne in vacuum frustra dis-

sipentur; hanc igitur campanulum *radiaculum* nomino.

De *iugis* seu *iugalibus* tibi prorsus assentior.

Dicam tandem non esse opus Latinae linguae ad anglicam confugere, quae adeo ab ea distat longe, ut nova rerum sensa congruenter ostendat. Nos Hispani, qui ex materno idiomate novas crebro repetimus voces, illam bracteolarum seriem, quae arti cinematographicae inserviunt *pellicula* nomine distinximus. Nonne et Plautus, si hodiernis nostris adesset theatris, eam quoque *pelliculae* vocabulo notaret? Ego vero sic opinor. Est et in aerario classicorum verbum *pelliculare*, quod, ut mea fert sententia, ad hanc recentem posset acceptionem sese extendere, ut scilicet significaret bracteolis negative rem imprimere, atque huiusmodi actus *pelliculatio*, que vox nobis iam est a veteribus accepta. Habes itaque quid de anglico *film* sentiam, de eius adiunctis et de omnibus quae superioribus rogasti litteris. Utinam Carlilio tuo fecissem gratum, ut plura quaeritare ne desisteret! Eum meo nomine salvere iubeto. Tu imprimis fac plurimum valeas.

Vici in Barcinonensi provincia, die IV Aprilis MCMXXV.

ANNALES

Nationum societas.

Genevae Societatis Nationum concilium iterum est congregatum. In sessione hac praecipue de commentario (*protocollum* vulgo dicunt) legati disceptarunt, per quod mutuum tutelae pactum sanciretur. Ei, prouti offerebatur, Chamberlanium, Anglorum nomine, obstitisse dicunt, ea praesertim de causa quod, quum Germani huiusmodi foederi et sese admitti petierint, eorum proposita gravia atque satis probabilia Anglis viderentur ut examini subiicerentur. Ipsi enim promittunt sese Rheni fines servaturos, arbitrorumque collegio dissensiones ac discrimina subiecturos, quae intervenire possint de finibus hinc ad Poloniam inde ad Cecoslovacorum civitatem. Quaerunt praeterea Nationum quoque Societatis participes fieri. Ex adverso Herriot, Gallici gubernii praeses, opinatur foedus aliud, idque strictius, iniri antea debere, inter Galliam scilicet, Angliam et Belgicam....

***

Germanica comitia.

Civitatis praeside pro tempore, partium omnium suffragio, constituto, - isque fuit Simmons doctor, Lipsiensis Imperii Tribunalis praeses - nova comitia irrita cessere, quum canditatorum nullus suffragiorum numerum a civili constitutione requisitum sit assequutus. Eorum plurima obtinuere Jarres, cui «dexterorum», quos nuncupant, partes simul iunctae accessere, et Braun ex socialistarum factione.

Nova comitia in diem XXVI huius mens. Aprilis indicta.

***

Septentrionalium Americae Civitatum Praesidis votum.

Coolidge, Foederatarum Civitatum Americae Septentrionalis Praeses, novum imperii sui circuitum temporis auspicatus, vota pro firma stabilique pace sollemniter emisit, cuius formam sese iamdiu scrutari affirmavit. Ceterum Americanae legiones menti sibi figant in insignibus suis crucem, non gladium contineri.

Utinam et ceterarum civitatum rectores singuli idem consilium animo obversentur, atque studium omne adhibeant ut re perficiant!

POPLICOLA.

VARIA

De benefico viro.

Miti qui est animo praeditus, angi solet vehementer aliorum calamitatibus; nec ad homuncionis quidem interitum, nisi invitissimus atque coactus, assentitur. Notum illud Neronis, qui bene regnare coepit, pessume autem desiit, cui quum exhibuisset de suis quidam mortis suscribendam sententiam, exclamasse ferunt: «Utinam ne scribere unquam didicissem!...».

Neque minoris clementiae argumentum aliud exstat Caroli V illius imperatoris, qui edoctus quemdam de principatu reum in proxima sibi civitate latere: «Melius, – inquit, – erat ei dicere ubi sim ego, quam mihi ubi se abscondat ille».

Magnus militiae magister (*mareschallus* vulgo appellabatur) de Turenna, gloriosum sibi comparavit parentis militum nomen suis humanitatis actibus. Ceteris praetermissis, cursim unum tantum referam. Non facili receptu compulsus eius exercitus, acie discesserat, quo (receptu scilicet) dux die noctuque satagebat, ut copias ab hostium contumeliis protegeret suas. Perdurante recessu peditem adspexit, qui, animo viribusque deiectus, in arborem acclinaverat, ut ibimet morti obviam fieret. Casu luctuoso nobilis ac pius heros protinus equo desiliens, debilem levat, equo imponit suo et ipse pedes eumdem comitatur usque ad currum, quo recipi iussit miserum, maiori, qua fieri commoditate posset.

Tali, tantaque benignitate, qua spectatissimae virtutis viro splendor, veluti cumulus, accesserat, exercitum sibi quam qui maxime devinxit.

Sed et maiora recensenda non desunt. Aestate exeunte, atque occiduo sole, fama celeberrimus vir, cui de Sallò nomen erat, Parisiensi coetui consiliarius, diariique Litteratorum princeps auctor, deambulatu rediens puero tantum comitatus, ad viae exitum in hominem incidit, qui manuballistula armatus, quasi minus habens, marsupium efflagitavit, tanto autem tremore agitatus, quanto petitus idem haud tenebatur. «Ad me veniens – ait de Sallò, – turpiter es allucinatus; ego enim te non valde locupletabo; mihi tres aurei sunt tantummodo, hos tibi libenter cedo». Ignotus accepto, licet parvo, contentus se dedit in pedes. Quum autem scelus ille abiisset, de Sallò famulo mandavit, ut ipsum dextere sequeretur et adspiceret, si fieri posset, quo se proriperet eique dein renunciaret. Nefarium servus per ternos sequutus viculos et quaternos, aspexit tabernam adeuntem panem empturum, indeque, decem aut duodecim praetergressis aedibus, ambulacrum quoddam ingressum, ad quartam usque contignationem. Quum suam remeasset domum grassator, medio in conclavi panem proiiciendo, uxori liberisque: – «Comedite, – ait. – ecce panis, qui mihi magni constat: famem eximite; brevi, miser, furca finiar, et vos excidii auctores mei fueritis».

Uxor, quae lacrymis conficiebatur, postquam virum verbis mansuefacere bonis tentasset, panibus recollectis, eosdem quatuor enectis prope fame filiolis divisit. Invisus qui caute cuncta respexerat famulus, uti norat, quae cupiebat, ad herum regreditur, non prius tamen, quam improbi regionis nomen ac domicilii numerum memoriae bene sculpsisset. Postridie eius diei, quinta ante meridiem hora, se perliberalis contulit vir, quo servus ei fidelis indicaverat, et certior est factus de quartae contignationis accola et suorum rebus; deque illo sciscitanti responsum datum: calceolariae artis ibidem bonum vivere hominem, familia oneratum magnaque egestate languentem. His auditis de Sallò scalas ascendit hominem quaerens. Pulsat ad fores; aperitur. Inhorruit aspectu pius. Ante eius oculos primum mulier apparuit panni-

culis obsita, detritis circum ipsam in frusta cadentibus; obversati dein pueruli quattuor squallide iacentes, palearum acervo obvoluti, quo lectuli ad instar utebantur atque operculo; pallido vultu homo, amictu lacero, macieque consumptus. Infelix familiae parens, quem exteriore die per viam fuerat adortus extemplo agnitus, ad ipsius genua procidit, largos effundens fletus, veniam petens eumque exorans ut ignosceret, neque pati vellet miserum funditus perditum ire, caussam interserens, opere vacuum se prorsus et annona, venumdedisse domunculam principio, lectulum postea, vestimenta, lintea, supellectilem denique totam, quam possederat, nutriendae suae mulieris gratia liberûmque; hesterna die humana qualibet spe derelictum summa egestate compulsum, ne fama periret, nequissimi tenebrionis impulsu, infandum scelus patrasse.– «Neu te quis auscultaret,– reposuit alter,– non ego te perditum veni. Te calceorum sutorem scio; en aureos accipe ter denos; dono tribuo, ut corium emas atque operi navando, tantum lucri iuste capias, quantum tibi tuisque fuerit honeste vivendo satis. Et te usque dum resciam, uti per aestatem decet operarium, labori studere, tui, mehercle, curam nullo unquam tempore deponam ».

Beneficentia dulcis est animi propensio, prope divina virtus, quae ad opem similibus ferendam nostris impellit; ad iis inserviendum, adiuvandum. Nil aliud amplius caelitibus propinquat, quam benefici nomen. Huiusmodi naturae animal rationale vividiorem benignissimi Numinis imaginem reddit, beneficiis, infinitis numero, mortales cumulantis. Donorum pulcherrima, – aiebat Pytagoras, – quibus hominem natura ditavit, duo illa profecto aestimanda: *vera,* scilicet, *nunciare et aliis benefacere;* haec enim duo opera Dei sunt.

E *Schola morum* Blancardii latine reddidit

HERM. IACOBELLI.

***

Gallus de se narrans duella hominum vituperat.

Vel ab initiis, narrant historiae,
Me posuere saepe in ludis publicis,
Antiqui comici passim per compita.
Placebat forte capitis praestantia,
Color pennarum multiplex et splendidus,
Et ipse incessus, unde sim gratiosior
Eis qui volitant aves domestici.
Graeci et Romanl qua de causa primitus,
Erant quod toti populi belligeri,
Gallos ponebant certantes in Circulis,
Usque dum caderet alter inferior.
Et quam plaudebant manibus cum vocibus,
Imo incitabant nos ad pugnam saepius!
Erant hae gentes exornatae moribus,
Civiles admodum simulque ingenuae!
Erant quid autem diceres quas barbaras?
Apud nam Sinas, ad Orientem positos,
Ad *Sondae* ab orbe sic divisas insulas,
Cives vocantur ad theatrum buccina,
Ut nos pugnantes videremur unice;
Suisque positis late commerciis,
Frequentes equidem spectatores adfluunt
Eadem rapti pectoris cupidine,
Ut esset pugna, nec timerem dicere,
Goliath gigantis olim cum Davide!
Feram de Giava? De Sumatra? Proh pudor!
Nam pro victoria, quam sequuntur anxii,
Furentes in pugna cuncta dant pignora,
Ipsas uxores saepius cum liberis,
Suis ut vincant cum gallis tantummodo!
Quid de praesentibus [nunc Anglis memo-
[rem?
Et ipsi gallos maxime deperiunt!
Stipant theatra, complent multitudine,
Et gaudent, strepunt, stimulant et vocibus,
Ut ferociores simus in sanguine!
Adcurrunt alacres cives et advenae,
Et mane mille narrant commentarii,
Arte qua victi quibus et vulneribus!
Et hasce nugas, maximas ineptias
Nuper ornavit pulcris lenociniis
Festivus elegans scriptor in Italis,
Ad quos pervenimus magnis cum laudibus.
At nunc vos morem condemnatis asperum,
Et vestris cordibus teneris absonum.
Sed vos duellum laudibus extollitis,
Quod ferox vobis protulit gens barbara!
Nostrum nos modo sequimur ingenium...
Enim vos ipsi fratres qui vos dicitis,
Amor vos non legat potius, sed odium,
Singuli ut pugnetis saepe certamine!
Tegunt et croceo crimen velamine;
Honorem dicunt velle sic defendere,
Iniuriam allatam se ulcisci sanguine,
Superbos freno sic tenere vindice...
Quid insons viribus foret debilior?
Et noxius magis valeret brachiis?
Ego ipse gallus quamvis ita bellua
Hunc morem pravum dico imprimis impro-
[bum,
Et improbandum penes omnes populos.

SUBALPINUS.

***

Iocosa.

Magister Tuccio:

— Heus tu, cur externa die scholae non adfuisti?

— Vehementi febri laboravi et in lectulo requievi.

— Atque tamen fuit qui te ad meridiem per vias discurrentem vidit.

— Ad meridiem?... Ah! Profecto quaerebam medicum, qui me graviter aegrotantem domi inviseret!

Idem eumdem de arborum cultura interrogans:

— Quod est opportunius tempus ad poma demetenda?

Tuccius: — Quum ab horto longe sunt pater, mater, et alius quivis.

***

Aenigmata.

I.

Quinae sumus sorores
Arcta tibi revinctae
Cognatione, lector.
Orbae sorore prima,
Incedimus nigrante
Sub veste. Si sorore
Caremus et secunda,
Cum bis eamus orbae,
Res mira! ter vocamur.
Nova sorore rapta,
Iam cassa vox sonamus.

II.

Clangorem tollens oblecto militis aures.
Inseritur mihi *rho?* Trepidum designo tumul-
[tum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Orion, Arion;* 2) *Robur, Rubor.*

Libri recens dono accepti.

I. M. MEUNIER. *Le Chanoine Pierre Rousselot, Le savant phonéticien,* 1846-1924. – Semur, edid. H. Canat et Socii, 1924.

Le ceremonie della Beatificazione e Canonizzazione. – Romae, edid. Desclée et Socii, 1925.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS [4

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

SEBAST. Bono es animo! Adiuvante angelo tuo mirifice triumphas. Bene! Sed loquamur alia. Optime accidit, quod te conveni, ut tibi quod iam pridem vellem, rem concrederem. (*Retracto aulaeo podii ostendit caeli sidera et obscura Capitolii fastigia*). Ecce urbem suavissima in pace positam! Tantum per Martis lucum lenis fertur aura. En, ut ex rupe in urbem despectat Capitolium, patrum locatum manibus, supraque lucent sidera! Imago pacis haec est. At tamen mihi praesagit tempestates animus clam paratas, ne, ut post aridam malaciam tempestas vicies auctior per terram populabunda furiat, sic procella in adolescentis Ecclesiae pudicum caput impetum faciat. Neque longinquam calamitatis diem arbitror, postquam in palatio principis rescivi crudeliora intendi sponsae Christi, quam antea nunquam; plane ut credant Christi nomen iri extinctum.

PANCR. Ergo ad catacumbas properemus, ad sedem Caii, fidelissimi pontificis, ut imperatoris denuntiemus consilia. Is ad iudicem nos non ducet secus, quam ducebat nos ad aram.

SEBAST. (*porrecta dextra*): Et nos in terra semper iuncti fide, simul intereamus ad victoriam!

PANCR. Quam ego ex parvulo desidero diem praeclarissimum, quo doctrinam Iesu sanguine testificer!

SEBAST. Id fiet opinione citius. Nam etiam hodie figetur edictum principis. Quod ego cum dolore intellexi plenum esse in Deum contumeliae. Iam nunc videre videor Iesum rursus in foro deludi mitissimum, simul ista contumelia in publicum prodierit.

PANCR. (*post moram*): Teneo, teneo.

SEBAST. Quid?

PANCR. Deripietur ista contumelia.

SEBAST. Mi Pancrati, tunc principem impedies?

PANCR. Nullum illi ius Iesum deludere.

SEBAST. Et quo id facies modo?

PANCR. (*subridens*): Nihil facilius. Factum erit cum diluculo. Tum secretum audies.

SEBAST. Sed caute, puer, ambula, ne tibi et aliis studium noceat. Iam me esse oportet ad custodiam. I prae ad sedem episcopi! Vale! Brevi ipse adero.

PANCR. Etiam Quadratus tecum veniet?

SEBAST. Ita censeo.

PANCR. Ad rem Divinam igitur! [1]

CORV. (*exiens*): Satin audivi ego? O praedam dignam rege! Sed ecce secunda exit! Dis sunto gratiae! Sed heus, Corvine, opus est prudentia.

SCENA IV.

CORVINUS, et TORQUATUS.

TORQUATUS (*Incerto ingreditur gressu, turbato vultu et pallido. Manu gerit talos*): O me imbellem hominem! Quid rerum egisti, Torquate? Quoties te Caius admonuit, ut scyphum fugeres et aleam! Quam serio tu coram spopondisti! Eadem manus, quae tum ardore quodam ducta manum pressabat antistitis, horas hodie integras amplexata scyphum est, quin etiamnunc fatale par talorum snstinet (*altiore voce*), quod rem, quod pacem rapuit. Apage in malam rem! Non hocce pacto mihi agetur postea. (*Abicit talos; mora*). Quamquam quid refert? Christianus sum, pro religione paratus mori. Modo baptismate qui lotus est, satis habet virium, ut mali fugiat illecebras. Et si cui semel volup' est, sumus homines, non Christiani tantum nec cessisse semel tanti est.

(*Ad proximum numerum*).

[1] *In diversa discedunt.*

N. XII – FASC. V MENSE MAIO MCMXXV

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Maio MCMXXV Fasc. V

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

P. VERGILIUS ET Q. HORATIUS
DE VICIBUS LINGUAE LATINAE COLLOQUENTES

CARMEN FRANCISCI XAV. REUSS NONDUM EDITUM.[1]

Navis, quae tibi creditum
debes Vergilium finibus Attici.
HOR., l. 1, c. 3.

Nuper, quum mea membra Sopor devincta teneret,
Elysiis (mihi sic visum) spatiabar in hortis.
Ecce repente subit, redimitus tempora lauro,
Vergilius, qui Cumaeum modulatur ut olim,
carmen, et orta canit mortalibus aurea saecla.
Ille Sibyllinis sociat nunc versibus hymnos,
quos sacri de Messia fudere Prophetae;
namque suo Christus cantori larga rependit
praemia, caelicolûm morienti sede reclusa.
Vati dum grator, vates fit Horatius alter
obvius. Hunc ita compello: « Quid? Tu-ne piarum
consors umbrarum? tam *parcus Numinis* olim

[1] Quod Supremus Congregationis SS. Redemptoris Moderator, pro summa eius humanitate, carmen hoc desideratissimi P. Francisci Reuss nondum editum in nostris paginis vulgandum concesserit, amplissimas gratias et habemus et referimus.
ALMA ROMA.

cultor! [2] tamque procax *Epicuri de grege porcus!* [3]
- « Prave equidem vixi - sic ille - sed, auspice caelo,
hora suprema dedit, qui tersit crimina, fletum ».
Grator et huic vati. Tum Publius: « Heic prope frondet
lucus amoenus - ait - cuius nos allicit umbra;
allicit et cantus volucrum fontisque susurrus.
Illic, si garrire placet, sedeamus, Horati;
gratam colloquio dabit escam lingua latina,
et quas ipsa vices post funera nostra subivit;
nam laetamur adhuc, queis laetabamur honeste,
nec cives latet Elysios quod nosse peroptant.
Sed tu fare prior; cum dixeris, eloquar ipse ».

« Defunctis nobis - tunc infit Horatius - aetas
Ausonios apud auctores argentea coepit
volvere se, saeclis ferme comprensa duobus.
Historiam, causasque fori variamque poësim
ac bene dicendi, qua fulsit Tullius, artem
multi tractarunt, clarum sibi nomen adepti.
Phaedrus in his, tres et Senecae, Suetonius atque
Quintilianus, item Lucanus cum Iuvenali
et Tacito; reliquos, ne sim prolixus, omitto.
« Aenea dein aetas successit, plurima postquam
gens peregrina suo tentârat more loquendi
eloquio nostro plagas inferre necemque.
Sunt tamen egregii scriptores huius et aevi,
Christicolûm nec parva cohors, Cyprianus ut Afer,
Paulinus, magnusque Leo, Lactantius atque
Augustinus et Ambrosius, duo sidera; tuque
his, Hieronyme, par. Nitet et Prudentius et qui
magnisonante tuba cecinit Venantius [4] arma
vexillumque Crucis, divino tincta cruore.
« Quae nisi Crux Capitolina fulsisset in arce,
tu, mea Roma, nihil qua maius splenduit usquam, [5]
ipsaque tu, mea lux, periisses, Lingua latina,
quum, velut unda furens diuturnis aucta procellis,
Vandalus ac Herulus, Gothus, hisque ferocior Hunnus
Italicos vastator agros invasit et urbes;

[2] Hor., lib. 1, carm. 34, v. 1.
[3] Hor., Epist, IV, v. 16.
[4] Venantius († post ann. 600) auctor est hymnorum liturgicorum de Cruce Christi: « Vexilla Regis prodeunt », etc.
[5] Hor., Carm. saec.

quum, caedes inter, ferro pulcherrima tecta
diruit, et flammis addixit bibliothecas ».

« Recte dixisti, mi Quinte - ita Publius illi. -
Eloquii nostri servatrix Crux fuit alma,
curaque Pontificum vigil et pia Romanorum.
Hi leges scripsere suas sermone latino,
quo resonare iubent sua nunc quoque templa scholasque.
Hi rapuere rogis semiusta volumina vestra,
Sallusti, Caesar, Cicero, Livique, Neposque,
atque poëtarum quotquot monumenta supersunt.
Queis e codicibus Benedicti sacra propago
descripsit nova mox, auro minioque decora,
exemplaria, nunc κειμήλια Museorum.
« Ferrea sic aetas transit, qua scripta latina
solus versabat monachus solusque sacerdos.
Longam post noctem, rutilans aurora refulsit
emicuitque Leo decimus: quo sole coorto,
Caesaris Augusti sunt tempora visa renasci:
tanta seges tunc auctorum succrevit ubique!
tamque ferax operum! quorum non pauca profecto
ipsemet emuncta Maecenas nare probasset.
« Displicet ille tamen qui tunc malus invaluit mos,
quo coepere sacris miscere profana poëtae,
quo Gabrielem *Mercurium,* Christique Parentem
appellaverunt odioso nomine *Nympham;* [6]
quo demum, ceu deliri, totius Olympi
inflatis buccis crepuere deosque deasque.
« Horum, qui linguam tunc excoluere latinam
praeter graiugenam, coryphaeos novimus ambo.
Poggius [7] hanc et Valla [8] viam stravere licenti
saepe stilo, quo suevit item Pomponius [9] uti.
Fulsit et hoc aevo vates Baptista, [10] cucullum
Carmelus cui mons dedit, et mea Mantua [11] nomen.
Clarior his Bembus, [12] Cicero redivivus, et alter
Arpinatis item docilis, Sadoletus, [13] alumnus:
ambo pro meritis decorati murice sacro.

[6] Renatus Rapinus († 1687) in suis XIII Eglogis sacris saepissime Christi Matrem Nympham appellat.
[7] Ioannes Franc. Poggio Bracciolini † 1459.
[8] Laurentius Valla (Della Valle) † 1457.
[9] Pomponius Laetus (Leti) † 1497.
[10] Baptista Mantuanus, Ord. Carm. † 1516.
[11] Mantuae existit monumentum, in quo Vergilius et Baptista noster repraesentantur coram Poësi, quae, manu auream tenens coronam, quasi anceps exclamat: « Cui dabo »?
[12] Card. Petrus Bembo † 1547.
[13] Iacobus Sadoletus † 1547.

« Qui tum successere viri per saecla quaterna,
quique simul nitide calamo scripsere latino,
ingens sunt legio; sat erit nonnulla referre
nomina permixtim. Merito laudantur Erasmus,[14]
Lipsius[15] et Morus,[16] Vives,[17] Lambinus[18] et Aldus,[19]
Scaliger[20] et Stephanorum stirps,[21] Muretus;[22] et inter
vates, Santolius[23] cum Baldo[24] Sarbievoque,[25]
Vidaque[26] cum Sannazario.[27] Nec defuit aevo
nuper praeterito praeclara corona virorum,
haeres eloquii veterum genuina Quiritum.
Hoc meruit Cordara[28] decus; Morcellius[29] aequam
obtinuit laudem, Forcellinusque,[30] Leoque
Tertius a Decimo, quem cinxit sacra Tiara,
quemque duo scribae iuvêre, Tarotius[31] atque
Vulpinus;[32] tua dum fudisti carmina, Ricci.[33]
Adde his Esseivam,[34] Vallaurum[35] Vitriolumque,[36]
Pascolium[37] cum Casolio,[38] quos haud ita pridem
invida mors rapuit, nova quos tamen usque sequetur
progenies, studiosa tuae, mea Roma, loquelae ».

Heic quum Vergilius tacuisset, Horatius olli
subridens: « Admiror, ait, - qua tu magus arte
nomina tot peregrina metro concluseris arcto.
Linguae dicis adhuc studium fervere latinae;
annuo; sed tamen intepuit post horrida bella,
Gallica quae peperit rerum Subversio Magna.
« Praeterea nova tunc ratio est invecta loquelam
discendi nostram, cuius non viva nitensque
forma nec intima vis iam demonstrentur alumnis

[14] Erasmus Desiderius † 1530.
[15] Iustus Lipsius † 1606.
[16] Thomas Morus (More) † 1535.
[17] Ioannes Ludov. Vives † 1540.
[18] Dionysius Lambinus † 1572.
[19] Aldus et Paulus ac Iunior Aldus Manuzzi, saec. xvi.
[20] Scaliger Iulius Caesar † 1558.
[21] Stephanus et Robertus ac Franciscus Estienne, saec. xvi.
[22] Muretus Marcus Ant. † 1505.
[23] Santeuil Ioann. Bapt. † 1697.
[24] Balde Iacobus † 1668.
[25] Sarbiewski Matthaeus Casimirus † 1649.
[26] Vida Marcus Hieronymus † 1566.
[27] Sannazaro Iacobus † 1530.
[28] Cordara Iulius Caesar † 1785.
[29] Morcelli Stephanus Ant. † 1822.
[30] Forcellini Aegidius † 1768, eiusque continuatores.
[31] Tarozzi Vincentius † 1918.
[32] Volpini Alexander † 1903.
[33] Ricci Maurus, Praepos. Gen. Ord. Scholarum piar. † 1900.
[34] Esseiva Petrus † vergente saec. xix, saepe victor in certamibe Hoeufftiano.
[35] Thomas Vallauri † vergente saec. xix.
[36] Vitrioli Didacus † vergente saec. xix, victor in certamine Hoeufftiano.
[37] Pascoli Ioannes † 1916, saepe victor in certamine Hoeufftiano.
[38] Casoli Alphonsus † 1923, victor in certamine Hoeufftiano.

arida sed potius vocum structura et origo,
vivi sermonis vix triste rigensque cadaver.
Ast apage exsanguem sceletum! Non ille poëta
aut orator erit, qui nuda vocabula tantum
noverit atque etymon verborum, nectere vero
nesciat haec in membra quibus sententia tota
constet, et efficiat florum spectabile sertum.
« Eloquii nostri postrema decennia cultum
non uno fovere modo. *Vox Urbica* (quae nunc
Alma cluet *Roma*)[39] huic operi se vovit ab ortu;
huc intendit item quae de sermone latino
nuper *cis* simul et *trans* Alpes condita lex est;[40]
huc spectant quae vir Batavus[41] certamina vatum
instituit moriens, victori dote relicta,
nobile quod facinus nunc innovat aemula Roma ».[42]

Haec ad verba: « Sat est *sermonum* - Publius inquit; -
carmine festivo, quo late personet aër,
plaudamus bis terque viris, certamina per quos
haec inter vates indicta fuere latinos ».
Protinus alcaicum modulatur Horatius hymnum;
dumque canit fidibus, tuba clangit martia Publii,
ac simul erumpit concentus per nemus omne
multisonus volucrum, quem stridula duplicat Echo.

Tot percussa sonis mea tinnit et auris... et ipse
evigilo, nam mane erat atque aurora rubebat;
turritis autem de templis tinnula passim
aera salutabant orientis lumina solis.

[39] Commentarius latinus *Vox Urbis* periodice prodire coepit ab anno 1898, cui successit anno 1913 *Alma Roma* hodieque superstes.
[40] Supremi Studiorum Administri, Leo Bérard in Gallia, et Ioannes Gentile in Italia, per decretum ab iis nuper latum, cultum linguae latinae promoverunt.
[41] Iacobus Henricus Hoeufft, ante annos fere LX, in Urbe Amstelodamo certamen poëticum latinum instituit quotannis ineundum, assignato victori aureo praemio.
[42] Egregii huius viri aemulus Theodoricus Rispantini, nuper Romae simile certamen instituit apud Universitatem studiorum a Sapientia nuncupatam.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

V.

1. *Quae humanitatis et doctrinae vestigia apud priscos Romanos deprehendi possint quod ad Deorum cultum pertinet.* – 2. *De Saliis sacerdotibus et Carmina Saliaria.* – 3. *Fragmenta Carminum Saliarium.*

1. Postquam quae essent in priscis Latinis humanitatis semina tum ex Ario sanguine hereditate accepta, tum ex finitimis populis per commercium ducta, exposuimus, tempus iam est in historiam ipsius populi Romani inquirere, et eorum doctrinae progressus animadvertere et ostendere. Initium faciamus ab ea, quae apud omnes populos animorum impetum in eas res quae sub sensus non cadunt, habet ducitque, id est a religione.

Quam provinciam apud priscos Romanos si introspicere conemur, id primum erit animadvertendum ex duabus partibus, quibus omnis religio constare videtur, priorem, nempe opiniones et placita quaedam de Diis, exiguum sane apud eos habuisse incrementum, quum romanae fabulae de Dis et mythologia, quam vocant, longe infra copiam et ubertatem Graecorum remanserint. Altera pars contra, quae est in sacris ritibus caerimoniisque cultus, nec non in carminibus et precationibus et incantamentis, multo maiorem vim apud Romanos habuit, ideoque crevit uberrime, ad omnia paene vitae momenta apta et accommodata.

Cui rei contulerunt etiam multa sacerdotum collegia, quorum munera et officia a spectatissimo quoque cive optata erant et maxima cura administrata.

2. Huiusce ipsius generis reliquiae antiquissimae exstant, a nobis diligenter expendendae.

Et primum omnium occurrunt ea quae vocantur *carmina Saliaria.* Notum est, Salios sacerdotes Martis fuisse, quos duodecim numero, instituisse Numam Livius narrat (I, 20, 4), tunicaeque pictae insigne dedisse, et super tunicam aeneum pectori tegumen,[1] et: « caelestia arma, quae *ancilia* appellantur ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu iussit ». Salii a saltu ipso appellati,[2] i. e. a tripudiis iis in sacris sollemnibus usitatis. Ancilia scuta erant rotunda forma, ita vocata, ut ait Ovidius (*Fast.,* 3, 337), quod ab omni parte essent recisa, et omnis angulus abesset. Unum ex his ancilibus e caelo dehiscente decidisse ferebatur, in quo quum sortem imperii consistere Numa sciret, plura iussit fieri simili figura caelata, ita ut si quis insidiaretur, error ante oculos eius iret. Mamurius Veturius artifex nominabatur. Ita duodecim ancilia Saliis sacerdotibus commissa diligenter servabantur, et quotannis pridie idibus Martiis pompa fiebat, per forum, comitium, alia loca, usque ad Capitolium, ubi inter carmina et preces sacra Marti fiebant.

Animadvertendum est post Salios *Palatinos* a Numa institutos, alios a Tullo Hostilio adiectos esse, *Collinos* vel *Agonales,* quorum arae erant in monte Quirinali, apud portam Collinam.

In sacerdotio distinguebatur *magister,* qui collegio praeerat et praesul, dux saltatus[3] et *vates,* qui carmina canentes moderabatur.

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] Adde togam praetextam a Saliis portari cum cinctu Gabino, et caput apice ornari.

[2] Varr., *L. C.*. 3, 85: *Salii a saltando, quod facere in comitio in sacris quotannis et solent et debent.* Ovid., *F.* 3, 387: *dederat Saliis a saltu nomina dicta Armaque et ad certos verba canenda modos.* A saliendo etiam vocati sunt *Salisubsuli* a Catullo 17, 6: nisi forte ibi legas *Salisubsuli,* h. e. *Martis,* quo casu Mars ipse *Salisubsulus* vocaretur.

[3] Unde vox italica quae est *presule.*

Die festo Martii mensis, post peracta sacrificia, Saliis sacerdotibus dapes copiosae apponebantur, quas in proverbium transiisse, testis est Horatius in carmine vere triumphali (1, 37):

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus, nunc Saliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erat dapibus, sodales.[1]

Ceterum de hoc sacerdotum collegio deque eius officiis et attributis si vis notitiarum copiam habere, ut nihil ferme desiderandum relinquatur, adi librum Renati Cirilli. cui titulus: *Les prêtres danseurs de Rome.*[2]

Sed tempus est ad carmina Saliorum vel *Saliaria* accedere, ut eorum reliquias diligenter perpendamus.[3] Duo genera Saliarium carminum distinguebantur: ea quae *axamenta* vocabantur ad universos Deos pertinentia, et versus vel carmina singulorum Deorum, quae appellabantur versus *Ianuli, Iovii, Iunonii,* etc.

De axamentis audiamus Paulum ex Festo p. 3: « *Axamenta* dicebantur carmina Saliaria, quae a Saliis Sacerdotibus canebantur in universos homines (ita codices, sed certe *homines* glossa est, iniuria post interpolata; legendum est: *in universos,* et supplendum: *Deos*)[4] composita nam in Deos singulos versus ficti a nominibus eorum appellabantur, ut *Ianuli, Iunonii, Minervii* ».

Axamenta dicta ab exando; *axare,* ut ipse Paulus monet, est *nominare;* erant igitur tamquam *Ind-ig-it-amenta* (*in-aio*), nomina et invocationes Deorum continentia, qualia postea, voce graeca, *litanias* vocaverunt.[1] Axamentorum nullum videtur exstare fragmentum.

Singulorum autem Deorum carmina laudes eorum continere verisimillimum videbitur memoranti vergilianum locum in VIII° *Aeneidos,* ubi apud Evandrum auxilium quaerentibus Aenea et suis, post sacra in Herculis honorem peracta, narratur:

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis;
Hic iuvenum chorus, ille senum: qui carmine laudes
Herculeas et facta ferunt, ut prima novercae
Monstra manu geminosque premens eliserit angues,
Ut bello egregias idem disiecerit urbes,
Troiamque Oechaliamque ut duros mille labores
Rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae
Pertulerit, etc.
Salve o vera Iovis proles, decus addite divis,
Et nos et tua dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant...[2]

Singuli Dii igitur in versibus Saliaribus canebantur, laudibus extollebantur, ob virtutes et res egregie gestas celebrabantur. Neque tacendum est, procedente tempore etiam imperatores, ut Divos, in carminibus Saliorum nomen et celebrationem accepisse; veluti Augustus in Indice rerum a

[1] Cf. Festum, p. 329 M., 484 *Tewrek De P.: quibus* (saliis) *per omnes dies, ubicumque maneant, quia amplae ponuntur cenae, si quae aliae magnae sunt, Saliares appellantur.*

[2] *Préface de M. Toutain,* Paris, Geuthner, 1913.

[3] Post Bergk, 1847 et Corssen, 1844, videsis recentiorum: Zander, *Carminis saliaris reliquiae,* Lundae, 1888: Maurenbrecher, *Carminum Saliarium,* rell. in: Suppband, XXI Fleckeisen's Jahrbücher, 1884, p. 313. V. etiam Baehrens, *Fragm.*, p. R., 1886, p. 29; Hempl in: *Transaction and proceedings of the Americ. philol. assoc.*, 1899, XXX, p. 39 et XXXI, 182; Birt, *Zu d. Salierliedtesten,* in Rhein. Mus., 52, 1897, Ergänzungsheft; Ceci, *Rendiconti Lincei,* V, 10, p. 403. Cocchia, 1917: Ribezzo, 1918.

[4] De hac re alii alia. Grauert legebat *in universa numina,* Hartung, *in universos semones.*

[1] Corssen, memorans Paulinum excerptum: « *axites* mulieres sive viri dicebantur una agentes » et « axitiosi factiosi dicebantur cum plures una quid agerent facerentque », axamenta credebat dicta ab eo quod Salii canerent simul atque saltarent. Alii ab *axe* derivabant seu tabula qua carmina conscripta essent.

[2] De celebratione Herculis in carminibus Saliorum dignus memoria est locus Macrobii in *Saturn.* lib. III, (c. XII) ubi laudantur veteres scriptores qui dicebant, Salios Herculi quoque institutos esse apud Tiburtes.

se gestarum (*Monum. Ancyr.*, 2, 21) scriptum reliquit: « Nomen meum Senatus consulto inclusum est in Saliare carmen ». Idem honor Germanico delatus, teste Tacito (*Ann.*, 2, 83): « Honores, ut quis amore in Germanicum aut ingenio validus, reperti decretique: ut nomen eius Saliari carmine caneretur, etc. ».[1] M. Aurelius imperator, ut narrat Iulius Capitolinus, amisso septenni filiolo, iussit ut statuae ei decernerentur, et imago aurea Circensibus per pompam ferretur, et ut Saliari carmine nomen eius insereretur. Ipse M. Aurelius octavo aetatis anno in Saliorum collegium relatus erat; et in eo sacerdotio fuit et praesul, et vates, et magister, et multos inauguravit et exauguravit, nemine praeeunte, quod ipse carmina cuncta didicisset. Denique monstrum illud crudelitatis, Antonius Caracalla, a Macrino, qui occiderat, timore militum inter Deos relatus, habuit templum, habuit Salios, habuit sodales Antonianos, ipse qui Faustinae templum et divale nomen eripuerat.[2]

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

[1] Drusus eodem honore insignitus memoratur a TACITO, *Ann.*, 4, 9.

[2] SPARTIANI, *Anton. Carac.*, 11, 6.

TICINENSIS ATHENAEI

CENTENARIA COMMEMORATIO

Iam mille et centum anni sunt quum Lotharius imperator idemque Italiae rex, ut publicas res ordinaret, Regnum suum doctrinae studiis liberalibusque artibus ornandum suscepit, atque ideo praecepit ut a multis Regni urbibus, Mediolano, Brixia, Laude, Bergomo, Novaria, Vercellis, Dertona, Aquis, Genua, Aste, Como, « Scholastici » qui tunc dicebantur, Papiam convenirent, ut clarissimum illum Dungalum, hibernicum, doctrinam tradentem audirent. Qui Dungalus iam anno post Chr. n. DCCCXII ab imperatore Carolo Magno in hanc nobilissimam civitatem missus erat, in qua iam antiquitus litterarum ludus floruerat, Paulo Diacono discipulo maxime spectatus. Neque de Dungali doctrina id statuendum est, eam in scientia tantum divinarum rerum contineri, quum in aliis quoque nobilissimis disciplinis ipsum famam consequutum esse constet. Apparet igitur ipsius opera in illa civitate studia iam a Caroli Magni temporibus tam viguisse, ut paucos post annos Lotharius amplissimum ludum et veluti studiorum propugnaculum compluribus Regni incolis hîc aperiendum esse censeret.

Nec, nono saeculo exeunte, et saeculis deinceps insequentibus decimo et undecimo, defuerunt clarissimi viri, qui iuris doctrinam tradentes, in ea miros progressus facerent, et id potissimum niterentur, ut ex antiqua Romanorum iuris prudentia eas virtutes repeterent, quae barbarico iuri ordinem et nitorem et perspicuitatem tribuerant: inter quos Sigefridi, Bonifilii, Bagelardi, Lanfranci, Gualcausi, Guilhelmi nomina sunt revocanda. Sed praestat inter omnes Lanfrancus ille clarissimus, Ticini ortus, qui prima iuventute iuris scientiam in patria docuit, et postea, per varios vitae casus fortunaeque vicissitudines actus, peregre apud Normannos et Anglos diu vixit, usque ad diem supremum, quem obiit octoginta quattuor annos natus, anno post Chr. n. MLXXXIX. Iure igitur hunc vetustissimum Magistrum Ticinensis Universitas proximis sollemnibus saecularibus honore efficiendum curabit.

Quum saeculis XII et XIII studia a maioribus tradita Papiae paulatim languescerent, novae tamen vires iam renatis litteris sumpsit Schola Ticinensis, quum anno MCCCLXI « Studium generale » ad

omnes liberales artes doctrinasque colendas et promovendas constitutum est. Longum esset si ab eo usque tempore omnes recensere vellem qui intra Ticinensis athenaei parietes magnam gloriam aluerunt; hîc enim Antonius Beccatellus, qui dictus est Panormita; hîc Andreas Alciatus, hîc Laurentius Valla; hîc Hieronymus Cardanus; hîc Demetrius Chrysoloras; hîc Iacobus Menochius; hîc, recentioribus temporibus, summi illi litterarum vel doctrinarum omnis generis antistites, Alexander Volta, Lazarus Spallanzani, Antonius Scarpa, Vincentius Monti, Hugo Foscolo; Ioannes Dominicus Romagnosi, Aloisius Porta, Bartholomaeus Panizza, floruerunt; hîc nostris tandem temporibus Camillus Golgi, qui adhuc vivit et viget, et quem ad multos annos victurum esse culti omnes iure sperant. Eorum nomina longe lateque per orbem propagata sunt, et simul cum iis Ticinensis praeclarissimi athenaei fama est « porrecta ad ortum solis ab Hesperio cubili »; quin etiam ex iis aliqui sunt, de quibus iure ea verba dici possunt, quibus Rutilius poëta, Roma proficiscens, urbem dilectissimam est alloquutus:

Quantum vitales natura tetendit in axes,
Tantum virtuti pervia terra tuae.

Merito igitur athenaei Ticinensis Rector nunc Magnificus rogavit ut ad haec omnia hodie commemoranda, et, uti par est, rite celebranda, omnes Universitates et omnes Academici conventus unum vel plures ex suo collegio delegarent, qui Papiensibus saecularibus feriis adessent, testimonium praebituri foedus quoddam sapientium esse, quo litterarum, et doctrinae omnis totius Orbis cultores in unam societatem, in unam paene dicam, voluntatem coalescant.

Accedant itaque huiusmodi sodales, accedant; hi enim ludi qui in summis viris honore et admiratione prosequendis versantur, plurimum valent, ut virtuti debitus honos habeatur, ut omnes ingenuae artes in maius provehantur, ut ingeniorum viribus praesidia parentur, ut inter diversas easdemque longiquas gentes humanitatis communio et vitae societatis arctioribus vinculis iungantur.

* *

IOSEPHUS CAFASSO

Hic vir, inter caelestes nuperrime relatus, Castronovo in Astensibus, anno saeculi elapsi undecimo, piis parentibus natus, ampliorem, si mihi dicere licuerit, splendorem atque ornamentum addidit festis, quae propter annum sanctum in aede Vaticana de composito aguntur. Et Subalpini, hanc occasionem nacti, in qua tam solemniter suo Municipi divini honores ritu decernentur, frequentiores atque pientissimi Urbem convenerunt, Deo gratias agentes, et incredibili laetitia gestientes, ob gloriam sibi ab Ipso Beatissimo Iosepho Cafasso comparatam.

Ipsi enim feliciter recordantur quam mirabilis hic vir fuerit atque honorandus vel a teneris annis, et quam pulcra insignis sanctitatis indicia vel inde praebuerit.

Etenim ad caelestia raptus, terrena tamquam caduca aspernatus, ad immortalia usque tendebat. Puer, iam pueros sanctis alliciebat sermonibus, a pravis rebus revocabat, atque ad divinam rerum contemplationem suaviter ducebat. Tenellus, pauperes iam pro viribus solabatur auxilio, iisque mirum in modum perpetuam stipem elargiebat. Adolescens, inter sacrorum alumnos libenter cooptatus, mirabile dictu est, quam celerrime in omnium exemplum eluxerit. Interea se se in virtutum exercitio atque in sacrarum litterarum studiis assidue ponere in deliciis habuit.

Quum, vix annum vicesimum ac alterum natus, sacerdotio auctus esset, Augustae Taurinorum, omnibus illecebris ablegatis, apud S. Francisci Assisiensis, in Clericorum quodam Collegio, mox ab Aloysio Guala, singularis exempli sacerdote, mirabiliter inchoato, se abdidit, ibique vixit, floruit, et gestis praeclarissimis enituit; ibique, quum nondum quinquagesimum annum attigisset, omnibus lacrimantibus piissime cessit anno MDCCCLX.

Sua aetate apud nos Subalpinos prava illa Iansenistarum secta turpissime adhuc serpebat, quae sub honoris in religionem et rigidioris cultus specie, devotos homines falso territabat, atque ab amore Dei dulcis et suavissimi abreptos, ad nihil amplius boni agendum urgebat, ac demum ad incredulitatem impellebat. Quod aptius et conceptissimis verbis Vincentius Monti exculpsit, quum dixit eam doctrinam

A creder nulla e a disperar ci porta!

Iosephus Cafasso, sub ductu praescriptoque Aloysii Guala, mirum in modum sapientiam sancti Alphonsi a Ligorio ad corrigendos hominum mores potissimum arripuit, eamque per omne vitae tempus unice sacerdotibus tradidit. Mirum est quam raptim religio apud nos refloruit, atque ab urbe celeris per vicos, veluti foecundissimus amnis diffunditur. Tunc pietas renascitur in Deum ferventior, ad Virginem Dei Matrem ardentior devotio; uno verbo, Dei cultus per omnem late subalpinam regionem exsultat atque hilarescit. Ad eius scholam divinitus veluti acciti undique adeunt, et dum eximii magistri sapientiam ex animo mirantur, eius quoque vestigiis virtutum insistentes, sibimet ipsis student, ut morum integritatem colant eamque sine invidia cum populo communicent. Quot eximiae sanctorum familiae divina veluti virga excitatae subito exstiterunt!

At facile mihi omnes concedent si dixero, inter clarissimos disciplinae eius alumnos Ioannem Bosco vitae integritate et sanctitate insignem, quemque, meum magistrum libenter praedicabo, sive ob ingenii foecunditatem sive ob gratum animum excessisse.

Hic enim primus Iosephum Capasso sanctum libero ore proclamavit, et nobis etiam pueris adsidue virtutes eius eximias laudabat, atque in exemplum habere iubebat; et ipse quum servus Dei pie Augustae Taurinorum decessit, eum peramanter luxit et bis publice laudavit, et omnibus ordinibus adprobantibus immortalem canticum ad eius sepulcrum extulit.

Iosephus enim Cafasso non modo ob doctrinae sanctitatem claruit et memoratu dignissimus evasit, sed divino quoque eloquio ad populum orabat, et facile princeps apparuit, quum ad sacerdotes loqueretur. Eius sermones, novissime in vulgus editi, omnium manibus hactenus teruntur, atque in aevum eos admirabuntur posteri.

Etiamsi assidue laborabat valetudine, mira opera insuper agebat in fidelibus sua admissa confitentibus, inter vincula detentis visitandis, atque capitis damnatis in extremo agone fovendis. Quotquot huiusmodi infelices, qui per viginti circiter annos supplicium apud nos subierunt, eius eloquio, patientia, caritate adiuti, libenti animo, certi aeterna gaudia prosequuturi, ad funus infandum progressi sunt!

Optime ad templi Vaticani fores, tabula egregie picta, hanc beati Iosephi Cafasso sanctissimam sollicitudinem protendit.

I. B. FRANCESIA.

Despicere oportet quod possis deperdere.
Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.
Dies quod donat, timeas; cito raptum venit.
Difficile est dolori convenire cum sapientia.
Discipulus est prioris posterior dies.

P. SYRIUS.

DE ANNIS SANCTIS[1]

Annus sanctus undecimus.

Quum esset Gregorius XIII P. M., rite est annus sanctus celebratus, vertente anno quinquagesimo quinto et septuagesimo supra millesimum. Hic tum ob peregrinorum numerum, tum ob egregia et plurima pietatis opera, sacri instituti imaginem graphice retulit, omnibusque placuit.

Pontifici Maximo, Portam sanctam aperienti, ea adstitit advenarum frequentia, eaque veluti amentia viciniorum obtinendi, vel parvulam aliquam ruderis particulam, ut nonnulli gravi damno mulctati fuerint.

Hoc ipso anno, omnes, ne excepto eodem Pontifice Maximo, eximia religionis exempla certatim ediderunt.

Pontifex enim, quamquam longaevus, octogenario maior, rudi veste indutus, pluries *Scalam,* quam *Sanctam* merito appellamus, genu totam ac devotissime ascendit; et S. Carolus Borromaeus, Mediolanensium archiepiscopus, idemque Cardinalis, de industria Mediolano profectus, nudis pedibus atque vultum demissus Basilicas visitavit; et Cardinales et nobiles Romani aegrotos invisere eisque re atque consilio adesse consueverunt; et omnes peregrini, rite et composito supplicantium ordine per Urbem incedentes, admirabiles omnibus, cernebantur.

Eodem tempore, Sodalitium a sancta Trinitate pro peregrinis, muneribus auctum et novis aedium accessionibus, suis modo impensis, tercenta circiter advenarum millia ubere hospitio excepit.

Et alii complures, praeter Carolum Borromaeum et Philippum Nerium, insignes ad hoc Iubilaeum advenerunt, inter quos adnumerantur S. Felix a Cantalice, et Batavorum Princeps, cui Pontifex, honoris gratia, malleum, quo Portam sanctam aperuerat, donavit; Parmae dux atque Urbini ducissa, et Torquatus Tassus, qui pietate et praesentia sua Urbem universam hilaravit.

[1] Cfr. fasc. sup.

Duodecimus annus sanctus.

Clemens VIII indixit, aperuit et denique clausit annum sanctum duodecimum anno MDC; at morbo improviso correptus, Portam sanctam, modo Idibus Ianuarii anno insequenti, iure claudere potuit.

Hanc opportunitatem nactus, Pontifex, divino veluti spiritu instinctus, universalem omnium admissorum veniam prorogare statuit usque ad diem Natalem Christi, ita tamen, ut quotquot Sacro Pontificali adstarent, caelesti admissorum indulgentia perfrui possent; quo factum est, ut piorum conventus aedem plateamque Petrianam impleret, atque, mirabili admodum casu quem nemo viderat antea, ad Castri Sancti Angeli moenia perveniret.

Pontifex, etiamsi aetate devexa, ac senectutis incommodis laboraret, attamen Basilicas septies invisere, supplicantium agmina sequi, ipsosque pios admissa confitentes audire voluit, ut quisque confessarius.

Ad haec pene unice victitans et aqua, domus pauperum praesentia et alloquio solabatur, aegrotantibus verbis atque ope adiuvabat. Per idem tempus supervacua cultui ornamenta omitti iussit. Urbem quoque perlustrarunt Batavorum principes Peucetii ac Parmae; Henrici IV Gallorum regis orator; Catarina Zeno, clarissima foemina Venetiarum, Austriae ac Pannoniae Cardinales, quorum alter, in morbum miserrime implicitus, Romae Pontificis consilio ac bona spe adiutus, diem supremum obiit.

Decimus tertius annus sanctus.

Urbanus PP. VIII, qui tot virtutibus inclarescebat et ingenio, tertium supra decimum annum sanctum rite inchoavit, san-

ctamque Portam adsuetis ceraemoniis aperuit.

Hac tempestate, ob magnam Tiberis eluviem, quum peregrini, ad sanctum templum Paulinum extra moenia accedere non possent, cautum est ut ad sanctae Mariae templum trans Tyberim eodem privilegio gauderent. Itaque Pontifex, universa cum domo comitante, idem adire constituit, eamque basilicam per idem tempus ut Paulinam haberi iussit.

Praeterea ipse Pontifex, non modo abundantem sanctae Trinitatis Sodalibus stipem erogavit, quo melius in dies cresceret, sed in ipsis Vaticanis aedibus complures peregrinos hospitio recepit.

Interfuit sacris anni sancti sollemnibus Leopuldus, Austriae imperator, Vadensis marchio, et Pannoniae Vladislaus, qui gladio pileoque sacro a Pontifice est honestatus.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Miraculum – Res supra naturae vim; Opus humano maius; Divinae virtutis opus; Supra omnem naturae vim opus perpetratum; Res mirifica (divinitus facta). [2]

Missa – Missam dicere: Sacrum (Rem divinam) facere (explere); Sacris (Divinis) operari; Ad sacrosanctum altare accedere; Aram conscendere; Caelestem hostiam (Divinam victimam) immolare (sacrificare); Salutarem hostiam Deo offerre. – *Missam primam dicere:* Sacerdotii primitias Deo libare; Primam hostiam Deo immolare; Sacrificandi initium facere. – *Missam cantare:* Sollemni caeremonia sacrificare; Sollemni ritu (pompa) rem divinam celebrare; Sollemni ritu (Sollemnibus sacris) operari; Rem divinam canere. – *Missa pro defunctis:* Piaculare (Funebre) sacrum facere. – *Missam audire:* Divino sacrificio adesse (interesse); Divinis assistere (adstare); Sacrum audire. – *Missae inservire:* Sacrificanti (Sacerdoti sacra operanti) ministrare (inservire). – *Missae sese disponere:* Se rei divinae comparare; Sacrificantis ornatu se induere. – *Durante Missa:* Inter divinam rem; Inter sacrificandum. – *Missa absoluta:* Perpetratis sacris; Re divina peracta; A sacro (Ab sacris; ab re sacra).

Missionarius – Legatus; Praeco divinus; In sacris expeditionibus versatus.

Mitratus – Infulatus.

Modellum – Forma; Exemplar; Protypus (Protypum); Archetypus (Archetypum). [1]

Modernus – Recens (Recentior); Novus; Hodiernus; Qui nunc est; Ut nunc fit; Nostrae aetatis; Nostri temporis.

Monachus, Monacha – Sanctimonialis. [2]

Monasterium. – Coenobium. – *Monasterium virginum:* Virginum (Virginum sacrarum) collegium. [3]

Monocolus – Altero oculo captus; Luscus.

Moralis (vir) – Vir bene moratus (bonus; probus; honestus).

Mortificare – Cupiditates comprimere (domare; frangere); Temeritatem coercere; Animum infringere (vincere; in contraria flectere; continere).

Mozzeta – Palliolum; Amiculum.

Multoties – Saepe; Saepenumero; Identidem.

Multum ante – Multo ante.

Mundanus (vir) – Humanae vitae deliciis (commodis) deditus; Erga vitae oblectationes studiose affectus; Vitae illecebris captus; Rerum fluxarum blandimentis implicitus. – *Mundanae res:* Caducae (Perituraе; Profanae; Infimae; Fugaces; Inanes; Mortales; Fluxae; Fragiles; Humanae).

Mundus – A quo est mundus: Post homines natos; Post hominum genus (memoriam); Ab orbe condito; Ex omni saeculorum memoria. – *Mundus* (adiect.): Purus; Integer.

Murmurare (in aliquem) – Alicui obtrectare (obloqui); Famam alicuius (aliquem) rodere (vellicare; maledico dente carpere; aspero ore discerpere; obtrectatione lacerare; detrectare); Aliquem maledictis exagitare (iactare; onerare; affricere; vituperare). – *Murmurare intra se:* Mutire; Quaeri; Conqueri.

Musaicum – Musivum; Vermiculum.

Musicare – Musica canere; Modulari. – *Carmen (et sim.) musicare:* Materiam subiectam modulate describere; Subiectas voces musicis modis alligare; Verbis modos invenire.

Nationalis – Indigena.

Nativitas – Ortus, Natalis, Dies, natalis.

Natura – Indoles; Ingenium; Mores [1]

Naturalista Speculator naturae; Rerum naturalium investigator.

Naufragare – Naufragium facere; Naufragio iactari (vexari); Iacturam rerum (fractae navis; fortunarum) in mari pati,

Nec autem – Nec vero.

Necessitare (aliquem) – Aliquem cogere (adstringere; urgere); Alicui necessitatem imponere (iuiungere).

Negotiarius, Negotians – Negotiator (boarius, frumentarius, librarius, olearius, salsarius, vinarius, lintearius, margaritarius, vestiarius, artis purpurariae, etc.).

Neograecus, Neolatinus – Scripta graeca, latina (libri graeci, latini) recentioris aetatis.

Nepotismus – Studium cognatos fovendi (augendi).

Neutralem esse – Medium esse (se gerere); Neutrius partis esse; Nulli partium adhaerere; Ad neutras partes accedere; Neutro inclinare; Indifferentem se praebere utrisque adversis partibus.

Nigredo – Nigror.

Nobilitare – Inter nobiles legere (adsciscere; adscribere); Nobilibus adiungere; Iura nobilium (decurionatus) donare (concedere).

Nocuus – Noxius; Infestus.

Nomen bonum – Existimatio; Fama; Bona fama.

Nomine Dei. – Dei nomen obsecro, hoc mihi tribue; Per Deum immortalem, quaeso, concede hoc mihi.

Non diu post – Non ita multo post.

Noster – (Coniungitur semper cum nomine; ex gr. Plato noster; ubi subauditur magister, collega etc.). – *Locus noster* (scil. locus operis, quem declaramus): Hic locus.

Notarius – Tabellio; Tabellio et scriba; Actuarius (SUET.); Tabularius (ULP.). [1]

Notificare – Significare (Declarare; Nunciare); De aliqua re quempiam admonere (docere; certiorem facere; certiorem reddere).

---

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Miracula perpetrare* - Res admirabiles patrare; Mirifica facere; ultra (supra) naturam efficere (operari); Res miras gerere; Admiranda praestare; Prodigiis inclarescere; Maiora naturae viribus exsequi. - *Miraculosus:* Qui multis supra naturae vim editis operibus inclaruit; Operibus supra vim ordinemque naturae patratis insignis; Vir, per quem divina virtus multa admiranda patravit.

[1] Itaque: *M. aliquod formare;* Alicuius rei speciem (formam) describere (conficere). - Opus ex protypo (archetypo) ducere. - Opus ad exemplum (ad exemplar) effingere (perficere).

[2] *Monacha conversa:* Ancilla sanctimonialis.

[3] Itaque: In sacrarum virginum collegia se conferre; Virgineam vitam sacris septis includere; In sacra claustra abdi.

[1] *Hac natura sum, ut...* - Sic (Ita) sum; Sic natura sum comparatus; Mihi innatum est; Hoc fert ingenium (mihi attribuit; indidit); Haec mea est indoles (meum est ingenium; mihi mens est); Hoc ingenio sum.

[1] *Notariatum exercere:* Tabularium exercere (facere; factitare).

Notitia – Excerpta (rex excerptae) ex historiis (commentariis).

Notorius – Cognitus (Notus; Manifestus; Apertus; Clarus); Res quae patet (constat); Res pervulgata.

Novator – Novarum rerum auctor.

Novena – Sacrum novendiale; Supplicatio novendialis.

Novendecim – Undeviginti.

Novennis – Novem annorum; Novem annos natus.

Novitius – Iuvenis (religiosae familiae); Adlectus inter iuvenes (rel. fam.); Tiro (relig. militiae); Novus religiosae virtutis discipulus. [1]

Nullatenus – Neutiquam; Nullo pacto (modo); Nulla ratione; Minime.

Nullibi – Nusquam.

Nullo labore – Nullo negotio.

Nuntium – Nuntius.

Nuspiam – Nusquam.

Nutrire (comam, capillum) – Alere comam, capillum.

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

[1] Itaque: Sacrae militiae tyrocinium aggredi; Religiosae militiae disciplinam amplecti; Sacram militiam auspicari. - Et: Ponere (facere) tyrocinium; Prima religiosae militiae munera exercere; In palaestra religiosae vitae exerceri.

EX BATAVIA

De certamine poëtico Hoeufftiano.

Dum hîc Commentarii nostri fasciculus sub praelo est, accepimus et libenter edimus:

« De triginta sex carminibus ad certamen poëticum Hoeufftianum anni MCMXXV missis, ita est iudicatum.

Praemium aureum reportavit HERMANNUS WELLER, qui *Natale Solum* cecinit; sumptibus legati in volumen recipietur carmen c. t. *Sirmio,* si poëta eius scidulae aperiendae dederit veniam, et carmen quod inscriptum est: *Ethnicum Fanum in templum christianum conversum*, quod conscripsit Franciscus Xaverius Reuss, Alsatinus.

Ecce index titulorum ceterorum carminum: *Cyllarus, In militem ignotum, Servorum amores et nuptiae, Mira lourdensia, Pacuvii Calavii, Arborum laus, Ad Maecenatem, Exules, Pax, Syrillus, In basilicam Lateranensem, Carmen augurale, Ad sepulcrum episcopi Torras, Inclyto Asturiarum Principi, Alma Nazarethana domus, Miles caecus, De Fontibus, Aer perdomitus, Materna ora, Ad rivum, Io, Itala Rhodos, Redux bello excaecatus novam suam nuptam adloquitur, Dulce rus, Supplicatio ad Matrem Misericordiae pro valetudine regiae virginis Iohannae ex inclita Sabaudiae domo, Eucharisticon, Figulus, Praediolum recuperatum, Miles ignotus, Ad musam, De Nazareno, Laus Paupertatis, Subaequoreum monstrum, Somnium Horatii.*

Ad novum certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina non ex alio sermone versa, nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora, nitide et ignota iudicibus manu scripta ante Kal. Ianuarii an. MCMXXVI mittantur ad *het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen, Trippenhuis, Amsterdam,* munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poëtae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poëtae in transcribendo portabile prelum britannicum (*type-writer*) adhibuerint, ac si, quemadmodum in editionibus poëtarum fieri solet, sextum quemque versum numero insigniverint.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur eique subiungentur alia laude ornata, si scidulae aperiendae venia dabitur. Id autem ante Kal. Iul. proximas fieri debebit.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Aprili pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non in volumen receptis additae Vulcano tradentur.

J. J. SALVERDA DE GRAVE'
Ord. lit. Acad. Reg. ab actis.

Novus igitur FRANCISCO XAV. REUSS est honor post humum tributus; quod iterum iterumque facit clarissimum virum nobis et Latinarum litterarum cultoribus universis comploratissimum.

LEPIDUM D. ANTONINI EPISCOPI
MIRACULUM [1]

Cum solet hiberno terra experrecta sopore
Uberiore viris fundere dona sinu,

Adveniens urbem vicino e rure colonus,
Vimineo in calatho dulcia cui cerasa,

Pontificem petiit, ductusque cupidine nummi
Obtulit humanis munus agreste modis.

At xenium laudans ea fatur Episcopus: – Au-
[rum
Haud mihi; mercedem reddat, amice, Deus!

Villicus haec aegre fert, inviteque negato
Audax in sanctum mussitat aere virum.

Tunc hominem Divus revocat cui, iudice libra,
Solvere confestim debita quaeque iubet.

Mox folio inscribit paulo quae dixerat ante
Munere cum gratam reddidit ore vicem;

Et calatho folioque utraque in lance locatis,
Auctore ecce novum Numine prodigium!

Protinus, amissa veteri gravitate, quasillus
Sublimis rapitur, chartula adhaeret humo.

– En tibi, Praesul ait, facta est iniuria nulla:
Quam tibi debetur plus ego retribui!

H. DE GL'INNOCENTI, O. P.

[1] S. Antoninus Pierozzi, Florentinorum Antististes ex Ordine Praedicatorum assumptus, vir fuit scientia et sanctitate clarissimus. Obiit Florentiae anno MCCCCLIX, eiusque festum die x mensis Maii celebratur.

ANNALES

Novum in Gallia administrorum collegium suffectum.

Herriot ille, qui imprudenti quidem gubernii ratione, partium studium inflammans, sacram Gallicae nationis unionem in diem labefactabat, atque interim incertum ac ruentem rei pecuniariae statum abdebat, in ipsam quam fecerat foveam incidit. Quum enim vera patefacere est coactus, ex adverso Senatus suffragio cum collegis a munere sibi abdicandum fuit.

Novum est itaque administrorum collegium suffectum, praeside Painlevé, quum Briandus extera negotia agetur et Caillaux aerario praeficiet; quod quidem nomen pluribus cessit obnoxium: viri tamen peritia circa pecuniariam rationem, quam nemo negare potuit, dissonantes voces compescuit. Quia denique Briandus Gallicam legationem apud Pontificem acerrime defenderit contra Herriot eiusque sectatores ita ei adversantes, ut ad eius suppressionem decernendam usque, quemadmodum suo tempore adnotavimus, deventum sit, facile coniectui est, fore ut eadem maneat; quod profecto non honori tantum, se utilitati Gallicae nationi cedet.

***

Germanica et Belgica comitia.

Germanica comitia necopinatum apud exteras gentes exitum habuere; inde enim

Hindenburgus contra Marxium victor excessit; Hindenburgum, inquam, tamquam Reipublicae praesidem, qui firmus Regni adsertor apud omnes reputabatur. Non est igitur mirum omnium oculos et mentes ad eum esse conversa, et multorum animos inquietos inde factos. Verum ex eius prudentia sperandum est, futurum ut dubia ex eius factis dissipentur, utque pax, quam orbis universus tamdiu instantissime invocat, non modo in via sua retro haud ferat pedem; quin immo ad metam mature contendat.

In Belgica quoque populus ad comitia vocatus est, qui novos legatos suos apud coetum legibus tradendis eligeret. Maxima hîc « socialistis » suffragia tributa, qui tamen administrorum collegium componere nondum valuerunt.

***

Horrenda in Bulgaria facinora.

Facinora horrenda ex Bulgaria nunciantur. Vix enim rex ab impio scelestorum ausu, ex « communistarum agrariorum » factione in eius vitam patrato, sospes fausto auspicio evasit, Georgefius, publicus legatus hodierni gubernii strenuus adsertor, nefarie interimitur; dumque iusta eius funebria in cathedrali Sophiae urbis aede persolvuntur, en infernalis, quam dicunt, machina, in lacunari abscondita, improviso incenditur, lacrymabilemque necem apportat. Inter ruinas infelicem mortem inveniunt adstantes ducenti, in quibus populi legati, civitatis gubernatores, copiarum duces plures; sexcenti autem vulnerantur. Undenam infanda haec? Dicunt nefaria huiusmodi Moscoviae parata, inclamantque in novum periculum cunctis Europae gentis imminens; Bulgarorum supremi administri circumscriptionem exercitus queruntur sibi impositam, tamquam civitatis tutelae imparem; alii denique ipsum populi gubernium incusant, ferum, tyrannicum, cuius vis adversam vim excitaverit... Certe nunc in sontes, vel ex indiciis, severissime inquiritur, de iisque compendiaria supplicia sumuntur. Quid proximi dies allaturi sint, nemini profecto portendere licet.

***

Lusitanica seditio.

Ulysippone, seditio, ad regnum instaurandum exorta, facile a reipublicae rectoribus superata est, Cunha Deal, quondam administro primo, nunc autem « nationalistarum » factionis principe, et Sine Cordex, imperatore exercitus, quem « Directorio » rebelles praeficere volebant, in vincula detrusis. Rei publicae praeses, Texeira Gomes, apud « Congressum » quem nuncupant, inde munus suum dimisit; qui vero ei fidem plenis suffragiis confirmavit.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Maius mensis rediit, et cum eo redierunt **flores,** quorum in honorem, et praeter anni hoc tempus, vere hymnum mihi tradidit Anonymus meus, a Ferrarii oratione XXXII excerptum; quem libenti animo in hisce paginis refero, non solum ut incognito adiutori meo morem geram, sed etiam ut solatium aliquod et mihi ceterisque mecum iam canescentibus inde sumam. Prima namque, iuxta auctorem illum, florum risu anni senectus iuvenescit: numne idem fieri poterit de vita, aut saltem de animo? Sursum itaque corda, et perge!

« Exite iam ad vitae gloriaeque lucem terrae quidem filii, sed altricis nobilitatis

adoptivi; cum sole ipso clariora caelestibus terrena sidera interdiu micate, ac diem geminate: in hortensibus theatris externae formositatis victores vobiscum ipsi formosissimi fratres domestico certamine de forma dimicate. Ecce iam voci votoque responsuri materni sinus gravem praematuro egressu moram rumpitis. Iam virides inter foliorum fusciolas insolitam ad lucem sustollitis...

« Prima vernat hyems: tua, Hyacinthe, praecox pulchritudo ver hybernum repraesentat, sive frigore decolor nives vultu circumfusas provoces nives, sive caelo concolor caelestem suavitatem redolens. Tibi vero, flos fabularum formosissime Narcysse, hybernum frigus merito amicum et consentaneum est: tua ipse quod forma perniciose calueris. O quam apposite nunc aureo, nunc argenteo, nunc utroque pallore tabescis, ac degeneras in florem! Tantus enim decor pulchre debuit precioseque pallescere. Sed quis inter ventosa hortorum hiberna flos laetior hyemet, quam quae nox sine ventu aperitur, quaeque ventum nomine spirat, Anemone? Conspirate iam coniuratae aurarum animae; vestrum animosos impetus omnium unus hic flosculus toto hiatu ridet, imo vestro spiritu animatur. Et sane vento gaudere decuit, quem vulnerati Adonidis vanissima fabula cruentavit; suam istam flos ipse lugubrem fabulam, quum maxime patet, effusissime ridet. At vos ne ultra infrangibile floris decus conspirate ventosi spiritus. Heu me! ventus rogo; en eadem (o rerum vices!) quae modo decorum florem animabat aura, tragico ludibrio difflatum exanimat. I nunc, atque aurae confide fallaci!

« Sed iam ver floridum vernos flores per zephyrum praeconem evocat. Res mira! Insusurratum praeconis ventuli murmur illum ubique audiunt, et adsunt florum populi discolores atque hospitas lucis horas grati advenae salutaturi, osculo suaviter hiulco odoratam animam inhalant. O halitum aegrae mortalitati vitalem! O curarum aestus blande difflantem curam ingenuae voluptatis! Quem non demulceat in iuncifolio Narcisso par aurei pretio coloris, odoris pretiosa suavitas? Sive hic simplici foliorum bractea avare, sive pleni rutila floris pompa liberaliter aurescat. Cui vero argenteus ille Narcyssus, qui productione collo Camelum in flore ludit, exporrecto vitam osculo propius non inspiret? Cui non Hyblam, non himettum oleat, tum moschatus, tum odoratissimus orientalis Hyacinthus, quorum vel ipsum nomen odoratum est? Quid? Obscuro natum ac traductum loco Lilium convallium, nonne suavissimo illud afflatu vere insinuat, ex obscuritate patriae eum saepe virtutis candorem exsistere, qui clarissimas ornet civitates? Quid? Nonne lactea Cyclaminus lactescentis in florum puerperio naturae concretum in florem lac videatur? Mihi vero vos, versicolores atque ab ipsis maculis formosae Tulipae, dum coloribus floretis omnibus, flos omnis estis. Sed cuius praeterea floris odore peregrino aestatis calor nostros hortos vaporat? Salve, Gelsimine, florum flos! O quam gratus hospes flagellorum manibus abreptus, toto iam terrarum orbe peregrinaris? O quam lepidum, quam salubrem e tua patria nobis odores spiras!... Sed illud non plane intelligo, qui fiat, ut parens Aethiopum rigerrima candidos pariat flores. An quia sic e nigra nocte candida lux nascitur? Exsiste nunc tandem, exsiste, Mexicanis e viretis oriunda, quae Nazareni floris inter spinas morientis florida imago es, Granadilla. Florere te decet per aestum, quia flos amoris es. Nulla vero tibi terra fertilius aestuat, quam Roma, cuius in nomine ardet Amor ».

***

Sed iam in longum satis processit oratio, ut vix SUBALPINI nostri Gallum monen-

tem audire possimus, qui hodie benignitatem praedicat:

Iis, qui vivunt sibi modo, patribus
Magistrum validum me libenter praebeo;
Meo nec more proloquor superbius,
Sed istoc saeculo ut efficiar sanctior.
Semper quum forte quaeritans invenio
In terris quaedam faucibus cibaria,
Et ultra possim gulae satisfacere,
Amore ductus potius famelicis,
Voco gallinas crepitans et stridulus,
Meas ut opes una mecum gaudeant.
Simul comedimus sine sic invidia,
Multas et gratias reddimus tunc Deo,
Nobis quod tantum dedit beneficii.
Et cuncta postquam rostris perpolivimus,
Huc illuc denuo cedimus per compita.
Ita me Gallus confero cum fratribus;
Diverse at facit meus saepe dominus,
Gulae qui late patitur ingluviem.
Sibi nam contigit quum quid cupidius,
Sua cum domo minime communicat,
Quae esuriales ferias sic agitat,
Totumque solus deglutit avidior.
Sui filii fame – dolor! – deperiunt,
Ipse dum crepat – date verbo veniam! –
Eosque flentes flebilis commiseror.
Quam melius forent si gallinacei!
Vobis est admodum descripta fabula.
Multa voraces quaeritis, qui fercula
Pauperum curas spernitis superbius,
Omnes putantes feliciores vivere,
Quum vos distenti inambulatis epulis.
Et operariis, magna qui stipendia
Edunt, et turpiter mero se ingurgitant,
Velim salutis mittere consilia.
Meis ab intimis saepe incunabulis,
Ubi cum pullis sto, commotus iurgiis
Male expergiscor, noctibus et integris
Omnium probra patior cum fletibus.
Et isti rerum domini sunt inclyti,
Quorum nos sumus in tutela positi?
Istis superbis mitis do consilia,
Suo sint magis studiosi proximo,
Et Galli exempla subsequantur postmodum.

*
* *

Iocosa.

Patruus Tuccio in scriptoria mensa stomachose libros evolvens:

— Curnam, Tucci ad hanc impatientiam te dilabentem video?

— Vertendae mihi litterae sunt in Gallicam linguam, neque rem expedire ullo modo valeo. Quid tu non me adiuves?

— Facerem libenti animo, si illam novissem linguam. Meo tempore a scholis alienae linguae longe aberant.

— O quam optimae tum scholae esse debuerunt!

Tuccio eidem Ludimagister:

— Numera nunc mini calvae ossa.

Tuccius tacet; instat alter:

— Ergo ignoras calvam pluribus ossibus constare?

Tuccius, caput tangens:

— Quomodo ignorem, si omnia hîc habeo, et sentio?

*
* *

Aenigmata.

I.

Pars prior est iuvenis pugnis certare periti
Altera pars divi, mortalia tecta tuentis.
His mixtis parvum cernis prodire libellum.

II.

Aequore caerulea niteo; refertur in undis,
Si sine nube polus, solis imago meis.
Aufer litterulam primam mihi: pungere sollers,
Sartoris versor nocte dieque manu.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Mater, Ater, Ter, Er;* 2) *Tuba, Turba.*

IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. AD·.. KOZL..., *Petricoviae.* – In utramvis aurem dormias; omnia namque accepimus.

CRACOVIENSIBUS PHILOSOPHIAE DISCIPULIS. – Iterata a vobis humanissime vota vobis ipse ex animo rependo. *Durate et vosmet rebus servate secundis!* – Praeter ALMAM ROMAM utrum Latinitatis praeconia alia nunc vivant, prorsus ignoro.

A SECRETIS.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

ad hanc impatien-
deo?
itterae sunt in Gal-
rem expedire ullo
on me adiuves?
animo, si illam no-
tempore a scholis
aberant.
tum scholae esse

magister:
ini calvae ossa.
t alter:
lvam pluribus ossi-

gens:
em, si omnia hîc

nata.

ugnis certare periti
ia tecta tuentis.
is prodire libellum.

; refertur in undis,
olis imago meis.
mihi: pungere sollers,
dieque manu.
riore fasciculo pro-
1) *Mater, Ater, Ter,*

IOSFOR.

ciis responsa.

etricoviae. – In utram-
a namque accepimus.
ILOSOPHIAE DISCIPU-
manissime vota vobis
o. *Durate et vosmet*
! – Praeter ALMAM
s praeconia alia nunc

A SECRETIS.

Moderator, Sponsor.
BLOTTIS VATICANIS.

ALMA ROMA



QVIDQVID NON
POSSIDET ARMIS
RELLIGIONE
TENET

C.DEL VECCHIO.

SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Iunio MCMXXV Fasc. VI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

3. Ad fragmenta interpretanda gradum facientes, monebimus lectores, multa obscura in iis reperiri, quae veteres ipsi iam non intelligebant. « Saliorum carmina vix ipsis sacerdotibus suis satis intellecta » aiebat Quintilianus (l. 6, 40); et Horatius aceto suo perfundebat eos, qui Saliare Numae carmen laudarent, et illud quod cum ipso ignorarent soli videri scire vellent (*Epist.*, II, 1, 86). Varro memorat (l. I., VII, 2) Aelium grammaticum quemdam in litteris latinis exercitatum (L. Aelium Stilonem), eiusque Saliorum carminum interpretationem, quam dicit exili littera expeditam et praetereuntem obscura multa. [2]

Versus Ianuli. Ex his versibus par fragmentorum servavit nobis Varro, qui, in VII° Linguae Latinae, de origine verborum loquens deque verbis a veteribus poetis usurpatis, § 26ª ita scribit (lectionem praebeo codicis Laurentiani 51, 10, qui est XI saeculi, archetypus omnium ceterorum huius operis codicum): « *Casmenarum* priscum vocabulum ita natum ac scriptum est; alibi *Carmenae* ab eadem origine sunt declinatae. In multis verbis in quo antiqui dicebant S, postea dicunt R, ut in Carmine Saliorum sunt haec: *Cozeulodorieso, omnia vô* (= vero) *adpatula coemisse, ian cusianes duonus ceruses, dun; ianusve vet pommelios eum recum* ..... § 27: *fedesum, federum; plusima, plurima; meliosem, meliorem; asenam, arenani; ianitos, ianitor.* Quare e *Casmena Carmena;* e *Carmena, R* extrito, *Camena* factum. Ab eadem voce *canite,* pro quo in Saliari versu scriptum est *cante,* hoc versu:

divum empta cante, divum deo supplicante.

Loquitur hîc Varro de vocibus quae sunt *Casmenae, Carmenae, Camenae,* ubi vel R est pro S, vel littera una exteritur. Cuius exemplum profert, praeter *Camenas,* etiam *cante* Saliaris carminis pro eo quod esset *canite.*

Ut a secundo fragmento incipiamus, locutiones quae sunt *cante* (= *canite*), *Divum Deo* cuivis intelligi possunt. *Supplicante* verisimile est per errorem positum esse pro eo quod esset: *supplicate.* Restat vox *empta* quae quid sit nemo scire potest. Conici potest hîc vocem *pa* latere, quae est pro *patre* (Fest. p. 244) unde ita emendarunt:

Divum patrem canite, Divom Deo supplicate,

sensu probabili et perspicuo. Divum Deus

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Alius interpres incertae aetatis fuit *Sabidius* quidam a Schol. Veron., in Verg. Aen. 10, 241 laudatus

Ianus est, quum Festus p. 36 dicat: «Ianus, cui primo supplicabant velut parenti, et a quo rerum omnium factum putabant initium».[1]

Venio ad prius fragmentum, quod multo est difficilius et vere obscurum. Longum est omnes conatus interpretationis et emendationis proferre. Perspicui sensus sunt solum verba «duonus cerus es» i. e. «bonus creator es», teste Festo, qui p. 17 s. v. *cerus manus*, ait: «In saliari carmine *cerus manus* intelligitur: creator bonus; estque laus Iano Divom parenti et creatori omnium rerum aptissima». At in ceteris quid non obscurum? Certe in his verbis inest exemplum *S* litterae pro *R* adhibitae; sed ubi huiusmodi verbum? num in fine, ubi verba *pommelios eum recum* possunt intelligi: *potissimum* (Fest., p. 244 *pa* pro *patre* et *po* pro *potissimum* positum est in saliari carmine) *meliosum* (h. e. meliorum) *recum* (h. e. regum), italice: «*Principalmente fra i migliori re*» (?) An illud *cusianes* habendum est pro «curiones»? Ita Corsseno videbatur: *Iani curiones*; at omnia incerta.

Aenigma aenigmatum primum verbum «*cozeulo-dorieso*» certe a manuensis etiam culpa a prisca lectione distortum. Nonnulli interpretati sunt: *O Zeul adriose*, ut Bergkius, i. e.: «O Sol gloriose» (etrusce *sol* dicebatur *usil*; «adoriosus» idem est ac ἔνδοξος). Alii: «*O Zeul, adoriese*», ut Lander: «*O sole, sorgi*» (*adoriese*=*adorire* imperativa forma). Sunt qui coniungant insequens verbum «omnia» legantque: «*O Sol, adoriso omnia*, «*O Sole sorgi sul mondo*». Sed ne nimiam fiduciam habeas veritatis, candide Lector, in memoriam revocabo, Corssenum alia omnino de *Cozeulo* cogitasse; nam *coceulum, coculum* inde expiscanda esse illi visa sunt, id est vas aeneum coctionibus aptum (Festus p 39 m=27 Tewzewk *Der*); unde legebat; *Coceulo dori eso* scilicet *esum* (cibum) *in coceulum dare* (*dori* pro *dari*, ut *Fovii* pro *Fabii*, *Dolobella* pro *Dolabella*).

Verba quae sequuntur: (*Omnia*) *vero ad patula coemisse, iancusianes* haud minori numero interpretationum locum dederunt. Illud: (*ad*) *patula* in mentem facile revocavit Iani ἐπίθετα *Patulcius*, qui aperit, et *Clusius* vel *Clusinius* qui claudit. (Vide Macrobium *Sat.* 49, 15). *Patula* igitur erant *templa Iani Patulcii* (Corssen), aut haec ipsa vox quae est *Patulci* vocativo casu hîc legenda (ut placuit Baehrensio, Birtio, Ceci nostro, aliis); fortasse etiam *Clusius* vel *Cloesius*, vocativo casu *Cloesi*, latuit in illa voce *coemisse*, et a Baehrensio re ipsa expressa est.

Primum verbum *omnia*, quod nonnulli cum locutione: «O Sol, adorire», coniugunt, aliis videtur esse pro «omina», memorantibus Ianum ipsum apud Ovidium (*Fast.* 4, 135) pro omine interpretatum esse res quasdam in sacris suis adhibitas.[1]

Corssen ipse coniungebat: *Omina vero ad patula coemisse*, interpretatus: *Omina ad templa Iani colligere* (*conferre, concipere*).

Suus omnino in hac re Birtius, qui legebat: O (*ptimo*) M (*aximo*) Iano.

Nonnulli «coemisse» diviserunt ut esset: *cosmis es* vel *coemis es*, italice «*sei cortese*»; ita ut sensus esset: *Davvero tu, o Giano, apritore* (o=*presso al tuo tempio aperto*) *sei propizio*.

Restat vox *iancusianes*, ubi Corssen videbat *Iani curiones*, ut iam diximus; alii *Iancus* pro eo quod esset *Ianeus* acceperunt, memorantes Festum hanc vocem rettulisse et explicasse: *ianitorem*, et exspiscati sunt illud: *ianitor Iane es*, probabili sensu, quum Ovidius quoque Ianum plus semel ut ianitorem aulae caelestis laudet, perspicientem «eoas partes hesperiasque simul».

Alii dividentes *Ian-Cusianes* de *Iano Curiano*, i. e. *Quirino* cogitarunt[1] proferentes Macrobii locum (49, 14), ubi M. Messalla augur inducitur, affirmans in sacris Romanos invocasse Ianum Geminum, Ianum patrem, Ianum Iunonium, Ianum Consivium, *Ianum Quirinum*, Ianum Patulcium et Clusivium. Cecius noster hîc, contra omnes, Clusii ipsius mentionem exspiscatus est; ut ad summam concludere liceat, nihil certae interpretationis in medium proferri posse.

De verbis insequentibus: *duonus cerus es dun Ianus*, iam diximus, magis perspicua videri; fere ab omnibus intelligitur: *bonus creator es, bonus Ianus*.

Restant ultima verba: *Vevet pommelios eum recum*. Iam exposuimus quod nonnulli excogitarunt: *po* idem esse ac *potissimum*; *meliosum recum* esse: *meliorum regum*, genitivo casu multitudinis.

At alii aliter. Festus p. 205 M (=244 T. de P.) ait: *Promerion praecipuum, praeter ceteros meritum, aut pro medium* (?) *h. e. participat* (?), *aut pro indiviso dicimus*. Zanderus in rem suam derivat, legitque: *Veveis promerios*, i. e. vivis (optime) promeritus; *prome dies enum reconde*, i. e. prome dies et reconde.

Sed hactenus de fragmentis versuum Ianulorum; fortasse etiam nimii fuimus in huiusmodi aenigmate. Gradum faciamus ad alia Saliariorum Carminum fragmenta.

(*Ad proximum numerum*).

Felix Ramorinus.

[1] Cf. Macrob, *Sat.*, 1, 9, 14 de Iano loquens ait: *Saliorum quoque antiquissimis carminibus Deorum Deus canitur.*

[1] Quid vult palma sibi rugosaque carica dixi,
Et data sub niveo condita mela cado?
Omen, ait, causa est ut res sapor ille sequatur.

[1] Festus p. 297 M (420 Tewrewk de Ponor) ait, post mortem Curiatiorum et postquam Horatius superstes sororem suam occidisset, aras Iunoni Sororiae et *Iano Curiatio* consecratas esse.

DE MUSICA

Quid inter auditum et musicam.

Aurium sensus, qui hominum conversationi inservit, homini necessarius profecto est atque suffectui difficillimus; imo et cum humanae vitae ratione, eruditione et progressu arctioribus nodis colligatur.

Mundi namque res, quae nos circum versantur, aurium virtute directe percipimus, sonitus undas, quae e vibranti corpore manant, animo recipientes.

Dulcis sonitus puram voluptatem gignit, etsi quisque eo vehementius ipsam percipiat quo aurium acie exquisitiore fruatur, paratioremque spiritum habeat et variis motibus magis promptum; omnes tamen longe diutius ferre quam ceterorum sensuum eius oblectamenta possumus.

Hac autem virtute efficitur ut voluptatum huius sensus copias quam maximas haurire absque labore vel detrimento valetudinis nobis liceat, quod longe aliter in ceteris sensibus assolet. Sic Heghelium admonentem audimus auribus nos musicae vibrantes concordias capere, atque intimum corporum fremitum ad animum iis tantum transmittere posse; sonus quippe externus accidens est, quo transmisso, interna forma exsurgit. Visibile enim medium ipse derelinquit atque externam tibiarum vel citharārum figuram; animus vibrantem undam carpit, in ea immediate et unice delectatur, ea commovetur funditus, et ad opera, ad agenda quaevis potenter incitatur.

Vim et movendi chordam, ut ita dicam, canticis et musicae tributam, omni aetate homines persenserunt, neque vates ferme, neque philosophi, aut naturae studiosissimi viri, ullo alio verbo mundi magnitudinem, ordinem, pulchritudinem sese exprimere posse censuerunt, quam quum dicerent *harmoniam*.

Aves ver novum cantantes, foliarum fremitus, rivuli murmur, procellae fragor, fulguris strepitus, belluarum ululatus forte primi sonitus fuerunt, quibus homo abditam naturae vocem persensit, quaeque est imitatus, quum, rudi adhuc lingua usus, internis animi motibus patefaciendis studuit.

Cantus enim quasi sermo animae altissimus habendus est, quo toties intimos sensus exprimimus, quoties adeo vehementes illos erumpere sentimus, ut nulla iam verba ad ea exprimenda satis videantur. Hoc servari etiam ab inferioribus animantibus conspicimus, quae necopinatis eventibus perculsa, rei sensus voce plus vel minus grata eliciunt.

Homines nos gaudia maxima pariterque dolores cantu effundimus: ipso in gemitu mensura quaedam intima inest, ita ut a veritate longe absonum illud non sit putandum, quod de Pergolesio, symphoniaco Italo illo, tradunt, *Stabat Mater* hymni musicas notas ex acerbis matris cuiusdam singultibus, ad nati patibulum, ipsum deprompsisse.

Quae quidem iam antiquitus maiores animadverterunt. Orpheum enim lyra canentem commentati sunt tartarea regna transiisse incolumen et trigemini canis placasse latratus; Ariorem delphinos cithara ludentem post sese traxisse; Amphionem Thebana excitasse moenia, quorum saxa dulcissimo cantu permota ad suum quaeque locum sponte congererentur; et Sirenium blandenti voce peremptos nautas, et Saul regis iras David ludentem lyra sedasse; Timotheum tibia canentem Alexandrum ad bella movisse vel ad pacem flexisse; et Cleopatrae navem remigiis actam, quorum impulsum tibia et cithara et avena suo rhythmo moderarentur. Aegyptii sic Graecique, musicae sonitus cum religione sociantes, hanc consuetudinem Romanis tradiderunt. Christiani deinde cantu et psalmis barbarorum animos permulcere coeperunt, et byzantinis hymnis factum esse tradunt, ut primi Slavoniae populi ad Christum converterentur. Philippus, Hiberiae rex nomine quintus, tunc tantum curis liberari dicebatur, quum Farinellium musicum dulcia canentem audiret. Donizettium animam agentem Robinius unus expergefacere postremo potuit, *Luciae,* musici operis ab auctore illo exarati, melodem quamdam, apud cum canens. Mozart pariter morti proximus filiam obsecravit ut cantiunculam diceret, quam potissime adamaverat.

Sed et neces, et crimina, et dolores innumeros cantus et harmonia quoque praepedierunt.

Musica enim et cantus constanter et similiter animum semper afficiunt, quoties percipiendi sensus exquisita homines facultate praediti sunt, unde gaudium vel tristitia, virtus vel metus, fiducia vel depressio, alacritas vel inertia in audientibus pariter gignuntur. Quare artis huius magistri musicam veluti puram sensuum expressionem concordes affirmant. Neque eadem ars medicorum oculos effugit, qui sedulam in eius studio operam dederunt, multaque reperierunt, de quibus alias, si placuerit, dicemus, eos praecipue considerantes effectus, quos in hodierna hominum societate musica provocare valeat, atque in singulis hominibus.

R. S.

DE ANNIS SANCTIS[1]

Annus sanctus decimus quartus.

Innocentius X indixit hunc annum sanctum, celebravit et clausit, eo potissimum nomine insignem, quod multi haeretici, Hebraei, et nonnulli ex ipsa Macumeti perfidia, errores suos aspernati, ad rectam Christianorum sapientiam redierint.

[1] Cfr. fasc. sup.

Et mirum in modum Pontifex Dei amorem et religionis studium cum perpetua in peregrinos liberalitate coniunxit. Cuius exemplum sequuti Cardinales, nobiles et cives complures, facile eo pervenerunt, quo commodius atque abundantius, admirantibus omnibus, peregrini hospitio recrearentur.

Complures ex nobili loco nati huic anno interfuerunt, et peregrinorum numerus is fuit, ut Pontifex ne quis moerens ab Urbe proficisceretur, optimum factu putaverit, si pluries ex editiore Petriano porticu solemniter populo in magna platea incredibili laetitia gestienti omnia fausta a Domino precaretur.

Satis sit dicere, inter innumeros alios fuisse et ipsos Etruriae principes, Mirandulae et Norimbergae. Ad haec populus romanus summo quoque honore suscepit Margaritam cum Maria, Deo dicata, ex augusta Sabaudiae domo, quae, demissa franciscali veste induta, Romam pervenerant, atque in domo oblatarum sororum S. Franciscae Legiferae versatae, modice vivebant.

Annus sanctus quintus decimus.

Annum a Clemente X P. M. rite inchoatum ac profligatum, insignem admodum reddiderunt sollemnia quae identidem, adstantibus episcopis, iussu Pontificis in Urbe fiebant, ut aliquot Beatis, quos inter undeviginti Gorgomienses fuere, Christianae fidei martyres insignes prodigiis, splendidi honores decernerentur.

Si autem Pontifex, aetate iam adulta, hisce pietatis singulis ritibus interesse haud potuit, ut sui mox decessores consueverunt, prolixa utique largitate in peregrinos enituit, qui ad sanctisssimae Trinitatis versabantur, eisque humiliter pedes lavit, aureumque nummum generose adtribuit.

Decies centena millia peregrinorum, hoc sancto anno labente, religiose Romam petierunt, et, quod caput est, nonnulli a pravis opinionibus ad catholicam professionem fuerunt deducti; inter hospites Christina, Suetiae regina, et Badensium princeps inscripti sunt.

Annus sanctus decimus sextus.

Quoniam hic annus sanctus pulcre cum anno saeculari componeretur, Innocentius XII, tum Pontifex Maximus, optimum factu reputavit, maiore cultu et sollemnioribus ceremoniis esse celebrandum.

Verum, ob gravem aetatem et ipsius senectutis incommoda, publicis sollemnibus ipse non potuit interesse; ac propterea Emmanueli Theodosio De la Tour, Cardinali itemque suburbano Episcopo, procuratoris curam detulit. Sabbato vero ante diem dominicum, cui est nomen *in Albis,* ex aedibus Quirinalibus profectus, Pontifex, more supplicantium maximaque pompa, sancti Petri aedem invisit, atque e summo Pontificali porticu, inter festivum machinarum bellicarum fragorem aeneumque sacrorum templi sonitum, Urbi et Orbi est omnia fausta sollemniter adprecatus.

At quinto kal. Oct. Innocentius fato cessit, in cuius locum est Clemens XI rite evectus.

Quum autem ob magnam Tiberis exundationem, atque ingentem hominum multitudinem, nonnulli in flumen delapsi miserrimam ibi vitam finierint, Pontifex, ne quid in posterum mali accideret, complures navicularios, apud pontem ad omnium incolumitatem sapientissime disposuit. Memoratu digni, Romam inviserunt Cosimus III, Etruriae Princeps, et Maria Casimira, Ioannis III Pannoniae principis vidua.

Annus Sanctus decimus septimus.

Magnis equidem ritibus Iubilaeum hoc celebravit Benedictus PP. XIII anno millesimo septingentesimo vigesimo quinto; huic ampliorem cultum addidit

Concilium a Pontifice in Lateranensibus aedibus coactum; cui complures Episcopi Sanctae Sedi « immediate » subiecti, ex omnibus undique regionibus acciti, splendide interfuerunt. Incredibilis quoque fuit peregrinorum concursus, maior equidem factus ob praesentiam, praeter omnium opinionem, tercentorum circiter captivorum, qui, a « Missionariis » in libertatem e Saracenis vindicati, excalceati Basilicas solemniter perlustrarunt. In signum amoris gratique animis donavit eis Pontifex ingens anni sancti numisma.

Interfuit grandis Batavorum Elector, et dux Ursinius, filius fratris Pontificis.

Annus sanctus decimus octavus.

Ex iussu Benedicti XIV. P. M. duo ex duodecim viris litibus iudicandis, in vestibulo S. Petri, hunc annum sanctum ediderunt, quem Pontifex Max. maximo quidem apparatu celebrandum curavit. Memoratu dignissimum, quod universus Franciscalium Sodalium conventus, cui ipse Pontifex interesse voluit, et in quo Pater Molina, Summus Ordinis Magister eodem tempore est renuntiatus, compositis rite supplicantium agminibus, singulis utique per provinciam distinctis, mira Romanorum advenarumque laetitia, processerit. Ut tute ipse mente adstantium multitudinem assequaris, satis sit dicere parum obfuisse, ne pater Leonardus a Portu Mauritio, cuius nomen omnium iam sermone percrescebat, pene suffocaretur, nisi praesenti auxilio milites adfuissent, qui eum a mortis periculo eriperent.

Complura admodum peregrinorum agmina fuerunt, de quibus quatuor millia quotidie Sanctissimae Trinitatis Sodalitium hospitio recepit.

Inter celebriora peregrinantium agmina enituit Vindobonae civitatis conventus, cui obvia fuit vel extra moenia Sanctae Mariae sodalitas; et Spoleti, quem ipse Episcopus duxit, poenitentium habitu indutus atque excalceatus.

Huic Iubilaeo interfuit Wilelmus Cauvan, Antillarum patricius, qui nomine suo ac suorum Pontificem est veneratus; et princeps Esterazi, e Germanorum stirpe prognatus, cum uxore.

Annus sanctus undevicesimus.

Clemens XIV indixit equidem annum sanctum in millesimum septingentesimum quintum et septuagesimum, sed repentino morbo correptus, Pio VI, successori suo, absolvendum reliquit. Qui, etsi iam eae res in Europa agitarentur, quae omnium ferme imperiorum quietem perturbarent, attamen, novo quodam caeremoniarum splendore, hunc annum illustravit, et maiorem in dies ad Urbem populorum numerum accivit. Inter multa egregia facinora laude in primis hoc dignum fuit, Pontificem, equae candidae ex antiquo more insidentem, Lateranum templum adivisse, amplissimam illam honoris sui sedem, et per Portam Sanctam ingredi sollemniter voluisse.

Quo vero facilius omnes peregrini universam admissorum veniam assequerentur, praeter omnium consuetudinem, proposuit, ut eadem gratia perfruerentur qui modo templum Sanctae Mariae super Minerva inviserent.

Immensus admodum fuit etiam hoc anno vertente peregrinorum numerus; et ipsa modo Sanctissimae Trinitatis Sodalitas, intra dies tres centum et triginta millia peregrinorum et amplius hospitio recepit.

Romae interfuerunt inter ceteros duo Germani Imperii Electores, Regis Angliae frater, filiusque fratris Borussiae regis.

(*Ad proximum numerum*).

IUNIOR.

Discipulus est prioris posterior dies.
Cui plus licet quam par est, plus vult quam licet.

P. SYRIUS.

IN FESTO BEATI PETRI

DE ROMANIS PONTIFICIBUS

(*Ex scriptis* MAURI RICCI).[1]

Romuleum periit robur, ceciditque superbum
Troiugenum genus, Ausoniae quo pinguia culta
Ingentes dederant ferro vastata ruinas,
Turbine bellorum postquam est dominarier ausum,
Horrisono ac tellus tremuit convulsa tumultu.
Iam loca tuta silent, nec fraena ad proelia mandit
Hinnitu bellator equus ruiturus in hostes,
Quos acuit clamorque virum, clangorque tubarum.
Pulcra magis visu placida sub pace quiescens
Salve, Roma potens, sanctis decorata triumphis,
Quos non ulla valet tenebris abolere vetustas.
Laetior assurgens mons Vaticanus ad auras
Haud gladios praefert, fratrumve horrenda cruore
Arma, sed imbelles claves gemmamque portentem;
Excelsique sedent candenti veste decori
Pontifices, tria gestantes in vertice regna,
Quique effata, prius nullis audita, recludunt.
Cedite, quaeso, locis animaeque umbraeque virorum,
Quorum fallaces spirant fallacia musae;
Nam nova percipient dociles praesagia gentes,
Ac discent quae verba sonent, quae deinde sequantur
Fortia facta, aevi longos memoranda per annos.
Namque acies contra, minitantis et ora tyranni,
Impavidi sistent: magno sit gloria Petro
Efflavisse animam atrocis non ense Catonis,
Cum libertati nescit superesse latinae;
Sed crux hunc tollat, pro relligionis amore.
Discite, Pontificum proles oritura magistro,
Qui maneant casus, et quae sint dura ferenda.
Nam saepe heu! vestro turgescent sanguine rivi,
O Patrum spectanda manus! perculsa securi
Ecce rubet cervix aliis, aliosque repente
Dentibus infrendens, laqueis vix bellua fractis,
Dilacerat, sanctosque trahit crudeliter artus.
Horrida nec miseri stultae spectacula plebi
Aut gemitus edunt, neu poenas voce reposcunt.
Cur laudatur adhuc absorptus Curtius igne,
Dum strident vomitae, saliuntque voragine flammae?
Scaevola cur vivit, palmam quod gesserit ustam,
Extollitque virum numeris aeterna poësis?
Mendaces vatum linguae! ipse haec maxima dicam,
Vatibus ipse minor totum vivenda per aevum,
Carpere nec patiar tantas oblivia laudes.
Sed tacuere minae, caedis stetit impetus: altum
Altius assurgat carmen. Trepidantque, ruuntque
Imperii reges, qui sub diademate tutum
Erexere caput, contraque stetere Tonantem.
Scande gradu devicta, Pater, Capitolia; venit
Tempus, quo sanctis societur clavibus ensis,
Et sacra quo dominae Fidei iam pompa nitescat.
Certatim populi, defluxo et poplite reges
Te nomenque tuum venerentur, et osculo figant:
Indutique stolis stent centum utrimque ministri,

[1] Cfr. fasc. huius anni I, pag. 10.

Centum habeant claves reserantes oppida et [urbes,
Per mare, per terras, rapide ceu fulgurat ignis.
Tu caelos terrasque vocans rex atque sacerdos
Haud falso Omnipotens cunctis orabere votis.
Tu pauper, nitido at frontem circumdatus auro;
Tu famulus, tamen immensus tibi serviet orbis;
Tu verbi panem frangens sermone pedestri;
Sed tua mens aquilae tanget sublimia pennis.
Iam vatem, Hildebrande, rapis quo Tuscia [gestit,
Aerea vis animi, flammas iaculata Chimaera,
Crimina cum terres, mores pellisque pudendos;
Fulmina cumque irae vibras, quibus exul, [inermis
Deiicitur solio foedatus caede tyrannus;
Perque Alpes, rapida resonantes ungula equo- [rum,
Advolat, ut precibus maledicta minasque re- [tundat.
Tollat io plaudens, iterumque iterumque Sa- [cerdos
Clamet io; vicit, domuitque potentia Petri.
Surgere iam video fortissima pectora Iuli,
Qui spumantis equi tundit calcaribus armos,
Proelia sancta gerens, iuris defensor honestus,
Vel sedeat iudex, pugnans vel currat ad arma.
At si compositae conquirant otia gentes,
Tum Michaël, divus mage quam mortalis, in [Urbe
Marmore vel tabulis pinget miracula visu,
Quae praesens aetas memoret, venturaque [poscat.
Iamque viam celerans tu dein fastigia scandes,
Albo vectus equo, phaleris fraenisque decoro,
Nomine dicte Leo, ingenio sed mitior agno,
Qui decus artificum, quibus Itala gaudet [alumnis
Ora, feres verbis opibusque ad sidera caeli.
Tu, Raphaël, silvas patriaeque cubilia lin- [quens,
Cum Christus, facie conversa, in culmine [montis,
Et nive candidior, mulcenti et lenior aura
Splenduit, in tabulis referes, altissime quotquot
Spectandas ponent unquam, aut posuere fi- [guras.
Quis tamen omnigenas breviter complectier [ausit
Sideribusque pares, et quas agit Eurus arenis,
Pontificum laudes? noscant teneantque ne- [potes,
Non, volvente die, lapsas, sed clarius auctas,
Usque revicturas; robur dabit ipsa ruina...
Nam prius errabunt converso flumina cursu
Quam Stygii valeant ictus confringere summae
Stantia tecta domus, circum quae mille ge- [rentes
Ignea tela manu, Christo ductore, catervae
Alternos agitant clypeos et proelia clangunt!

EX ITALIS URBIBUS

De Coenobio, cui est nomen « La Sacra di S. Michele »

In valle Segusina, et super monte *Pericchiano*, ad quintum decimum circiter lapidem ab Augusta Taurinorum, est memorabile ac vetustissimum monumentum, vulgo dictum; *La Sacra di S. Michele.*

Omnes qui ex Alpibus Cotiis peregre Italiam ingrediuntur, grandem hanc molem admirantur, et suavem quandam pectoris voluptatem subito accipiunt, mente forte volventes quae multa de illa ex historiis resumuntur. Nihil equidem est pulcrius, nihilque amabilius quam hoc primum Italiae propugnaculum salutare, et per ubertissimam latissimamque vallem ad Italicas pulcritudines accedere.

Hic etiam locus nos monet, saepe saepius Italicae libertatis osores supremam vindictam invenisse, et claustrum exstitisse ad conatus hostium repellendos, qui nostris rebus adlecti, hanc sibi viam aperire studebant.

Attamen, per viam paucis cognitam Carolus Magnus ex improviso in Longobardos adgressus, insignem illam victoriam retulit, ob quam brevi universae Italicae ditionis est postea potitus.

In tutissimo hoc loco, nunc ad religionem unice dicato, est Coenobium Sancto Michaëli sacrum. Pauca admodum de eius origine ad nos pervenerunt testimonia. Memoria tamen proditum est, labente saeculo decimo, Hugonem quemdam natione gallum domoque patritia, redeuntem ex Urbe, ad sua admissa expianda id fecisse, ubi iam adiuncta exstabant.

At quum ab initio, opportunitatis causa et loci amoenitate, in monte e regione aedificari coeptum esset,[1] noctu, Angelorum ministerio, uti proditum est, omnis in alterum montem materies ferri iterum videbatur. Quamobrem, divina sic voluntate, illic demum Sacrarium aedificari iussit.

Et divina veluti virgula excitatum, brevi admodum tempore, universum opus perficitur. Nec quum esset Deo dicandum, Angelorum praesentia denique defuit. Ipsi enim, uti fama perhibetur, Amisoni, tunc temporis Taurinensium Episcopo, qui in eo erat ut ad montem pergeret, divinitus adparentes, monuerunt templum per Angelos iam sacratum fuisse. Re enim vera, per noctem superiorem, multis corruscantibus signis, inter suavissimos caelestium cantus templum dicatum est.

Nec mirum sane, si tot magnarum rerum miraculis rite adprobatis, Sylvester II Pontifex Maximus permotus, pluribus illud in dies sacris privilegiis decoravit. Namque virtute hominum ac nomine percrebrescens diu multumque floruit, et quamvis perpetua bella regiones proximas dilacerarent, ac piorum religionem turbarent, et anno millesimo ducentesimo flammis absumeretur, tenaci tamen principum voluntate populique inconcussa firmitate in pristinum est denuo redactum.

At labentibus annis, suffragante Gregorio XV, ob difficiliora tempora atque exiguum religiosorum numerum, ne loci devotio omnino deficeret, Coenobii cura Canonicis *Iaveni,* qui vicus est haud ita longe positus, fuit permissa.

Locus autem conspicuus, caeli aërisque salubritas, totque rerum memoria illustris et luculenter a gravibus historicis ac pictoribus decoratus, hodie etiam curiositate quadam animique suavitate frequenter ab incolis atque advenis invisitur.

Anno saeculi elapsi quadragesimo, adnitente potissimum Carolo Alberto, Subalpinorum rege, ad Coenobii curam fuerunt acciti viri religiosi, qui Antonium Rosmini patrem legiferum sequuntur; ea modo fiducia, ut tanti viri fama atque industria, Coenobium illud ad antiquum splendorem aliquando revocaretur.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas!

Sed multum frustraque adlaboraverunt, et in aedibus illis, quas centum et amplius religiosi olim colebant, nunc unus et alter ad templi cultum remanet.

Est tamen semper frequentissimus beatiorum hominum conventus. Illuc enim, adpetente aestate, usque ad autumnum, multi ex Augusta Taurinorum, summo mane, relictis negotiis, adveniunt, et

Largior hic campos aether et lumine vestit
Purpureo solemque suum sua sidera norunt.

Qualis est autem ex illo monte rerum adstantium adspectus! Quae innumera hominum clarissimorum memoria, qui hosce locos scriptis decorarunt! Hinc quoque universus rapidusque Duriae Ripariae fluminis cursus cernitur, et innumerae opificum officinae, vi aquarum actae prosperitatem adferunt atque incolarum divitias augent. Utinam ipsi humanarum rerum instabilitatem noverint, ac tempore felici

[1] Hic mons vulgo appellatur a tunicato popello *Musinè.*

nimis ingenio non indulgentes, parsimoniae aliquantisper inserviant, ut ita temporum difficultatibus facile suo aere consulant!

Ex prospicientibus parvulus etiam vicus adparet *Chiusa*, qui valli nomen dedit, et gloria antiquitatis viget, summoque in honore vigescit! Illic enim Italiae hostes complures duriter occubuerunt, quum Adelais, Segusii marchionissa, nupsit Oddoni, vallis Maurianae comiti. Quo facto Allobrogici principes Italiae claustra sibi primum aperuerunt.

Haud abs re erit fortasse et in medium proferre quod apud nos ore omnium pervulgatur, et omnes vel acerrimi iudicii scriptores narrant, et inter advenas multis sermonibus adseritur. Et ipse Caesar Balbus, gravissimus ille vir, qui Italicarum historiarum et memoriae patrum acerrimus adsertor fuit, hanc rem ceteroquin levissimam referre haud dubitavit.

Apud S. Michaëlis coenobium est praeceps quidam locus, cui est nomen italico sermone: *Il salto della Bell'Alda*. Dicitur enim pulcherrima quaedam virgo, cui erat nomen *Alda*, quadam die, ut pravorum hominum insidias effugeret, qui eius virtutem minis tentabant, quum nullum iam ei esset remedium, Beatae Virginis patrocinio innixa, sese ex illo monte praecipitem dedisse. Divinitus ita elapsa ex iniquorum manibus, incolumis humi pervenit. Quo facto virgo illa per omnium ora gloriose volitabat. Verum quum brevi quidam rem in dubium revocarent, imo in calumniam verterent, virgo Alda levitatis gloriola abrepta, eandem rem tentare non abhorruit. At, miserum in modum, vanitate sua punita, in diversas est partes discerpta. Sic vitam pulcherrima Alda finivit.

Hactenus S. Michaëlis coenobium, quamquam vetustate et squallore deformatum, duravit: utinam aliquando novis accessionibus in priscum splendorem restituatur!

SENIOR.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De novis vocabulis in latinum sermonem inducendis.

ANDREAS AVENARIUS S. V. D., EMMANUELI JOVÉ sal.

Mirifice delectatus litteris, quas pridie nonas Apriles per Italiam dederas, et fraterno, quo scriptae erant animo, propinquis iam kalendis Iuniis properaveram respondere. Miratus eris, quid acciderit carmini Fontii, familiaris nostri. Recte pervenit in manus meas, non minus, quam ea, quam ante ad me miseras cartula. Quibus ego significationibus amicitiae statim respondens propriam epistolam publice Vicum miseram. Sed quid factum est? Aliquanto post redhibetur signata « Vici Barcellonae VII kal. Apriles » ornataque verbo Gallico, non minus sicco, quam tristi: *Inconnu*. Ergo saltem signum postale domicilii tui obtinui!... Sunt etiam ad manum illae litterae, quae, simulatque aliquis docuerit, quid accuratius in earum scribendum sit involucro, iterum Pyrenaeum saltum transibunt.

Iam breviter de novis agamus vocabulis. Quattuor, solvens debitum, obtulisti Germanica in *um* exeuntia.

Quae quum vidissem, frustra reprimebam risum. An non dixeram in superiore epistola multa vocabula extera in ore esse Germanis? Quibus iam saepe indictum bellum est, sed nunquam acrius, quam post « ardorem mundi », h. e. post bellum gentium. Ex eo genere sunt ista, quae exhibuisti, omnia: *centrum* est vox Graeca, « studium » Latine dicimus; *gymnasium* Graece; *harmonium* Graece. Acriuscule cogitanti una occurrit vox, quae huc attineat: *sammelsurium*, quae significat acervum rerum variarum male compositum: est fere illa Ovidii *rudis indigestaque moles*. Sed hoc ipsum nomen, propterea quod exit in *ium*, iocose quiddam sonat nostris auribus externum. Sed relinquamus ista, ut veniamus ad alia vocabula.

Quod quaedam tibi probantur a me proposita, valde gaudeo. Explicato abs te *radiaculo* plaudo. *Pelliculationem* tamen fateor mihi videri inventam audacius. Sed si iusseris dare me melius, me fatebor nescire. De *re* igitur *pellicularia* etiam in posterum cogitabimus. Et utinam aliquando aliqui sententiam aperiant suam ex illis, qui, quae nos duo scripsimus, nobiscum ex ALMA ROMA legunt. Nam tritum illud: *Quot capita, tot sententiae*, etsi plerumque interiectio desperationis est; tamen etiam interdum varietas sententiarum esse poterit, bonarum, quibus in optima quaeque aperiatur via.

Iam novarum turbam vocularum offundam oculis tuis, tui iudicii cognoscendi causa, quae partim interrogatus, partim mecum ipse loquens exprmopsi.

Interrogatus, qui extinguerent exorta incendia, respondi: *Incendiales;* quid esset *relais* in re vehicularia « permutationem equorum »; in *telegraphia*, « supplementum, augmentum, additamentum, auxesin ».

Turbinam, « turbinem » dixi; aream, ex qua aëronautae ascendunt, Gallicam vocem imitatus, *aërodromum*, quum esset etiam « hippodromus ».

Dentistae nominantur, qui reficiunt dentes hominibus, et impenso saepe reficiunt pretio. Hos Fornarius *odontoiatras* Graece appellavit in quibusdam ad me litteris. Sed, si pontifices dicimus, opifices, aurifices, carnifices, cur non item mihi liceat « dentificem » dicere et « dentificinam », et « artem dentificiam? ».

Loquor nuper cum quibusdam discipulis meis latine, et quidem de operibus matutinis post lectum faciendis. Dicunt quosdam cubantes tegi operimentis laneis, alios saccis plumis refertis; quid ego non appellarem eiusmodi operimenta: « tegumenta plumaria? » Sed in eodem sermone haerebam, quum ventum esset ad « camisiolam ». Sic enim ego appellare institui illum pannum nigro colore, quo discipulis nostris pars collaris albi et pectoris tegitur, quem pannum nos *Vorhemd* vel *Kollar* vocitamus, quem is, qui domi nostrae praeest linguae Gallicae, Gallice *chemisette* appellari respondet.

Tacebo quum unum adiunxero. Diu et multum stando pedes adeo sunt depressi mei, ut opus sit fulcris. Usus igitur eram fulcris metallicis, quum nuper mihi commendatur *Pneumette*. Venit Monachii, et est solea ex corio facta, assuto vel agglutinato apte gummeo pulvillo, qui parvula antlia pneumatica sufflari potest, molliter ut quiescat in calceo pes. Ea igitur res, ut significatur aliquo vocabulo Latine: « solea sufflabilis » vel « solea pneumatica » a me coepta est appellari.

Habes in praesentia, quae rideas et iudices, iudicia mecum ut communices. Et Fontium meis verbis iube salvere.

VI Kalendas Iunias.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Obedientia - Obsequium; Obtemperatio.[2]

Obfuscare - Infuscare.

Obire mortem (morte) - Perire; Mortem oppetere.

Obiter - In via; In itinere. - Leviter (Breviter) tangere, etc.

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *In vim sanctae obedientiae:* Sanctiore pro imperio (potestate).

Obligatum esse (*alicui de aliqua re*) – Acceptum cuipiam referre; Aliquid summi beneficii loco ponere (numerare). [1]

Oblivioni tradere – Oblivione aliquid exstinguere; Memoriam rei alicuius deponere; Oblivioni dare; Oblivione sempiterna delere.

Obnixe (*rogare*) – Enixe rogare; Obsecrare; Omnibus precibus orare (petere).

Obsidium – Obsidio.

Obstaculum – Impedimentum; Difficultas; Mora.

Obtenebrare – Obscurare; Tenebras obducere.

Occidere se – Cfr. *Interficere.*

Occupatum esse – Negotiis distineri (distringi); Impediri; (premi) aliqua re; In negotiis (Multis operibus) implicari – Otium non esse alicui.

Occurrere (*apud ...*) – Esse; Legi; Inveniri. [2]

Octava (*festi alicuius*) – Octava ab festo dies; Festi octavus dies; Sollemnia octavi diei.

Octavarium – Supplicatio dierum octo (in octavum diem).

Octodecim; Octavus decimus – Duodeviginti; Duodevicesimus.

Ocularis testis (*fui*) – Hoc oculis meis (ipse) vidi.

Odorosus – Bene olens; Odoratus.

Oeconomus – Dispensator; Curator sumptibus coercendis.

Officiositas – Officium. [3]

Omnes usque ad unum – Ad unum omnes.

Omni ex parte – Usquequaque.

Omnigenus – Omnis generis; In omni genere.

Omnimode; Omnimodis – Omni modo (ratione); Omnibus modis.

Omnipotentia – Magnitudo potestatis infinita; Immensa (Omnium rerum) potestas.

Opinionem (*bonam* sive *malam*) *habere de aliquo* – Bene *sive* Male sentire (existimare) de aliquo.

Opus habere aliqua re – Alicui opus esse aliqua re.

Ora (*libri*) – Margo.

Oratorium – Sacrarium; Asceterium. – Sodalitas. [1]

Ordinare (*aliquem sacerdotem*) – Aliquem sacerdotem consecrare; Aliquem sacris ordinibus initiari (inaugurare); Aliquem Deo ministrum dedicare (mancipare; vindicare). [2]

(Ad proximum numerum).

I. F.

[1] Itaque: Ita credam, tulisse me tantam gratiam, quanta potest esse maxima; Me addictum (deditum; adstrictum) tibi in perpetuum habebis; Id si feceris, magnam a me inibis gratiam, etc.

[2] Ex. gr.: Hoc vocabulum apud Ciceronem non est, etc. – Bene vero: Aliquid occurrit; Occurrit in mentem (animo).

[3] Sed optime « officiosus ».

[1] Ex. gr. « Sodalitas Philippiana », nempe a S. Philippo Nerio *Oratorii* nomine condita.

[2] *Ordinare aliquem subdiaconum – diaconum:* Sacris epistolis – Sacris evangeliis aliquem initiare.

ANNALES

Minorum Europearum nationum conventus.

Bucarestinum primis superioris Maii mensis diebus, minorum Europaearum nationum legati convenerunt, ut de rebus quae ipsas maxime attingerent, simul disceptarent. Postquam amicitiam suam cum Polonia et Graecia confirmarunt, Bulgariae commune auxilium promiserunt, quum constiterit Bolscevicorum periculum gravius illic imminere; Hungariam monuerunt ne ultra ad amissas provincias recuperandas niteretur, Austriamque ne ad imperium unum cum Germania coniungendum intenderet; denique tutelae ac

praesidii pactionem expenderunt, quam Genevae, apud nationum societatem, proponere eorum in animo est.

***

A novo Germanicae reipublicae praeside imperium assumptum.

Berolini, Hindeburg, Germanicae reipublicae praesidi renunciato, summa imperii tradita sollemniter est, isque fidem suam novae civitatis constitutioni iuravit, administrosque omnes in suis muneribus confirmavit; quod quidem tutum indicium apparuit, posse omnes anxietates ab eius electione exortas, nunc saltem iure sedari. Certe tum Galliae, tum Angliae ingratum cessit a peritis cognoscere hoc anno Germaniae ultra dimidium summae, ad belli expensas sarciendas ei adtributae, solvere, civitati illi impossibile revera esse futurum.

***

Mauritanae procursationes.

Gallos interim curarum taedet, quas Mauritani recens attulerunt, ob improvisas in eos procursationes. Ex munitis locis obsessi Galli primum strenue restiterunt; deinde, ad offensionem versi, in turpem fugam rebelles verterunt. Hi tamen nondum ad quietem omnino rediere; ex quo Socialistarum pars, gubernio infensa, nomen sumpsit ut ei acriter obstaret; sed probabile est administrorum collegium animum aliorum omnium popularium legatorum pariterque et senatus sibi conciliaturum, eo magis quod aperte declaraverit, Vaticanam legationem, ex cuius abrogatione tot discordiae exarserant, a se iri servatum.

***

Sinensium motus.

Ex Sinis necopinato nunciant motus illos in exteros cives esse resumptos, ex quibus tot caedes et bellum, aliquot abhinc annis, orta sunt. Sperandum est fore ut huiusmodi nuncii amplificati ad nos usque pervenerint; aut saltem, ut opportunae rationes adhibeantur, quibus facile luctuosi illi tumultus ex initio omnino suffocentur.

***

Ex aedibus Vaticanis.

Magno cum peregrinorum concursu, maximaque tum civium tum advenarum pietate Romae iubilaei volvitur annus, qui his diebus sollemnia maxima attigit. In aedibus enim Vaticanis, immensa coram multitudine, Pontifex Maximus in Sanctorum album retulit Mariam Franciscam Theresiam Martin, puellam illam ex sanctimonialium Karmelitarum familia, sororis Theresiae a Iesu infante nomine-cognitam et apud gentes omnes per orbem celebratam; Petrum Canisium e Societate Iesu, Magdalenam Sophiam Barat, Magdalenam Postel, Ioannem Eudes et Ioannem Baptistam Vianney, parochum vici *Ars* in Gallia. Ab hisce sollemnibus occasione arrepta, amplissimum, plaudentibus omnibus, renovatum est spectaculum, quod quinque supra quinquaginta ab annis vehementer desiderabatur, illustratio nempe Vaticanae basilicae frontis ac tholi, albis laternis primum, ac deinde, momento temporis, admirabili visu, additis facibus.

Kalendis Iuniis MCMXXV.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

Petrus Canisius e S. I. inter Romanae Ecclesiae doctores relatus.

Uno eodemque tempore, quo, die XXI mens. Maii MCMXXV, Pius XI P. M., in Vaticana basilica, Petrum Canisium, sacerdotem e Societate Iesu, ad suprema

Sanctorum fastigia evexit, eundem inter Romanae Ecclesiae Doctorum numerum accensebat, sollemnia verba effatus, quae operae pretium est integre in nostris paginis referre:

Ecclesiam sanctam Christus Dominus quum, suae promissionis memor, opportuno nunquam adiumento destituat, tum calamitosissima quoque tempestate summos sanctitatis laude viros excitare consuevit, qui *potentes in opere et sermone*, regnum suum in terris fortiter tueantur lateque proferant. Ita, maxime necessario rei christianae tempore, clarissimus ille fidei et defensor et apostolus exstitit, Petrus Canisius; in quo quidem apparuit, quam vere dicatur, novum Ecclesiae militanti per Ignatium Loyolaeum a Deo datum subsidium. Hic enim nascentis societatis Ignatianae eximius alumnus non uno nomine Iesu Christi Sponsae laboranti profuit. Profuit quidem omnium exemplo virtutum in quibus, a pueritia ad extremam usque senectutem, tam mirabili ascensione profecit, ut maximam aequalibus suis admirationem moveret. Profuit etiam litterarum scientia exquisitissimaque divinarum rerum doctrina, quam Scripturis sacris operibusque Patrum assidue pervolutandis alebat; quod autem quum plena theologiae positivae, quam vocant, cognitione Scholae sententiarum lumina coniungeret, non est cur miremur, eundem, ad oppugnandos immanes haereticorum errores, armatissimum sane militem in aciem descendisse. Profuit denique susceptis toleratisque, quinquaginta fere annos, omni sibi quiete interdicta, laboribus; etenim, per eam temporis diuturnitatem, quemadmodum cleri disciplinam populique mores – eorum etiam animis, qui christianae societati praeessent, ad vigilantiae diligentiaeque studium exacuendis – restituere contendit, sic haeresi, et vitiis quae viam ad haeresim sternerent, adversari nunquam destitit.

Itaque sanctum hunc novensilem, qui – eo ipso anno in Geldria ortus, quo Ignatius in Hispania ad bonam se frugem perfectiusque institutum recepit et nonnullarum Germaniae provinciarum ab Ecclesia Romana induci coepit discidium, – vetustae Batavorum gentis candidum tenacissimumque referebat ingenium, non tam Ignatii Patris propiorumque moderatorum, quam Summi Pontificis iussa ad id munus destinavere, ad quod, prope sepulcrum Petrianum in hac ipsa templi maiestate orans, se, quasi alterum Bonifacium, divinitus vocari intellexerat. Quum autem probe nosset, nescire tarda molimina Spiritus Sancti gratiam, umbratilem carissimamque domus suae religiosae palaestram deserens, athletae instar in pulverem et solem prodeuntis, provinciam sibi delatam capessere, nulla interposita mora, properavit. Luctatorem sane animo promptissimum non difficultates sexcentae, non vitae discrimina, non inimicorum insidiae, non indignitates contumeliaeque, non itinerum incommoda, cum ieiuniis vigiliisque coniuncta, ab incepto deterruerunt; secum enim ipse reputabat, Apostolos Christi a conspectu concilii gaudentes abisse quoniam digni habiti erant qui pro nomine Iesu contumeliam paterentur, et omnes, qui pie voluissent vivere in Christo Iesu, persecutionem esse passuros. Populares igitur catholicos in fide confirmavit et haereticorum ad Ecclesiam reditum perseveranter adiuvit, sive alumnos sibi creditos docuit, sive in aedibus sacris contionatus est, sive cum novatoribus aut in athenaeis aut in publicis consessibus aut in foro, quotiescumque fidei morumque integritatis causa agebatur, disputavit invictus. Quod autem Canisium adversarii *canem* per ludibrium cognominabant, id profecto in eius laudem atque honorem cedit: etenim, quasi canis fidelis, eos omnes, qui dominicum gregem appeterent, non tam clamando quam repugnando disiecit. Ubi autem sibi adesse praesenti et alloquenti non licuit, illuc scripta sua pervenerunt, mirabilis ille praesertim Catechismus, qui, in omnes paene linguas conversus atque in totum terrarum orbem, inque eas regiones potissimum quibus extremum haeresis periculum immineret, invectus, germanae catholicae doctrinae peperit victoriae laetitiam. Nec minus ad eiusdem doctrinae tuitionem contulerunt Canisii vel epistulae, in plura nunc volumina collectae, vel scripta in Centuriatores edita, quae, etsi, ob urgentiores causas, moderatorum iussu, intermissa sunt, incitamento tamen immortalis memoriae Cardinali Baronio fuere, ut in huius ipsius locum, suorum Annalium compositione, succederet. Alterius quidem post Bonifacium Germaniae apostoli praestantissima sane doctrinae copia ac gravitas, a decessore Nostro Leone XIII, per Encyclicas Litteras, ante annos septem et viginti, iis celebrata laudibus, quae vir eum decere viderentur cui Doctoris appellatio nondum decreta esset, Nobis omnino suasit, ut Canisium una eademque sententia et inter sanctos caelites et inter Ecclesiae Doctores adscriberemus, quemadmodum paulo ante fecimus et per Decretales Litteras mox conficiendas declaraturi item sumus: quod ut iniremus consilium, impulere praeterea postulatoriae, quas vocant, epistulae, a compluribus episcopis, faculatibus theologicis et studiorum Universitatibus ad Nos haud multo ante datae. Quum, ceteroqui, Sancti huius Doctoris novensilis actio et apostolatus ad gentes bene multas, ut ad Alsatiam et Helvetiam, ut ad Bohemiam et Poloniam, ut ad Austriam ad Hungariam et Italiam, pertinuerint, ubi etiam iuventuti instituendae, seminariis collegiisque conditis, mirifice prospexit, nonne videtur Deus ipse universis eum gentibus colendum imitandumque, veluti in signum unitatis et pacis, singulari quadam opportunitate, proponere?

Utinam nobis omnibus, triumphalem Redemptoris nostri reditum ad Patrem hodierno die recolentibus, auspicato contingat, ut, sancti Petri Canisii vestigia persecuti, eiusdemque patrocinio subnixi, partem tandem aliquando in sempiterno aevo cum Christo habeamus, cui sit laus et honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

Dolor animi gravior est quam corporis.

P. Syrius.

VACUI TEMPORIS HORA

Memini quondam me, quum de machina illa plerumque electride vel aqua acta, qua homines et res ad summa aedium transferuntur, sermonem instituissem, eamdem **scansorium** sive **adscensorium**, appellasse, a «scansione» et «adscensu» novo nomine novo invento deducto. Novum dixi inventum, at perperam; quae enim his diebus legi, iterum iterumque mihi confirmarunt nihil esse sub sole novi.

Aedepol! Archimedes iam anno ante Christum natum CCXXXVI huiusmodi ascensilem machinam construxisse dicitur, teste Vitruvio; neque cum celebri illo physices et matheseos magistro res periisse, si verum est, quod plures contendunt, Neronianas aedes tribus scansoriis instructas fuisse, et parvos pluteos in effosionibus Romanarum domorum repertos, ob lapides aliquot congruenter item dispositos, quasi ad verticalium ductorum fulcrum, per quos adscensoriis cellis transcurrere liceret, totidem pro iis idonea loca exhibere.

Neque satis; cuiusdam «sellae volatilis», a Gallo Velayer anno MDCC fabricatae, notitia reperta est: sessibulum scilicet erat firma fune vinctum, quae trochleam transiens, ex altero capite aequo pondere librare-tur. Addunt huiusmodi instrumentum nobilium atque divitum late tunc in usum cessisse, donec, casu quodam iniquo, qui principi foeminae regis filiae contigit, idem, tamquam periculosum, est relictum.

Denique et in ipsis Napoleonis I litteris scansoriae cuiusdam machinae mentio fit.

Temeritatem meam ita professus, cavebo in posterum, ne sim pronus nimis ad novas res enunciandas.

***

Et Anonymo alteri do locum, qui et me et Anonymum collegam suum et omnes qui in superiore fasciculo Ferrarii scriptum legerunt, monitos voluit, eundem auctorem longius latiusque et « moraliter » **de granadilla** scripsisse, in c. II lib. 2 *Florae,* uti sequitur:

« Ille diu a nostratis hortis omnibus hiulco florum ore suspiratus, ille e Peruanis ac Mexicanis longe disterminatis finibus accersitus, poëtarum ille canoro atque oratorum facundo plausu tandem exceptus, divini amoris manu vitalibus inscriptus doloribus, Granadillae flos, quem Indi *Maracotum* vocant, ut a mortalibus obitos pro Deo cruciatus in coronam transituros intelligamus; illud, inquam, floreum ac suave miraculum quotidiano spectaculo prope iam voluit esse universis. Vix est, qui praetera miretur, poenas degenerasse in florem, fortiter tolerantibus adulantem; extima per ambitum folia in aculeos extenuari, spineae coronae memoria molliter compungentes; ream pro nobis innocentiam in foliis albescere; pertaesa saevi laniatus cruenta flagra in floridae voluptatis purpuream telam redordiendam filatim retexi, ac superinduci; saxo in germen emollito, columnam ex atrio crudelitatis ad piam in flore medio structuram excitandam transmigrare; columnae imminere globosum rudimentum spongiae quondam felle imbutae, deliciarum aviditatem detergentis; modo ternos, modo quaternos exstare confirmatos capitatis e flaminibus clavos, animis amabiliter configendis aptissimos; unam crucis effigiem desiderari, quod extremam saevitiam floribus indoles mitissima repraesentare non audet; folium in lanceam exacui, sed innocentem, quippe retusam in ipsius vulnerato pectore charitatis; suavem denique ac medicatum fructum ad cordis imaginem rotundari, quum e divini vulneris flore vitalis fructus exstiterit, amantis Dei cor. Vix, inquam est, quem cura et cultura tangat floris plane admirabilis, in quo ipsi vernant, ac rident acerbissimi dolores. Si quem tamen non piget, imo delectat, salutis a Deo acceptae infinitum beneficium in floreas notas suaviter contractum grata recordatione relegere, eodemque mortalium animos immortaliter esse inscribendos, vel a floribus placet admoneri: si iuvat a funebri amoris flore salubrem saepe fructum colligere in cordis amabilem figuram, ut cordatissimos amantes faciat, conformatum; radicem ac folia, ne fallant indicia, praenoscito. Radix in luteum pallorem languida et geniculata inexturpabili foecunditate proserpit, sobolescit et fructificat: fictilibus vero claustris continere nescia per imum foramen in subiecti soli amplitudinem clandestino reptatu se penetrat: multiplici atque erratico gramineo lapsu latissime spatiatur. Folia quasi trigona sambuci roseae, seu potius lupi salictarii profundo incisu tripartita, maiorem mediam laciniam porrigentia, quaternas aut senas uncias longa, minutim serrata, laevia, tenuia, imbecilla, aliquantulum venosa, diluto colore virentia, inferius et etiam dilutiora, graviter olentia, alternis disposita, ternos inter se digitos dissita, lentum utilemque caulem praevelant; qui, quum vires sine adminiculo standi non habeat, quicquid claviculis, veluti manibus, nanciscitur, avide comprehendit, arduoque ascensu reptabundus et cameras ac pergulas operiens aestuantium Indorum hortenses caenas iucundissime inopacat. Nobis etiam cancellatim scansilem arundinem, sive virgeam structuram sequaci viriditate praetexens, Indicae regionis remotissimam umbram commodat. Atque hoc sane sapienter de more, congruenterque artifex natura caduco in flore lusit, ut qui divini Liberatoris servile suspendium eligentis acerbissimos cruciatus opere singulari velut miseratus exprimeret, in crucis formam decussata statumina pensilis adamaret ».

***

Iamvero tempus est ut SUBALPINUS per Gallum suum moneat:

Deo sint actae gratiae quam maximae,
Suos in primis nutriat quod filios!
Brevis sequens fecit doctus apologus,
Eos corripiens perperam qui deviant.
Primas me Gallum fere in pullis autumant,
Incedo solus saepe quod in area,
Et altum quatio caput cum cristula,
Ut olim milites ferebant galeam.
Verum si comedo, posita superbia,
Nec me demitti in pulverem iam videor,
Nec ita solus ad inania deprimor;
Uno nam cibos oculo respicio,
Secundum gratulans adverto ad sidera.
Siti quum stimulor, ad fontem venio,
Humorem flectens dum labellis sorbeo,
Levo caput, dicens semper: Deo gratias!
Dei munus est! Ultra quod profiteor,
Et omni tempore libenter praedico,
Et praedicabo, princeps donec nominor
In amplo sponte regno gallinaceo!
Vos sed mortales, rerum qui primordia
Largius nostis, imis in radicibus,
Cur hîc manetis? Ad excelsa tendite,
Fovete spiritus, ad Auctorem surgite,
Et mecum dicite gratias amplissimas
Ei qui cibum nobis dat quotidie.

***

Iocosa.

Tuccio Paccius:

— An unquam cogitasti quid antiquus quivis Romanus diceret, si nostris hisce diebus resurgeret?

TUCCIUS – Quid diceret? Ineptias profecto, stomachoso illo suo sermone latino, quas ne intelligere quidem valeremus, vel usi vocabulario et grammatice!

Tuccius Magistro ostendit nummum argenteum, quo pater, ob eius in studiis progressus, eum donavit.

Tum Magister:

— Eia! Profer cui naturae regno nummus iste addicatur.

— Diespiter! Regno italico!

***

Aenigmata.

I.

Condecorare solet *pars prima* virilia menta;
Urbano strepitu *pars* procul *altera* abest.
Miscueris rite si partes has, peregrinus,
Moribus incultis, vir tibi conspicitur.

II.

Sum verbum? Raucam vocem designo caninam.
Sum nomen? Fuge me ne spoliere bonis!

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Pugil-lar;* 2) *Lacus, Acus.* IOSFOR.

Libera a pittaciis responsa.

Cl. v. DU... ZUA..., *Valdobbiadene.* – Fasciculi quem desideras nullum iamdiu exemplar habemus. Frustra speravi usque ad hodiernum diem ab aliquo socio eum recipere posse. Ex his intelliges quanam praecipue causa humanissimis tuis litteris prius non responderim. Integrae an. MCMXXIII collectionis exemplaria aliquot supersunt.

Cl. v. EM.... IO... *Vici.* – Ex hodiernis Avenarii litteris novum tibi est argumentum claudicantis istic publici cursus. Fasciculum Februarii mensis ad te iterum misi.

Cl. v. RAPH.... PA..., *Neapoli.* – Porpuream?... Occiduo *velut* icta sole?... *Sicut* ingens, duo brevia.... *Suăve?*... Manus benedicet alba?...

CLERICIS GENUEN. E CONGR. S. – Suo tempore edemus.

Cl. v. I. G. MIELC..., *Chicagine.* – Per summam his diebus missam, de qua amplissimas tibi gratias habeo, rationes tuas exaequasti ad integrum annum MCMXXIV.

MOROSIS SOCIIS, NEC IISDEM PAUCIS PER ORBEM. – Ecquando vestras nobiscum rationes exaequabitis?

A SECRETIS.

PANCRATIUS [5

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

CORV. (*Postrema verba in scena remotiore audivit; nunc prodit, manu in Torquati posita humero*): Tune, Torquate, tam sero hîc ades? (*Clam*): Hic meus est!

TORQ. (*stupens*): Non te novi...

CORV. Corvinum non novisti scilicet.

TORQ. Corvinum? Praefecti filium?

CORV. Ipsum.

TORQ. (*timide*): Mitte me! haud mihi tempus est.

CORV. Non mittam, hercle. Manedum! Est quod tecum colloquar.

TORQ. Sero est!

CORV. (*circumspiciens*): Hoc, inquam, melius est.

TORQ. Verba fieri compendii volo.

CORV. Id tu videris, quantae rem morae feceris.

TORQ. Quin tu eam dudum eloqueris?

CORV. (*coniectis in Torquatum oculis*): Gratum audire fuerit, nisi forte unus ex Christianis sis.

TORQ. Quid te impellit hanc rem ut tu cogites? Nunquam ego...

CORV. Agedum, absolve quod dicturus eras.

TORQ. (*turbate*): Nihil equidem... nunquam me fecisse quidquam sceleris.

CORV. Pro sceleratis ergo Christianos habes, et recte, inquam.

TORQ. (*secum*): O me ignavum, me imbellum hominem!

CORV. Siquidem saepe audivi impurum Christianorum genus esse arti magicae imprimis deditum et omni flagitio.

TORQ. Tace!

CORV. (*altius*): Iam ante saecula in Aegypti agros sparsisse pestem, vexasse decies plagis magicis horribilem in modum homines ac bestias.

TORQ. Nimium est!

CORV. Etiam plus. Quidquid mali ingruebat humano generi, culpa fiebat Christianorum. Quin isti mortem machinantur principi. Plena superstitionis religio. Ipsis peior eorum confidentia est; sic videntur sibi sacra aqua tolli super principes.

TORQ. Nimium, inquam!

CORV. (*secum*): Irretitus est. (*Alta voce*): Illud vero inhumanissimum, quod nocturno congregati tempore occisi infantis ferocia diabolica carne vescuntur et sanguine.

TORQ. Hoc mentiris scelus!

CORV. Eugapae! Haec in praefecti filium vox mercede sua compensabitur. Sed tu, qui scis me dicere mendacia?

TORQ. (*magna voce*): Quia ipse Christianus sum, paratus vel mori.

CORV. (*retrogradiens*): Tu Christianus? Rectene audio Torquatum esse Christianum?

TORQ. Dixi. Iam me mitte!

CORV. (*clam*): Tene, tene! Cave hic aufugiat. (*Voce aperta*): Iam vereor, ne, valde quae tibi noceant, sim percontatus.

TORQ. (*cum fiducia*). Intrepidus rem sequor Christi.

CORV. Iam diu id tu facis?

TORQ. Nihil dicam. Christianum hominem non decet esse proditorem.

CORV. Tantum volo monitum. Ventus fertur nocturnus. Eamus domum (*Abit tarde, saepe retortis oculis*).

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

Andr. Haberl)

m in modum homines

Quidquid mali ingrue-
lpa fiebat Christiano-
machinantur principi.
igio. Ipsis peior eorum
entur sibi sacra aqua

uam!
titus est. (*Alta voce*):
mum, quod nocturno
isi infantis ferocia dia-
et sanguine.
scelus!
ec in praefecti filium
ensabitur. Sed tu, qui
ia?
Quia ipse Christianus

s): Tu Christianus?
um esse Christianum?
mitte!
tene! Cave hic aufu-
m vereor, ne, valde
percontatus.
. Intrepidus rem se-

facis?
Christianum hominem
rem.
monitum. Ventus fer-
domum (*Abit tarde,*

n).

Moderator, Sponsor.
LOTTIS VATICANIS.

N. XII - FASC. VII MENSE IULIO MCMXXV

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Iulio MCMXXV Fasc. VII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE MAURITIO JÓKAI

fabularum Romanensium scriptore

I.

Velut si Dei providentia gentis Hungarorum, mille annis labentibus, et praesertim post bellum gentium tot ac tantas aerumnas passae, damna compensare vellet, iam ineunte saeculo XIX virorum litteris clarorum imagines ante oculos civium posuit, ne inter tanta rerum discrimina de salute sua desperaret.

Sic anno MCMXXIII, ut alios omittam, redeunte anno centesimo ab eorum ortu, in memoriam revocati sunt Alexander Petöfi, poëta, ut quidam in Italia scribebat « aeternae iuventutis », et Emericus Madách, carminis scenici scriptor celeberrimus, de quibus in paginis *Almae Romae* eodem anno mentionem feci; anno vero MCMXXV monemur, ne Mauritium Jókai, fabularum scriptorem, cuius gloria semper vivet, silentio praetereamus.

Alexander Petöfi et Mauritius Jókai fere simul vitae cursum ingressi et usque ad anni MDCCCXLIX mensem Maium summa familiaritate coniuncti erant; sed illo ipso mense Petöfi, propter nescio quam falsam opinionem, amicitiam dissolvit, ita ut postea alter cum altero ne colloquuti quidem unquam fuerint.

Sed quum, arce Buda ab Austriacis recepta, in honorem militum in pugna occisorum Hungarorum epulae praeberentur, uterque iis interesse voluit. Mauritius Jókai, ut heroas laudibus efferret, assumpsit, poculumque iis propinavit, « qui deinceps pro patria essent morituri ».

Quae quum dicta essent, silentium altissimum est factum. Sed vix ea Mauritius Jókai fassus erat, quum Alexander Petöfi in extrema mensa surrexit, et « Gratias - inquit - tibi ago, amice, quod etiam mihi propinasti! » Et tum hoc ultimum in vita vicissim amplexi sunt.

Petöfi fato pulsus est, ut pro patria moreretur, quod in pugna ad Segesvár anno MDCCCXLIX prid. Kal. Aug. evenit; Mauritius vero Jókai, Deo favente, in vita manebat, ut genti suae, servitute Austriacorum oppressae, solatio esset, praesertim ab illo anno usque ad MDCCCLXVII.

Mauritius Jókai natus erat an. MDCCCXXV, die decima secunda ante Cal. Martias Camarae (Hungarice: *Kómárom*), quod oppidum nunc in ditione est Bohemorum. Puer, a teneris unguiculis animi timidi, et somniorum imaginibus deditus, scholas frequentare in oppido patrio coepit, primique diei in ludo acti memoriam summo colore illustravit. Postea ad linguam Germanicam

addiscendam Posonium (*Pozsony*) a parentibus est missus; mox, domum reversus, inde in oppidum *Pápa* se contulit, ut in lyceo, tunc temporis claro, animum ad philosophiam appelleret, ibique una cum A. Petöfi in coetu iuvenum sese excolentium summa cum industria laboravit, et carmina fabulasque Milesias breviores scribere coepit; quas narratiunculas Itali vulgo *Novelle* appellant.

Ab anno MDCCCXLI usque ad MDCCCXLIV in oppido *Kecskemét* auditor iurisprudentiae est factus, quum propenso animo in artem pingendi scribendique esset.

Insequenti anno Pestinum se contulit, tentationem iusisprudentiae obiturus, quae et prospere ei cessit; neque tamen in animo habebat, ut aliquando in foro ageret.

Quod in Hungaria Transdanubiana natus esset et duobus annis in oppido *Kecskemét* fuisset commoratus, ea res summi momenti in vita poëtae putanda esse videtur. Fabularum enim suarum Romanensium argumenta pleraque ex his duabus Hungariae regionibus est mutuatus.

Pater familias, eius mensor quidam, qui bene audiebat, apud quem habitabat, saepe numero eum secum ferebat curru in solitudines oppido adiacentes, ubi inter pastores tempus vespertinum agebant; interdum autem praediis in remotissimis pernoctabant. Inde factum est, ut multa nova a solis occasu et ortu pöetae revelata fuerint, quae nonnisi in planitie illa maiori, ab Hungaris *Nagy Magyar Alföld* vocata, inter Danubium et Tibiscum, conspici possunt, et is affabre descripisit.

In fabulis eius tum maioribus, cum minoribus, regiones Hungaricae amoenissimae verissimis coloribus depinguntur, ut in illa, quae inscribitur: *Aranyember* (Homo aureus), ubi adiacentia Istri (i. e. Danubii inferioris) et ora lacus Pelsonis (*Balaton*) ipseque lacus gelu constrictus exhibentur; in fabula vero quae inscribitur. *Sárga rózsa* (Rosa flavii coloris) planitiei Hungaricae amoenitates mirum in modum ante oculos legentium ponuntur.

Quum res nobilium Transdanubianae regionis virorum nosset, in oppido *Kecskemét* ei opportunitas data est mores, naturam ac vitam rusticam paganorum cognoscendi.

Hungari, quum post pugnam apud *Világes* arma posuissent, et Austriaci regios sibi spiritus sumpsissent, Mauritius Jókai una cum triginta et uno scriptoribus Hungaricis capitis damnatus est, quippe qui mense Martio a. MDCCCXLVIII iuvenibus Budepestinensibus, qui novis rebus studerent, praefuisset.

Mauritius Jókai inde ab anno MDCCCL plurimarum fabularum Romanensium, narratiuncularumque tum gravium, tum facetarum scriptor evasit. Adde, quod litteras Hungaricas etiam carminibus haud paucis et etiam dramatibus locupletavit. Industria et labor eius in libris conscribendis non solum a legentibus, verum etiam ab eis, qui spectaculis interessent, plurimi aestimabantur, et iam quum Pestini iuvenis viginti tantum annorum vitam degeret, narrationibus eius legentes nimium in modum delectabantur. Regia Academia Scientiarum Hungarica Budapestinensis et Societas Kisfaludyana (*Kisfaludy-Társasag*) a. MDCCCLX eum socium elegerunt.

Quum a. MDCCCXCIV diem festum decem lustrorum in libris scribendis consumptorum ageret, omnes et singuli gentis suae ordines eum laudibus summis sunt prosequuti. Opera eius centum voluminibus eiusdem formae edita sunt; actis vero diebus festis, invicto atque iuvenili animo ille laborare perrexit, quasi in labore quaerens solatium aetatis provectae et calamitatum.

Diem obiit supremum III non. Maias anni MCMIX et e porticu ornatissima Musei Patrii Budapestinensis publico sumptu est elatus.

Mauritius Jókai fuit vir mitis ingenii, neque quid esset vita, cognovit. Pecuniae parcere non poterat; itaque modo omnibus copiis circum fluebat, modo aere alieno graviter obruebatur. Totus erat in commentis opinionum, et quum esset facilis in omnes, non est mirum, si homines subdoli nullo negotio sese ei imponerent, isque pluribus in rebus puerorum simplicitatem usque ad mortem conservaverit.

Vitam eius complures Hungarici scriptores composuerunt, quarum celeberrimi esse videntur Ladislaus Szabó, cuius opus inscribitur: *Jókai élete és müvei* (Bp. 1904) i. e. « De vita et operibus Jókai », et Colomannus Mikozáth, et ipse fabularum Romanentium scriptur egregius, cuius operi est titulus: *Jókai Mor élete éo kora* (Bp. 1904) i. e. « De vita et aetate M. J. ».

Vix inter imagines Hungarico sermone scriptas alteram inveneris, quae hominem, de quo mentio fiat, ante oculos legentium tanta arte ponere potuerit.

Ex opp. *Keszthely*, mense Iunio MCMXXV.

VINCENTIUS LAKATOS.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

Versus Iovii. Carminum Saliarium unus in Iovem versus superest a Terentio Scauro grammatico laudatus. [2] Loquitur hic de voce quae est *cum, quom;* aitque, si adverbium (intellige: *coniunctio*) sit, per *q* debere scribi, ex.: *quom legissem;* subiungitque, antiquos pro hoc adverbio dixisse: *quomne,* ut Numa in Saliari Carmine:

Quomne tonas, Leucesie, praeted tremonti
quot ibei etinei deiscum tonarem.

Hos versus ad Iovem pertinere testis est illud « Leucesi »; nam apud Macrobium (*Sat.* 1, 15, 16) legimus: Cum Iovem accipiamus lucis auctorem, unde et « Lucetius » Salii in carminibus canunt, et Cretenses Δία τὴν ἡμέραν vocant, ipsi quoque Romani Diespitrem appellant ut diei patrem ». Prima verba igitur fragmenti nostri clara sunt; italice: « Quando tu toni, o Giove dator di luce ... ». Ad interpretandum vero quod sequitur *praeted tremonti* adiumento est locus Festi (p. 205 M. 244 T. DE P): « Praetet tremonti, praetremunt te ». Habes igitur *praetremonti* = praetremunt, reliquiam pretiosam prisci latini sermonis, ubi audis vocem in *onti* desinentem, ubi Romani post dixerunt - *unt,* velut in graeca lingua habes λέγοντσι = λέγουσι. *Tet* autem, vel *ted,* est nota forma ἀρχαϊκή pro ablativo casu pronominis *te.*

Difficiliora et invictae obscuritatis sunt cetera verba, quae alii interpretantur: *Quotquot - ubeique hemuneis deiveis concto (m) mare;* id est: Quot ubique sunt homines ac Dii, ut Zander, et paucis mutatis, Baehrens; alii: *Quot ibei et viri audeisunt tonare,* i. e.: Quot ibi viri audierunt tonare, ut HAVET. [1] Omnia incerta.

Alii Dii certe praeter Ianum Iovemque in Saliaribus nominabantur; quod testatur Festus de Saturno (p. 325 M., 476 T. DE P.) videlicet a sationibus; de Minerva idem Festus (p. 3), ubi memorat versus Minervios. *Mamurium Veturium* scimus ab Ovidio (*Fast.* III, 392), a Festo (p. 131 M., 99 T. DE P.) a Varrone (l. l. 6,49) in carmine Saliorum memoratum esse. Varro « Mamurium » putabat significare « memoriam »; et Plutarchus etiam (*Numa,* XIII) animadvertit, nonnullorum sententia, non Veturium Mamurium cantari, sed « veterem memoriam ».

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Vide *Corpus Gramm. lat.* edidit. KEIL, VI vol. p. 28.

[1] Alios interpretandi conatus videsis in *Riv. Indo-Greca-Italica,* 1917, pag. 119 et 255; 1918, p. 1 sqq.

De aliis Diis in Saliis celebratis, nihil scimus.

Imperatores, Augustum, Germanicum, aliosque in honorem memoratos iam diximus. Adde *Luciam Volaminiam*, quam Varro (9, 61) ut Saliorum carminibus appellatam inducit.

Restant nonnulla fragmentula ad nullum Deum referenda.

Fest. 211 M (257 T. De P.): *Pennatas impennatasque agnas* in Saliari carmine spicas significat cum aristis, et alias sine aristis; agnas novas voluit intelligi». Ubi vox *agna, acna* (=*acina*, cfr. *acus* «paglia») idem est ac *spica*. – Fest. p. 205 M. (244 T. De P.): «*Pilumnoe poploe* in carmine Saliari Romani, velut pilis uti assueti» (quasi: *populi pilumeni*, i. e. pilis armati cfr. *alumnus*).

Fest. p. 270 M. (370 T. De P.) *Redamptruare*, dicitur in Saliorum exsultationibus cum praesul *amptruavit*, quod est «motus edidit»; ei referuntur invicem idem motus. Addit duo exempla, Lucilii et Pacuvi.

Festus p. 210 M.: *Pescia, orum* n.; in Saliari carmine Aelius Stilo dici ait capitia ex pellibus agninis facta quod Graeci vocent pelles πέσκη neutro genere pluraliter. [1]

Sed de Saliis et Saliaribus hactenus.

(Ad proximum numerum).

Felix Ramorinus.

[1] Cfr. idem Hesych. 2, 945: πεσκέων δερμάτων; (Varr. L. l. 4,29; Non. 542 M. *pescia = capitum tegmina*. Adducitur etiam locus Varronis *De vita pop. R.*; ubi tamen *capitium* non est capitis tegumentum, sed pectoris. Cfr. Forcellinii lex. sub hac voce.

Eodem animo beneficium debetur, quo datur.
Eripere telum, non dare irato decet.
Et calamitas virtutis est occasio.
Etiam capillus unus habet umbram suam.
Excelsis multo facilius casus nocet.

P. Syrius.

DE ANNIS SANCTIS [1]

Vicesimus annus sanctus.

Non est utique quid mireris, sub finem saeculi decimi octavi, annum sanctum haud fuisse rite indictum. Constat enim apud omnes Pium VI, quarto kal Sept. anno septingentesimo nonagesimo nono supra millesimum, sanctissime obiisse Valentiae, in cuius arce custodiretur captivus a Gallis. Tunc mirum in modum Venetiis novus Pontifex eligitur, qui Pius VII vocari iubet. Hic, summa diligentia, adclamantibus omnibus ordinibus Romam contendit, atque solemniter sacrum principatum capessit ... At quid de anno sancto? Quomodo de ipso cogitare potuisset, quum omnes mortalium animi ad rem militarem converterentur?

Romae quotidie pericula ab inimicis conflabantur, quibus nihil erat antiquius quam ut Pontifices et ipsam religionem abolerent.

Quum vero, defuncto Pio VII, ad supremam Petri sedem est Leo XII evectus, nihil carius habuit quam, sexto Kal. Iunias MDCCCXXIV, quum celebraretur dies, quo Iesus ad sydera adscendens recolitur, Urbi et Orbi nuntiaret annum sanctum vicesimum celebratum iri et splendido religionis apparatu.

In Urbe vulgari iubet a Legato ex ipso aedis Vaticanae suggestu, in porticu, at a cursoribus equis insidentibus, quum praecederent buccinatores, qui magna simul comitante aulicorum virorum multitudine ad alias tres Basilicas contenderunt.

Die undevicesima Decembris, eodem ritu secundum sacer annus indicitur, et Pontifex Purpuratos Patres legatos praetoria potestatate designavit tribus Basilicis aperiundis.

[1] Cfr. fasc. sup.

Pro basilica s. Pauli igni consumpta, basilicam s. Mariae Transtiberinae indidit.

Pervigilio tandem diei Christi natalis Leo ipse P. M. sollemnibus de more caeremoniis Portam Sanctam aperuit, adstante regina Maria Theresia, Victorii Emmanuelis Primi, Sabaudiae regis, Vidua, cum regia sobole, et Regiae domus hispaniensis principe.

Hanc nactus occasionem, ut pignus quoddam suae in Reginam benevolentiae ostenderet, Ei ultro Rosam auream gemmis confectam, regali munificentia donavit.

Multa alia pietatis opera gessit per idem tempus Pontifex, qui decessorum suorum exempla secutus, magnum edidit religionis testimonium et prudentiae, animique demissi.

Valetudinarium, cui sapienter viri religiosi praesunt quibus est titulus *Fate bene fratelli*, invisit, et peregrinorum pedes humillime lavit, et quatuor Basilicas pedibus lustravit, et *Scalam Sanctam* genu flexo ascendit. Quo die Romae sollemniter coleretur S. Philippus Nerius, una cum nonnullis Cardinalibus, Pontifex ex improviso nudisque pedibus Mariae Rosarium concinens, eius sancti exuvias veneraturus adivit. Mirabilis denique dictu fuit sollemnis supplicantium pompa, die festo *in Albis* acta, cui praeter Pontificem Max. et senatum Augustum Patrum Cardinalium, religiosos Ordines Clerumque, et piorum sodalitates, universa romana civitas interfuit ut sanctam admissorum veniam consequeretur. Ut autem omnia splendidius finirentur, Pontifex publicas triduanas preces pro gratiarum actione addere voluit in omnibus Urbis templis, quibus multi peregrini interfuerunt. Cum Francisco I, Neapolitanorum rege, est in primis adnumerandus Ioachim Pecci, sacrorum tunc alumnus, qui postea Summus Pontifex nomine Leonis XIII Ecclesiam universam ingenio et virtutibus decoravit, et praeclaris gestis omnem late terrarum orbem mirum in modum hilaravit.

Pius IX Pontifex Maximus et annus sanctus vigesimus primus.

Huius Pontificis regnum praeclarum in primis fuit, tum ob insuetam diuturnitatem, tum maxime ob acerrimas adversariorum insimulationes, quibus iactatum est. Quapropter, etiamsi semel atque iterum, anni sancti occasio inciderit, ob improbam tamen gravium rerum publicarum perturbationem, nunquam ad Urbem annum sanctum pervulgari placuit.

Re enim vera, anno labente quinquagesimo saeculi superioris, Pontifex Caietae morabatur, quo, oborta Romae seditione, factiosis rem publicam obtinentibus, secesserat; et modo post septemdecim menses, in pacatam Urbem triumphans invehebatur. Non tamen opportunum ei visum est sacra Iubilaei indicere.

Idem Pontifex, qui, regnum auspicatus, clementiae laude inclaruerat, mox, pacatis aliquantisper hostibus, divino quasi instinctu afflatus, divinis aliis solemnitatibus ad se universos late populos advocavit.

Munificentia identidem laudabatur et pietate, et omnibus etsi redditibus expoliatus, liberalitate principis, speciem Urbis insigniter augebat. In ipsis rerum difficultatibus animum ad maiora tollere consuevit. Vix enim e Caietano secessu in Urbem redierat, illico sollemni ritu Augustam Matrem, ab origine labis nesciam, promulgandam cogitavit.

Tunc, incredibili Christiani Nominis laetitia, Pius IX, sacra episcoporum corona et magna civium advenarumque frequentia circumfusus, decrevit uti Magna Dei Parens, ab origine labis exsors haberetur, ab eadem auspice exspectans ut mox animi omnium in eius obsequium coalescerent. Ad memoriam fausti felicisque diei VI Id. Decemb. an. MDCCCLIV, in area ante ephebeum Urbanianum columnam marmoream bracteatam erigi eique sta-

tuam aeneam Virginis Matris imponi iussit. Haud ita multo post, quo omnes, divino Numine tacti, abdicatis erroribus, ad sapientiam Catholicam redirent, ad Romam iterum respicientes, invictos Martyres Iaponenses inter caelites sanctos retulit.

Et Itali, ex omni ordine, quum privatis rationibus aut publice itinere prohiberentur, admirantibus omnibus, salutatoriam schedulam quisque suam mittunt, cum pecunia collatitia, precati ut Beata Virgo, pro sua benignitate, orientalibus subveniret.

Pius IX, pietate insignis et munificentia, delicium sui temporis appellatus, approbantibus suis ipsis adversariis, dies sacri pontificatus benefactis, in genus humanum collatis, iure meritoque computare potuisset. Mira enim industria quod aurum ad eius fortunam leniendam filii conferebant, res filiorum adversas sublevando pater ultro refundebat.

Aliquando, ne in communi caenarum lautitia tenuiores genium suum defraudarent, Pontifex suavissimus, s. Gregorii Magni exemplum secutus, quadraginta pauperibus ex unaquaque curia urbana delectis, in aedibus vaticanis caenunculam iussit adparari. Quibus convivantibus ipse insperato adveniens, adspectu, alloquio, liberalitate, expressam Christi imaginem referebat

Perpetuus pacis auctor, domi, otium et concordiam civium fovit, foris atrocia bella deprecatus est. Inter horrentes armorum strepitus pacem mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus. Omnes ei grati populi plauserunt, quum ad Americanos litteras dedit, uti gentes a civili sanguine prohiberentur; plaudente quoque *Ieffersono Davis*, faederatorum meridionalium praeside. Gloria Eius fuit, in ipsis rerum difficultatibus animum sustulisse, invicta fortitudine hostium audaciam fregisse, et sanctorum cultum per populos profudisse.

Prae ceteris vero, Pontifex Max., qui fide Petrum, ardenti religionis studio Paulum referebat, adveniente anno millesimo octingentesimo septimo et sexagesimo, celebrare statuit magno hominum concursu, martyrium Apostolorum Petri et Pauli, qui abhinc decimum septimum saeculum, in Urbe, imperante Nerone, fortiter occubuerant. Hi enim, aiebat Pontifex, Remi Romulique gloriam longe supergressi, Roma Christianae veri sunt conditores. Idque facit quamquam nefarii homines occulto sacramento initiati, tenebrosis latebris erumpentes, ut Italiae insidias struerent, in luce turpiter versantur, alacres, atque erecti per fora volitant, coniurati Ecclesiam laxare, ut filii ad Patrem accedere prohiberentur. Incredibilis admodum numerus civium advenarumque Romam contendit, unde aperte inter omnes apparuit, Ecclesiae incolumitatem non mortalium viribus, non potentiorum praesidio niti.

In tanta rerum hominumque perturbatione, ut aliquod divinitus remedium rei Christianae daretur, eodem tempore, Concilium Oecumenicum, quod dicunt, summus Pontifex, pactis fretus, quibus Christus ad Caesaream Philippensem, Petro Apostolorum Principi, perpetuam spopondit de inferis victoriam, divino ausu, indicere voluit.

Itaque, vestigiis praedecessorum suorum insistens, ut perversas suae aetatis opiniones uno veluti ictu debellaret, in Vaticana Basilica, episcopos, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, ab universo terrarum orbe cogi indixit. Quod primum Vaticanum appellatum Concilium est.

Mirum sane spectaculum et nunquam antea visum et memoratu dignissimum, quoniam Roma non armis, sed amore, consilio atque sapientia vincit: adstabant enim episcopi vel ex terrarum extremo fine ad Urbem advecti, qui proni in obse

quium erga Summum Parentem et Magistrum Catholici Nominis, improborum convicia et impotentiam fuerant aspernati, ut sarta tecta Ecclesiae iura servarent. Ad haec apertissime testabantur certo cuilibet se obiectare periculo quam ut vel tantillum ex officio recederent.

In historia nominis christiani, memoratu dignissimus sane erit quartus Concilii Vaticani conventus. Proposita enim christiana doctrina de institutione primatus apostolici in B. Petro, et de eius perpetuitate in suis successoribus, quorum auctoritas ad omnia tempora, loca et res ad religionem spectantes, ad omnes christianos, et sacerdotes et episcopos erat protendenda, ventum est ad omnium maximam quaestionem, quae doctos homines torquebat, de Romani Pontificis infallibilitate, et die decima quinta kal. Augusti MDCCCLXX declaratum est ut fidei dogma, Pontificem esse infallibilem quum de rebus ad fidem aut mores spectantibus sermo sit.

Interea ingens bellum exardescit Galliam inter et Germaniam, in quo, paucis post diebus, Napoleo ipse, ordine tertius, miserrime se suaque hostibus tradidit. Quo facto Urbs, quae multos dominata est annos, ruit, et Pontifex in aedibus Vaticanis interclusus, captivi quodammodo modestiam et Pontificalem dignitatem miscere coepit.

Gloria singularis Pii IX fuit nedum adipisci annos Petri, superare. Ipse enim sextodecimo kal. Iulias MDCCCLXXI annum vicesimum quintum Pontificatus sui implevit. Incredibili laetitia omnes undique populi gestientes certatim suam voluntatem atque obsequium Pontifici testari student. Pontifex autem, populorum votis respondens, litteras Episcopis dedit, ut eorum suasu, omnes pro diutino sibi sacro Principatu permisso, gratias agerent, eodemque tempore, admissorum remissionem in publicum proponebat. Praeter omnium opinionem, maximo apparatu et gaudio haec solemnitas celebratur. Omnes animi divino numine agi videbantur, ut laetitiam in summum religionis magistrum expromerent. Tum qui pagos incolunt, tum qui maximas urbes, vel ipsi haeretici, et Machometanorum imperator, omnes uno Verbo, ut eius diei gaudium augeretur, animo convenerant.

Pius IX, qui vix regnum auspicatus, clementiae laude inclaruerat, diu et praesenti semper Virginis Matris auxilio mirum in modum populo christiano interfuit, et amorem omnium populorum atque admirationem dulcedine morum atque suavitate sibi conciliavit. Hinc factum est, ut obsequium, quo catholici, data occasione, Pium IX prosequebantur anno vigesimo quinto Eius pontificatus, anno quinquagesimo sacerdotii instaurarent. Ob eius autem Iubilaeum episcopale, ea fuit omnium populorum concordia, ut omnia quae nobis historia refert, superaret, et quidquid litteris posteritati tradi potest. Sit satis dicere an. MDCCCLXXVII Christianos omnis aetatis et gradus, ex omnibus vel maxime dissitis regionibus, venerationis gratia, Pontificem omnibus modis adire, eique, quod sit artificio pretiosius, auro, argento, vel opere ingenii obferre.

Re quidem vera Pius IX, fidei constantia, caritate ac benevolentia, consilio, mansuetudine factus erat humani generis delicium, omniumque moderator. Vel ipsi christiani nominis osores eum tamquam amicum patrem, beneficum colebant.

Is autem ante duos annos gregi sibi a Deo commisso adiuvando, curando, annum sanctum XXI non in Urbe tantum, sed per orbem universum indixerat. Mirum quod, licet ubique terrarum latam hanc admissorum veniam homines lucrari possent, complures, vel ex ultimis terrarum finibus advecti, Romae apud Summum Parentem et Magistrum Christiani nominis fidem suam profiteri maluerint. Quinimo annus hic sanctus conclusus est Catholicorum invenum sollemni peregri-

natione, fausto quidem futurae aetatis auspicio.

Humanae vero vitae curriculum natura circumscripsit. Aetatis annum iam sextum supra octogesimum Pontifex attigerat, perlucida semper mente atque viridi animo. Eo anno, mense Novembri, in brevem incidit morbum; at, quum citius convaluisset, aditum omnibus e consuetudine dare, et suaves eas orationes ad invisores explicare, quae omnibus saeculis una ex gloriis eius pontificatus manebunt. At postridie nonas Februarias an. MDCCCLXXVIII sub vesperum iterum Pontifex venerandus febre vexatur. Noctu eius morbus ingravescit; et postero die summo mane, sanctum Christi corpus ei in viaticum adfertur: quod mirabili illa animi pietate accepit, quam quisque coniectura assequi potest. Pius IX sanctissime in caelum migravit sub primum vesperum septimo Idus Februarias: coronam accepturus iustis pollicitam, et Matrem Augustam veneraturus, quam inter vivendum tanto obsequio fuerat prosecutus.

Quum Romae allatum est Pontificem diem agere supremum, omnium pectora turbari. In eius obitu omnes late gentes sine invidia magnum pietate virum luxerunt, qui vel ab initio Pontificatus sui, animi ingeniique mansuetudine insignis, restitutor felicium saeculorum salutatus, subito, iam de se non spem sed fiduciam attulit. Universam rem christianam aequo rexit imperio, et recentioris pravitatis errores iis verbis perculit, quae ad extremos terrarum fines perruperunt, aeternum duratura.

Ei primum stipem christiana caritate, pio gratoque animo expressam ultro volentes Itali prae ceteris, et universi denique populi de more persolverunt.

(*Ad proximum numerum*).

IUNIOR.

Gravior inimicus qui latet sub pectore.

DOMINICUS GUZMANUS [1]

... Qua primum Zephyri dulcis spiramine
[vernans,
Europa aspicitur frondibus aucta novis,

Nec procul interdum, pulsas se condit in undas,
longa sol functus praecipitique via,

Est felix, magno Calaroga ibi stemmate tuta,
Subicit in quo una, subiciturque leo.

Athleta est almus, Fideique inde ortus amator,
Hostibus infensus perfacilisque suis.

Cui, simul ac sata, mens sic affuit alma su-
[perne,
fetam quae matrem fatidicam faceret.

Cuique Fides sacris undis ut nupsit, uterque
dotali alterna sese ubi fulsit ope,

Per somnum mulier, puerum quae e fonte
[levarat,
illius ac sobolis mira patranda videt.

Angelus hinc illum dicturus nomine cessit,
totus ut ille Dei, nomine reque, foret.

A Domino dictus: Christus quem elegit in
[horto,
cultoremque simul subsidiumque, suo.

Nuncius is Christi mox visus et assecla: primo
Christi, qui primum consilio studuit.

Pervigil est saepe inventus tacitusque nutrici,
« Huc veni » recubans dicere visus, humi.

Felix, o verus pater illi! vera Ioanna
mater, uti tradunt, nomina si resonent!

Mundi non, gemino plures modo iure prementis,
is cupidus; Veri deditus ast epulis,

Doctrina mox praestat, vineam et undique
[sepit,
arida quae citius, sonte fit agricola.

---

[1] Ex Dantis Alligherii poëmate (*Par.*, c. XII).

Ac Sedem, miseris olim iustisque faventem
non modo, perversi, sed residentis ope:

Non dare, pro senis, binis ternisve; vacantes
non sortes; decimas non inopumve Dei;

At saeclum in nequam, pugnam pro semine
[poscit,
ex quo te foetus bis duodenus obit.

Fervide apostolicum docteque est munus ad-
[hortus,
volvitur ut torrens quem premit unda ruens.

Haeresis et ramos male fetos impetit, inque
maiores nisus, acrior invehitur.

Plures quo latices manarunt arva rigantes
Christi, sicque magis germina quaeque virent.

S. Dominici de Fesulis.

IOSEPHUS BENELLI, O. P.

IN AES SACRUM

Militibus bello interfectis Rovereti dicatum

Flebilis in tumulos fundis, Campana, *per Alpes*
Tinnitum sanctum sole sub occiduo.

Pro patria caesis narras suspiria matrum,
Surgentis sobolis spem, viduaeque fidem.

Voce repercussa per saxa, per antra, per urbes
Millia pugnarum clara trophaea canis.

Nulla tuae par vox resonat, non carmen et
[hymnus;
Permulces animas nocte dieque prece.

Si populi nova bella fremant, moveantque
[tumultus
Cives, da monitum: Pax bona, firma Salus!

Neptuni ad Romam.

ANGELUS NARDIS.

Ignoscito saepe alteri, nunquam tibi.
In nullum avarus bonus est; in se pessimus.
Inopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.
Invidiam ferre aut fortis aut felis potest.
Iracundiam qui vincit, hostem superat maximum.

P. SYRIUS.

De morbo qui ab ictu solis vulgo nuncupatur

Summa aestate impendente, abs re non erit de hoc morbo nonnulla afferre, cui Moussoir medicus in Tunquina regione praesertim studuit, atque utilia medicamina proposuit.

Tropicorum gentes « ictu solis » necatae frequentius lugentur: nostrae, contra, in miti aëris temperie plerumque quum vivant, nonnisi raro recoluntur. Attamen haec et nos videmus aliquando contingere, quum praecipue canicularibus diebus gravissimus immineat aestus, nullique zephyri aut aurae perflent. Tunc qui sub dio operi manum conferunt, vel deambulant diutius, ut, puta, milites exercitationibus vel fictis praeliis vacantes, huic morbo maxime obnoxii sunt, brevibusque symptomatibus praeeuntibus, inopinato momento temporis, veluti fulgure percussi, conscientia sensibusque destituti, in convulsionem corruunt: ardet miserorum caput, cor autem vix leni palpitatione pulsat, dum paullatim morti cedit.

Existimavit itaque Moussoirius ex nervorum centris, nimio sanguinis fervore perturbatis, teterrimum hoc exitium oriri: morbus enim tunc proprie exsurgit, quum aestus quadraginta thermometri gradibus ferventior, diutius hominem verberans, integram sanguinis undam calefacit. Sed chimici status, quos calefactum hoc modo corpus praebere potest, aut somno, aut asphyxiae, vel alteri formae acclines, a cuiusque hominis varia reactione simulque ab aëris udosa condicione pendent. Quum enim gravior imminet aër, atque udosis vaporibus satur, ita ut nequeat corpus evaporato sudore internum aestum emittere, tunc maius adest morbi periculum. Quamquam, Oberrier medico

docente, credendum est operum laborem sive deambulationis, quippe maximum fervorem provocet, ad rem incitamento esse.

Ictus autem solis iisdem symptomatibus comitatur, at ex dissita causa; ex solaribus enim radiis in caput vibrantibus, quorum non qui caloriferi aut luciferi sunt, sed potius qui chimici dicuntur, protinus ad exitum coniurant; quare nullimode quaerendum utrum aëris ambitus maxime flagraverit, an solis spicula nimio temporis spatio hominem percusserint. Illos itaque vehementissimos esse oportet, adeoque potentes, ut momento cladem procurent; quod quidem nonnisi in Tropicorum regionibus ad meridiei horam contingere potest. Alias enim κεφαλεῖα tantum esse videtur, quousque minori huiusmodi ictui externus etiam calor non accesserit, radiosque chimicos augeat, eosdem letales exitus provocans, quos caloris ictus aut solis producere assueverunt.

Sympthomata quae morbum praenuntiant brevi describuntur: maxima nempe lassitudo, gradus inertes atque incerti, tardiores motus, sitis, capitis dolores, hebetudo, sudoris maxima copia, cordis palpitationes inordinatae, rubescens vultus, arida lingua, vox paullatim rauca. Paulo post sudor repente deficit, cutis arida atque torrida fit, susurrant aures, rutilant ante oculos res; deinde ictus, qui vulgo dicitur, supervenit. Aegrotus corruit menti destitutus, aut certe profundo somno demersus, in eoque statu corporis calorem ex quadraginta gradibus usque ad quadraginta quattuor interdum, admoto thermometro, medici dimensi sunt. Quum vero de gravissima morbi specie agitur, haec insuper habentur: oculorum pupilla fixa atque rigida, motus omnes convulsi, vultus contractus: tunc animi demissio accedit, spiritus vix emittitur, pallescit facies, os cruentam salivam respuit; denique infirmus moritur.

Remedia alia ad calorem subtrahendum spectant vel admotis linteolis frigida aqua, vel glacie, vel ferventibus potibus immixta perfusis, vel omnibus corporibus partibus aqua pariter inundatis; alia ad spiritum excitandum; ultimum est nervorum centra, ex quibus calor paritur, aptis viribus cohibere.

R. S.

EX HISPANIA

De Beata Michaëla a Ssmo Sacramento

Latissimo in agro Patrisfamilias, quem Christus sudoribus atque proprii sanguinis fluento fecundatum venerat, vireta quaedam passim reperies, ubi quasi in uberiore humo virtutum omnium flores mirum in modum vernant. Haec autem grandiorum sunt pectora hominum, quae divinarum gratiarum purissimis aquis ex Ecclesiae Sacramentis promanantibus continenter irrigata, viriditate, gratia, venustate vel caelitum oculis ad se convertunt. Ex floribus tamen, qui angelorum hominumque visum maxime praestingit rosa est ignescens Mariana caritate. Quotusquisque vero est Sanctorum, qui in Mariam non ardente flagraverit amore? qui filiali pietate Ei mancipio sese ferventer non tradiderit? qui vel eiusdem tenerrimo affectu saepe non elanguerit? Nullus equidem omnium; qui enim Iesum dilexerunt, Huius Matrem non diligere summa caritate minime potuerunt.

Marianae pietatis in Beata Michaëla a Ssmo Sacramento, cui nunc « Beatorum » honores a Pio Pp. XI tributi sunt, multa et praeclara proferuntur argumenta, quae obsequii ergo tantae Hispanae matronae, Matriti generosis ac piis parentibus ortae, legentibus libentissime prodam.

Ipsa in sua ipsius vita, iussu Confessarii exarata, de primis aetatis annis scriptum reliquit, se teneram in Virginem Mariam exercuisse pietatem. Parvum eo tempore erexerat altare, cuius medium Beatae Virginis a Columna illustrabat simulacrum, quod ab Ecclesiae quodam Praesule virtutis praemium acceperat. Educatione atque devotione in suam caelestem Matrem mutasse adulescentulam in melius pueriles mores, illa quoque de se ipsa humiliter profitetur.

Quintum supra decimum agebat annum Beata Michaëla, quum tertium iam eo saeculo Hispaniam nostram *colera*, qui vulgo appellatur, morbus invaserat. Eo Matritum oppidum depopulante, cotidie ipsa conveniebat aegrotos, eosque de Deo deque Beata Virgine Maria imprimis aequo ac forti animo alloquebatur.

Mater eius in vitae discrimine versabatur, sanctissimo munita fuerat iam Viatico et sacra Unctione, nec potuerat tamen testamentum facere. Id non parvo erat ei angori, quod lites atque offensiones inter filios timebat exorituras, cuius rei graves inerant caussae. Michaëla in suo cubiculo genibus provoluta, Mariam exoravit, ut Matri valitudinem restitueret, quo testamentum expeditum relinquere saltem valeret. Re quidem vera, tertium post diem a lecto matrona surgebat, et minus quidem valens, in annum longius vitam inde produxit. E vivis tandem illa decessit; ex quo tempore Beata Michaëla, orbata matre, sibi Mariam in eius locum suffecit, seque totam Ei formali deditione tradidit, constituitque de nullis precibus nec de bono quolibet opere posthac amplius disponere, omniaque sua Beatissimae Virgini committere, ut Ipsa ad finem regeret Dei gloriae magis congruentem; hac enim ratione plenam habebat fidem fore ut Maria in omnibus eam custodiret.

In Virginis septem dolorum memoriam, matronas initio sociavit etiam septem, ut primam constitueret domum, quae perditarum puellarum esset salutare perfugium.

Anno MDCCCXLIX mense Aprili, Ignatii, Patris legiferi, spiritualia quae appellantur exercitia primum est exsequuta; post quae, Marianum mensem devotissime transegit, miraculosi numismatis imaginem depinxit, a Gallica lingua de huiusmodi numismate librum in Hispanicam vertit, cuius portenta in eo relata fruens cotidie legebat.

Pietatem deinceps in caelestem Dominam magno opere late diffundebat apud cognatos, notos et pauperes, numismata, libros et imagines sine fine elargiendo, quod quidem obsequium famulae suae rependere Maria properavit sexcenties singulare ei ostendens patrocinium.

Cotidie caelesti pane reficiebatur, quem singulis sabbatis, ut ab eius a confessionibus Patre fuerat praescriptum, in Beatissimae Virginis honorem accipiebat.

Ut se suosque defenderet contra sicarios, fervente per aliquot dies Parisiis popular tumultu anno MDCCCXLVII, occiduo sole fores aedium claudebat atque in earum parte inversa imaginem Mariae collocabat.

Fratre eius in Belgicam destinato, Michaëla eum sequi cogitur. Ubi Bononiam advenit, quae portus est prope Gessoriacum (*Calais*), certior facta de inopia qua laborabatur ad exstruendam quandam Virginis Mariae popularem aediculam, pretiosissimum tradidit illico monile septem gemmis decoratum, quo Maria Aloisia, Galliae regina, matrem suam donaverat. Aliquot post annos, sexcentis superatis obstaculis, collegium Matriti aperiebat, ad vicum qui *Atocha* vocatur. Tunc vero illa: « Dedi ego Beatissimae Virginis aediculae lapides; Ipsa quidem domum dedit mihi nunquam auferendam ».

Voto spoponderat Deo, quoad fieri posset, Sacrae Communioni nullo die deesse. Iter olim carpento susceperat, septem vel octo perduraturum menses: in eo plura

passim mira patravit Deus, ut amantem Michaëlam suo Corpore cotidie pasceretur. Nocte quadam ante quam lucesceret, Virgo Maria, quod Beata perpetuo credidit, manu sua ad cuiusdam pagi Ecclesiam perduxit, ut contra atque res omnes sperare patiebantur, Iesum in cor suum accipere nanciscetur.

Memoriae quoque traditum est quo consilio, Lutetiae Parisiorum, a mulieribus ex optimatibus creata caritatis matrona, morborum nauseam atque odium devicit. Quum ad ulcera sese tradidisset medenda, quae non ferendum ederent foetorem, qua ex re et ipsa aegrotaret et famula eius, a Virgine dolenda petiit, obtinuitque ut aufugeret nausea et roboraretur viribus, quibus tam sublimis caritatis muneribus plane satisfacere sibi liceret.

Quibus gratiis ac muneribus donata fuerit a Virgine de Columna, qua familiaritate in Eam frueretur et longum esset enarrare, et satis etiam patebit verbis illis, quae Caesaraugustanae domus ad superiorissam scripserat: « Nescio, - ait, - quid habeat Virgo ista, per quam totiens extra me capior ».

Omnibus humanis conatibus ut Barcinone domum suis sororibus stabiliret frustra tentatis, Montem serratum se contulit: coram devotissimo illo Beatae Virginis simulacro, post fusas abunde lacrimas atque preces, sese erexit, sociamque praesentem complexa, magno cum gaudio: « Sanctissima Virgo, - ait, - mihi recepit magnificam fore nobis domum Barcinone, eamque nostrarum primam, in qua Sacratissimum publice coletur Sacramentum ». Neque inane fuisse commentum satis ipsa res comprobavit.

Pridie eius mortis, quae Valentiae accidit IX Kal. Sept. anno MDCCCLXV, coram imagine Beatae Virginis vitam suam Mariae libentissime obtulit, nec potuit, quum ad extremam horam veniret, de Virgine perdolente non meminisse, et: « Septem, Mater mea, - inquit, - septem manent fundationes, sicut septem sunt dolores tui ». Id autem de domibus dicebat Adoratricum, quarum illa est inclita Fundatrix et beata Mater.

Vici in Hispania, XIII Kal. Iulias.

EMM. JOVÉ.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Ordinarie - Plerumque.

Organista - Organarius; Hydraula.

Orientalis - Ad orientem spectans (vergens).

Orpellare - Aliquid aurei coloris bractea illinire (oblinire); Alicui rei aurei coloris bracteam inducere (obducere).

Orphanotrophium - Domus altrix pueris (puellis) a pupillatu tutandis; Domus orbis liberis alendis (a pueritia orbis educandis).

Orphanus - Orbus; Parentibus orbus; Puer orbatus.

Pacate, Pacifice - Tranquille.

Paësista - Amoenae (Amoenioris) picturae pictor.

Paganus - Ethnicus.

Palatium - Aedes. [2]

Paliottum - Arae amiculum (amictus).

Palium currere - Cursum (Luctam, etc.) decertare. - *Palium vincere:* Palmam cursus (etc.) auferre; Neceteria cursoria (athletica, etc.) ferre (occupare).

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Rationum palatium:* Iudiciorum basilica; Arx civium. - *Palatium principis:* Regia. - *Palatium episcopale:* Aedes pontificales. - *Palatium Ducale:* Curia Ducis - *Palatium Cancelleriae Apostolicae,* Romae: Curia Riaria (quia a Purpurato Patre Riario perfecta) - *Senatoris Palatium:* Senatorium domicilium. - *Civitatis palatium*: Praetorium. - *Sacri Palatii Magister,* Romae: Sacrae domus praepositus (praefectus) - *Procurator sacri palatii,* Romae: Patronus decurialis.

Pallescere - Pallere; Exalbescere.

Panegyricus - Laudatio; Oratio.

Papa - Pontifex Maximus; Summus religionis antistes; Christiani nominis pater et magister; Christianae reipublicae moderator (moderator et rector; princeps ac parens; gubernator amplissimus); Pontificis maximi sacerdotio praeditus; Summus Christianae religionis (divinae mentis) interpres; Rerum Christianarum arbiter; Christianae familiae caput; Summus Dei Vicarius (Christi partes obtinens) in terris; Qui Vicarius Christi munere successit; Cui vicaria Christi potestas permissa (concessa) est; Sacrorum princeps in sacris initiisque tradendis. [1]

Papalis - Pontificalis; Pontificius.

Papatus - Summi Pontificis dignitas; Supremus pontificatus honor; Pontificia potestas; Pontificium imperium; Summum augustissimumque sacerdotium; Vaticanum fastigium; Apostolicum (Romanum Christi) regnum; Ara religionis incorrupta.

Paradisus - Caeleste regnum; Caelestis regio; Caelestis beatitudo; Caelorum regnum; Regia caelestis; Aeternitatis sedes; Superum patria; Beata hominum meta.

Peccatum - Admissum. [2]

Pedester sermo - Soluta oratio.

[1] *Papam eligere* - Summum alicui pontificatum (sacerdotii principatum; summum augustissimumque sacerdotium) deferre (credere et deferre); Pontificem maximum aliquem renunciare; Ad summi pontificatus fastigium aliquem evehere; In solium Deo in terris proximum extollere; Ad Petri navis gubernacula regenda evocare; Vicariam Christi potestatem in aliquem conferre.

Papam coronare - Pontificem maximum sacrorum sollemnibus initiari; Triplici supremi pontficatus diademate redimere (coronare).

Papam esse - Romani sacerdotii principatum tenere (gerere); Romano Christi regno praeesse; Christi vices in terris substinere; Christianam rempublicam (Chr. reipublicae gubernacula) moderari.

[2] *Peccata sua confiteri* - Admissa rite accusare. - *Peccata confessus:* Admissis expiatis. - *Indulgentiam et remissionem peccatorum impertire:* Piaculo omni et statis admissorum poenis exsolvere.

Pensio - Annuum salarium; Stipendium.

Per accidens - Casu; Temere; Fortuito.

Periorare - In deterius vertere (mutare); Deterius aliquid facere. [1]

Peritus (agrimensor; architectus) - Mensor agrorum; aedificiorum.

Perquisitio - Investigatio; Indagatio.

Persecutor - Vexator; Exagitator; Sectator. [2]

Personae - Homines; Capita. [3]

Pertinet ad me (ex. gr. *liber*) - Meus est liber.

Pertransire - Permeare.

Petitor - Candidatus. [4]

Philologicus; Philosophicus vir - Philologus; Philosophus; Philologiae; Philosophiae; Philologorum; Philosophorum.

Pinnachium - Crista plumatilis; Plumariae paniculae ornamentum (ornatus; exornatio).

Placitum - Praeceptum; Sententia.

Plasticae artifex - Plastes.

Plenilunium - Plena luna. [5]

Plenipotentiarius - Legatus cum publicis auctoritatibus.

Podiolum (domus) - Maenianum.

Poenitentia - Voluntaria corporis afflictatio; Voluntaria poena; Sponte susceptus cruciatus. - *Poenitentiam agere alicuius rei:* Resipiscere; Ad frugem redire; Dolere de admissis criminibus; Vitia virtutibus emendare; Admissa luere (expiare). [6]

[1] Si de morbo: Alicui deterius (peius) esse; Ingravescere; Ingravescente morbo periculosius aegrotare (sese habere).

[2] *Christianorum persecutor* - Nominis Christiani hostis.

[3] *Persona* pro « larva », aut « muneris gerendi habilitate » bene adhibetur. - *In persona:* Ipse; Praesens; Coram.

[4] *Petitor* vocabulum est sermonis tantum forensis.

[5] Sic *novilunium:* nova luna.

[6] *Poenitentis vitam vivere* - Vitae incommoda (famem, sitim, aestum, algorem, vigilias, labores) singulari patienta sponte tolerare; Durissimo vitae genere semetipsum discruciare; Abstinere se ab omni corporis voluptate; et sim.

Poenitentiare aliquem – Aliquem poena afficere (mulctare); Alicui poenam (supplicium) iniungere (imponere; irrogare).

Parafrenarius, Parafrenerius – Strator.

Parochianus – Curialis; Curiatus. [1]

Participare (aliquid cum aliquo) – Participem facere (In partem vocare) aliquem alicuius rei; Impartire aliquid alicui (de aliqua re alicui). [2]

Particularis – Singularis; Peculiaris.

Parum abest quin (ut) – Non multum (Non longe; Paulum) abest quin.

Parum ante – Paulo ante.

Parvo labore – Nullo negotio.

Parvum esse – Statura esse humili. [3]

Passim – Non semel; Non raro; Multis (nonnullis; aliquot) locis.

Passio (Christi) – Christi caedes (cruciatus; acerba supplicia; tormenta). [4]

Passiones – Animi motiones (perturbationes, concitationes; impetus); Nimii animarum motus rationi non obtemperantes; Distorta (Prava) animi affectio.

Pater (spiritualis) – Animi regendi moderandique magister; Voluntatis interpres; Animi iudex (iudex ac divinator); Vir regendarum animarum scientia (arte; consuetudine) instructus.

Patrinus – Lustricae generationis parens; Lustralis parentis officio functus; Sacra affinitate cognatus. [5]

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

[1] Itaque: *Parochia, Paroecia* – Curia, (Cfr. *Curatus*).

[2] Idem pro *Participare aliquid alicui.*

[3] *Parvum esse in oculis suis* – Modestissime de se existimare.

[4] *Christi passionem praedicare* - De Christi cruciatu ac morte concionem habere; De Christi poenis et caede ad populum verba facere; Funestissima in Christi caedem per concionem enarrare; et sim. – *Christi passionem meditari:* In tormentorum Christi cogitatione defigi (cogitando recolere).

[5] *Patrinus* vulgo dicitur quoque *Compater*. Ad rem Bembus: «Me in filio suo initiando *compatrem* appellavit» (Epist I.)

ANNALES

Gallicae res.

Quod in superiore eventuum recensione nostra praevidimus, re comprobatum est: Painlevé, Gallici gubernii nunc praeses, postquam aëronavi Mauritaniam appulit ut visu certiorem se redderet Mauritanorum procursationum, de socialistarum legatorum oppositionibus triumphum reportavit. Illi alte petebant ut Gallicae copiae ab illa regione Gallis infensa retraherentur, ita ut Mauritani quae sibi vellent libertatem obtinerent; gubernium, nedum turpem hanc desertionem, eorum submissionem perorabat, eamque et per vim obtinendam, minori quidem, quod possibile foret, militum sacrificio, verum hodierna belli instrumenta late adhibendo; idque non acquisitionis affectatione, sed ad defensionem patrocinii Galliae in Mauritania tributi, utque tandem aliquando pacifica consensio illic instituatur inter Mauritanos, Gallos et Hispanos. Ex parte sua autem Abd-el-Krim ille, rebellium princeps, spem non celat, fore ut suorum acerrimo impetu Mauritanorum, quod affirmat, ius, in Gallos et Hispanos simul iunctos decretorie exsequatur.

***

Sinensis seditio.

Neque Sinensis in exteros nova seditio vi cessit, Bolscevicarum, ut praedicant, consilio et opere. Hongkong, Shangai aliaeque civitates tumultu omnis generis, conflictationibus, opificum desertionibus, caedibus agitantur. Fama quoque manavit, Iaponiam inferiori Sinensium reipublicae bellum indixisse ob internecionem, quae Canton in urbe facta est, aerarii costodis in nosocomio Iaponensi, quod erectum est in illa civitate.

***

Ex Germania.

Legatorum colloquia ad Germanicas satisdactiones expendendas eo devenerunt, ut promissorum expletionem circa damnorum refectionem recognoscerent, non eorum, quae de deponendis armis essent. Iudicium itaque fuit a Colonia urbe non posse adhuc exterarum gentium copias retrahi. Nihilominus Germani sperant fore ut brevi et dissensio haec componatur. Bono pariter animo ii acceperunt quae Anglia est professa circa praesidii pactum a Gallia sollicitatum; sese scilicet usque ad militare auxilium protecturam securitatem finium ad Rhenum. Cautius vero eloquuta est circa aliorum finium tutelam, eoque magis quod Gallia cum minoribus Europae rationibus foedera de re sanxerit.

***

Nova Italica colonia.

Difficultatibus omnibus cum Anglia feliciter compositis, Italia Africanae provinciae iuxta et praeter Iubae flumen in possessionem devenit.

Kalendis Iuliis MCMXXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Neminem vestrum illud ignorare puto, o humanissimi, qui periodicas qualescumque annotatiunculas meas legitis, quod, teste Plutarcho, cuidam pictori contingit. Qui equi spumam quum arte exprimere nequiret, impacta in os equi spongia variis imbuta coloribus, casu expressit. Itaque recte Ovidius:

Casus ubique valet: semper tibi pendeat hamus:
Quo minime credis gurgite piscis erit.

Quot enim **res,** eaeque et homini utiles **casu repertae** sunt?

Si ex ipsa navigatione initium faciamus, traditum invenimus, Memrumo aquatilem avem conspicienti, quae ad vires fessas tantisper reficiendas in arboribus trunco summis undis supernatanti consedisset, navigii rationem affulsisse, ita ut brevi Sidonius heros arduum inierit consilium. Et Isidem, rudi cymba aequor arantem, quum summis in hastis madidas explicuisset vestes, quumque hae, vento inflante, longe lateque tumuissent facilioremque parvae rati cursum reddidissent, occasionem sumpsisse velas navibus addendi.

Quid Pan memorem, qui calamum seu fistulam primum confecisse dicitur, quum gratum accepisset sonitum, qui ex vento, medias in arundines inflante, profectus esset?

Sed ut ad historias propius accedamus, en casus ex quo Plinius artem conficiendi vitri statuit.

Quum in eo esset, ut Phoenicii mercatores salis nitri in fluminis Beli ripa escam sibi coquerent, neque lapides ibi reperirentur, quibus, quasi tripodi innixa, vasa calefierent igne, accidit ut salis nitri fragmenta, lapidibus suffecta, flammis liquescerent, ripaeque coagmentarentur arena; quo factum est ut ex fortuita mixtione aliquid translucidum promanaret, quod postea, arte expolitum perfectumque, vitrum evaderet.

Praetereo fortuitum eventum per quem ratio, qua pondus cuiusque rei, seu corporis proprium statueretur, Archimedi fuerit detecta; ut ad illum veniam, quo usus fossilis carbonis inductus est. Quidam scilicet Houillot, qui in urbe Plenevaux ferreas equis inducebat soleas, adeo egestatis angebatur angustiis, ut vel carbo, quo artem ageret, illi saepissime deesset. Quare quum de alenda familia omnino desperaret, iamque in malam eam cogitationem venisset, ut sibi mortem consciscceret, in senem incidit, quem de suis aerumnis certiorem fecit.

Cui senex miseratione affectus: – « In vicinum – inquit – montem te confer, ubi solum effodiendo nigram reperies terram ad comburendum maxime aptam ». Quod ad amussim fecit Houillot, eiusque inventum ita orbem deinde invasit, ut posteri, ad huius facti memoriam servandam, fossilem carbonem gallico nomine *houille* appellaverint.

Nonne et calida illa potio ex arabibus fabis tostis ac tritis, quam *caffeae* nomine vulgo distinguitur, quaeque tam bene stomachum mollit, ex casu originem duxit? Accidit enim, ut caprae nonnullae in Perside, postquam id genus fabas comedissent, agitari coeperint, nec somnum capere potuerint. Quod quum animadvertisset pastor, atque in huiusmodi leguminibus et ipse periculum fecisset, cuiusdam coenobii praefectum de hac re admonuit, qui fabas nervorum excitandorum virtute praeditas in usum deduxit, quo alacrius e lectulo surgerent fratres, ad divina explenda officia. Quamobrem id in tota Perside propagatum est, itemque in Arabia, unde praesertim fabarum id genus legumina sunt nuncupata, quum exquisitiora essent quae ex Arabiae solo gignerentur, quaeque *moka* vocabulo designantur.

His adde quod medicamenti quoque virtus ad pellendam febrim apprime apti, atque *chinae* nomine usurpati, fortuito detecta sit ab Indo quodam febre laboranti; qui quum aquam bibisset lacunae, in qua chinae cortex ramique essent immersi, plene perfecteque convaluerit.

***

Ceterum perspectum cuique esse potest, ex casu multa fuisse profecta, quum praesertim viri acris ingenii atque ad res inspiciendas suapte natura accommodati, fortuitis adfuerint eventis. Hi enim viri, quae forte acciderint, tanta animi contentione ad trutinam revocare consueverunt, ut ignotas naturae leges detexerint, eiusque mirifica arcana patefecerint. Quem enim latet Galilaeum in Pisae templo ex lampade, quae ab aedituo impulsa hac illac aequo itinere per aëra ferretur, horologii perpendiculum hausisse? Newtonus etiam ex malo in solum decidente arduis iteratisque studiis eo tandem advenit, ut deprehenderet, omnia in hac rerum universitate atque compage pondere suo, ac vi quadam ineluctabili ad commune centrum ferri et quodammodo pertrahi.

Ita Watus, quum perspexisset ex summa olla operculum aqua vehementer ferventi sursum extolli, vim vaporatae aquae detexit; ex quo facile exstructas ubique gentium accepimus machinas, quibus a vapore nomen, quaeque terra marique viatores atque omnis generis merces in longinquas regiones transvehunt.

Ita denique, ut cetera praetermittam, quae enumerare longum est, ex tunica ad focum calido aëre tumenti occasionem arripuit Montgolfierus, ut immanis magnitudinis conficeret globos, qui sursum in aëra attollerentur, quique nostris diebus, exquisitiore arte absoluti, quamquam late ab aëroplanis suffecti, in varios adhuc adhibentur usus, praesertim ad naturae leges summis in regionibus investigandas.

Iamvero nihil restat, quam ut, quemadmodum speramus, improviso nec opinato casu aliquo... Almae Romae socii in infinitum multiplicentur!

***

Quae dum fidenti animo exspectamus, audiamus Subalpini nostri **gallum peccatores monentem:**

Meus semper fuit cantus antiquitus
Multis pro populis signum vigiliae;
Est et summo mane notum *gallicinium.*
Meum sed voluit laudare canticum
Iesus, cui vivam gratus in perpetuum;
Et quod in templis, magnis in sollemnibus,
Me sacerdotes vocent in memoriam,
Petros negantes moneam saepissime.

Quidem novistis cecidisse Apostolum
Petrum, qui corde fatebatur antea,
Promptus et audax, pugnax et eloquio,
Deum magistrum Filiumque Numinis...
Omnes mirantur fortitudinem pectoris,
Maiora in posterum facturum praedicant.
Et ipse Iesus Ei claves porrigit,
Ut ultra aperiat caeli portas fratribus...
Magis donare quid mortali poterat?
At, at, fortassis captus magnitudine,
Dedit libenter quod magister muneris:
In peccatores contulit se medios,
Et hîc morari voluit curiosius.

Magistrum vinculis apud Synedrium
Hebraei tenent, quaeritantes cedere...
Eius sed trepidus exspectans exitum
Manet Patrus inscius... Quum serva insimu-[lat
Eum prorsus esse Iesu discipulum!
Virum semel dixit non novisse et iterum
Cum iuramento confirmavit pertinax...
Meo tunc monitus, repetito cantico,
Petrum dormientem suscitavi sedulus...
Magistri verba meminit qui pavidus;
Suum cognoscens admodum periculum,
Fugit illacrimans ominosam domum...
Mea qui voce territus continuo,
Flevit amare quod patravit facinus,
Et veniam meruit, honoresque perditos.

Tamen ne nimius tollat me superbia,
Modo valere me modo Dei gratia,
Agamus Illi gratias quam maximas,
Qui me prae ceteris elegit bellulis
Ad excitanda corda ad poenitentiam,
Et caritatis esse testimonium.

Deus vos tueatur omnes incolumes.

***

Iocosa.

Pater Tuccio:

— Heus tu! Vidistine super hac mea scriptoria tabula epistolam iam involucro tectam?

— Vidi, eamque cursui pubblico committere sategi.

— Ut cursui publico tradidisti, quum nullam inscriptionem haberet?

— Putavi epistolam anonymam eam esse!

Ludimagister Tuccium interrogat:

— Intellixisti ergo quinam affines vocentur proximi, quinam remoti?

— Optime.

— Profer exempla affinium proximorum.

— Pater, Mater, Avus...

— Et affinis alicuius remoti?...

— Frater natu maior.

— Barde! Frater natu maior affinis tibi remotus?...

— Imo remotissimus; in Americam enim migravit!

Aenigmata.

I.

Visere si me vis, adeas pia limina templi,
Me siquidem templis semper inesse decet.
Littera me parva caput, Graiis ignota, coronat?
Obscenas pecudes sub mea tecta vides.

II.

Cum Lybicos aequem turpi nigredine corvos,
Aequarem cycnos, si *sine ventre* forem.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent; 1) *Barba rus;* 2) *Latro.*

Iosfor.

MONITUM.

Uti iam aliquot annos assuevimus, fasciculi mens. Augusti et Septembris in unum prodibunt, qui primis Septembris mensis diebus edetur.

PANCRATIUS [6

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

TORQ. Ohe! Est unum, quod interrogem.

CORV. Dic!

TORQ. Me voluisti monitum. Ecquam rem caveam?

CORV. Mihi hodie dictum est iam rugire leones pro Christianis advectos ex Africa.

TORQ. (*timide*): Quid id vult sibi?

CORV. Hahahac! Non, medius fidius, ut Christiani diem falleretis Maximianus adduci iusserat. Et Christiani libenter mortem oppetunt. Tu vero, Torquate, nunc tu quoque tibi videris esse Christianus, qui sacerdotis spreto monitu aleam ante tuleris eumque ebrius prodideris?

TORQ. Prodidi ego?

CORV. Prodidisti. Aut qui me scire reris sacerdoti summo Caio esse nomen? (*cum studio*). Et Pancratium esse Christianum et Sebastianum superstitione captum esse?

TORQ. (*horrens*): Interii. Egone prodidi?

CORV. Prodidisti. A sacerdote properasti ad vinum, a vino ad aleam, ab alea ad proditionem. Iam proditor vino adhuc madidus ad fratres reverti tibi est animus, circumstare cum illis tribunal, quin etiam pro Deo tuo mori cum iis, quos lascivia prodideris. Phy!

TORQ. Num res adeo mihi rediit?

CORV. Non modo rediit, verum tu in mea es potestate. Quod si ad sacerdotem te conferis, cum tuis moriere sociis. Et illi quidem honeste, tu, proditor, turpiter.

TORQ. Prodidisse me? Minime id quidem! Tantum...

CORV. At hercle non interest, quo tu rem voces nomine. Mors tibi certa est. Ad illos nisi redibis, meus, filii praefecti, eris. Me mendacem dixeras (*Aspicit eum tacitus*).

TORQ. Proh, sancte Deus!

CORV. St! Tace! Istud tace nomen! Tu non es ex Christianorum numero. Nunquam mihi visus homo Christianus est iactare contemptum mortis et fidem. (*Decise*): Iam utrum malis elige: Vin' ferre iram meam, an aleator ad tuos titubare?

TORQ. (*gemens*): Cur me excrucias? Neutrum placet.

CORV. Sit. Unum tibi video exitum.

TORQ. Quem mihi, amabo, exitum?

CORV. Te mihi dede; fac, quod te iussero!

TORQ. Prodere ergo?

CORV. Proditor quum sis, iam nihil amittis.

TORQ. Num igitur scelus cumulem scelere? Apage, exsecrande daemon!

CORV. Iam morere! Effugiendi siquidem facultas tibi intercepta est. Te ego, quantumvis te occultaris, tamen inveniam (*se abire simulat*).

TORQ. Corvine!

CORV. Quid me vis?

TORQ. Quid me iubes facere?

CORV. Te nihil. Ipse ius a praetore petam.

TORQ. Mecum clementer age!

CORV. (*deliberatione facta*): Agedum, dabo veniam, dum serio statim spondeas te fideliter, quidquid sis iussus, facturum esse.

TORQ. Esto!

CORV. (*placidius*): Diligenter manda memoriae! Nec vinum tibi deerit, nec ad ludum pecunia: sed cras iam cum primo me diluculo ... Quonam Christiani solent congregari?

TORQ. (*balbutiens*): In Callisti catacumbis.

CORV. Optime! Sed Corvino cave mentitus sis. Nam eo tu me cras mane deduces. Ibi ego cras sceleratos iussero vinciri, inde rapi iussero in iudicium.

TORQ. Quid ais? Iam die crastino?

CORV. Hac ipsa nocte edictum affigetur principis! (*Abit*).

(*Aulaeum cadit – Explicit Actus I*).

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE, – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

[6

dit *Andr. Haberl*)

erre iram meam, an aleator

: Cur me excrucias? Neu-

m tibi video exitum.
ihi, amabo, exitum?
dede; fac, quod te iussero!
ergo?
quum sis, iam nihil amittis.
itur scelus cumulem sce-
crande daemon!
ere! Effugiendi siquidem
cepta est. Te ego, quan-
s, tamen inveniam (*se abire*


vis?
iubes facere?
Ipse ius a praetore petam.
clementer age!
ione facta): Agedum, dabo
statim spondeas te fide-
iussus, facturum esse.

s): Diligenter manda me-
n tibi deerit, nec ad ludum
iam cum primo me dilu-
Christiani solent congre-

ns): In Callisti catacumbis.
Sed Corvino cave menti-
u me cras mane deduces.
ratos iussero vinciri, inde
icium.
? Iam die crastino?
nocte edictum affigetur

– *Explicit Actus I*).
nerum).

NARI, *Moderator, Sponsor.*
Polyglottis Vaticanis.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab ALMAE ROMAE administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Augusto et Septembri MCMXXV Fasc. VIII–IX

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

DE MAURITIO JÓKAI [1]

fabularum Romanensium scriptore

II.

Opera omnia Mauri Jókai (ipse se Mauritium vocavit usque ad annum 1845, quia in honorem Mauritii Benyovszky comitis sacris Christianis initiatus est) centum, ut iam memoravi, voluminibus continentur.

Initio animus scriptoris huius operibus Gallicorum commovebatur scriptorum, praesertim Victoris Hugo et Eugenii Sue, ita ut Alexander Petöfi M. Jókai sic apud quemdam *monsieur* Rayée introduxerit: « Iste veras fabulas Milesias Gallicas lingua Hungarica scribit ». Jókai in commentariis suis adiungit: « Non aliter, Hercle, res se habebat. Mirum in modum rebus mirabilibus, inopinatis atque insolitis delectabar ». Nunquam non quaerit rerum novitates, quibus legentium mentes terreat; res ad credendum difficiles non curat; ingenii vi et celeritati ita indulget, ut hos defectus iucunditate tantum narrationis supplere possit. Modo odia erga homines dicendo exprimit, modo curis liber lepores agit. Amore et studio naturae ardens, in regiones fabulosas describendas animum intendit, et etiamsi interdum in terra patria manserit, hîc quoque loca aditu carentia plurimi aestimat.

Legentes in loca ignota orbis terrarum deducit, ut eos incredibili quadam voluptate perfundat et obstupefaciat.

In huiusmodi operibus est numeranda narratiuncula, quae inscribitur *Nepean sziget* (Insula Nepean), quae argumento audaci, genere dicendi poëtico ac modo narrandi ita commovit animos hominum, ut nomen Jókaianum fictum narratiunculamque ex Gallica lingua in Hungaricam versam esse putarent.

Unus de legentibus, ut scribit Colomannus Mikszáth: « Nihil, inquit, mea interest, ut res connexae et aptae inter sese sint, non curo res narratas. Vocem Jókaianam audire volo... Ea delector et reficior ».

Ioannes Pompéry autem, unus de iuvenibus mensae thermopolii, quod Pilvax nominabatur, Adulfo Frankenburg, moderatori libelli menstrui *Életképek,* de hac narrantiuncula haec scripsit: « Scire velim, si possit, quis sit scriptor narratiunculae *Nepean sziget.* Non dico id opus perfectum et absolutum esse, sed prae se ferre characterem non mediocris ingenii ».

Et sane vix in litteris totius orbis terrarum aliquem invenias scriptorem, qui

[1] Cfr. fasc. sup.

animos hominum magis, quam ille devinciat. Reperiuntur multi legentium, qui ubicumque quamdam partem operum eius invenerint, festinantes avidique in eam incumbant, quamvis quomodo incipiat, nesciant, et fieri possit, ut extremam partem minime legant.

Quanta vero facilitate opera composuerit, argumento est fabula quae inscribitur *Aranyember* (Homo auro abundans), quam ab eo duobus mensibus scriptam esse constat.

Pudorem semper ita ante oculos habebat, ut corpori nullo modo serviret; et Franciscus Toldy, litterarum Hungaricarum historiae scriptor et existimator egregius, iure scribere potuerit, eas esse fabulas Jókaianas, quas etiam puellae innocentissimae perlegere possint.

Opera, quibus sibi gratiam conciliavit popularem, sunt: *Erdély aranykora* (Aurea aetas Transsilvaniae), *Törökvilág Magyarországon* (Rerum Hungaricarum condiciones Turcis imperantibus), *Egy magyar nábob* (Hungarus quidam ditissimus), *Kárpáthy Zoltán* (Zoltanus Kárpáthy), quorum celeberrima sunt, quae inscribuntur: *Egy magyar nábob* et *Kárpáthy Zoltán,* quae duo opera ipse M. Jókai sibi gratissima esse affirmavit. Ast existimatores Hungarici perfectissimum eius operum esse dixerunt, quod inscribitur *Az új földesúr* (Novus possessor agrorum), anno 1863 exaratum. Novus possessor agrorum est eques quidam Austriacus, nomine Ankerschmidt, olim dux, bellici muneris officiis solutus, qui in Hungaria fundos emit et paulatim ex Austriaco in Hungaricum hominem *ardentissimum* immutatur; qua Romanensi fabula scriptor vim immutandi terrae Hungaricae summa arte demonstrat. Personas ad homines delectandos aptas Hungaricisque moribus indutas depingit earumque in moribus describendis raro modo excedit. Descriptione ironica disciplinae Austriacae condicionumque Hungarorum oppressorum fabula haec efficacibus abundans partibus summi pretii evasit.

Fabulae delectationis plenae sunt: *És mégri mozog a föld* (Italice: *Eppur si muove!*), in qua primas partes agunt litterarum in Hungaria ineunte saeculo XIX renatarum poëtae, ut Carolus Kisfaludy Iosephus Katona, histriones et viri docti, apostoli, ut ita dicam, linguae Hungaricae et bonarum artium, qui omnes vitae commoditates abdicant, dummodo rebus gentis suae ea aetate parum cultae prospicere possint. Colomannus Jenöy, qui primas in hoc opere partes agit, in Italia diu vixit, ibique quomodo gentis suae defectionibus animi modereretur, didicit.

Attamen liber scriptoris huius tritissimus etiam apud exteras gentes iure dici potest, qui inscribitur *Aranyembet* (Homo auro abundans), in quo Michaelis Timár historia describitur. Michael Timár est quasi alter Midas, cuius in manibus omnia aurum fiunt, neque tamen ipse felix et contentus esse dici potest. Hanc fabulam Romanensem Colomannus Mikozáth tam pulchram esse affirmavit, quam quemdam somnum ad primam auroram.

Fere omni defectu scribendi carere dicenda est fabula vel narratiuncula Milesia, cuius inscriptio est: *Sárga rósza* (Rosa flava) anno 1893 scripta, qua M. Jókai quomodo populus Hungaricus planiciei Hungaricae Maioris vixerit, qualisque pastorum solitudinis, cui nomen est *Hartobágy,* vita fuerit, planius quam viri doctissimi memoriae posterorum tradit.

Praeterea summa delectatione afficit legentes etiam fabula: *A jövö század regénye* (Fabula Romanensis saeculi futuri) a. 1872 exarata. Poëta hoc opere admirabili enarrat, quis eventus rerum orbis terrarum sit saec. xx futurus, quidque gens Hungarica centum annis post, temporibus Arpadi secundi, facere possit, quum periculum Russicum Hungaris ingruerit. David Tatrangi, qui primas in fabula partes agit, omnia videt et audit, felicitatem cunctis hominibus affert; adde quod ab imis unguibus usque ad verticem summum est Hungarus homo, praeterea miraculum veluti orbis terrarum octavum, qui omnes modos excedit.

Inter solutae orationis scriptores Hungaricos neminem invenias, qui ubertati locutionis vel dictionis tantam varietatem orationis coniungat. Thesaurum linguae popularis libenter usurpat, verbis et locutionibus antiquis vitam reddit. Fabulis suis Milesiis omnes fere Hungariae partes exhibet, et celeritate ingenii regiones conspicuas quinque partium orbis terrarum peragrat.

Inflammat, mirifice oblectat, cachinnum et lacrimas movet, prout voluerit, neque tamen accurate saeculorum praeteritorum consuetudines rationesque quae fuissent, excutere potuit. Nihilominus simplicitate subtilique oratione adeo tenet legentes, ut ii tunc tantum e somno excitentur, quum quemdam librum eius perlegerint et secum reputaverint quam miris in rebus versatae sint personae narrationis. Inde fit, ut haec narrandi ratio, si legentes spectaveris, peropportuna dici possit. Huic facili dicendi generi tribuas quod scriptor perraro languorem legentium animis affert. Verbis ita abundat, ut hac re merito Michaeli Vörösmarty et Ioanni Arany poëtis comparari queat.

Jókai, dum vixit, tanta laude florebat, ut nemo scriptorum fabularum Romanensium Hungaricarum inveniretur, qui eum favore populari aemulari posset, quin et post mortem pauci eum aliqua ex parte postponere potuerint.

Quod attinet ad ubertatem scribendi, vix ea re in litteris totius orbis terrarum parem inveneris; quae vero admirabili ingenii vi et celeritate fingebat praecipue in fabula, quae inscribitur: *Jövö század regénye,* ea nostra aetate pleraque eventu comprobata sunt, ut machina volans (aëroplanum), naves in undas sese mergentes; materiae dispellentes, etc. Adde quod in eius narrationibus iustitia nunquam non victrix evasit, boni homines praemiis, mali vero poenis afficiuntur.

Quod iudicium poëtae iustum ipsis rebus arctissimis vinculis coniunctum est et ab ipsis nascitur, idque semper ad spem excitat gentem Hungaricam, futurum esse ut serius ocius ad astra tandem resurgat!

Ex opp. *Keszthely,* XVI Kal. Aug. MCMXXV.

VINCENTIUS LAKATOS.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

VI.

Sequitur de Deorum cultu. – I. *Carmen fratrum Arvalium.* – II. *Oracula; carmina Marciana; verba auguralia.* – III. *Preces variae.* – IV. *Incantamenta.*

I. Praeter carmina *Saliaria,* alterum magni momenti monumentum exstat illorum carminum, quae in cultu Deorum adhibebantur, hoc est *Carmen Fratrum Arvalium.* Narrabant veteres, Accam Larentiam, Romuli nutricem, ex duodecim filiis maribus unum morte amisisse; in illius locum Romulum Accae sese filium dedisse, seque et ceteros eius filios *fratres Arvales,* appellavisse [2]; ex eo tempore collegium mansisse fratrum Arvalium numero duodecim, cuius sacerdotii insigne fuisse spiceam coronam et albas infulas. Hi sacerdotes quotannis sacrificium celebrabant Deae Diae, id est Deae Lucis Solisque, quatenus lux et sol utiles sunt agris arboribusque; unde iam Varro *Ar-*

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Id narrabat SABINUS MASURIUS in primo *Memorialium,* ut refert GELLIUS, *N. A.,* 7, 7, 8. Cfr. PLIN., *H. N.,* 18, 6.

vales ita appellatos dicebat, quia sacra publica facerent propterea ut fruges ferrent *arva*. Sacrificium per triduum fiebat mense Maio; primo die Romae in domo magistri aut promagistri (vel in Palatio in templo Augusti); secundo die conveniebant prima luce in lucum Deae Diae, ad IV ab Urbe lapidem circiter, via Portuensi; tertio die denuo in domo magistri Romae sacrificium consummabatur. Huius Collegii acta in marmore insculpi solebant; quorum fragmenta reperta tum saeculo XVI tum insequentibus (nonnulla etiam recentissime, anno MCMXIV), copiam dederunt studiosis historiam Collegii ab origine usque ad Gordiani tempora restituendi.[1] Ita servatum est etiam Carmen fratrum Arvalium. Nam in fragmentis repertis Actuum Collegii, ad annum 218 p. C. n. pertinentium (quo anno, post Macrinum, Bassianus Heliogabalus Syrus, haud bonae memoriae vir, imperator factus est), legitur praecipuo festi die in luco Deae Diae suburbano, post sacra minutissima peracta, aedem claudi, omnibus praeter sacerdotes foras egressis; tunc Fratres Arvales, intus clausos, succinctosque, libellis acceptis, carmen tripodare (h. e. saltitando concinere) consuevisse in verba haec:

Enos Lases iuvate (verba ter repetita)
Neve luaerve (vel *luerve*) *Marmar sins* (vel *sers*) *incurrere in pleores* (vel *pleoris*) (ter)
Satur furere (vel *fufere*) *Mars limen sali sta berber* (ter)
Semuneis (vel. *sim.*) *alternei advocapit conctos* (ter)
Enos Marmor iuvato (ter)
Triumpe (quinquies).[2]

[1] V. MARINI, *Atti e monumenti dei Fratelli Arvali*, ecc., Roma, 1795. HENZEN, *Acta Fratrum Arvalium*, Berol. 1874. Videsis praeterea multas commentationes editas in *Ephem. epigraph.* vel in *Notizie Scavi Lincei*, vel alibi. Cfr. DE RUGGERO, *Dizionario epigr. di antichità romane*; ROSCHER, *Mythol. Lexikon*, sub v. *Dea Dia*, etc.

[2] Facsimile inscriptionis reperies: RITSCHL, *Priscae latin. mon. epigr.*, 34, et alibi. Cfr. RICCI, *Epigr. lat.*, Manuali Hoepli, tav. XII et XV.

Post tripodationem, signo dato et ostiis apertis, publici (i. e. servi) ingrediebantur et libellos a manibus sacerdotum accipiebant.

Huius carminis interpretatio a multis tentata est apud nos, in Germania, in Gallia, alibi; longum est enumerare omnes;[1] satis sic hîc interpretationem ab omnibus fere acceptam referre, et nonnullas addere opiniones Goidanicii Bononiensis, non indignas quae a studiosis diligenter perpendantur.

Enos Lases iuvate, hoc est: Nos, Lares, adiuvate. Ubi animadvertenda est vox *enos* pro *nos*, ut apud Graecos ἐμέ, μέ. *Lases*, antiqua pronunciatione pro *Lares*, qui saepe cum Marte coniungebantur et ad terrae feracitatem obtinendam invocabantur.[2] Birtius (in « Archiv. Wölfflin », 1898) aiebat: *Lases* esse pro *Tlases*, ut *Latium=Tlatium; tlasem* autem arborem significare; Latium esse igitur regionem larum vel arborum. Lares cum Marte coniunxit etiam Tertullianus, qui memorat (*De spectac.*, 5) aram Conso Deo in circo defossam esse ad primas metas sub terra cum inscriptione; *Consus Consilio Mars duello Lares Coillo* (Κοῖλον, interna pars domus, ubi Lares colebantur) *potentes*.

Neve luerve Marmar sins incurrere in pleores, hoc est: Neve luem (et) ruem sinas, Mars, incurrere in plures; ubi *lue, rue*, recti casus habenda sunt omisso, antiquo more, *m* finali. (Italice: *Non permettere, o Marte, che la pestilenza* [lues] *e la rovina* [ruis] *piombi sul popolo*). Sunt qui disiungentes *nevel* ab insequenti *ver*, interpretentur: *noli* (ne–vel), *Vemar* (Italice: *O cattivo Marte*), *Mar sins* (Italice: *O Marte dannoso*) *ver incurrere in pleores* (Ital.: *che il prodotto primaverile*[1] *vada nel mondo dei più, dei morti, si perda*). Goidanicius noster (1902, *Studi It. di filol. class.*, pag. 270) ita legit: *Neve luae ruem siris incurrere in pleores* (Ital.: *Non lasciare che la rovina della pestilenza incorra in un maggior numero*).

[1] V. praesertim BÜCHELER, *Anth. epigraphica*, p. 1; SCHNEIDER, *Dialectorum italicarum aevi vetustioris exempla selecta*, Leipzig, 1886, I, 1.

[2] Videsis ROSCHER s. v. *Lares*.

Satur furere Mars, limen sali sta berber; Italice est: *Sazio di fureggiare, Marte, salta il limitare* (*del tuo tempio, ritorna al tempio tuo*), *e calmati, o forte*.[2] Si legas: *Satur fu, fere Mars*, erit verbis nostris: *Sii sazio, o fiero Marte*, etc.

Stowasser volebat postea: *Limens ali stat vervex* (Ital.: *Se hai fame ti nutrisci, ecco la vittima* [*che ti si offre*]). Goidanicius hariolabatur *limen* idem esse ac λοιμός (*pestilenza*) et *berber = febris*, ita ut intelligi posset: *Sii sazio, o Marte, che la pestilenza infurii, basti questa febbre!* Quid nos cogitabimus? Mihi videntur omnes, quod nobiscum ignorant, velle se scire videri!

Fortasse minus obscura verba quae sequuntur: *Semuneis alternei advocapit conctos*, quae omnes fere interpretati sunt: *Semones cunctos alternis advocate* (*advocabitis*). Italice: *Tutti i semoni* [o *semidei*] *in alterni cori invocate!* – De *Semonibus* loquuntur scriptores sequioris sane aetatis, ut Martianus Fel. Capella (lib. II, p. 156), qui dicit portionem superiorem aëris a lunari circulo ad terram claudere eos, quos ἡμιθέους dicunt, quosque Latine *Semones*, seu Semideos convenit memorare, ut Herculem, Tagetem Tuscum, Hammonem, Dionysium, Osiridem, Asclepium, alios. Fulgentius autem Planciades in expositione sermonum antiquorum, s. v. *Semones* ait ita appellatos a veteribus deos, quos nec caelo dignos ascriberent ob meriti paupertatem, sicut Priapum, Eponam, Vertumnum, nec terrenos deputare vellent pro gratiae veneratione; et locum Varronis laudabat in *Mystagogorum* libro: « Semoneque inferius derelicto, Deum depinnato orationis attollam eloquio ».

Praesertim a poëtis et prosae orationis scriptoribus celebratus est *Semo Sancus*, Deus Sabinae originis, qui dicebatur idem esse ac *Ζεὺς πίστιος*, Deus Fidius[1]; quem Aelius Stilo, ut Varro testatur (L. l. 5, 66), interpretabatur, perperam sane, *Diovis filium*, cum eo comparans Castorem Διόσκουρον. Cum hoc Semone Sanco Iustinus, Christianus apologeta, Simonem Magum confudisse videtur, quem dixit Romae ut Deum habitum esse, quum in insula Tiberina inscriptionem legisset in honorem *Semonis Sanci*. Sed hactenus de Semonibus. Nil mirum si in Carmine Fratrum Arvalium huiusmodi Semidei cuncti simul invocarentur.

At ne unquam fiducia veritatis nobis subrideat, en Goidanicium nostrum, negantem omnino, Semones apud Romanos exstitisse. Nempe a communi locutione *Medius fidius*, divisis partibus ut legeretur *me Dius Fidius* (cfr. *me Castor, me Hercule*), interpretatos esse: *Me Diovis filium*, ideoque Sancum, i. e. Iovis filium, ut Castorem Διόσκουρον, habitum esse ut Semideum, et Semonem quasi heroa; at *Semones* numero multitudinis nunquam exstitisse nisi in mente grammaticorum et mythographorum.

Quae opinio Goidanicii mihi explodenda videtur, quum tot veterum testi-

[1] Cfr. *Ver sacrum* (*il prodotto primaverile*), consecratum Diis Marti et Iovi. MARTIALIS, IX, 12, 2, loquitur de apibus, quae ver Cecropiae populantur; ver, i. e. flores. V. BIRT, *Das Arvalied*, in « Archiv. Wölflin », 1898, p. 149; STOWASSER in *Wiener Studien*, 1903, p. 78.

[2] Cfr. Hom. verba: ἆλτο δ' ἐπὶ μέγαν οὐδὸν ἔχων βιὸν ἠδὲ φαρέτρην (Ulysses). – Berber, vocativo casu cfr. βόρβορος, βεβρός, βάρβαρος, similia.

[1] OVID., *Fast.*, 6, 214; LIV., 8, 20; PLIN., 8. 194; SILIUS, 8, 422; LACTANT., 415, 8; cfr. AUG., *Civ. Dei*, 18, 19: *Sabini etiam regem suum primum Sancum sive ut aliquid appellant Sanctum appellavere*. Cfr. praeterea ORELLI, *Inscript.*, 1860, 6929; PROP., 4, 9, 71.

monia Semonum notionem confirment. Utut est, Goidanicius ita legendum esse versum credidit: *Sei muneis alterne advocabunt cunctos;* Italice: *Se i ministri voi tutti con alterna voce invocheranno.* Cui sequitur: *Deh soccorrici, o Marte.*

Denique nullam habent difficultatem extrema carminis verba: *Enos Marmor, iuvato* (*Deh soccorrici, o Marte*), *triumpe triumpe triumpe* (*tripudia, tripudia!*).

Sed hactenus de Carmine Fratrum Arvalium; fortasse etiam nimia fuerunt quae diximus.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

CONCILII NICAENI PRIMI
CENTENARIA COMMEMORATIO

Quid sint Concilia oecumenica, quae catholica Ecclesia temporibus succedentibus ex universo terrarum orbe congregavit, neminem profecto latet. Eorum primum atque celeberrimum exstitit sine dubio Concilium illud Nicaenum, cuius hoc anno sexta et decima centenaria commemoratio recolitur, cum propter definitum dogma de Filii cum Patre « consubstantialitate », tum propter clarissimos viros, Constantino imperatore non excepto, Sanctosque innumeros, qui eidem interfuerunt.

Christum esse Deum, « coaeternum consubstantialemque Patri », veritas est, quae sive ex Veteri, sive praesertim ex Novo Testamento, liquido apparet, ita ut ab omni remotissima Apostolorum et Patrum antiquitate sine ulla disceptatione sit admissa, imo dixerim praesupposita, nedum in dubium unquam revocata. Hoc tamen totius Christianae doctrinae fundamentum radicitus evertere conatus est presbyter quidam Ecclesiae Alexandrinae, Arius nomine, vir impius, vafer, atque audacissimus, ab omnibus iure merito vituperandus.

Natus est Arius in finibus Lybiae tertio labente saeculo, ingeniumque acre, sed indolem ambitiosam et arrogantem sortitus est. Antequam haereticus aperte fieret, haud uno errore repraehendendus evaserat: primum enim partibus Meletii, qui discidium in Alexandrina ecclesia contra Petrum episcopum submoverat, adhaesit; sed ad bonam frugem reversus, ab ipso Petro in diaconorum numerum est acceptus. At quum postmodum ad Meletianam factionem denuo deflexisset, ab eodem Petro ex Ecclesiae gremio eiectus est; quem iterum poenitentem Achillas, Petri successor, benigne recepit et sacerdotio insignivit.

Nihilominus, haud multo post, superbae et instabilis indolis rabies crudelior exarsit. Anno circiter 320 episcopum suum Alexandrum in sollemni Concilio de mysterio Ssmae Trinitatis contionantem insolenter Sabellianismi incusavit, doctrinamque suam de diversa Patris et Filii natura summa cum audacia defendendam suscepit.

Alexander, quum frustra Arium ab impio errore dimovere studuisset, in Synodo centum episcoporum Alexandriae convocata, eum a fidelium communione disiunxit; cui tamen sententiae Arius minime se submisit, sed potius irrisit et exinde in infandos errores praeceps agi non destitit.

Eius doctrina his resumi potest. Scriptura teste, constat Filium a Patre genitum esse: ergo Filius utpote genitus habuit initium; iam vero id quod incipit, vere et absolute perfectum dici non potest nec Deus proinde appellari. Itaque solus Pater est Deus, Filius mera creatura, etsi omnium prima atque perfectissima, qua rerum universitas a Patre producta dici debet, quoniam res visibiles immediatam Dei actionem ullo pacto ferre non possunt. Quae doctrina ab Ario callidissimo viro usque ad extremas conclusiones urgebatur, ut inde Christi divinitatem, quasi vi logica coactus, respuere videretur. Etenim si Filius est creatura, a Patre sane differt, nec eum cognoscere, eoque minus comprehendere valet; nam ad hoc

divinus intellectus requireretur, quo Arius Filium destitutum esse contendit. Praeterea, quum omnis filius sit patre posterior, Pater Filium antecedit; fuit igitur tempus quum Pater pater non erat, adeoque Filium ab aeterno, sicut Pater, fuisse dicere nefas est. Scriptura denique si quando Filium expresse Deum vocat, id nequaquam sensu proprio et litterali intelligendum est ac si Filius eiusdem naturae esset ac Pater; sed improprio et metaphorico, quatenus Filius propriae naturae praestantia ceteris superemineat Deoque propius accedat.

Doctrina haec, scelesta, sensui Scripturae dissona totique Traditioni contraria, quam tamen Arius ad salvandam unitatem essentiae divinae excogitasse perperam dictitabat, recto quidem principio, at sophistice evoluto, nititur et implicatur. Verum enim omnino est, Filium a Patre esse genitum, sed inde nil aliud sequitur, quam distinctio personarum Patris et Filii, minime vero differentia naturae in divinis. Nec firmiore ratione adstruitur Patris super Filium prioritas; ex eo namque quod Filius a Patre genitus procedit, inferre non licet eumdem a Patre olim praecessum esse, sicut lux a sole progreditur, quo tamen non est posterior.

Iure ergo merito Arius ab Alexandrina Synodo est damnatus; sed tantum aberat, ut iste episcoporum sententiae acquiesceret, ut doctrinam suam alacriore animo ubique praedicare perrexerit, hîc et illic non paucis asseclis vel inter episcopos sibi comparatis.

Agrum Domini undique depopulabantur inimici, nec spes aderat ulla ut Arius, pervicacissimus homo, aliquando resipisceret; quo citius itaque mentium et animorum discidium componeretur, Hosio episcopo Cordubensi suadente et Constantino imperatore non repugnante, ad generale universi catholici orbis Concilium deventum est. Anno igitur cccxxv Nicaeam plus quam trecenti episcopi convenere, quorum multi signa persecutionum propriis in membris deferebant, alii scientiae et sanctitatis laude praestabant. Hosio episcopo, et Vito et Vincentio presbyteris pro Silvestro Romano Pontifice praesidentibus, magnae disputationes, nec eaedem pacificae, habitae sunt. Aderat et Arius, qui eo arrogantiae processit, ut impiam doctrinam suam coram tam venerabili episcoporum coetu asserere atque defendere non dubitaverit; cui tamen acriter obstitit, inter alios, magnus ille Athanasius, diaconus ecclesiae Alexandrinae, qui postea eiusdem ecclesiae episcopus renuntiatus, vere Arianorum malleus evasit, ab iisdem invicto animo multa passus.

Plerique episcopi Arii doctrinam reiecere; alii medii haeserunt; Eusebius, episcopus Nicomediensis, cum aliis circiter sexdecim, Arianis blasphemiis assensus est; postea tamen ad agnoscendam Christi divinitatem etiam ipse adductus est, quamquam serius, quum Arium hospitio recepisset eique faveret, propria sede exturbatus est atque in exsilium pulsus.

Denique quum Arii asseclae verbis S. Scripturae indigne abuterentur eam ad proprios sensus detorquendo, Patres statuerunt ut fidei Symbolo, eo loco quo dicebatur: « Credimus in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, natum ex Patre unigenitum, hoc est de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum »; verbum ὁμούσιος, *consubstantialis,* scilicet Patri, insereretur ad omnem haereticorum cavillationem in posterum praecavendam.

Sic igitur assertum est, non inventum, dogma « de consubstantialitate » Filii cum Patre deque Christi divinitate; nec assertum tantum, sed firmatum et contra repugnantes infallibili Ecclesiae magisterio definitum. Attamen longe a veritate discederet qui cum Concilio pacem et unitatem factam esse censeret; nam Arius suam doctrinam nimirum non abdicavit et ad mortem usque, quam effusis visceribus turpissime oppetiit, sinum Ecclesiae dilacerare non intermisit.

At haec de omnibus erroribus atque inimicis amplissimum egit triumphum, pura et immaculata, qualis a Christo Domino fuit instituta, in saecula perseverans.

H. DEGL'INNOCENTI, O. P.

ETHNICUM FANUM IN TEMPLUM CHRISTIANUM CONVERSUM [1]

CARMEN FRANCISCI XAVERII REUSS IN CERTAMINE POËTICO HOEUFFTIANO ANNO MCMXXIV MAGNA LAUDE ORNATUM. [2]

Haec tibi dictabam post fanum putre Vacunae.
(HOR., *I Ep.*, 10).

Apenninus ubi silvester et arduus amnem
prospectat Lirim, rivumque repente novellum
effundit Melpham, memorabile stat duodenis
a saeclis Templum, Soranae gloria Mitrae.
Heic olim, cum Roma Iovi Venerique, litaret
arula surgebat graveolenti structa Mephiti.
Foeda sed ara ruit, Benedictus nobile post-
[quam
condiderat Magnus vicino in Monte Casino
Coenobium, mox immensâ propagine clarum.
Hinc septem numero monachi petiere Mephitis
sedem pestiferam, fanumque aspergine sacrâ
thureque purgatum Cellam fecere Mariae,
Matris virgineae, nitidis quae purior astris
sontibus heu! nobis atraeque neci tradendis
aeternam peperit, Christum largita, salutem.
O priscae pietatis opus, venerabile Templum!
Araque votivis tot circumsepta tabellis,
quae millena piae testantur munera Dextrae!
His tu muneribus quam suaviter, inclyta Virgo,
corda trahis, Raptrix animorum iure vocata!
Huc ad te properant, spretâ asperitate viarum,
agmina densa, tibi resonos communiter hymnos
fundere laeta, vigil quibus ilicet assonat echo.
Advolat huc Romae Capuaeque habitator opi-
[mae,
Marsus item Samnisque et qui colit Hernica
[saxa,
quique bibit vitreas quas Fucinus eiicit undas,
et qui Caudinas prope Fauces transigit aevum.
Turmatim veniunt, cantantes gutture pleno,
aut Gabrielis AVE recitantes voce sonorâ
alternisque choris, labor ut minuatur eundi:
aequat enim scabros vocis modulatio calles.
Interdum pia turba sedet qua porrigit umbram
lucus, et unde latex erumpens pocula replet
exstinctura sitim. Tum sacrâ se cruce signans,
gustat quisque suum (quod onus, nihil inde
[gravata,
Marsica fert mulier capiti impositum subrecto)
prandiolum: panem, lac pressum, fumida per-
[nae
segmina porcinae, quibus addita poma nuces-
[que.
Apparet tandem longarum meta viarum,
Septenûm Fratrum *pagus montanus, ibique*
occiduo sub sole nitet silvestre Sacellum.
Ante fores cernis paulisper sistere fessos,
quos iuvat expertum lepide memorare laborem.
Ingressi templum modico sub Pane latentem
caelorum Regem, Christum, reverenter adorant.
Arâ dein aditâ Mariali, Virginis almae
sculptile mirantur Simulacrum, quod face
[multa
cingitur et gemmis radiat rutilâque coronâ;
haecque vorant oculis spectacula, non secus
[ac si
ipsam conspicerent delapsam ex aethere Divam.
Dulcibus interea lacrimis gena quaeque ma-
[descit;
cor micat et pectus sacro deflagrat amore;
labra preces ac vota pio cum murmure fun-
[dunt.
Quae prosint animae deposcit turba precantum,
quaeque iuvent etiam deceantque levamina cor-
[pus.
Poscitur, a membris procul absit morbus, et
[ignis
a tectis, ab agris locusta ac horrida grando,
a patriâ demum discordia diraque bella.
Munera sed quoniam peccantes nulla merentur,
culpas quisque suas, delendas sanguine Christi,
rite dolet; mox et sacrâ, iam criminis expers,
assidet in Mensâ, morum fautrice bonorum.
Caelesti Dape nutritos has mittere voces
audis: « Christe Deus, rex esto noster, et exhinc
unus tu rege nos, tua iussa facessere prom-
[ptos! ».
Haec etiam cantant; canor et ferit aethera,
[sacrae
dum pompae longus pedetemptim volvitur ordo,
serica dum laete fluitant vexilla per auras.
. . . . . .
Festi praeteriere dies; aurora rubescit,
quae repetenda iubet sua cuique domestica
[tecta.
Rursus adit templum pia plebs, dictura supre-
[mum
cum gemitu lacrimisque VALE, decies iteratum.
Discedunt tandem, meliores inde futuri
Christiadae: vitiis aversi, blandius etsi
alliciant animum; simul et virtutis amantes,
pensa licet virtus quandoque perardua poscat;
discedunt, dociles divini nempe Magistri
discipuli, legioque Duci devota supremo;
egregii demum cives: nam subdita Christo
gens et Caesareis parebit legibus aequis.

[1] Situm est hoc templum in alta atque abrupta valle Apennini meridionalis, quae metris MXX aequor maris superat, prope locum ubi rivus Melpha exoritur. Densa circum nemora supersunt, et arundineta olim, seu canneta, exstabant, unde sacra Aedes nomen accepit. Hîc olim fanum surgebat, quod pagana superstitio deae Mephiti dicaverat, ad avertendam aëris graveolentiam e densitate silvarum et aquarum corruptione oriri solitam. Huius cultus exsistentiam demonstrat reperta ibi columellae pars, in qua haec legitur inscriptio: N(umerius) SATRIVS N(umerii) L(ibertus) STABILIO | P(ublius) POMPONIVS P(ublii) L(ibertus) SALVIVS | MEFITI D(ono) D(ederunt). Fanum hoc a septem monachis, e vicino Monasterio Montis Casini profectis, in Aedem Deiparae Virgini sacram conversum est. Huius templi et monasterii inde ab anno post Chr. nat. DCC mentio fit in Archivo Casinensi, ubi legitur « principem Capuanum Dagenoldum donasse omnia bona sua ad ecclesiam S. Mariae de Canneto in *Septem Fratrum* ». Pagus ibi conditus, in cuius territorio situm est templum Cannetense, servat ad hunc usque diem nomen *Sette Frati*. Saeculis etiam subsequentibus hoc templum memoratur, tum in Archivo Casinensi, tum in actis publicis. Sic anno 989, die XI Novembris prodiit « Bulla » Ioannis PP. XIV, ubi legitur: « ... Verumetiam et Monasterium S. Mariae, situm in finibus Beneventani, in loco qui dicitur Canneto iuxta flumen ». Sacellum hoc Mariale magna gaudet celebritate et visitantium frequentia. Singulis annis huc affluere solent, ex dissitis etiam locis, pii peregrini, quorum numerus sexaginta millia aequat, vel etiam superat. Concursus maximus fit mense Augusto, intra octavam Festi Beatae Virginis Mariae in Caelum Assumptae.

[2] Amplissimas gratias iteramus RR. PP. Congregationis a Ssmo Redemptore, quod carmen hoc auctoris desideratissimi nobis edendum ultro tradiderint.

SANCTUS LAURENTIUS

BASILICIS IN URBE AEDIFICATIS MAXIME EXORNATUS

Qui olim, florente adhuc republica, et primis potissimum imperii temporibus, Romam inviseret, secus viam, quam *Sacram* vulgo appellabant, hinc inde sepulcra Consulum vidisset, aliorumque clarissimorum civium, qui rebus praeclare gestis, memoriam sic nominis sui ad posteros prorogarent.

Ita enim, in honore per tempus manebant, qui fusis ante in bello patriae hostibus, atque etiam prolatis reipublicae finibus, rem romanam virtute sua firmaverint vel modo restituerint.

Sic Roma, fortunandis hominibus quodammodo nata, suorum filiorum praesidio advigilabat, et dum publicam securitatem asserit, suorum facinora cum statuis effingebat, acerrima aequalibus et posteris incitamenta.

Ac propterea Roma, tacitis equidem historiis, peregrinos monet, hîc apud se suavem civium memoriam coli, et dum ultro implacabilis in hostes ardet, animos suorum attollit.

De hac defunctorum memoria fortasse et de cultu Vergilius cogitabat, quum scriberet:

Grandiaque effossa mirabitur ossa sepulcri.

Et omnes gravi vultu habituque vel in statuis efficti, antiquam honoris personam atque magnitudinem marmore referebant.

Postea vero, senescente iam imperio, secus eamdem viam, novae hominum effigies apparuerunt, et variae, et quam pri-oribus differentes! Quam modesti sunt et tenui tunica vestiti! Nec iam oculis eorum micat acribus ignis; sed demisso vultu, et graciles saepe facie pacem attamen et felicitatem in vultu ferunt.

Si iisdem nominibus appellantur, modo ad gentem Aniciam pertinent, modo ad Aureliam, habitu tamen distinguntur et ore. Oh quam graphice! Semel atque iterum et iuvenum imagines depinguntur, et puellarum; uno verbo:

Pubentesque genae, at inventi in corpore virtus.

Quae ad caelestia unice spectantes, mortalia quaeque contemnebant.

Et revera ad ipsas Urbis portas, sacro veluti martyrum sanguine decoratas, in viarum prope consularium limine, adstant, Romae tamquam satellites caelestes, quattuor Basilicae, quas in sepulcris Romanorum pietas clariorum christiani nominis magistrorum dicandas curavit. In via enim Cornelia est Sancti Pauli Ostiensis titulus; Sancti Sebastiani in via Appia; in via Nomentana Sanctae Agnetis; et in Tiburtina Sancti Laurentii, ubi Romani ad magnanimorum heroum sepulcra provoluti cum lacrimis suam admirationem precibusque confitebantur.

Ad tumulum tamen Sancti Laurentii, incolae et advenae frequentiores conveniunt, et saepe saepius magna quoque et publica pompa. Qua autem causa? Primum quod durioribus tormentis adflictus, laeto sit atque hilari vultu religionem professus; deinde, idque verius fortasse et gloriosius, quod vel inter tot exquisita supplicia in craticula adfixus pro Romanorum suorum ad Deum conversione adprecatus, generosam animam perfuderit. Sic Scevola recens antiquo multo praestantior et nobilior, ad Superos evolavit, et magnam patriam immortali gloria illustravit. Quem Leo P. M. admiratus, qui hostes christianae Crucis blandientes irrisit, imperiosos non expavit, suis Romanis commendabat dicens: « Superari caritas Christi flamma non potuit; et segnior fuit ignis, qui foris ussit, quam qui intus accendit ».

Et hodie qui ad monumentum Martyrum adoraturi accedunt, audire per aërem reputant canticum, quo olim Roma milites de gentibus triumphantes excipiebat. Carmina enim resonare Damasi P. M. videntur:

Verbera, carnifices, flammas, tormenta, catenas,
Vincere Laurentius sola fide potuit!

Et semper Roma Laurentio suo gratissima fuit.

Ei prae ceteris, vel inde a primis Ecclesiae temporibus, complura monumenta dicavit; et, si mihi dicere fas esset, neque ipsis Apostolis, adeo pretiosa ac miro artificio confecta. Sunt equidem octo ecclesiae in eius honorem Romae dicatae, quarum tres Romanis carissimae, quod Martyr ipse eas praesentia sanctificavit, vel operibus quodammodo insignivit.

Eo nomine Basilica *in Miranda* potius laudatur, et *in Panisperna*, et *extra Muros*. In hisce enim templis elegantes statuae et picturae, mirum in modum nunc *Iudicii* triumphum et Martyris; nunc *Reversionem* martyris e flammis graphice referunt.

Haec templa in Urbe Sancto Laurentio dicata, atque egregiis admodum picturis decorata atque statuis, sunt veluti suavissimi cantus, qui mentes hospitum luminibus suis hilarant; dummodo christiano more visitent, et illustres hominum imagines dulciter revolvant.

Quo facto, Roma est omnibus qui peregre intelligenti eodemque divino spiritu eam visitant, vivens quaedam mirabilium voluminum collectio, quae quidquid optimum redolet, quod ad religionem pertinet, tum a marmoreis monumentis, tum e picturis statuisque, nunc in Basilicis nobilissimis, nunc et in humili ac vetustissima aedicula, in aeternum mansurum.

Inter tres istas romanas Basilicas, praestantior est utique et nobilior, quae, romano more, *ad Corpus* dicitur. Haec enim super gloriosi martyris exuviis primum est constructa apud *Fundum Veranum*. Ibi Cyriaca, clarissima foemina e Veranorum gente, in suo hypogeo libentissime Martyris exuvias excepit.

Verum quum primum, Constantini imperatoris studio, res christiana in pace quievit, cultus in sanctum Martyrem vividior eluxit. Ipse enim imperator, prodigam Laurentii animam admiratus, in eius sepulchro insignem Basilicam exstruendam curavit. Quae si, labentibus annis, variam fortunae rerum conditionem passa, in peius omnino ceciderat, nunc temporis iniuria nunc hominum, fato nostro bono, recens adsurrexit: Pius IX P. M., veterem Basilicam squallore detersit, picturis excoluit, cultuque splendidiore exornatam ad pristinum decus felix adduxit; operibus subinde ampliatis, auro, picturis, altaribusque marmoreis vermiculato musivo opere magnificentissime decoravit. Ipse complura vetustarum artium monumenta, iamdiu, aggestis ruderibus condita, impensis suis detegenda diligentissime curavit. Ad latus Sancti Pontificis, eiusque intelligentis consilii supremus interpres atque arbiter, erat I. B. De Rossi, qui rerum antiquarum in Urbe vindex, in inveniendis Urbis ruderibus sanctorumque memoriis maiorum hominum gloriam est consecutus. De quo, quum magnus illi saeculi sui decor atque ornamentum Pius IX P. M. feliciter loqueretur, et praesertim de Sancto Laurentio, se se argute cum Damaso componere solebat, et I. B. De Rossi Hieronymum sibi suffragantem appellabat. Re enim vera, quot artes ipse fovit! Quot artifices insignes excitavit! In quorum honorem vel Ordinem equestrem instituit, ut esset meritis praemium, merituris incitamentum. Ipso adnitente, Caesar Fracassini pictorium opus inchoavit, sed in ipso aetatis operisque flore, morte interceptus, rem suis alumnis, ex suo consilio, profligandam reliquit.

Quae quum ita sint, quisquis nostris diebus Sancti Laurentii aedem ad Campum Veranum ingrediatur, magnum quoddam museum cernit affabre quidem expolitum et ex pretiosioribus lapillis compositum. Et in statuis, in picturis, in omni opere tectorio romana virtus elucet, quam non aliunde, quam ex diviniore christiana sapientia, feliciter auctores expresserunt. Etiamsi, aurea florente Italicarum artium aetate, complures Laurentium ornaverunt, et prae ceteris Bernini et Bonarrotus, principem tamen locum Pius IX sibi facile comparavit. Et apud hunc fortissimum Martyrem, quem unice dilexit, ut apud Dominum defensorem haberet, post mortem se componi iussit.

Utinam adsidue ex S. Laurentiis exemplo complures fortissimi viri in religione adfulgeant!

SENIOR.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Poenitentiarius – Praefectus admissis poenitentium expiandis. – *Poenitentiarius Maior:* Summus Magister criminibus expiandis.[2]

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Maioris Poenitentiarii theologus* (Romae): A consiliis summi magistri criminibus expiandis. – *Apostolicae Poenitentiariae Regens* (Romae): Summi Magistri criminibus expiandis adiutor a rescriptis. – *Poenitentiariae Apostolicae Corrector* (Romae): Praepositus libellis poenitentium recognoscendis.

Poëtaster – Malus poëta; Versificator.

Pons levatorius – Pons subductilis (pensilis; versatilis).

Populare (*aliquem locum*) – Aliquem locum frequentare (frequentem facere).

Populosus – Frequens; Hominibus celeber.

Possibilis – Quod fieri potest; Quantum consilio effici potest; Si res facultatem habet.

Possibilitas – Facultas; Vires.

Possidens – Dives.

Posta – Cursus publicus.

Postema – Apostema; Suppuratio (Suppuratum); Vomicae morbus (Vomica).

Posterior – Posticus.

Practica – Praxis; Usus. [1]

Praeconceptus (*Praeconcepta opinio*) – Opinio praeiudicata (prava; falsa); Error.

Praedecessor – Antecessor.

Praedicator – Concionator; Evangelii praeco; sacer Orator. [2]

Praelatus – Antistes. [3]

Prae oculis (*habere*) – Ante oculos versari.

Praepositus (*alicuius religiosi Ordinis*) – Magister.

Praesagium – Praesensio; Praesagitio; Praedictio rerum futurarum.

Praesidens – Praeses; Praefectus; Praepositus.

Praesumere – Multa sibi sumere (arrogare); Audere; Nimium sibi tribuere. [4]

Praetendens (*regni*) – Regni aemulus; Qui regnum affectat.

Praetextus – Species; Nomen; Simulatio; Causa; Obtentus. – *Praetextus sumere*: Alicui rei causam obtendere (rationem praetendere); Obducere recti speciem; Causam praetexere. [1]

Praevalere – Viribus superiorem esse; Superare; Vincere.

Precarie – Precario.

Primates – Optimates; Principes civitatis; Primarii viri.

Presbyter – Sacerdos. [2]

Primatus – Principatus.

Primogenitura – Antecessus natalium (diei natalis); Ortus primitiva; Maior aetas.

Primogenitus – Primigenus; Primus natorum; Natu maior [si inter duos natos]; Natu maximus [si inter plures natos].

Principium – Ratio; Praeceptum; Sententia.

Prior (*alicuius Sodalitatis aut Ordinis*) – Magister (Magister prior); Praefectus; Praepositus. [3]

Private – Privatim.

Privilegiare – Privilegio aliquo afficere; Alicuius rei privilegio munire; Aliquem communi lege eximere.

Proauditor – Iudicanti suffectus. [4]

Processio (*sacra*) – Pompa; Supplicantis populi processus. [5]

Processus – Acta; Quaestio. [6]

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

---

[1] Itaque *Aliquid in practicam adducere:* Aliquid ad praxim (usum; opus) reducere (redigere).

[2] In hoc sensu igitur *Praedicare:* Orationem (Concionem) sacram habere; De fidei Christianae mysteriis (De rebus divinis) ad populum verba facere; Populi animos sacra oratione accendere (ad virtutem arrigere); Populum sacris concionibus inflammare; Publice verba Evangelica habere; et sim.

[3] *Praelatus domesticus Summi Pontificis* – Adlectus inter Antistites Pontificiae domus; Antistes domus Pontificis Maximi.

[4] Sed pro « prius sumere » probum est.

[1] Itaque *Praetextu aliquo:* Per speciem; Per causam; Simulatione; Sub specie; Obtentu; Nomine [amoris, honoris, etc].

[2] Cfr. *Ordinare.*

[3] *Cleri Prior:* Curio Maximus. - *Urbanarum regionum prior:* Summus Magister Regionum Urbis. - *Prioratus:* Magisterium. - *Priorissa:* Antistita.

[4] *Proauditor Summi Poutificis* (Romae): Suffectus vice sacra iudicanti.

[5] *In processionem ire* - Inter supplicantes incedere; Cum agmine supplicantium procedere (progredi); Cum agmine sollemni pompa composito supplicationem obire; Supplicem ire in aliquem locum; et sim.

[6] Itaque: Ex actis damnatus est; Quaestiones de alicuius administratione instituere; In administros quaesitum est; etc.

COLLOQUIA LATINA

Deambulatio.

A prandio saltitant pueri per domus cavaedium: sonat Praefectus tintinnabulo, et paullo momento fit silentium. Ille manu innuit ut ad se accedant omnes, dum PETRUS haec murmurat verba:

— Heus, heus, arcessimur!

AMATUS. Quid igitur erit novi?

IOANNES. Gratum certe nuntium hariolor.

PRAEFECTUS. Hodie sudum est, quod videtis; placetne deambulatum petere?

OMNES (*alii aliter*). Io, belle, pulcre, bene, recte!

RAIMUNDUS. Quid caussae est, Praefecte?

FRANCISCUS. Quid adeo liberaliter nobiscum agitur?

PRAEF. Dicam. Quattuor abhinc dies Rectoris nostri duximus nominalem...

IOSEPH. Quid iam? Iterum ducemus?

CETERI. Inepte, tace, sis; ausculta.

PRAEFECTUS. Eo vero die, ut scitis, Conlegii statuta, praeter cetera, diutinam concedunt deambulationem.

ROBERTUS. Necdum equidem illam habuimus ..

AVELINUS. Sile modo, et tu, incomis.

PRAEF. Prae incommoda caeli tempestate adhuc nobis integrum non fuerat foras exire. Hodie igitur hunc splendidum carpemus solem.

IACOBUS. Vulgarem gestamus vestem, Praefecte.

PRAEF. Nihil refert. Nunc ipsum silenter dormitoria ascendite atque induite vos mediocrem, non autem optimam, ne postea in ludendo sit vobis impedimento.

XAVERIUS. Quid de calceamento?

PRAEF. Quas fertis nunc lusorias sparteas exuite, et mundos vobis calceate calceos.

ANTONIUS. Adportabimus nobiscum merendas?

PRAEF. Certo equidem, quod me fugiebat.

IACOBUS. Ergo bulgis erit opus.

PRAEF. Quisque suam ad merendam capiet bulgam, dum Ioannes de ipsa oeconomum admonebit.

IOAN. Convenit.

AMATUS. Quo tandem iter faciemus? Nam nisi deambulationis termino fons proxime adsit, minus iucunde merendam sumemus.

IOSEPH (*ad aures Amati*). Ne cura de fonte, mellinas [1] namque gestabimus turgidulas dulcissimo mero.

AMATUS. Ain vero?

ANT. Sic enimvero.

PRAEF. Quem ad fontem ire lubet, pueri?

FRANCISCUS. Ad fontem paradisi, quem dicimus. Omnibus ni fallor, fuerit iucundum.

PETRUS. Quod ad me attinet, nihil ita iucundius accidere potest. Ibi enim ludere poterimus; est namque illic proxime campus latus et ad ludendum mirum in modum commodus.

PRAEF. Placetne cunctis?

OMNES AD UNUM. Placet vere!

IOAN. Si tamen ludendum erit, ludi apparatus rus adducere necesse habemus.

IOSEPH. Quin pilas quaesitum curris?

IOAN. Sed pilas tantum?

AMATUS. Efferto quoque clavulas, ut clavulae ludo, quem unice volumus, ludere possimus.

PRAEF. Numquid amplius?

ROB. Qua tandem procedemus via?

PRAEF. Scietis postea. Modo autem quinque habetis minutas, ut deambulationi vos accingamini.

(*Hac illac silentes dilabuntur omnes discipuli galerum, collaremque atque omnem ad iocos et merendam assumpturi apparatum. Brevi temporis intervallo, ad ianuam praesto adstant*).

---

[1] Cfr. PLAUT., *Epid.*, I, 1, 23.

PRAEF. Terni consociamini sicut estis designati in comitum claviculario.

IOSEPH (*qui ductor est*). Quam viam arripiemus, mi Praefecte?

ANT. Nisi per stratam vadamus, lutum altum reperiemus.

PRAEF. Bene admones, Antoni. Audi, Ioseph, itinerarium. Quum ab ianua discesseris, praeterito Ecclesiam, et inde pergito ad dexteram. Ubi ad stratam veneris, flectito ad laevam usque ad Theresianas sanctimoniales. Tunc clivus est ad dexteram; hac te praecipitato quoadusque transieris Gurrii pontem. Secundum illum in compito consistite parumper. Tenesne?

IOSEPH. Teneo maxime. Audi nunc, Praefecte. Quum domo egredimur, Petrus hic semper campanulam movere contendit aut taxillum tympani deprimere.

PRAEF. Saepe monui, Petre, istuc cuia intersit. Agite iam, procedite.

Vici, in Hispania, mense Iulio MCMXXV.

EMM. JOVÉ, C. M. F.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De quodam carmine in honorem Beati Aloysii Gonzaga.

Suavissime rerum!

Heri mihi forte ob oculos venit liber quidam antiquus, cui est titulus: *Francisci Remondi e S. I., Carmina et Orationes*. Nomen probe est mihi novissimum, fortasse et tibi, ni fallor, aliisque. Sed e contra, mea quidem sententia, dignus utique est et nostra aetate memoratu; ita nonnulla eius Carmina latinitatem augustaeam utique redolent, et cum optimo quoque sui saeculi elegantia verborum et nitore certare videntur.

Sit in exemplum elogium, quod de B. Aloysio Gonzaga composuit, cui auctor paulo ante fuerat Romae in Theologiae disciplinis auspicatissimus socius.

En Carmen versibus alternis exaratum:

Est sua frumentis, est sua vitibus aetas;
Et sua graminibns, frugibus atque sua.
Sunt sua fluminibus constantis tempora cursus,
Et trepidat certa lympha sonora fuga.
Ludovice, tuos properas dum fundere fetus,
Grataque sollicito tendis in astra gradu,
Fructibus aetatem praevertis, tempore cursu,
Praemia maturos praeripis ante dies.
Sic tibi flos fructus, sic prima iuventa senectus;
Sic fuit ambiguus partus in interitu;
Sic fuit hora aevum, sic punctum temporis aetas.
O iuvenis cunctas rumpere digne moras!

Quam felix sit ipse carminis exitus, quamque omnia lepide dixerit, tute ipse videbis.

Hac mecum igitur utere carminis dulcedine, plurimumque vale.

I. B. FRANCESIA.

De mira quadam ad Urbem peregrinatione

Quae perpetua et varia hominum in Urbe fluctuatio! Etiamsi ipsa Romae conditio sit causa continuae huius hospitum frequentiae, Annus Sanctus multum equidem eorum concursum omnibus diebus adauxit. Attamen inter sacras recentes peregrinationes principem ponere haud dubitaverim illam, quae modo Urbem invisit, alumnis composita ex viginti et amplius nationibus una simul collectis. Admirabile sane novumque populorum Collegium, quod nuper Augustae Taurinorum est apertum, disciplina Salesianorum bonis artibus diligentissime informat, pietate colit et religione, ut postquam omnem studiorum curriculum alumni fuerint emensi, in patriam redeuntes, germanam romanamque sapientiam cum suis facile communicent. Hi enim a tot dissitis regionibus, in Collegiis Salesianis alti educatique, Italiam petunt, ut perfectione quadam morum atque disciplinae adepta, cum suis aliquando rectam magistri sapientiam tradere possint.

Hi vero, linguis olim atque ingenio dissoni, moribus nunc et disciplinis pulcherrime coniuncti et italice colloquentes, proni in obsequium erga summum parentem et magistrum Catholici Nominis, Pontificem Maximum, divino tantummodo numine devincti, in unum animorum consensum coaluerunt.

Hoc mirum sane portentum divinam religionis vim portendit in populorum mentibus efformandis atque colendis; id Italicorum pectus optime pertentat.

Quum primum autem Florentinorum Municipium cognovit, huiusce Collegii alumnos, Urbe profectos, mox per suam civitatem transituros esse, omnium animum atque voluntatem praeoccupando, cunctis suffragiis cavit, ut libere ipsi possent celeberrima monumenta atque musea invisere commodeque perspicere. Quin imo in municipalibus aedibus illos honeste accipere statuit eosque munifice habere.

Quod sane consilium honorisque commentum omnes grate accipient amplissimisque laudibus extollent.

FR.

ANNALES

Foedus Italiam inter et Iugoslavorum civitatem.

Neptuni, in oppido ad Romam, die xx superioris mensis Iulii ab Italici gubernii praeside et duobus Iugoslavorum legatis cum omni potestate foedus subscriptum est intra duas hasce finitimas civitates, iuxta conventa in colloquiis, Venetiis primum, ac deinde Florentiae habitis. Per huiusmodi pactiones quaestiones plures solutae sunt iam diu hinc inde agitatae, atque confidere licet fore ut diuturni labores optatum exitum afferant in bonam firmamque amicitiam, ab omnibus cum fide exoptatam. In iis vidimus Zaram urbem mutuarum commutationum centrum fieri posse; et Flumen urbem ostium futuram, ex quo tum Iugoslavorum commercii res in Occidentem effluant, tum Italorum in Orientem dirigantur.

Paucis autem diebus post Romae alterum commercii foedus, quamquam pro tempore, sanctum est inter Italos atque Hungaros.

***

Ruhris provincia ab exteris copiis vacuefacta.

Sint haec fausta ac felicia verae pacis auspicia; quibus accedant actiones, quae Germaniam inter et Galliam, – Angliae, uti notavimus, auctoritate interposita, – tam concilianti studio perdurant, ut tandem ex Ruhris provincia exterorum copiae ab occupatis locis recedere et in civitates suas redire iussae fuerint; quod sine ullo ingrato casu et tranquille effectum est.

***

Belli rumores.

Verum belli rumores audiri non desierunt. Atque primum ex Mauritania, in quam, rebellibus ad Fez urbem semper tendentibus, Gallia cum armis omnibus milites mittit, dum cum Hispania de communi in Riffanos illos actione convenit.

Ex Syria quoque seditiones nunciantur; ut de Sinensibus non dicamus, ubi igni, qui exstinctus videtur, incubat cinis, neque is tam spissus, ut favillas et ipsa incendia prohibere valeat.

In Graecia denique militaris factio, cui Pangalos, copiarum dux, praeerat, descivit, et Copolausi gubernium ab officio recedere coegit. Nunc Pangalos summa rerum tenet, atque profitetur se proxime populum ad comitia vocaturum ratione illa, quae « proportionalis » nunc vulgo appellatur.

POPLICOLA.

ROMA SACRA

Suprema S. Congregatio S. Officii.

Per decretum d. 22 Iulii 1925, proscripta, damnata atque in *Indicem librorum prohibitorum* inserta sunt, cum omnibus eorum editionibus, opera et scripta, quae infra recensentur, edita a Sac. Doct. IOSEPH WITTIG, professore ordinario Historiae Ecclesiasticae, Patrologiae et Archaeologiae Christianae in Universitate Wratislaviensi:

1. *Die Erlösten,* in: *Hochland,* a. XXIX, vol. 2 (1922), fasc. 7, pag. 1-26.
2. *Meine « Erlösten » in Busse, Kampf und Wehr.* Habelschwerdt, Frankes Buchhandlung.
3. *Herrgottswissen von Wegrain und Strasse. Geschichten von Webern, Zimmerleuten und Dorfjungen.* Freiburg i. B., Herder.
4. *Das allgemeine Priestertum;* et *Die Kirche als Auswirkung und Selbstverwirklichung der christlichen Seele,* in: *Kirche und Wirklichkeit, ein katholisches Zeitbuch, herausgegeben von Ernst Michel.* Iena, Eugen Diederichs, 1923, pag. 21-43 et 189-210.
5. *Leben Jesu in Palästina, Schlesien und anderswo.* 2 voll., Kempten, J. Kösel et F. Pustet.

VACUI TEMPORIS HORA

Numne audistis? Stochr, in athenaeo Wirzburgensi decurialis doctor medicus, in sollemni concione declaravit sese cor alterum bufoni cuidam inseruisse hoc felici exitu, ut quum bufonis cor palpitare desiisset, alterum bufoni eidem vitam servaverit. Clarissimus vir orationem conclusit confessus inventum suum ad homines heu! sibi applicare non licuisse, hac unica causa, quod satis cuique fuerit cor suum habere, a quo noluerit sese seiungere.

Sed macte, professor, bonoque animo fidentique spe esto; tot enim sunt hominum ingenia, ut qui successus Woronofio illi ad iuventutem inter hominum scruta restituendam arrisit, et tibi non sit defuturus; eoque magis quod quum res in tuo casu substituenda ab humano corpore avelli nequeat, necesse fuerit a bestiis eam sumi. Sane, quo vivimus tempore, quum homines ad bestiarum naturam tam proclives videantur, non est dubium quin et bestiae alicuius cor tandem aliquando reapse cupiant. Unice studendum erit quod cordis genus uni aut alteri proponatur. Bufonis cor – (quamquam o quam bufones nos circum videmus!) – credo iri certe reiectum, ob rationes quas tantummodo... *hygienicas* dicam; pariterque cuniculi, quod ignavum ac timidum esse nemini arridebit; atque fortasse canis; nam si latrare in more est, itemque mordere, facile contrahi posset fidelitatem, quae ignota nostris diebus facta omnino est; ut praeteream, dum Bacchus imperat, aquae timorem, eoque magis quod vitam per hydrophobiam eripere valeret. Verum parvo quidem negotio invenientur qui leonis, tigris, hyaenae, lupi, vulpis, serpentum, maxime autem balaenae et huiusmodi cetorum, certum verumque cor in suo pectore gestare appetant.

Non igitur desperandum erit fore ut **cordis substitutio** a Stochr inducta prosperum maxime exitum sit habitura, donec saltem homines ad illam cordis permutationem perficiendam ipsi non devenerint, quam viginti abhinc saeculis Filius Dei, Filius hominis factus, quum, culparum voraginibus revelatis in humano corde, centro et origine delictorum et perturbationum omnis generis frementium, imposuit edocens animum videntem et cupientem naturam suam adulterasse; atque coram hominum cultu turpi ac violento, impuro ac sanguine madido, a monte novam beatitudinem clamavit: « Beati mundo corde! », et in se aperuit renovationis fontem ac modum: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde! ».

***

Ceterum ad sanctam hanc doctrinam et Gallus noster nos revocat, menstruis hoc anno monitis suis:

Quot sint malorum fontes inter homines,
Invidia fratrum sordida et superbia,
Et ipse gallus studiose praemonet.
Bellicum gallorum narrat ingenium,
Mores ut humanos incuset acrius.
Galli si forte duo sint in area,
Primum se longe mutuo considerant,
Et lento gradu, mox, demissis oculis,
Alis scalpturiunt, caute se circumeunt,
Et acres vocibus glocidant raucisonis,
Aer ut omnis repleatur strepitu.
Ad frontem tandem adgrediuntur simul.
Fulgur tunc explodit ingens, et tonitrua!
Super furit quisque, praeceps et proripit;
Sic hostem rostro lacerat et unguibus;
Alter ut tandem decedat inferior...
Breves ponuntur aliquando induciae,
Modo sed ut redeant acriori spiritu,
Cadet sic demum fessus hic vulneribus,
Ille restabit unus campi dominus!
Gravis sed causa dicitur quae sanguinis?
Modo nos studio ducimur certaminis;
Amor dulcis trahit vanae gloriolae!
Mirum non est nobis, simus quod nos belluae!
At vos qui doctos dicitis philosophos,
Mentem divinam possidetis unici,
Superne manent regna quos caelestia,
Una ad certamen ducit vos superbia,
In fratrum damnum rapit vos invidia!
Pulcris iam fulgeat redimita floribus
Pax, et in malis maxima patientia,
Caritas concors, inimica litibus,
Et bonarum rerum mater pulcherrima!
Quot uno fonte derivantur rivuli,
Commoda qui cuncta generant hominibus.
Est hoc galli morituri augurium,
Vel se offerendo pacis in obsequium
Inter orandum laetis in conviviis!

***

Iocosa.

Magister Tuccio:

— Animos igitur intendas: Si ab integro quattuor dempsero partes, quid restabit?

Tuccius tacet. Instat alter:

— Rem exemplo explicabo: Si ex persico in quattuor partes diviso, unam post aliam partem mihi abstulero, quid reliquum tibi erit?

Tuccius subtristis:

— Proh! os...

—

Tuccius Patri:

— Numne magister poena discipulum afficere potest si verum dixerit?

— Minime gentium, profecto.

— Eccur igitur me punivit affirmantem lectioni non studuisse?...

***

Aenigmata.

I.

Abrogat, absolvit *primus,* qui privat et arcet,
Qui in cauda est semper, semper et in capite.
Alter per saltus saltat, tutante Diana.
Totus dat vires rethori et agricolae.

II.

R urbs Tusca fui, Romae quae sacra recepi;
D comitor rixas, saevaque bella sequor.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent; 1) *Ara – Hara;* 2) *Caminus – Canus.*

IOSFOR.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*
ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS [7

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

ACTUS II.

Scena est Forum Romanum. In medio pila est cum sede lapidea. Plena nox est, lumina ergo offuscentur. Pila talis sit, ut apponi possit scala. In capite exstet clavus ad suspendendam tabulam.

SCENA I.

PANCRATIUS et QUADRATUS *inter se colloquentes per forum eunt.*

PANCRATIUS. In foro, Quadrate, esse dicis vigiles.

QUADRATUS. Immo omnes custodiuntur aditus. Sed quid nobis officit, quum teneamus, quae modo data est, tesseram?

PANCR. Quae illa est, cedo?

QUADR. Numen imperatorum.

PANCR. (*territus*): Ah! Ista verba, quum ab fide abhorreant, nobis ne proloqui quidem fas est.

QUADR. Probe id teneo. Et de industria verbis istis Christiani, si qui forte noverint, foro prohibentur. Sed barbari custodiunt sermonis huius plus minusve nescii, id quod ex re nostra est.

PANCR. Qui? cedo.

QUADR. Nulla res hac simplicior. Mutato nos priore verbo tesserae, imperatorum dicemus « nomen ». Hoc verbum fidem nostram tangit minime, neque barbaris ulla, quod interest, erit suspicio.

PANCR. Spero id equidem. Iesus nos iuvet!

QUADR. Sed iam ad Severum devertamur, fossorem, hominem dudum familiarem nobis. Apud illum ad multam noctem quum fuerimus, quod dixi perficiemus.

PANCR. (*abiens*): Ad Severum perlibenter te sequor. Est enim quod interrogem. Senex certe adfuit, Laurentius quum enectus est. Eam rem narrare iussero (*Abeunt*).

SCENA II.

CORVINUS, HYPHAX, DUO MILITES.


CORV. *portat volumen distinctum litteris, malleum, clavos.* HYPHAX *tabulam,* UNUS EX MILITIBUS *scalam,* ALTER *tectam lampadem.*

CORV. Advenimus. Pone scalam! Tu, Hyphax, suspende in pila tabulam (HYPHAX *ascendit, scala a milite sustentata, affigit edictum ita ut audiantur ictus mallei; descendit, elevat versus scripturam lanternam*). Optime! Patent litterae omnibus. Membrana arte applicata tabulae est, ut nulla possit avelli vi ventorum. (*Ad milites*): Iam vos ad stationes vestras discedite. Tu, Hyphax, hîc adsis (MILITES *exeunt.* HYPHAX *in remotiore scena permanet, semper intuens Corvinum atque gestum temperat ad Corvini verba*). Civibus edepol! necopinantibus primo diluculo obicietur hoc edictum Caesaris, haec pestis iampridem parata Christianis. (*Superbe prodiens versus spectatores*): Et tibi, Corvine, hocce primum ab imperatore impositum munus est, edictum hoc ut omnibus ediceres. Sed cave, sis: Christianorum fraudulentus grex est. Flagris caedar, nisi quod hac nocte actum est, omne teneant. Omnia conamina, ut anteverterem, quanta potui, usus sum prudentia. Postremo meum est periculum. (*Voce pressa*): Nam vivamne ego necne, quid refert principis, hominis non minus crudelis hoc Hyphace? Sed hodie nemo imperatorem luserit, quia obsidentur omnes aditus. (*Ad Hyphacem*): Et si quis accedere audeat ad terriculamentum huic Hyphaci simile, monstro hirsuta barba vultuque terribili, eum non arceat tota praetorianorum legio. (*Grandiloquus ad Hyphacem continuo mutantem gestus*). Iam bene, Hyphax, quae dixero in tuis depone auribus! Tu hodie conservandi imperii partes sustines: siquidem edictum, quo hostibus omnium acerrimis iusta mors indicitur, tuae in hunc diem concreditur custodiae. Da ergo rei operam huic! Manebis apud pilam ne tres quidem hinc passus abiens! Diligentissime, quid geratur, observa! Quicumque tibi propinquare ausus fuerit, hunc illico percontare tesseram; quam si non dixerit, educto propelle gladio. Qui nisi statim paruerit, ius erit tibi, ut trucides continuo. Sed cura accurate ut teneas, quae sit tessera: « Numen imperatorum ». Audin? « Numen imperatorum ».

HYPH. Hoc ipsum teneo, Corvine: « Numen imperatorum ».

(*Ad proximum numerum*).

ALMA ROMA



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE**, *VIA DEI GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore *(Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96)*: quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Octobri MCMXXV Fasc. X

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

II. Praeter carmina a sacerdotibus in sacris Deorum cantitata, alia exstant monumenta ad veterum Romanorum religionem pertinentia, a nobis recensenda, ut nihil omittamus unde cultus et doctrina priscorum cognoscatur.

Primum omnium *oracula* memoranda sunt i. e. responsa Deorum ab aliquo vate divino instinctu afflatuque prolata. Memoria est praesertim Marcii cuiusdam illustris vatis, cuius carmina narrat Livius (XXV, 12), anno ferme 212 ante C. n., durante Punico bello secundo, religionem quamdam obiecisse Romanis.

Iam anno superiore huiusmodi libri ex senatus consulto conquisiti in manus M. Atilii praetoris urbani venerant, et ab eo ad novum praetorem Sullam traditi erant. Erant duo carmina; alterius post rem actam editi cum rato eventu auctoritas alteri quoque, cuius nondum venerat tempus, attulit fidem. Priore carmine Cannensis clades praedicta erat in haec fere verba: « Amnem, Troingena Romane, fuge Cannam, ne te alienigenae cogant in campo Diomedis conserere manus. Sed neque credes tu mihi, donec compleris sanguine campum: multaque milia occisa tua deferet amnis in pontum magnum ex terra frugifera; piscibus atque avibus ferisque quae incolunt terras, iis, fuat esca caro tua. Nam mihi ita Iuppiter fatus est ». Diomedis Argivi campos et Cannam flumen post cladem Cannensem bene noverant Romani, praesertim qui in iis locis militaverant. Tum alterum carmen recitatum est, non eo tantum obscurius, quia futura incertiora praeteritis sunt, sed perplexius etiam scripturae genere. Quod hoc tenore erat: « Hostes, Romani, si expellere vultis, vomica quae gentium venit longe, Apollini vovendos censeo ludos qui quotannis comiter Apollini fiant, quum populus dederit ex publico partem, privati uti conferant pro se atque suis. Iis ludis faciundis praeerit praetor is, qui ius populo plebeique dabit summum. Decemviri Graeco ritu hostiis sacra faciant. Hoc si recte facietis gaudebitis semper, fietque res vestra melior; nam is divom exstinguet perduelles vestros qui vestros campos pascunt placide » [1]. Hinc narrat Livius, censuisse patres, ut Apollini ludi voverentur fierentque, et quando ludi facti essent, XII milia aeris praetori ad rem divinam et duae hostiae maiores darentur; et alia post decreta esse, et hanc esse

[1] Cfr. fasc. sup.

[1] Cfr. MACROB., *Sat.*, 1, 17, 28.

originem ludorum Apollinarium, quae postea sollemnia sacra apud Romanos facta sunt et usque ad finem imperii duraverunt.

Duo igitur habes hîc oracula antiquae aetatis ubi, quod ad linguam pertinet, omnia perspicua sunt. Illud « vomica gentium » quasi tumor, abscessus pure manans, vivax metaphora est, ad indicandum quod nos dicimus *« quella piaga di barbari nemici,»* [1] hoc est Punicos in Italia cum Hannibale turbantes et belligerantes.

Praeter oracula Liviana ad Marcium, vel ut aliis placet, ad Marcios vates (quum duo fratres essent) [2] pertinentia, alia fragmentula memoranda sunt; quorum unum refert Paulus ex Festo, s. v. *ningulus* (pag. 176 M; 189 T. De P.): *ningulus nullus; Marcius vates; ne ningulus mederi queat,* ubi animadvertenda est haec vox ἀρχαϊκή *'ningulus* pro eo q. e. *nullus.* – Alterum fragmentum est apud Isidorum in *Origin.*, 6, 8, 12, ubi inter praecepta Marcii hoc refertur: *Postremus dicas primus taceas;* cuius praecepti prudentiam et veritatem admiremini, Lectores! [3]

Ut Marcius, vel Marcii fratres, alii vates priscis temporibus exstiterunt, quorum carmina et versus memorabantur; versus erant Saturnii, ut ait Ennius (*Ann.*, 222, *Vahlen*): *Vorsibus quos olim Fauni vatesque canebant* [4]; nec ulli ignota sunt illa « annosa volumina vatum », quae Horatius in prima epistula libri secundi (26) memorat cum libris pontificum, XII tabulisque aliisque veterum scriptis ipsis Musis a fautoribus perperam tributis.

Cum vatum oraculis saepe iunguntur libri Sibyllini [1], quorum historia, a Varrone apud Lactantium (1, 6, 7) et apud Gellium (1, 19) narrata, praesertim quod pertinet ad libros Cumaeae Sibyllae Tarquinio Superbo oblatos et magno pretio comparatos, nota est lippis et tonsoribus. Sed nullum exstat fragmentum, quod ad priscam Romanorum aetatem referendum sit.

Denique in memoriam hîc revocentur *concepta verba* quibus in sacris sacerdotes utebantur, inde a vetutissimis temporibus. Quorum exemplum affert Varro (L, l. 7, 8) de *templo* loquens, i. e. de loco augurii aut auspicii causa quibusdam *conceptis verbis* finito; refert hîc verba quibus utebantur in arce; quae sunt: *Templa tescaque me ita sunto quoad ego ea rite lingua nuncupavero. – Ullaber arbor quirquir est, quam me sentio dixisse, templum tescumque festo in sinistrum. – Ollaner arbor quirquir est, quod me sentio dixisse, templum tescumque festo dextrum. – Inter ea conregione conspicione cortumione utique ea erectissime sensi.*

Animadverte hîc illud *tescus – a – um*, quod significat *sanctus* secundum eos qui glossas scripserunt; at Varro negat, et exemplo Acci in Philictete laudato, ait dici *tesca* loca ubi mysteria fiunt aut tuentur (*sic*), quasi *tuesca.* Sed nos, exploso Varroniano etymo, glossatores sequemur, interpretantes *tesca* ut loca *sancta.* – Pro me ita fortasse legendum est: *finita;* ita ut sensus sit: *spatium templi et locum sacrum auguriis et auspiciis sit finitum secundum ea quae lingua rite nuncupavero;* sequitur autem finitio ad partem sinistram et dextram. Insequentibus verbis finiri spatium templi, arborem quamdam a dextra parte, alteram a sinistra oculis defigendo manifestum est; et fortasse pro *festo* utrobique legendum est *finitum esto;* fortasse etiam pro *arbor* legendum est ablativo casu *arbore* (vel *arbose*), ut sit: *illa arbore, quaequae est, quam me sentio dixisse, defixisse, templum et locum sacrum finitum esto a parte sinistra; illa autem a dextra.* Sed quid sint *ullaber, ollaner,* fateor me nihil hariolari posse. Postremo ait augur, inter eas arbores quas defixit, regionem sub oculis et corde suo positam optime finitam esse. Vox quae est *cortumio – onis,* dicitur a cordis visu, ait Varro; cor enim cortumionis origo; sed etymon quam probabile? Ut ut est, habes exemplum *conceptorum verborum* qualia sacerdotes vario genere in sacris adhibebant, quaeque post saecula tradita mutari vetabat religio. [1]

(Ad proximum numerum).

FELIX RAMORINUS.

[1] In mentem revoca Augustum, qui, teste Suetonio, Agrippam nepotem et Iuliam, filiam et neptem, omnibus probris contaminatas, appellare solebat tres *vomicas*, aut tria *carcinomata* sua.

[2] CIC., *Divin.*, 2, 113: « Eodem modo nec ego Publicio nescio cui nec *Marciis vatibus* nec Apollinis opertis credendum existimo ». Id., ibid., 1, 89: « quo in genere Marcios quosdam fratres nobili loco natos, apud maiores nostros fuisse scriptum videmus ».

[3] Cfr. GUICHEEIT, *De carminib. Marciorum fratrum,* Lugduni, 1846; BAEHRENS, *Fragm. poët. rom.*, 36, 294.

[4] Cfr. CIC., *Div.*, 1, 114.

[1] PORPHYRIO *ad Horat. ep.*, 42, 26: *Veteres libros Marci vatis Sibyllaeque et similium. Fest.*, 326 (482): *Ludos Apollinares... factos dicit ex libris Sibyllinis et vaticinio Marcii vatis institutos.*

[1] PLIN., 28, 11: « Alia sunt verba *impetritis* (= bonis auspiciis), alia *depulsoriis* (sc. sacris), alia *commendatoriis;* videmusque certis precationibus obsecrasse summos magistratus; et, ne quid verborum praetereatur aut praeposterum dicatur, de scripto praeire aliquem, rursusque alium custodem dari qui attendat, alium vero praeponi qui *favere linguis* iubeat », etc.

MONITUM

Socios omnes, qui nondum rationes suas de commentarii subnotatione nobiscum exaequarunt, iterum iterumque rogamus nolint ulteriorem moram interponere; secus, coacti erimus ALMAE ROMAE ad eos missum abrumpere.

In honorem Aegidii Forcellini

Superiore mense Iulio, Patavii, quae merito multorum clarissimorum hominum cultrix vocari potest, in Seminario, honori et memoriae Aegidii Forcellini, qui recenti usque fama florescit, lapis positus est. Eius laudes dixit Sebastianus Serena, sacerdos et litterarum politiorum doctor, qui ingenio et studio inter latinarum elegantiarum arbitros in exemplum elucescit: lapidis inscriptionem composuit Iosephus Perin, qui pari cum Forcellini intelligentia emicuisse dicendus est et primas in litteris latinis retulisse usque dum proximis hisce diebus, fato, et ipse lugendus, concessit.

Aegidius noster, immortalitate dignissimus, natus est VII Kalendas Septembres anni MDCLXXXVIII, in vico, cui est vulgo nomen *Campo S. Ulderico,* ad flumen Plavim. Cura et diligentia Curionis Segusini patrui sui, prima litterarum rudimenta arripuit, et res grammaticales in Seminario Patavino. Verum ad illam usque aetatem in scholis studiosorum manus unice terebatur, maximique habebatur vocabularium quod vocabatur: *Calepinus septem linguarum magister.* In tanta rerum inopia, Iacobus Facciolati animo reputavit hunc librum multis auctum additamentis et in meliorem formam redactum in vulgus edere. In hoc opere perficiendo socium sibi adiunxit Aegidium Forcellini, qui iam hac arte maxime callebat et peritissimum se se exhibuerat.

Verum quum primum manus ad opus admoverunt, hoc subito ipsis necessarium adparuit, si litteris utique hac in re valde laborantibus prospicere vellent, novam funditus rem componere et multa illa addere, quae ad rem facere putarent. Hinc consilium profluit *Totius latinitatis lexicon* concinnandi.

Immortalis operis suasor in primis fuit Cardinalis Cornelius idemque Patavino-

rum episcopus, qui illud re iuvit et consilio. Sed post aliquod tempus, necessitate compulsus, Forcellinum a deamatis litteris abripere debuit eumque ad Seminarium Cenedae per septem annos tenere. Tandem ad intermissum opus vir clarissimus redire potuit, ac diu adlaboravit ut supremam ei manu admovere posset. Quod quidem anno millesimo septingentesimo secundo et quinquagesimo, finivit, et scribere potuisset carmina illa Horatii aptissima:

Exegi monumentum aere perennius,

nisi labore confectus multisque incommodis mulctatus, in patriam fuisset vocatus, ubi omnibus flebilis sanctissime obiit eiusdem saeculi anno octavo et sexagesimo.

Quum primum tamen Forcellini lexicon editum est, magnis undique laudibus auctorem excipere, et prae ceteris apud Germanos, praeter omnium opinionem, principem locum facile obtinere uno ore omnes proclamant, tum ob rerum parsimoniam, tum ob aequam partium divisionem, omnibus probatissimum. Vincentius Monti « Lexicographorum magistrum summum » eum salutavit, atque Nicolaus Tomasseo: « Italorum decus et ornamentum ».

Ex eo tempore usque ad nostros dies nullus fuit acrioris iudicii vir, qui primum in latinis vocabulariis ponendum esse Forcellinianum non autumaret. Nos autem non minus laudandam esse hominis putamus modestiam, mansuetudinem et sacerdotalem innocentiam una cum immensa mentis eruditione commixtam, cum iucunda quadam festivitate, quae ex ipso opere elucet, nec unquam antea visa est nec postea.

Lexicon Forcellinianum pro necessitate retractarunt quodammodo et auxerunt deinde alii alumni Seminarii Patavini, quod hac de causa merito Pius XI P. M. « Litterarum hospitium » recens appellavit; et Corradinius, et De Vit, et Iosephus Perin, quem antea memini, quique de poenu suo opus exaravit, cui est titulus *Onomasticon,* quod Forcellinianum vocabularium undequaque perfectissimum reddidit.

Gloria sit et laus viris, qui lapideam memoriam in patria sua Aegidio Forcellinio posuerunt, qui Italis aliisque populis immortale opus reliquit.

SENIOR.

De magna romana sacrarum Missionum expositione

Est in Vaticanis aedibus, in loco qui vulgo a *Pinea* nuncupatur, ampla rerum expositio, quae ad veteres et recentiores sacras Missiones apud exteras gentes pertinent.

Est in primis atque ante omnia, novissima. Hîc enim non admiraris clara illa mortalium ingeniorum portenta, quibus aetas nostra potissimum laudatur; nec prodigiosa illa machinarum constructio, quibus complures late populi nomine percrebrescunt; sed modesta tantum illarum collectio, quae ad populos a « Missionariis » christiana sapientia educatos referuntur, et, labentibus annis, praeter omnium expectationem collecta sunt.

Hoc autem primum idemque felix tentamen, omnibusque acerrimi ingenii viris adprobatissimum, ineunte Anno Sancto, est Pius XI Pont. Max. cum frequenti Cardinalium atque Episcoporum conventu, divinitus auspicatus. Qui, novarum rerum multitudinem elegantiamque admiratus, ad suos graviter conversus praefatus est: « Haec adspicientibus satis!... ».

Re quidem vera, Pontifex, qui huius rei primus auctor fuerat, omnia his verbis lucidissime expressit, atque ita, potestate ingeniique praestantia, mentem suam altissime persuasit, ut omnes in

unum facile consensum coalescerent, gravibus difficultatibus opus implicitum admirabile exitum obtinuisse omniumque expectationem superasse. Viri, itaque, qui consilium Pontificis Maximi generose fuerant amplexati, prudenti animo, novis in dies maioribus ausibus in opere inito institerunt, omniaque superantes obstacula, *possunt quia posse videntur,* adclamantibus omnibus, metam haud ingloriose attigerunt.

Unusquisque, omnium equidem sententia, ex viris ad hoc opus electis, haud citra veritatem sibi auspicari poterit illud Horatii:

Sume superbiam quaesitam meritis!

Hîc enim cuncta in temporum nationumque rationes sapienter recensita, quae ad singulos populos referuntur, Missionariorum opere, veluti sub speculum reviviscunt.

Et in primis nos Itali, qui semper Romanorum nomen in mentem revocamus, quique super Garamantes et Indos protulisse imperium ad fastidium superbe recordamur, tacita quadam animi laetitia ad ultima terrarum orbis confinia Missionarios ab Urbe profectos pervenisse gloriamur, et incolas a toto veluti orbe divisos at christiana sapientia initiatos, sacrum Romanorum Pontificum principatum libenter accepisse, eumque imparate, humiliter aperteque esse professos et in dies magis profiteri.

Hîc vere omnes populi, per Missionarios uno spiritu collecti, eodem innoxie cospirantes certant, nec equidem cruenter, ut alius ad alius ignorantiam deprimendam adgrediatur, utque Dei gloria modo adfulgeat, et sicura hominum felicitas inter omnes late gentes, positis discordiis, Christo imperante sedeat, serenoque tandem vultu in aevum permaneat.

At Expositionem vel cursim percurramus.

Sumus ad prima Expositionis limina. Quam bene cuncta in suo loco magnifice apparent!

Magna loci pars rectissima cernitur, modo si nonnulla conclavia excipias satis ampla, quae paululum pertinent ad portionem, quae vulgo a *Zitella* dicitur, et quae a *Corazza.*

Tibi, quum primum ingrederis, obvium fit magnum *Palestinae conclave.* Totam hanc insignem regionem opere plastico Marcelliani professor egregie effinxit. Sacra omnis regio sub oculis componitur, et itinera quoque signantur perfectissime, quae Magister divinus peregrinus perfecit. Ad latera vero, in parietibus, adsunt, plastice perfectae, Missionariorum actiones, vel ab Helenae tempestate initae, usque ad sacra loca sub Crucis vexillo suscepta, et mox ad tutelam Sodalium « Minorum » qui, praeeunte Sancto Francisco, per tot tempora in suo iure hanc regionem unice obtinuerunt.

Hinc incipit vera sacrarum Missionum historia, quam in quatuor late aetates divisa, omnia continet, per Europam, a remotissimo tempore, et mox, suffragantibus potissimum ipsis sodalibus a Francisco, iisque a Dominico missis, ad Asiam et Africam; denique, a detectis Americae regionibus, usque ad nostram aetatem.

Haec magna rerum collectio, uno veluti oculorum obtutu, proponitur tum tabulis egregie in muris depictis, tum pretiosis antiquitatibus arte una simul affabre dispositis. Quae quum gratiose fueris miratus, sacrorum sodalium familiam ad caelum utique feres, quae, omnibus temporibus semper se gessit « haud ignara ac non incauta futuri ». Hi vere aeternitati pingunt!

E regione est conclave pro Missionariis Sanctis et Martyribus; atque in primis Christophorus Columbus eminet in habitu Tertii Ordinis Franciscalis, et Sanctus Franciscus Xaverius, dum Crucem a

S. Ignatio a Loiola accipit, ad Indos profecturus.

Passim hîc epistolae cernuntur, libri, aliaque id genus complura, quae ad ipsos olim sanctos pertinebant. Prae ceteris, memoratu dignissimum est diploma, lingua Tartarica et Sinarum exaratum, ab imperatore Xunchi inscriptum sodali Adamo Schall e Societate Iesu, quod Kalendarium Sinarum ad temporum rationes exegisset.

Ad haec, complura acervatim simul collecta videntur acerrima suppliciorum instrumenta, quibus Martyres fuerunt affecti. In medio magna Sancti Gregorii P. M. statua sita est, qui ad Germanos Evangelium promulgaturum Sanctum Bonifacium mittit.

Sequitur *Museum gentium.*

In hoc conclavi primum orbis terrarum Museum et omnium populorum contineri facile dixeris, tum ob immensam rerum quantitatem, quae ad diversas gentes pertinent, tum ob earum gentium praeclara specimina, quae ingenium referunt atque rusticitatem illorum, qui maximo Missionariorum labore ad pietatem exculti, ad christianos mores fuerunt abrepti.

Verum ex ipso rerum paucarum visu, facile nos mente assequi possumus, quibus periculis, quibus et improborum difficultatibus, atque artificiis variis late Missionarii operibus intenti, ad populos pervenerunt eosque ad pietatem excoluerunt. Ibi merito statua Marqueti sodalis a Societate Iesu conspicitur, qui latissima Canis prata ad flumen Mississipì invenit. Ad haec ibi Apostolicae Praefecturae atque multi antistites vicaria potestate apud exteras gentes adnumerantur.

Res autem nobis admodum insolitae eaedemque utilissimae ex Africa provectae, ex India, atque a dissitis Americanis regionibus, in pluribus thecis vitreis componuntur.

Verum in hoc rerum certamine, Missionarii Franciscales et Salesiani sunt facile principes. In horum, ut ita dicam, arena, conspicue sita est Ioannis Bosco statua, supremi patris legiferi. In primo eius limine duo immanes crocodili recumbunt. In parietum dactiliothecis mirum in modum capitis barbarorum ornamenta cernuntur, vultus, dentium torques psittacorum plumae, instrumenta musicalia, balsamo sapienter illita. Nec desunt quae in Magellanica regione aluntur, quae in sylvis a *Matto Grosso* appellatis, atque a republica Aequatoris. Et singula quaeque religiosa familia munera sua maximo studio ultro misit, ita quidem ut illic portendatur quid gentes faciant, et quomodo ad humanitatem eae excolantur, quibus lumen christianae sapientiae nondum splendescit.

Sed est et *pars medica et libraria.*

Haec ad humanitatem potissimum spectat, et in actu admodum atque exercitatione consistit. Et quamquam Missionariorum mens longe alia sit, quam ut omnia minutissima de populorum, quos invisant, infirmitatibus notent atque ad studium revocent, attamen, ut de animarum cura possint aliquando in illis populis disserere, optimum factu putarunt de morbis, quibus laborent, loqui, et quomodo curentur. Haec vero industria tota Missionariorum est. Omnes enim et singuli Missionarii si vel leviter, more nostro, arte medica calleant, faciliorem sibi viam ad religionem fovendam aperiunt; namque populi agrestes plerumque sordibus corporis animisque laborant, et in pestiferos morbos foedissime proruunt, qui non semel regionem integram adgrediuntur.

Quam affabre sors illarum gentium describitur!

In hisce rerum acerbitatibus maxime Missionariorum virtus nitescit. Omnimode enim religio miseros iuvat, et misericordia erga calamitosos in exemplum insignis evadit. Receptus hinc atque inde infirmis custodiendis curandisque exstruunt. Quin imo edes hospitales pro leprosis aperiunt, et se ipsos omnino colendis miseris ultro dedicant.

Quo fit ut ipsi adversarii et socordes, quique spem non habent, hanc Missionariorum fortitudinem admirati, divinam religionem praedicent, quae homines tam prodigos vitae informat atque ad martyrium corroborat. Adsunt et sacrae puellae, quae in ipso aetatis flore, vitam aegris devovunt, quaeque alacres, omnibus humanarum rerum illecebris posthabitis, hîc vitam aegerrime transigunt, atque caelum unice adspicientes, ad patientiam animique constantiam aegrotantes exemplo excolunt, moribundaque membra, Dei voluntati obtemperantes, longe diuque trahunt.

Et alii infelices cernuntur, qui novo eodemque fastidioso morbo laborant, cui est nomen a *somno* inditum. Quot agmina malorum et longissima series!... Hinc omnes taciti et mirum in modum attoniti invisentes proficiscuntur, nec iam rem librariam admirantur, ubi multa volumina colliguntur, ut aliquando gentes illae, religione excultae, mansuetioribus artibus adlectae ad studia litterarum adsurgere possint. Alia volumina, a Missionariis conscripta, populorum illorum ingenia graphice describunt. Haec utique erunt laudabilia posteris incitamenta!

I. B. Francesia.

DE MUSICA [1]

Musices in animam effectus.

Quanam vi musices ad animam commovendam impellitur? Ut interrogationi huic responsum darent, fuerunt qui tenerent natura sua musicen praecipua quadam virtute pollere ad colligendas mentis cogitationes in unum. De minimis enim musice, singulos rerum formarumve adspectus inquirere nescia, parum curat.

Sed potissimum, contra, motuum sensuumque notas exprimens, ita eas effingit, ut millia millium eventuum rerumque, quum similem aliquem affectum omnia praeseferant, etsi tempore et loco ceterisque simillibus varia, una tamen eademque modulatione enarret. Quare genericam hanc musices vim omnes, et quidem rudiores saepe et inculti, satis aestimant, qui verborum contra vim, magis propriam ac distinctam, longe alia difficultate perpendunt.

Verum huius «recollectionis» virtuti fides minime mihi danda videtur; aptatur enim et ipsa actionibus motibusque, quos enarrat vel exhibet, quaeque variissima sunt, prouti fert hominum natura, gens, religio. Neque enim dum Wagnerius amorem canit, Bellinium nostrum nec a longe quidem imitatur, ita ut utriusque cantus comparandi arbitrium sit. Si enim ex *Deorum crepusculo* funebrem concentum, statimque *Ionis* parem sonitum luseris, utriusque meli eundem esse intentum nordici pariter ac nostri auditores diiudicabunt. Sonitus namque omnes intendunt; rhythmum, si quis aures habet, plane de quovis musices genere sentit; at intimam vim uno eodemque modo non omnes discernunt.

Quae autem est vere propria musices virtus, eam in agilitate quadam citissima constituimus, qua ex uno in alium animi motum, brevi tempore, audientes abripere ipsa pollet, ex moerore summo, vel ex timore, ad laetitiam et ad praevalidam audaciam.

Pariter concentu cantionibusque vis summa tradita est memorias tempore obrutas passim revocandi; deque Donizettii lectissimis notis non semel neque inelegant adnotatum est, memorias in iis felicis iuventae contineri. Pauca saepe sufficit modulata nos audisse, quum statim

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Iunii.

praeruptae, vel oblitae formae, sensusque ad mentem redeunt: veterani saepe, tuba canente, strepitum pugnae sese audire iterum crediderunt; exsules patria loca in oculis evocata ad cantiunculae cuiusdam rhythmum statim habuerunt, neque leni hoc sonitu lingua ulla aut sermo eloquentior est. Quum Helvetici mercenarii passim per Europam militiam agerent, si cantiunculam, quae «vaccarum» dicebatur, quam pueruli in patria, quum pecudes pascerent, luserant, audissent, lacrimabantur omnes, nonnulli signa deserebant, ut in patriam redirent, alii sese morte saepe mulctabant manu propria, ita ut tandem edictum ubique fuerit, ne melos illud militibus caneretur,

Identidem Maynard doctor labore iam in deserto superatus ac prope ad mortem deductus, quum de Normannica sua provincia cantiunculam audivisset, statim veluti ad vitam rediit. Fatius rem explicans scribit, vim hanc excitandi vel cohibendi non tam musicae naturae dandam, quam recordationi exacti temporis, quo illam iamdiu alias audivimus.

Qua in re adeo musica pollét, ut, etsi male ludatur, aliquid tamen movendi in animo nostro vim retineat, quod ceteris ingenuis artibus, ni perfectae quodammodo apparuerint, non contingit: ipsa, contra, et memorias evocare, et animum erigere, et operam explanare potest. Itaque animam et valetudinem bene semper afficit musice, viresque utrique addit; virtutes, mansuetudinem, benevolentiam mirum in modum auget. Iamque, gentium finibus disiectis, Wagnerium Siculi et Afri laeti exaudiunt; Bellinio Scandinavi Russique plaudunt. In praelio tibiis et tympanis ludere utilissimum semper ad virtutem incitandam habitum est; cantusque Tyrtaei iam aetate sua populum erigit, comitia cogit, plebiscita, secessiones, tumultus parit, puellam etsi renuentem in choream quodammodo abripit.

Haec enim ars - Baudrillart quondam meminit - animi motus sive bonos sive malos ad ultimum fastigium commovet, viles facit animosos, mites in pugnam impellit. Multi etiam, - neque praetereundum est - ludentibus organis ad sacra religionis redierunt; quo plane nil validius esse censemus ut animum, terrestri coeno implicatum, ad Deum extollamus.

R. S.

In B. Virginem Matrem Orphanorum [1]

Saepe quae vivens docuit Mianus
Voce concordi, pueri et puellae,
Altius purae canite Orphanorum
Carmina Matri.
Ille de turri gemebundus ima
Ferreis surgit manicis solutus,
Et per instantes ope mariana
Transiit hostes.
Nocte Tarvisum petiit silenti,
Matris ad Magnae genuflexit aram,
Atque onus duri globuli et catenae
Dulce pependit.

[1] Carmen hoc Virgini Deiparae, titulo Orphanorum Matris, dicatur, cui Sodales a Somascha cultum recens tribuerunt. Cuius tituli festum, v Kal. Octobres occurrens, Sacra Rituum Congregatio ix Kal. Iunias 1921 concessit, atque postridie Benedictus XV ratum habuit. Eo die in memoriam redigitur mira per Beatam Virginem a vinculis hostilique carcere Hieronymi Aemiliani, patritii veneti, servatio et liberatio. Hic, novus inde factus homo virtuteque fervens Christi, se caritatis operibus addicit, maximeque in Orphanos ope destitutos alendos et instituendos incumbit, quos, omnium primus, in peculiares aedes collegit. Quibus sanctus Hieronymus pater factus est; Beatissima autem caelorum Regina, quae saepius prodigiis, si quando opus fuit, pupillos adiuvit ac tuita est, eorum Mater merito est appellata.

Sancta autem Romana Ecclesia spiritualibus beneficiis pias preces ditavit, ut fideles Beatam Virginem recenti titulo Matris Orphanorum, quasi nova corona, venerantes, ad Orphanorum praesertim caritatem adveherentur. Quod faxit Deus.

Vir novus surgit, puerisque se dat
Orphanis patrem, miseros in urbis
Colligit vicis, docet Angelorum
Vivere more.
Per vias bini gradiuntur, alba
Veste contecti, titulos canentes
Virginis Matris; Crucifixi in altum
Splendet imago.
Prima de tanto gratulata alumno
Hadria in totis sonuit lacunis:
Civium circum manibus suorum
Plauditur heros.
Audiit Brembus, Seriusque laudes,
O, tuas, Virgo, resonare in undis:
In tuis sacrum resonabat arvis,
Abdua, nomen.
Sole maturas radiante messes
Dum secant, ustis peregrina sulcis
Carmina advertunt, steteruntque licta,
Falce, coloni.
Audiit serpens maledictus olim
Inter albentes latitans aristas,
Corruit dicto sua fracta virtus
Nomine Matris.
Dum manus suetum properant laborem
Semper in tota sonat officina:
« O, tuos, nobis, oculos pusillis
Flecte, Maria! »
Adstat oppressis nive: panis albus
Venit e caelo quasi missus alto;
Coepit e duro fluitare saxo
Unda salutis.
Venit adiutrix: semel a rapaci
Ore detraxit timidos luporum,
Et semel fesso rubuit repente
Uva racemis.
Sit tuum nomen mea vita, Virgo;
Fac ut arenti moriens labello
Illud et cantu geminem perenni
Astra potitus.

IOSEPH VICTORIUS INGOLOTTI,
Congregationis a Somascha.

EPISTOLARE SOCIORUM COMMERCIUM

De nuperis vocabulis in M. Tullii Latinitatem reddendis. [1]

HERMINIUS M. IACOBELLI *praeclaro viro* IOSEPHO FORNARI, « *Almae Romae* » *Moderatori, s. p. d.*

Si paullo ab inferis revocato, de nostrorum temporum rebus atque nominibus Tullio disputare contigisset, ac nova prope innumera, quae in dies, fungorum ad instar, praeruptis aestus imbribus enascuntur, aurea illa aevi sui loquela nominare necessario debuisset; qualibus vocibus, quibusque verbis illum ipsum loquutum fuisse credemus? Insuperabili latinae linguae parenti summoque magistro, cui copiose ornateque dicendi incredibilem ac prope divinam facultatem natura concesserat, neque verba, neque facundia, neque sermonis elegantia deesse unquam profecto potuissent. Rusticis nobis tardisque reservatum fuerat nepotibus, Graiis exemplaribus atque Latinis diu noctuque insudare, ut, maiorum vestigia sequuti, quid tandem aliquando belle minus, minusque incondita oratione a temporum iniuria atque interitu vindicare valeremus.

Oh! fortunata terque quaterque aetas, quando nostrûm pueruli avorum, primoribus labris incipientes, latinitatis melos, velut apes, ore suaviter emittebant! Novorum homuncionibus temporum nobis balbutire tantummodo datum est.

De nonnullis igitur hodie mihi, quaeso, balbutire liceat, ac de quibusdam aliis.

Quid de *Dentista?* [2] Generice: « Dentium curator - refector - instaurator ». *Medicus dentista:* « Odontarius medicus, seu Dentarius; Dentarius clinicus». *Mecha-*

[1] Videsis ALMA ROMA, fasc. VI sup. mens. Iun., pag. 101.

[2] Ibidem.

nicus dentista: « Dentarius artifex, vel Dentium faber ».

Quod italice *Gabinetto dentistico,* appellaverim « Penetrale dentificium », sive « Odontaria aedicula, vel zotecula; Aedicula dentificina ».

Sed ad *Tegumenta plumaria* procedamus. Haec « Plumea Stragula - E plumis stragulum ». Breviusque cum Venusino poëta « toralia » nuncupaverim.

Quos milites nos *Pompieri,* nonne sunt « Incendiis extinguendis excubiae, vigiles, praepositi? ».

De iis clarissimus Vallaurius habet: « Extinguendis incendiis praefecti ».

Gallica vox *chemisette,* Italiae hospita, (*camicetta*), vulgo vestem indicat, qua mulierum utuntur primores, multiplici variaque colore ac forma: est mihi « indusiolum, tunicula ». Aliquando ornatu eam praedivitem videmus; alias vero simplicem, phocali manuleisque virilibus plerumque instructam, ut femina tandem quodammodo maris aspectum referat.

Huic et patria et significatione affinis est illa *blouse,* in quam non raro convertitur « sagulum seu lintea tunica », opificum praesertim et adolescentium propria, quam populus, penes quem ius semper fuit et norma loquendi, et apud nos *blusa - blusetta - blusettina,* vocibus appellare consuevit.

Vetus sermo gallicus refert *chaslet* latinae originis *casa,* unde alii nomen derivarunt *castelletum,* quasi castellorum acervum: iuxta vero rem significatam, a Tullii sententia haud nimis illum longe abesse existimarem, qui « villulam Helveticam », *chalet* loco, latinarum litterarum studiosis proponeret; quippe Helvetiis casae, sive rusticae domus, ut apud ipsos mos viget cuspidatis sunt atque exstantibus tectis, parietibus larice opertis et caelato opere exornatis.

Pauca denique de communi nunc omnibus verbo *Derby* addam, cui haec origo debetur. Scilicet vir quidam illustris, Derby nomine, an. MDCCCXXX, Epsomii apud Londinum equestrem ludum seu cursorium certamen instituit primus, et in Angliam invexit; hoc ab ipso nomen accepit.

Ego, peritiorum venia tuique maxima, equitum praeclare, id genus cursum dicerem: « Equirium ludicra ». Quid tibi videtur?

Vale interea beneque rusticare.

Romae, mense Septembri MCMXXV.

ANNUS CAROLINUS

Sermo solus est latinus, quo cogitari mente generis europaei possunt annales Europae. Ligneae textor lanae rogat Americanus in Europa: quid in hoc aevo sit hominum atque culturae finis ac negotium?

Respondet Europaeus: officium condendae trans Atlanticum mare coloniae fuisse Carolinis insitum in saeculis.

AMERICANUS. - Velleris arborei peritus lanificio, paulo humaniora discitum, in Europam veni, litterarum parentem: quum vacarent fere menses integri duo. Dic ergo generatim, quaeso, si tibi videtur, nec molestum est, tuam de temporis nostri cultu et humanitate sententiam.

EUROPAEUS. - Humanitatis in Europa duo sunt saecula nota: Alexandrinum prius, quo Iulius Caesar pontifex, fastorum conditor, et Vergilius vates, floruere; posterius, sub cuius occasum vides Europae mores et urbes: Carolinum. Troia enim deleta, translato Romam humanitatis foco, Alexandrinus, a Cyro Iustinianum usque (qui ius tenuit), vetus est conversus annus. Alter autem a Theodorico (vel Romulo Augustulo) novus, ad finem xx huius saeculi, prae se Caroli fert imperatoris cruce signati speciem. Is enim princeps, siderum

ediscendorum magistro usus Alcuino, classes instituit, quibus per iunctos tandem Venetos atque Britannos est America petita. Porro cavit imperator unus Europae divisae ruinam; litteras et artes magister maximus refecit atque discipulus; postremo miles vias orbis terrestribus ac navalibus patefecit armis: *ut omnes unus sint,* impulsore Christo. Ecquid aliud posteri nostrae gentis duces potuerunt aggredi?

AMERICANUS. - Ostendis revera Carolum principio formam generis nostri perennem divino secutum instinctu. Sed quid bellum crucis ad machinationes attineat, nostras ad triviales compitalesque vecturas, et scalas turrium ambulatiles, non video.

EUROPAEUS. - Habiles enim domos elationibus, aqua, carbone flabili, fulmineo lumine, et ignea collocutione, habitant huius aetatis mortales. Parietis lucidi gaudent spectaculis, et allatis igni libero cantibus. Ea tamen omnis non est ad carnis illecebras, elementorum inventa tractatio: sed, quae Christi caritatem in universas perferret terrae partes; ut cunctis ex gentibus una foret civitas, stupenda sunt artium novarum haec inventa miracula, et officina totus factus est orbis. Qua tamen re miserior sors mortalium terrenis et caducis inservit operibus, quum illa sit hominum mentis caelestis propria vita, quae sapit, quae diligit. Nam *caritas est Deus.*

AMERICANUS. - *Et qui in caritate manet, in Deo manet.*

EUROPAEUS. - *Et Deus in eo.* Vixerunt autem nobilissimae cultu et humanitate gentes: Aegyptii, Chaldaei, Persae, Graeci, Indique, Sinae, nostrique prorsus atavi, qui fabrili tam immodico harum artium exspertes instrumento, falce coloque metebant et nebant; quum sit hominis sapientis et frugi minime deliciis, parce terrenis artibus uti.

AMERICANUS. - Ergo propterea soli recentes has immodicas Europaei colunt artes, quod nulla gens ante ipsos mare universum navigare, neque colonos debuit in terras omnes, ceteris domitis populis, transportare.

EUROPAEUS. - Inanis adhuc et vacua prorsus esset America tua, simul et Australia, tum pars Africae maior incognita, nisi sexcentiens solito necessario modo vis auctior terrestris et maritimi fuisset vehiculi. Quamobrem infinita sunt orta inde opera. Et fieri disciplinas artium, provincias ac mensas, quibus impossibilibus exantlatis negotiis, apertum mare universum, et est terrarum quasi forum in unum contractus orbis.

AMERICANUS. - Hominum generis corpus in officina sua compegit haec aetas mortalium.

EUROPAEUS. - Proxima vincire mentes caritate debet. Nunc operosae civitatis ruentem, quae diu portari nequit, conspicimus undique molem.

Scribeb. Tornoduri, mense Augusto MCMXXV.

IACOBUS TASSET.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum. [1]

Procul distare - Longe abesse.

Producere fructus - Ferre fructus.

Profanare (*aliquem locum*) - Alicuius loci sanctitatem violare (Profano ritu aliquem locum tractare).

Professionem (*in aliquo religioso Ordine*) *facere* - Religiosa vota nuncupare; Sollemnibus votis se obligare (se sacro sodalitio addicere); Ex sollemni votorum formula sacrum sodalitium inire; Sacra vota profiteri; Sollemnibus Deo votis se adstringere. - *Fidei professionem facere:*

[1] Cfr. fasc. sup.

Sacramentum ex formula catholicae professionis dicere.

Professor - Doctor; Doctor decurialis; Magister.

Profunde (*aliquam quaestionem* [*disciplinam*] *tractare*) - Quaestionis difficultates penetrare (mente pervadere); De re quapiam enucleate (accuratissime) disputare; Rem quampiam diligenter (accurate; acute) tractare (enucleare); Nihil intactum in difficultate praeterere; Penitiores rerum recessus perscrutari (rimare).

Prolixus - Copiosus; Verbosus; Longus. [1]

Proponere cibum (*potionem*): Apponere - *Proponere conditiones:* Ferre conditiones - *Proponere aliquid senatui* (*populo*): Rem (de re) ad senatum (ad populum) referre - *Proponere sibi aliquid:* Constituere; Decernere; Inducere animum ad aliquid faciendum.

Proprio Marte; Propria manu - Ipse; Suis viribus; Suo periculo; Manu sua; Nullo adiuvante.

Prosa (*Prosa oratio*) - Oratio; Oratio soluta. [2]

Protectio (*Protectoratus*) - Praesidium; Patrocinium; Patronatus; Tutela; Defensio; Clientela; Fides.

Protector - Defensor; Patronus; Auspex; Custos; Praestes; Sospitator; Tutelaris; Tutor; Vindex.

Protomedicus - Archiater; Archiatros. [3]

Provicarius (*alicuius religiosi Ordinis*) - Promagistri adiutor.

Providentia Dei - Aeternae mentis numen (numen atque consilium, quo universa pariter et singula gubernantur); Dei nutus atque potestas, qua cuncta summa pariter et infima administrantur; Caelestis rerum omnium dispensatio.

Provisio - Stipendium; Diarium.

Proximior - Propior.

Proximus (substantivo nomine) - Homo; Alter; Alius.

Publicus (id.) - Homines; Cives; Spectatores; Auditores; Lectores; Congressus.

Pulpitum - Suggestus contionarius (contionalis); Suggestum contionale (contionarium). [1]

Purgatorium - Piacularis animarum locus (sedes; carcer); Flamma expiatrix; Purgatorius ignis. [2]

Purificatio - Expiatio. [3]

Puritas (*sermonis*) - Integritas; Munditia; Sinceritas.

Pusillanimitas - Animus parvus (minutus; augustus; pusillus; fractus; abiectus). [4]

Quadernum - Codex. [5]

Quadragesies - Quadragies.

Quaestionem proponere - Quaestionem ponere. [6]

Qualitates egregiae - Dotes animi egregiae.

Quamprimum fieri potest - Primo quoque tempore.

[1] « Prolixus » bene tantum adhibetur pro « facilis; beneficus ».

[2] Itaque *Scriptor prosaicus* (*prosarius*): « Scriptor solutae orationis », vel tantum: « Scriptor ».

[3] *Protomedicus provincialis:* Praepositus sanitati per provinciam tuendae.

[1] Etiam simpliciter: « Suggestus; Suggestum ».

[2] *Purgatorii animae* - Pii Manes, quos purgatorius ignis sideribus inserendos emundat; Sancti Manes admissa sua purgatorio igne expiantes (Quos adhuc flamma expiatrix detinet). - *Sacellum purgatorii animis dicatum:* Pietati defunctorum admissa expiantium sacrum. - *Altare pro purgatorii animis privilegiatum:* Ubi admissis defunctorum expiandis prima hostia perlitatur.

[3] Sed « Festum Purificationis B. Mariae Virginis »: Dies Mariae Puerperae perlitanti sacra.

[4] Itaque *Pusillanimis:* Vir animi parvi (minuti, augusti, etc.); Vir timidus.

[5] *Quadernum debiti et crediti* - Codex expensi et accepti.

[6] *Quaestionis punctum hoc non est* - Non id quaeritur (agitur); Id non vocatur (adducitur; venit) in quaestionem (dubium; controversiam); Id in quaestione non versatur; Hac de re non contenditur (disceptatur); Hoc non est in controversia.

Quantitas (*vini, frumenti, et sim.*) - Numerus (Vis, Modus ingens) vini, frumenti, etc.

Quattuor tempora (*ieiunii*) - Ieiunium quaternarium (quartarium); Quattuor anni tempestatum abstinentia; Indictiva quattuor temporum abstinentia; Stati per quattuor anni tempora ieiunio dies.

Quidquid sit - Utcumque (Quoquo modo) se res habeat.

Quietare (*aliquem*) - Quietum reddere (facere) aliquem; Alicui quietem facere; Aliquem pacare (sedare); Alicui tranquillitatem parere.

Quoad corpus - Secundum corpus.

Quod magis est - Atque adeo; Quin etiam; Quid quod?

Ratificare - Ratum facere; Velle aliquid ratum (firmum) esse; Comprobare.

Rationalis - Rationis particeps; Ratione utens. [1]

Rationis palatium - Basilica iudiciorum.

Reaedificare - A fundamentis (A solo) restituere. [2]

Rebellare - Deficere a [ex. gr. « fide », « republica »]; Desciscere ab imperio; Imperium recusare (reiicere; detrectare).

Rebellis - Seditiosus; Factiosus.

Recapitulare - Summa rerum capita repetere (retractare).

Recenter - Recens.

Recepta medici - Medici praescriptum; Praescriptio medica (medicinalis; medicamentaria; iatrica).

Reciproce - Mutuo; Vicissim.

Recitare - Aliquid ex memoria exponere; Memoriter dicere (pronuntiare; reddere). [3]

Reconciliare (*se cum aliquo*) - Reconciliare sibi aliquem (alicuius animum; gratiam); Redire in gratiam cum aliquo.

Rectitudo - Recta (Incorrupta) rei ratio.

Rector - Praeses; Praepositus. [1]

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

[1] *Rationis usum habere* - Sapere; Animo (Ratione) uti; Bona (recta), mala (prava) discernere.

[2] Etiam simpliciter: « Restituere ».

[3] « Recitare » enim est « Legere ».

RUSTICANA DOMUS [2]

Parva domus sed magna quies te ruris avem-
[tem
Solamen fessis viribus allicio.
Mons Ruber extollit me pone cacumen, et ante
Dictae ab agro templum Virginis erigitur.
Affabre in orbiculos circumstans diditur hor-
[tus,
Flos ubi versicolor pomaque luxuriant.
Aedicula, auspicium felix! pia lumina mulcet,
Divi qua Iesu Cordis imago nitet.
Quam dulce est inibi precibus depascere mentem
Et quovis Missae mane litare Sacrum!
Atque evanescunt meditanti caelica mundi
Gaudia et illecebrae febrium amara seges!
En oblata lacus, tum visio amoena iugorum,
Defluit effetis artubus unde salus;
Grex veluti pascens rutilant hinc inde superba
Litore Verbani rura, humilesque casae.
Cum lembis naves, quas vis ignita propellit,
Mobile iter cursu sospite lene secant.
Interdum guttur modulis philomela resolvit,
Sub tecto et pipilat garrula hirundo brevi.
Cetera utrinque silent, tacite sed mira loquun-
[tur;
Haec vere est animi et corporis alma quies!
Otia promerita hic libans consiste parumper,
Ut scateat novus ad munia sacra vigor.
Sic impleturus tua pensa redibis ad urbem,
Segnius et properans membra senecta premet.

Mediolani, mense Septembri MCMXXV.

CAESAR MAMBRETTI.

[1] *Gymnasii rector:* « Gymnasiarcha » - Rectorem esse: Alicui collegio praeesse; Collegii Praesidem esse.

[2] Rusticana domus suum alloquitur dominum.

COLLOQUIA LATINA

Accusatio varia scholastica.[1]

LUDIMAGISTER, BLASIUS, CLEMENS, GREGORIUS, FELIX, FLORUS, REMIGIUS, IACOBUS, GASPAR, DONATUS, BENEDICTUS, CHRISTOPHORUS, NATALIS, GRATIANUS, *Discipuli.*

BLASIUS. At, at, ecce nunc capti estis; Ludimagister adest.

CLEMENS. Quid tum?

BL. Nonne tu confulabaris cum Felice aliisque?

LUDIMAGISTER. Audivi vos tumultantes quasi omni disciplina solutos. Quinam auctores sunt turbarum? Tu quoque, Blasi?

BL. Absit; ego, contra, Clementem monebam, et Felicem, qui ab ingressu suo nihil aliud quam cum omnibus garrivit, et Gregorium sursum deorsum de scamnis saltitantem.

GREGORIUS. Licetne ut respondeam?

LUD. Quid dices?

GREG. Felix exturbavit me de loco meo, et protrusit cubito, ut de scamno deciderem.

FELIX. En mihi, Gregori, decussisti pileum.

CLEM. Ita quidem se res habet; Gregorius prior Felicem adortus est.

LUD. Novi te ego, Gregori, quam sis petulans: dabis mihi poenas.

CLEM. Imo mihi minatus est verbera, quia eius petulantiam in Felicem notaveram.

LUD. Siccine?

CLEM. Prodi, inquiebat, e schola in plateam: impingam tibi alapas; omnes dentes labefaciam tibi.

LUD. Vix me contineo, quin ego in plateam te diiciam, adolescens procacissime!

FLORUS. O praeceptor, Remigius mihi assiduo crines vellicat.

REMIGIUS. Ille a tergo imponit scamno pedes, et chlamydem meam calceorum luto contaminat.

FL. Nonne, Remigi, tu e manibus meis rapuisti pensum, et concerpsisti?

REM. Et tu modo non cospuis libros meos, modo non atramentum adspergis scripturae, et foedas maculis chartas meas? Heu! non sinit me momento esse quietum.

LUD Mox adero vobis et faciam altercandi finem. – Iacobe, quis tuam sic unguibus laceravit faciem? Videris cum felibus concurrisse.

IACOBUS. Acceptum id refero Gaspari nostro.

GASPAR. Prior me invasit: ego me defendi. Pulsabat me quantum poterat.

IAC. Equidem iocabar; at ille serio agens iniecit me in terram, et pugnos impegit ad satietatem; distraxit mihi auriculas, miserisque me excepit omnibus modis.

LUD. O Gaspar, Gaspar, tuam istam semel compescam lasciviam!

DONATUS. Sed et Simon et Henricus, vix mane exierunt e schola singulari certamine decertarunt.

LUD. Audiamus et hunc pugnae eventum.

DON. Ponunt utrinque pallia et libros humi: consistunt altrinsecus: librant brachia et pugnos. Sine mora involarunt et se invicem pugnis ceciderunt. Circumfluunt pueri, succlamant: risus tollitur inconditus: turbae fiunt mirabiles.

LUD. Uter victoria potitus est?

DON. Uterque mulctatus est probe, Simon e naribus cruorem emisit; Henricus oculum plagis lividum retulit.

LUD. Belle! Meae nunc sunt partes ut et hanc pacem componam.

DON. Ludicra fuit velitatio: non agebatur de capite.

LUD. Nec in schola, ubi redierint, agetur de capite; sed de poena.

[1] EX ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

BENEDICTUS. Redde mihi meum Ciceronem, Christophore.

CHRISTOPHORUS. Quem Ciceronem repetis?

BEN. Meum; abstruxisti quopiam.

CHRIST. Hodie nunquam vidi.

BEN. Immo clam surripuisti.

CHRIST. Magister, ait Benedictus me sibi furto abstulisse Ciceronem.

LUD. Fecisti, necne?

CHRIST. Hoc ut fecerim? Malim egere indigne, quam clepere.

BEN. Fabulae! Idem nuper suffuratus mihi est chartam de capsella: deprehendi in facinore.

CHRIST. Mutuabar modo; aliam deinde restitui.

LUD. Iacebit sub scamno de quo litigatis Cicero.

BEN. Investigavi, non invenio.

LUD. Excute pallium et peram; alicunde excidet.

CHRIST. En, iacet ante pedes; nempe ego abstuleram? Agam iniuriarum.

NATALIS. Siccine, Gratiane? Scribis pensum in schola.

GRATIANUS. Quid tua id refert?

NAT. Deferam te ad Magistrum.

GRAT. Id ego curo scilicet: i, curre; non feceris tamen impune.

NAT. Neque has minas adeo Praeceptorem celavero.

GRAT. Dic quidquam in buccam venerit; non laboro.

LUD. Heu vos, illic: silete!...

ANNALES

Nationum societas.

Sub finem superioris mensis Augusti Genevae iterum convenit Nationum Societas, ut de variis quaestionibus ipsi delatis disceptaret. Atque primum de Mossul civitate, hinc a Turcis, inde ab Anglis quaesita. Peritorum collegium, cui controversiae studium in antecessum commissum fuerat, opinabatur Turcarum imperium esse addiciendam; at acriter obstiterunt Angli, Irak regioni eam attribuendam esse contendentes, atque profitentes sese paratos suum mandatum ultra illic producturos, licet cum magnis suis impensis. Coetus vero legatorum Societatis praeiudicium circa competentiam suam in re movit, decrevitque Hagensem Curiam de ipsa re esse prius interrogandam. Quaestionis ita decisio dilata ad alium conventum est.

Deinde oeconomicus Austrorum status ad examen revocatur, atque recognitum est, revera iis oeconomicam virtutem esse, ac proinde pecuniariam tutelam ab iis esse removendam; quod eo libentius concessum est, quod periculum unionis cum Germania longius dimoveretur.

Disputatum quoque fuit de securitatis, quod vulgo dicitur, foedere eiusque compositio tradita est Gallico, Anglo, Belgico, Italico et Germanico ad exteras res administris, qui primis proximi mensis Octobris diebus in Helvetia ad rem congregabuntur.

Denique Societatis Supremum Consilium est iussum sedulam operam intendere, ut conventus indici quamprimum possit, in quo efficaces cautiones afferantur armorum per omnes populos deponendorum, vel ut ad minimum saltem ea redigantur.

***

Mauritanum bellum.

Interim furit in Mauritania bellum, a Gallis simul et ab Hispanis in Riffanos terra marique, nec sine successu initum, et acerrime actum in ipsa Abd-El-Krim illius stativa ad Adjiz urbem, quae igni-vomis ballistis primum petita est; deinde incensa; denique ab Hispanis occupata, versis in fugam hostibus, quos ad septem triones Galli nunc urgent.

***

Syriaca seditio.

A Syria nuncii de Drusorum victoriis pervenerunt, quos tamen Galli mendacii arguerunt. Certum vero est Gallos Sueida ex urbe secedere coactos fuisse, diruta immo solo aequata.

***

Regales nuptiae.

Die XXIII mens. Septembris, Raconigii, in oppido Pedemontanae regionis ubi Sabaudica gens amplissimum divesque castrum possidet, Mafalda, Italorum regis filia altera, Philippo Assiae principi nupsit.

Kal. Octobribus MCMXXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Anglica Societas scientiae progressui fovendo novum expertam fuisse inventum recens nunciavit, **photophonum**, machinam nempe per lucentes radios sonum longissime transmittentem.

Rankine doctor ea usus effecit, ut Londini collegae orationem plurium chilometrorum intervallo dictam optime audirent... Nos, profanum vulgus, «loquente luce» coram obstupescimus; sed qui sapit nos docet iterum, nihil esse sub sole novi. Scilicet photophoni huius fundamentum iam a Graham Bell cognitum fuisse, clarissimum illum virum, qui si telephonum ne ipse quidem invenit, profecto amplissime perfecit. Is igitur iam Boston in urbe photophonum abhinc annos quinque supra quadraginta descripsit, die XXVII mens. Augusti MDCCCLXXX, edicens photophoniam ex selenii proprietate manare, cuius «metalloidis» electricus renixus iuxta maiorem vel minorem splendorem immutatur. Si quis igitur loquatur post speculum leviter flexibile, hoc speculum, ad lucis impressiones, mutabit. Repercussus deinde coruscans speculi fascis fiet plus minusve devergens, atque ita, ut ad chilometra duo angularis speculi mutatio horae punctum perdurans, ad coruscantem fascem per centesimam metri partem movendum suffecerit. Fascis denique ipse per crystallinam lentem in selenium propulsus, opportune in telephonicae machinae electrico circuitu disponitur, ubi lux tandem fit verbum.

Hisce Belli photophonus continebatur: profitebatur autem actor, et alia corpora praeter selenium, per lucem sonum excitare posse. Quidquid est, huc certe hodie devenimus, ut Rankinius e sua officina verba ad Londinensem civitatem transmittere valuerit; atque credendum est in plures variosque usus hunc photophonum proxime iri adhibitum; quorum unum ego proponere audeo. Loquuntur namque iterum diaria et commentarii de illo facinore patrando, cuius iam ipse in hisce paginis mentionem feci, de ignita scilicet immensa artificiosaque bolide in Lunam immittendam; quid et ignis illius lucem loquentem non reddiderimus? Rankinius provideat...

***

Inter tot pias peregrinationes, quas Romae magna atque religiosa laetitia per Iubilaris huius anni cursum sumus admirati, memoratu digna ea profecto est, quam ex universo orbe iuvenes, qui **exploratores** vulgo nuncuparunt, primis superioris Septembri mensis effecerunt. Atqui SUBALPINUS noster eam senariis versibus recordari voluit, quos libenter lectoribus nostris referimus. Sunt prouti sequuntur:

Vias per Urbis incedentes vidimus
Exploratores, vocant quos scholasticos.
Enim quam parvi, quam pusilli et tantuli!
Erant honesti serenique facie,
Novis induti dignitatis vestibus,
Suos ferentes baculos impavidi.
Quae patrum virtus emicat ex oculis!
Ex nostrae multi finibus Italiae
Vehuntur stricti religionis vinculo;
Omnes in tacito procedunt agmine,
Ad arcam Petri festinantes, alacres:
Eos manet Pater, Pontifex Maximus.
At quot sunt? Mille? Dices quot? Decem [millia!
Flos hic Italiae, incrementum patriae,
Spes sancta Crucis mox et sapientiae!
Felix quae gaudet talibus iuvenibus,
Miscent qui robur simul cum modestia!
Apud Pontificem properantes adeunt,
Colunt quem Patrem, venerantur maxime,
Ad cuius pedes obsequentes corruunt.
Quidam mendacium dixerant, sed perperam
A fide Italiam recessisse turpiter,
Enim quid falsius, magis quid falsidicum?
Uni nec Itali vadunt in obsequium;
Sed Angli sunt, Hiberni sunt et Scotici,
Hispani, Galli, Germanique, Belgici,
Omnis Americae atque Australiae incolae;
Suis profecti nuper qui sunt urbibus,
Ut urbem Romam memorandam visitent.
Eunt et ipsi ad Patrem, sunt fraterculi,
Quod est caput, cuncti Nominis Catholici.
Et laeti et hilares loquela patria
Romae dant gratias, tollunt ad sidera
Patris quod nomen gestitant in pectore.
Vicissim eos salutat voce Pontifex
Audita nunquam: « Oh salvete, filii,
Ad nostram domum qui venistis peregri!
Omne ego vobis adprecor auspicium
Et vestris, trepidant quae domi, matribus! »
Hac non Augustus gestiit potentia,
Suas nec potuit nationes dicere,
Armis quas domuit tenuitque durius...
Tenet sed Romae tenebitque Pontifex,
Est quoniam Christi summus Vicarius,
Suo Romanus dicitur qui munere!

***

Iocosa.

Tuccius ad bicyclulae possessionem adspirat; et cum aequali de difficultate huius gymnici ludi loquitur:

— Certe, – ille opponit – credo difficillimum esse bicyclulae insidere.

— Peuh!

— An descensum?

— Fi!

— Volutatus?

— Nugae hae omnes!

— Ecquid igitur?

— Difficillimum est patri meo suadere, ut bicyclulam mihi emat!

***

— Tucci, ut tuum est cognomen?

— Idem quod patris.

— Et patris?

— Aedepol! Ut meum.

— Auff! Magister quomodo te inter discipulos appellat?

— Asinum!

— Ita etiam vocaris quum cibus aliquis tibi opponatur?

— Tum non me appellant: prius enim ac sponte semper accedo!

***

Aenigmata.

I.

Imperio *primi* gaudetque doletque vicissim
Progenies humana, adeo, *totum* occupat il- [lud.
Alterius vitanda cito contagia tabi,
Ne *primum* ac *totum* inficiat mandetque se- [pulcro.

II.

Litteram quam antiqui liquidam dixere Latini
Anteiens, primae *proprior* quae est *portio* [parti
Nomina praegreditur. Cit *tertia*. Bellua *summa*.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent; 1) *A-cervus;* 2) *Caeres-Caedes.*

IOSFOR.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE. – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS [8

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

CORV. Et moneo, ut identidem in tabulam coniectes oculos. Omnino enim scripturam hanc manere intactam necesse est. Et si cras fuerit integra, vinum bibes quantumcumque potueris. Sed ablatum si documentum fuerit, de nigra cute tua actum erit. Proinde vigila apertis oculis! Et ipse brevi adero. Vae tibi, dormientem si invenero!

HYPH. Res curabitur, Corvine!

CORV. Et dî bene vertant! (*Incedens*): Venit igitur dies iam diu desideratus, optatus, concupitus, quo die odium meum sanguine placabitur. Quantopere etiam populus Romanus libertatis vocem ex ore aucupatur principis! Brevi igitur, dum ille sanguine pascitur, amphiteatra laetis resonabunt vocibus. Tuo, Pancrati, dolosissime simulator, iam cras arena rubescet sanguine. Quod diu iam edictum minabatur principis, tandem editum est, edicere meum est. Laetamini! Perrupto caveae pariete latus patet exitus. Nos leones sumus! (*Abit*).

HYPH. (*sicce*): Nam, hercle, omnia ista isti homuncolo in mentem veniunt! Qui si arbitratur, Hyphacem, absurdae tabulae causa, unius horae somnum mittere, vehementer errat. Armatum hostem opponite! Hyphax cum eo congressus non erit Numidis dedecori. Sed ego pol! non reliqui saltus patrios, ut me curvem debilibus, ut nescio quid custodiam. Et si hac nocte tabula evanuerit, re inepta atque illepida mundus levatus erit. Porro quid ad Christianorum perniciem longo edicto opus est? Si mihi semel constitutum est inimici alicuius animum explere sanguine, omissis litteris, simpliciter occido. Sed ut cives Romani, tenelli homines, haec mane legentes voluptuose horreant, Hyphax custodit tabulam. Hoc, cui gratum sit, volo scire, tam spissa praesertim nebula. Optimum bibere est (*bibit*). Sapore vinum hoc praecipuo est. Rursus bibam. Propino dîs hocce! (*bibit, post inambulat*). Ceterum ex meorum sententia popularium citum hic horror habeat exitum. Semel tota horreret urbs, sed graviter, horreret etiam Maximianus, qui nimium iam diu Romanorum praeest imperio. Quam nobis bene viveretur in Italia! (*Fricat manus*). Quid ego audio? E Capitolio signum dat vigil. (*Consistit, auditur cornu*). Sero est. Corvinum non amplius rediturum certum est. Qui stertat ipse lenibus Morphei exceptus brachiis. Hu! quam acerba huius nebulosae noctis frigora! (*Adstringit paludamentum*). Quid ego diu hîc frigebo etiam? Ipsi vigilate, si curae vobis tabula est. (*Oscitans, incise*): Palatii imperatorii ego custos sum, non ego servo ineptias stultorum. (*Assidet, indormiscit*).

SCENA III.


HYPHAX, PANCRATIUS, QUADRATUS.

QUADRATUS (*paludamento ita se amicivit, ut prominentibus dumtaxat oculis tota involuta sit facies.* PANCRATIUS *caute promittit caput, lustrat omnia, postremo ridens procedit*).

QUADR. (*adhuc post parietem*): Tutane omnia?

PANCR. (*submissa voce*): Hem! In tuto sumus (QUADRATUS *intrat involutus*). Media nox est. Nulla nunc vigiliarum circuitio. Nunc, quod proposuimus, absolvemus facile. (*Grandius*). Ecce magnum edictum mirificumque, quo nos et fratres interimimur. Quam propter placide custos somniat! Indemnes certe rem conabimur.

(Ad proximum numerum).



SINGULIS MENSIBUS EDITUR ROMAE, *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2; ambae lib. 3.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXIV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 250 pro Italia; pretium duplicatum, libell. scilicet 500, pro exteris gentibus, suae pecuniae valorem maiorem habentibus, quam ut Italicae pecuniae valor nunc est.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngrapham (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Novembri MCMXXV Fasc. XI

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis est pro Italia libell. 12; pro Anglia shell. 12, 1/2; pro Batavia flor. 7,50; pro Hispania peset. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro Helvetia franc. 15; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 20 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

III. Venimus ad *preces, precationes,* quas certis verbis fieri omnis religio iubet. Macrobius in III *Saturnalium,* 9, memorans verba Aeneae apud Vergilium in II *Aen.* (351):

Excessere omnes adytis arisque relictsi,
Di quibus imperium hoc steterat,

monet omnes urbes in alicuius Dei fuisse tutela, moremque Romanorum arcanum fuisse, ut quum obsiderent urbem hostium, eamque iam capi posse confiderent, certo carmine evocarent tutelares Deos, quod aliter urbem capi posse non crederent, aut, si posset, nefas aestimarent Deos habere captivos. Refert etiam ex quinto *Rerum Reconditarum* Sammonici Sereni, ut repertum ab eo in libro vetustissimo, cuiusdam Furii, carmen ipsum quo Di evocabantur, quum oppugnatione civitas cingeretur: *Si Deus si Dea est cui populus civitasque Carthaginensis est in tutela, Teque maxime qui urbis huius populique tutelam recepisti, precor venerorque veniamque a vobis peto ut vos populum civitatemque... deseratis, loca templa sacra urbemque eorum relinquatis absque his abeatis, eique populo civitati metum formidinem oblivionem iniciatis, proditique Romam ad me meosque veniatis, nostraque nobis loca templa sacra urbs acceptior probatiorque sit, mihique populoque Romano militibusque meis praepositi sitis ut sciamus intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa ludosque facturum.*

Refert deinde Macrobius carmen, quo hostium exercitum Dis devovebant, ut eum abducerent, lumine supero privarent, et eorum capita aetatesque devotas consecratasque haberent. Simul obtestabantur Tellurem Matrem (et manibus id dicentes terram tangebant), et Iovem patrem (tunc manus ad caelum tollebant); et vota concipiebant (manibus pectus tangentes), ut res ita gererentur cum salute legionum exercitusque romani.

In his carminibus obsidionis animadvertenda sunt illa verba: *Si Deus si Dea est,* qua utebantur quum incerti essent Dii quos precabantur. Gellius quoque (II, 28) memorat veteres Romanos in constituendis religionibus castissimos cautissimosque fuisse et, exempli causa, ubi terram movisse senserant, ferias edicto imperabant; sed inquit: « Dei nomen cui servari ferias oporteret statuere et edicere quiescebant, ne alium pro alio nominando, falsa religione populum alligarent. Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem

[1] Cfr fasc. sup.

opus esset, hostiam *si Deo si Deae* immolabant ».[1]

Aliae comprecationes Deum immortalium, quae ritu Romano fierent, ab eodem Gellio (XIII, 23) dicuntur expositae in *libris Sacerdotum* populi Romani et in plerisque antiquis orationibus. In his ait scriptum esse: « Luam Saturni, Salaciam Neptuni, Horam Quirini, Maiam Volcani, Heriem Iunonis, Nerienemque[2] Martis ». Nominantur hîc Deae, quae aut uxores sunt, ut Lua Saturni, Salacia Neptuni, Hora Quirini, Maia Volcani, Nerio Martis, aut sociae sunt et comites, ut Herie Iunonis. Lua Saturni invocabatur etiam ut *Lua Mater,* cui spolia et arma hostibus capta dicari solebant, ut est apud Livium (8, 1; 45, 33). Ut Veneri coniugia tribuebant et Cereri divortia, et Iunoni procreationem liberorum, ita Saturno et Luae sterilitatem.[3] *Lua* est igitur a voce *lues,* numenque erat propter suam male faciendi potestatem propitiandum. - *Salacia* Neptuni, a Varrone dicebatur esse unda quae in salum redit, ut *Venilia* unda quae ad litus venit.[4] Festus ait hanc aquae deam putari salum ciere, h. e. mare movere. At *salax, salacia* certe a saliendo (Italice: *Dallo zampillare delle acque fontane*). - *Hora* ea est quae prius appellabatur *Hersilia,* uxor Romuli; postquam hic Deus factus est nomine *Quirinus,* Hersilia quoque in caelum accepta, priscum pariter cum corpore, ut Ovidius canit *Met.,* XIV in fine, nomen mutavit, et *Hora* vocata « quae nunc Dea iuncta Quirino est ».

A *Maia* Volcani uxore mensem Maium vocatum dicebant, et Kalendis Maiis rem divinam huic Deae facere flaminem Vulcanalem. Id legitur apud Macrobium in *Saturn.* I (12, 18); qui memorat etiam opinionem Cornelii Labeonis aliorumque, Maiam Deam ipsam terram esse, sic a magnitudine appellatam; eamdemque Bonam Deam Faunamque et Opem et Fatuam Pontificum libris indigitari.

Ferme nihil scimus de *Herie,* quae nominabatur ut socia comesque Iunonis; fortasse cum Hersilia de qua supra diximus coniungenda, certe a radice communi *her,* quae umbrae originis videtur.

Denique *Nerio* vel *Neriene,* Martis uxor, nomen habebat Sabinum, quo significabatur virtus et fortitudo; unde etiam *Nero*; opportune uxor facta Martis, cuius ita vis et potentia et maiestas quaedam adumbrari videtur.

Huiusmodi precationibus publicis adiungamus licet memoriam privatarum etiam precum, quales legimus apud Catonem in libro *De agricultura.* Piro florente suadet Cato dapem pro bubus faciendam esse, hoc est cenam Diis, praesertim Iovi, sacram.[1] Praecipit autem dapem sic fieri oportere. Iovi dapali debebat vilicus culignam vini[2] pollucere, i. e. offerre, consecrare. Eo die feriae bubus et bubulcis et qui dapem facient. Quum oportebit pollucere, his verbis utendum est: « *Iuppiter dapalis, quod tibi fieri oportet in domo familia mea culignam vini dapi, eius rei ergo macte hac illace dape pollucenda esto* »; quod significat: Iuppiter, quoniam

[1] Cfr. Hor., *Sat.,* 2, 6, 20: *Matutine pater, seu Iane libentius audis.* Serv. *ad Aen.,* 2, 351: *in Capitolio fuit clipeus consecratus, cui inscriptum erat: Genio urbis Romae sive mas sive femina.* Verg., 4, 576: *Sequimur te, sancte Deorum quisquis es.* Cfr. Apul., *Met.,* XI, 2, etc.

[2] Dicebatur *Nerio - Nerienis,* vel: *Nerienes - Nerienis;* vel *Neriene -es;* vel *Neria -ae*

[3] Serv. *ad Aen.,* 3, 139; ubi pro codicum lectione *Lunae* certe legendum est *Luae.*

[4] Aug., *Civ. Dei,* 7, 22: *Quamquam aqua non geminetur, quae it et redit, huius tamen occasione vanitatis, duobus daemoniis invitatis, amplius commaculatur anima quae it et non redit.*

[1] Festus p. 68 M, 48 T. De P.: *Daps apud antiquos dicebatur res divina, quae fiebat aut hiberna sementi aut verna,* etc.

[2] Festus, p. 51 = 35 : *Culigna, vas potorium.* Graece κυλίχνη.

offerenda est tibi, in dape, pro mea familia, haec culigna vini, auctus sis, et honoratus et glorificatus hac dape tibi consecrata. Deinde, vilicus manus interluebat, vinum sumebat, dicens: « *Iuppiter dapalis macte istace dape pollucenda esto, macte vino inferio esto* ». Inferium vinum, ait Festus s. v. (p. 113 = 80) id quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur.[1] Post factam dapem, Cato suadet milium, panicum, alium, lentim serere.

Aliam precem rusticam refert Cato capite CXXXIV. Loquitur de sacrificiis faciendis ante messem. Porcum feminam, ait, immolabis; sed prius ture vino Iano Iovi Iunoni praefato. Iano struem (genus libi) obmoveto (i. e. admoveto, offer) sic: « *Iane pater, te hac strue obmovenda bonas preces precor, uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae* ». Fertum (aliud genus libi)[2] Iovi obmoveto et mactato (i. e. offer) sic: « *Iuppiter, te hoc fercto obmovendo bonas preces precor uti sies volens propitius mihi liberisque meis domo familiaeque meae, mactus hoc fercto* ». Postea, pergit Cato, Iano vinum dato sic: « *Iane pater, uti te strue obmovenda bonas preces precatus sum, eiusdem rei ergo macte vino inferio esto* ». Postea Iovi sic: « *Iuppiter, macte isto fercto esto, macte vino inferio esto* ». Postea, porcam praecidaneam immolato. Praecidaneam autem porcam, ut ait Festus (219=273) dicebant quam immolare erant soliti, antequam novam frugem praeciderent.[3]

IV. Rationem aliquam cum rebus religiosis habent *carmina magica,* vel *incantamenta* quorum saepe fit mentio, praesertim sequiore aevo; sed nullum dubium est quin etiam priscis temporibus iam adhiberentur. Interdum certa verba in remedium nonnullorum morborum repetebantur; aitque adhuc Plinius temporibus tam progredientis doctrinae, maxumae semper quaestionis esse, et quidem incertae, polleantne aliquid, inter remedia, verba et incantamenta carminum. Exempla autem profert ex quibus vis carminum comprobetur; inter cetera hoc quod Vestales mancipia fugitiva, nondum egressa urbe, precationibus in loco retinere crederentur. - Duodecim ipsae tabulae poenas irrogabant ei qui fruges *excantassit* vel qui malum carmen *incantassit.* – Neque erat qui non metueret diris imprecationibus defigi.[1] Plinius memorat etiam Theocriti apud Graecos, Catulli et Vergili apud nos incantamentorum amatoriam imitationem. Iam dixerat Homerus, profluvium sanguinis volnerato femine Ulixem inhibuisse carmine; ita Theophrastus monuit ischiadicos sanari; e Latinis autem Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliare, M. Varro podagris.[2]

Haec ipsa carmina hîc proferenda sunt. Scribit igitur Cato *De agricultura,* c. CLX: « Luxum si quid est hac cantione sanum fiet. Harundinem prende tibi viridem pedes IV aut V longam; mediam diffinde; et duo homines teneant ad coxendices.

[1] Cfr. s. v. *calpar* = vinum novum quod ex dolio demebatur sacrificii causa antequam gustaretur. - V. Forcellin., *Lexikon,* s. v. *inferius.*

[2] *Fertum,* vel *ferctum,* oblatio quae altari offertur et sacrificatur a pontificibus. Ferctum offerebantur non sine strue ait Festus (85 = 60): « et qui offerebant *struferctarii* appellabantur.

[3] Cfr. Non., ed. Lindsay, 1, p. 240: « Praecidaneum est praecidendum ». Varro, *De vita p. R.,* III: « Qui humatus non sit, heredi porca praecidanea suscipienda Telluri et Cereri, aliter familia pura non est ». Cfr. Gell., 4, 6, 7, uti loquitur de *hostiis succidaneis et praecidaneis.*

[1] Audollent, *Defixionis tabellae.* En exemplum defixionis: « Hunc ego apud vostrum Numen demando devoveo desacrifico ut vos Aquae ferventes, sive vos Ninfas sive quo alio nomine voltis appellari, uti vos eum interematis ».

[2] Cfr. Heim, *Incantamenta magica graeca et latina,* collegit disposuit edidit, in *Fleckeisens Jahrb,* Supp. Band 19, 1893, pag. 465. Cleerc, *The Magie of Rome,* Londra, 1902. Huvelin, *Les tabellettes magiques et le droit rom. (Mém. prés. au Congrès intern. d'hist. comparée, Paris 1900),* Maçon, 1901. - Cfr. in *Archiv. Wölfflin,* 1902, p. 601.

Incipe cantare in alio s. f.: *Moetas vaeta daries dardaries asiadarides una petes*, usque dum coeant. *Motas vaeta daries dardaries astataries dissunapiter*, usque dum coeant. Ferrum insuper iactato. Ubi coierint et altera alteram tetigerit, id manu prehende et dextera sinistra praecide, ad luxum aut ad fracturam alliga, sanum fiet. Et tamen cotidie cantato in alio s. f. vel luxato. Vel hoc modo: *Huat hauat huat ista pista sista damnabo damnaustra, et luxato.* Vel hoc modo: *Huat haut haut istasis tarsis ardannabon damnaustra*».

Candidissime Lector, ne exspectes me huiusmodi cantationum interpretationem tentare; fortasse nihil aliud sunt nisi verba sine sensu; aut saltem a prisca forma tam mutata, ut iam non intelligi possit.

Magis perspicua contra est formula quam Varro (*Rerum Rusticarum*, I, 27) in medium profert, loquens de Fundanio socero, cui pedes solebant dolere. Quum igitur homini pedes dolere coepissent, haec verba recitanda dicebat:

Ego tui memini;
Medere meis pedibus;
Terra pestem teneto,
Salus hic maneto,
In meis pedibus.

Hoc ter noviens cantare iubebat, terram tangere, despuere, ieiunum cantare. En carmen tandem et perspicui sensus et rhythmi nobilissimi; saturnio versu scriptum solet dici. Quid sentiendum sit de hoc versu infra sermo erit; nunc satis sit animadvertere, et numerum, et versus tertium et quartum similiter desinentes, quod vulgarem poëtandi rationem manifeste sapit. Hoc carmen memoria servemus; infra ad illud erit redeundum.

(*Ad proximum numerum*).

FELIX RAMORINUS.

Dulce etiam fugias, fieri quod amarum potest.
Duplex fit bonum, simul ut accessit celeritas.

P. SYRIUS.

DE SCRIPTORIBUS CHRISTIANIS
et de lingua "universali,,

Haud ita multo ante, in magno quodam Doctorum conventu in Hibernia habito, in medium est iterum lata quaestio de sanctorum latinorum Patrum voluminibus, vel a pueris in scholis unice adhibendis.

Arceantur, - inquiunt, veluti agmine facto doctores illi, - ethnici omnes scriptores, qui pueris incaute tot damna intulerunt! Haec unica malorum causa, quae nobis ut Vergilii miles irruit in hostem

Fulmineumque viris proturbans ingerit ensem!

ALMA ROMA quae hanc ipsam quaestionem olim actitavit, et libens, arrepta occasione, in aciem adgreditur, ut, mediam se utique gerens, locus tamen princeps ethnicis scriptoribus facile permittatur.

In primis libero admodum ore profitebor, me nunquam hac in re sententiae Eminentissimo Cardinalis Logue suffragari posse, qui severiori opinione edocuit veteres Romanos scriptores scholis puerorum omnino ablegandos esse, praesertim ob impiam eamdemque adsiduam Deorum suorum commemorationem.

« Hinc enim, - aiebat, - immensa illa malorum colluvies, hinc errorum pestifera lues, quae apud nos, abhinc aliquot annos, omnia corrumpit, omnia contaminat in puerili institutione».

At ipsi priores christiani scriptores, obtestans dico, undenam elegantem puramque scribendi rationem, atque inoffenso pede, arripuerunt?

Longe alia est, nostra quidem aliorumque sententia, flagitiorum origo, quibus aetas nostra maxime vexatur!

At instanter adversarii premunt: « Qui ad studium litterarum latinarum animum adpellunt, in praesentiarum, ad scriptores unice accedunt, qui ad aetatem augusteam pertinent; atque adeo, citra omnium opinionem, ingenia iuvenum sapientia illa potissimum ethnicorum imbuuntur, quae ad eorum mentes informandas maxime valet. Et res quae a pueris arripiuntur haud ita facile e memoria cadunt. Sic enim mordicus ipsis haerere consuevimus. Ad haec, lalinorum auctorum studium ad res potius exterius quam ad veritatem tendit, ad sensus vellicandos potius adsurgit, quam ad intellectum illuminandum, verbaque demum potius aucupatur, quam sententiarum gravitatem curat».

Alias equidem admonitiones mihi suggerit perpetua haec latinorum recordatio, quam continue in eorum scriptis admirantur. Cur vero non laudas eorum in Numina pietatem, quam saepe, proh pudor! frustra in christianis scriptoribus quaeritas?

Et si hac in re aliquando peccant, nos eos a veritate aberrantes, compati debemus. Opportune suavem magistri rethoricae imaginem reminiscor, qui Cicero nem, quam unice deamabat, praesertim nobis interpretaturus, eiusque sententias doctis suis animadversionibus hilarans, sanctitatem saepe doctrinae admiratus, mirum in modum querebatur, quod Deum verum ignoraret et divinam Christianorum sapientiam, ut caelestium rerum veritatem splendidissimis ingenii sui luminibus commendasset. Saepe enim, ut optime novistis, ipse ad veritatem accedit, lumen veri ad eius oculos interdum splendescit; at divino afflatu carens in errorem labitur.

Scriptores quidem christiani omnes nativo candore nitent, et singulari quadam suavitate et iucunda, paene dixerim, moestitia, regentium animos perfundunt, et Minucius Felix eleganti dictione usus est, et Lactantius Tulliani styli virtutes tam faciliter est consecutus, ut Christianus Cicero merito sit appellatus. Est profecto in ipsis singularis eloquendi vis, quae non in concionibus tantum, quas in templis haberent ad populum, sed et in lucubrationibus passim elucet, quibus christianam doctrinam ab adversariorum telis acerrime tuerentur.

Sed ipsi, litterarum latinarum potius sospitatores quodammodo sunt dicendi, qui deteriorem aetatem nacti, venustae et concinnae orationis aliquando securi, novum scribendi genus plerumque usurparunt; quamvis non ita durum et barbarum, ut nullam in se pulchritudinis faciem deferat. Aetatem enim suam redolent. Hoc nomine maximis est laudibus extollendus Thomas Vallaurius, quem, florente adhuc aetate, in maximo Taurinensium studio, politiores litteras latinas tradentem audivisse gloriabor, qui, etiamsi plus aequo insectatus fuerat christianos scriptores, in vulgus tamen aliquot emittendos curavit, animadversionibus auxit, et verba quae deterioris essent aetatis, in melius corrigebat, et optime notabat, quomodo esset in puerorum exemplum scribendum.

Utinam sic cautum apud nos publice fuisset, in novissima studiorum ratione, qua parvula quidem pars est data christianis voluminibus, ut magistri in sacris auctoribus interpretandis, quum de puriore scribendi ratione sermo sit, prudenter alumnos moneant, romanum eloquium, senescente aetate, et ob rerum novarum multitudinem, aliquantulum ab antiqua puritate descivisse... et multa cecidisse, quae postea sunt iterum nata. [1]

Haud aliter gravis nostrae aetatis magister in schola de italis litteris loquens identidem auctores temporis labentis cum optimo quoque temporis prioris componit.

*
* *

Unum mihi restat, ut nonnulla dicam de quaestione illa pulcherrima quidem auditu, actu vero, mea sententia, difficillima.

[1] Hoc nomine laudandi sunt Felix Ramorinus et Franciscus Dalpane, qui summo studio vocabularium ediderunt iuxta Sacrorum Librorum rationem exaratum, ut iis praesertim inservirent, qui latino eloquio Bibliam legere consueverunt.

Haec mea verba ad illud potissimum spectant, quod tamdiu agitatur inter recentiores; ad eloquium videlicet populis commune, atque ideo « universale ». Et haec quaestio, in magno Hibernico conventu, apparuit, et omnes, facili consensu et magna animorum exultatione, in gravem iverunt sententiam, ut aliquando, doctorum virorum auctoritate, Romanorum eloquium ad id eligeretur. Quid enim melius, quid aptius, quidque demum rebus nostris accommodatius? Quod auspicatum est, ut, ablegatis in aevum recentiorum nonnullorum deliramentis *De Esperanto* et in praesentiarum *De Ido*, sermo communis latinus publice assumatur.

Huic sententiae libentissime et duplici pollice suffragabor, eamque praesertim apud nos omnium adprobatissimam esse putabo. De latino enim sermone sic publice cautum est, ut ipsa puella, quae mox infantulorum nostrorum magistra erit, linguam veterum Romanorum vel a limine salutet. Sic, paucis labentibus annis, omni resoluta difficultate, Itali, nullo prorsus labore, latine facile loquentur, omniaque cum ceteris nationibus communicare poterint. Quod faxit Deus, eiusque sancta voluntas haec omnia compleat!

I. B. Francesia.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

Defunctorum suffragia in priscis Christianorum sepulcris.

Si imagines in priscis Christianorum sepulcris effictas conspicimus, facile nobis persuadebimus, eas, sive sacramenta adumbrantes, sive originale peccatum et consequentem mortem, sive denique exempla miraculorum Deique misericordiam, semper tamen totidem veluti rationes repetere divini auxilii pro animabus defunctorum invocandi. Neque hinc alienae picturae videntur, quae animae iudicium, vel animas aeterna felicitate donatas repraesentent. Plerumque enim benigni iudicii, aut sempiterni fruendi gaudii spes eiusmodi picturis significatur, sicut in epitaphiis illis, iu quibus quae affirmativa videtur formula, ea non raro ut optativa seu deprecativa accipienda est, vocabulis *vivas, vivatis* adiectis.

Re quidem vera, si sacramentorum symbola iuxta liturgicam debent intelligi precem, sacramentum ipsum a defuncto, quum viveret, susceptum optima evadit supplicandi ratio, ut defuncti anima ad aeternam beatitudinem cito admittatur.

Picturae vero quae perspicue magis preces pro defunctis significant, eae sunt, quae hominis miserrimam conditionem atque ad peccatum proclivitatem commonstrant; itemque quae Dei virtutem produnt iusti causam tuentem, aut a malis aerumnisque huius vitae liberantem. Nihil enim Dei benignitatem praestanius apud primaevos Christianos impetrare putabatur quam humilis propriae infirmtatis professio Deique maiestsatis et omnipotentiae cognitio. Haec autem cogitatio, quae totam fere veterem liturgiam pervadit suamque habet in sacris Scripturis rădicem, etiam in picturis sepulcralibus ubique prorsus reperitur. Cuius quidem rei eloquentissima exempla plures inscriptiones exhibent, ut, exempli gratia, Agapes epithaphium notissimum et carmen quod Damasus sibi concinnavit.

Ad liturgiam quod spectat, satis sit orationem in Constitutionum Apostolicarum lib. V, c. VII[1] relatam memorare, in qua resurrectionis cogitatio omnino dominatur, et *Ordinem commendationis animae* et *Pseudocyprianicas preces,* in quibus auxilium tantum a Deo postulatur. Uter vero sensus sit intelligendus in monumentis

[1] *P. G.*, I, 843-844,

interpretandis, quas supra nominavimus, haud facile est discernere; nam et ipsa Lazari resurrectio ad requiem defunctorum obtinendam aliquando commemorata invenitur, quum potius tamen resurrectionis exstet symbolum.

Quod autem Ecclesia Dei pro vivis in tribulatione positis faciebat, idem perspicuum est eam et pro defunctorum animabus praestitisse: nihil enim indigentius esse potest quam anima post lucem hanc a corpore separata Deique coram tribunali constituta. Igitur suavis illa pro morientibus oratio, cui *Ordo commendationis animae* est nomen, aliaeve eiusmodi, post mortem minime cessabant, sed corpus ad coemeterium ac sepulturae locum comitabantur. Neque post corpus depositum, neque post loculum super illo clausum obmutescebat oratio; sed perstans per « catacumbarum » hypogea resonabat, eiusque velut iteratio ipsis in sepulcris, titulis picturisque quodammodo describebatur.

Sunt qui dubitent picturas revera ad precum similitudinem effictas fuisse, eo quod non idem factorum biblicorum sit ordo in orationibus atque in picturis. Sed huic difficultati responsum praesto est; nam ordo quo eventus illi in oratione dispositi cernuntur varius esse potuit, sicut plures fuerunt huiuscemodi orationes; immo ipse *Ordo commendationis animae*, licet, quod ad materiam attinet, antiquissimus sit, nihilominus seriorem ipsa eius forma revelat redactionem, neque unicum archetypum a quo ipse manaverit, supponit. Lazarus, exempli gratia, et Ionas minime in *Commendatione* inveniuntur; eos tamen in Apostolicarum Constitutionum textu, quem nominavimus, habes, pariterque in secunda Pseudocyprianica oratione.

Verumtamen initio, ut videtur, Dei prodigia fidelibus suggerebantur non quasi in ordinata serie, sed « iaculatoriarum », uti vulgo dicimus, orationum ad instar, tamquam hortationes et incitamenta. Quandonam vero eiusmodi cohortationes et pro viris orationes in defunctorum preces mutatae sint, adhuc ignoratur: nihilominus eodem prorsus tempore tam vivis quam mortuis adhibitas pro opportunitate eas fuisse, veri videtur simillimum. Quod autem revera moris esset hoc sensibili ac figurato modo preces in sepulcris describi, dubium esse nequit; nam ipsis monumentis id evidenter eruitur. Quam optime autem preces, de quibus sermo est, etiam mortuis, nedum morientibus convenirent, vel ex eo colligitur, quod de animae solummodo salute in iis verba omnino fiant; namque in ipsis precibus modo hominis infirmitas Deique misericordia, modo Dei omnipotentia enuntiatur.

Aliud denique est picturarum genus, quod ad angelorum sanctorumque consortium, ad aeternum gaudium Deique visionem spectat, et optime tum epitaphiorum formulis, tum cum antiquis funebribus consonant liturgiis. Sic, exempli gratia, huius generis obtestationes in epitaphiis occurrunt: *O Pater omnium, recipe apud te Irenem, Zoem ac Marcellum! - Accipe me, Domine! - Omnipotens Deus, te deprecor ut paradisum lucis possim videre!...* Praeterea innumerae prorsus huiusmodi reperiuntur formulae: *Accepta apud Deum - Receptus ad Deum - In luce Domini receptus est,* etc. In liturgiis vero nihil communius quam beatae aeternitatis Deique visionis pro defunctorum animabus efflagitatio; itemque in martyrum actis persaepe illa, parum mutata, occurrit S. Stephani protomartyris oratio: *Domine Iesu, accipe spiritum meum!* cuius et memoratae inscriptiones veluti iterationes sunt.

S. S.

Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. Desunt inopiae multa, avaritiae omnia.

Syrus.

FABER FERRARIUS[1]

Mole gravis vultuque niger scapulisque quadratus,
Brachia nudatus, pectora, saepe caput;
Incessu patulus, nunc huc nunc flectitur illuc,
Figens obliquum lentus utrumque pedem,
En Caietanus ferrarius arte magister,
Afrum cui nomen vulgus in urbe dedit.
Proh! qui nasus inest, cui sex hinc inde rubescunt
Naselli, proles fervida nata mero!
O quoties voluit spurios divellere nasos
Et Bacchus nasos iussit habere novos!
Non dolet at tristem casum: ridentibus ipse
Arridet; pueros mimicus ipse ciet.
Visus adesse via? Subito vaga turba petulca
Irruit, ingenium docta movere fabri.
Qui genus interdum nactus sollemne loquendi
Divendit pueris ardua prodigia.
Si mediis rebus risu puer ora tumescit,
Temperat ipse gravi luce supercilii.
Mox ridet frontemque movet totusque iocatur:
Ingenti plausu garrula turba fremit.
Edocet interdum unumquemque ciere susurrum:
Murmure, ad harmoniam, tota caterva strepit.
Lucrandi cupidus numeros per somnia quaerit,
Mane sybillinas consulit effigies.
Ite leves nummi, sudatae praemia frontis;
Vos habet urna rapax, unde redire nefas!
Plures quaerendae sortes: tentare Panormi,
Romae, Taurinis Parthenopeque iuvat.
Di bene! Pellicea pera servetur amica
Tessera, per septem spem paritura dies.
Prima luce refert numeros cum coeca tabella,
Anxius ille subit, ... votaque quanta cadunt!
« Decipies, clamat, mala sors, haud amplius Afrum! »
Sed nova per somnos terna, quaderna capit.
Forte sodalitii sacri, cui frater adhaesit,
Si quis obit socius, cum face quisquis adest.
Et primus librumque tenens ocularia naso
Cyclops vitra ferens, accinit ore gravi.
Praesidet et taedis, tristi quae lumine lucent
Excitat, aut tracta, forcipe, putre secat.
Si quae difflagret graveolens et cera liquescat,
Mollitis digitis comprimit; at retrahens
Ustos, humectat labiis; tunc flamine capto
Sufflat, vulcanum perdomuisse potens.
Post tectus facie, binoque foramine cernens,
Per medias sequitur lenta feretra vias.
Dicendum sed opus ferri: seclusus in antro
Dat mandata fabris, expedit ipse prior.
Hi folle accipiunt auras redduntque frequenter,
Fornacem stimulant dum calor igne furit,
Hi massam versantque focis finguntque sonantem,
Et captam tingunt forcipe subter aquam.
Afer at ingentes mediis carbonibus axes
Ponit, alens flammam turbine praecipiti.
Pars ignita rubet, tundenda incude locatur,
Flammeus attollit brachia magna Cyclops.
In numerum attollunt iuvenes; celeresque favillae
Sparguntur; crebris ictibus antra tremunt.
Hinc variae prostant formae; longaeque catenae,
Quae iubeant muros pondere stare suo;
Cancelli muniti hastis lamnisque reflexis,
Hortis ne pueri subdola furta ferant;
Aestivae falces, rastri, curvique bidentes;
Quae mulos et equos ferra recurva decent.
Longos saepe tubos format, quibus unda refusa
Urbanos fontes, vena salubris, alat.
Si ditanda domus lympha, blandoque susurro
Atria, Vulcanus protinus arte struit
Urnam marmoream chalybo ducente syphones,
Unde loquax tortis clavibus unda fluit,
Piscinam nitidam praecinctam pumice et herbis,
Altior unde micat vis recidentis aquae.
Effingendus adest thalamus cum rete metallo?
Intorquet, tendit, perpolit atque parat.
Instauranda manet triturae machina fervens?
Ferramenta tenens conscius ecce venit.
Dissolvit partes, observat viscera monstri;
Annuit; in promptu iam medicina malo est.
Iuncturas reficit, dentesque orbesque volantes,
Quâ vapor exsultat, quâ furit unda calens,
Fumida quâ nigris suspirat flamma caminis,
Quâ tubulus rabide stridet ad aetra monens.
Tristia sed subeunt sacro cum mense Novembri,
Manibus ornandis inclita ferra parat.
Tunc pietate gravis, nactus mandata piorum,
Fingit votivo lumine mille faces,
Artificesque cruces tumulis et ferrea claustra,
Ne male conculcent cara sepulcra pedes.
Tunc natam memorans, quam mors absumpsit acerba,
Furtive illacrimans evocat inter opus!

Aquilae.

ANGELUS NARDIS.

[1] Lectores nostri haud certe obliti sunt, sub finem anni MCMXXIII Romae certamen poëticum ad insequentem annum indictum fuisse ex legato Theodorici Ruspantini, Romano athenaeo ad hunc finem commisso. In illud centum circiter scriptores descenderunt ita ut censorum collegium nonnisi post aliquot menses iudicium suum emittere potuerit. Neque id blandum evasit: nemo enim praemio dignus inventus est; sed tantum quattuor, ni fallimur, carmina peculiari laude notata sunt. In his *Faber* hic *ferrarius* a clarissimo socio nostro Angelo Nardis descriptus; cui dum ex animo gratulamur, ob concessum privilegium in nostris paginis carmen idem edendi amplissimas gratias et habemus et referimus.

DE ANNIS SANCTIS[1]

Leo XIII P. M.
et annus sanctus vigesimus secundus.

Si spatium praeteriti temporis respicias, iam illud in promptu est, Cathedram Petri Apostoli fortunose pergere, quam per viginti fere saecula divinitus stantem venti undique reflantes, nec labefactare potuerunt nec loco dimovere. Quod quidem miraculum nedum oculis perspeximus, sed manu propemodum pertractavimus.

Ingemiscentibus omnibus, devexa quamquam aetate, multis obrutus malis laboribusque confectus, septimo Idus Februarias, in Vaticanis aedibus, inter suorum complexus et preces, piissime decedebat Pius IX P. M., qui per triginta et tres circiter annos regnaverat; x Kal. Martias ad Petri sedem evehebatur Ioachinus Pecci Purpuratus Pater iam Perusinorum Episcopus, qui, incredibili Christiani Nominis laetitia, omnia fausta rei christianae in arduis laboranti auspicantis, audacter principatum suscepit.

Difficillimis illis reipublicae temporibus, dum nefarii homines occulto sacramento devincti, tenebricosis latebris erumpentes, insidias struunt, atque in Europae luce versantes alacres per fora, per conciliabula volitant, coniurati veterem Ecclesiae compagem laxare, in Urbe hic Pontifex Maximus ex improviso surgit, ac religionem impiorum manibus agitatam et turpiter habitam divinitus defendit atque ad pristinam dignitatem revocare studet.

Tunc magnum est inditum silentium, et omnes populi, veluti de composito, ad Romam, in obsequium erga Pontificem proni, conversi, novum saeculorum ordinem exoptant atque auspicantur.

Et Pontifex ipse, qui Leo XIII vocari voluit, solemniter ex more sese orbi sereno vultu portendit, atque immortalibus divinisque placitis innixus, pacem hominibus, falso ereptam, caelesti auctoritate pollicetur, et omnes, patrum vestigiis sanctius insistentes, ad catholicam sapientiam alacres revertere christianosque sese gerere iubet.

Mirum! Quum primum est ad Christi fideles Romanae Ecclesiae devotos allocutus, romana prorsus eloquii elegantia et doctrinae sublimitate, ita facile eximia amoris sui ac voluntatis significatione animos

[1] Cfr. fasc. sup. mens. Iulii.

sibi devinxit, ut uno ore eum omnes restitutorem felicis saeculi adclamantes, Patrem appellent et populorum facile principem.

Ipse interea ad populos eorumque rectores accedens, neglecta quasi dignitatis suae persona, dulci alloquio eos adit et vere Patrem se undique gerens, suaviter monet eo se omnino atque unice spectare, ut Deus, familiae christianae aberranti volens, propitius adsit, et populum insanis fluctibus tractatum in portum aliquando reducem faciat. Mox, aerumnosa operariorum conditione commotus, quem graviorem in dies fore praesentiebat, eorum causam apud dominos et dignitatis auctoritate et optimis sapientium placitis fretus, mirum in modum actitat, omniumque mentes novitate sermonis alligat atque percellit.

Hac de causa passim et *Operariorum Parens* appellatur, atque sic primum de adversariis, qui tamdiu erecti per officinas volitare consueverunt, triumphum retulit, remque Christianam auxit atque formavit.

Ad Italos identidem paterno vultu respiciens, et abdicata omni contentione de re civili, conciliandae concordiae suasor adest, et vere gloriae suae osores ac libertatis, reviviscentes extremaque omnia minitantes, pertimescere iubet, et Pontificem publicae auspicem faustitatis intueri. Ei propterea tot sublimia loquenti, universa Italia plaudit, quae in obsequium prona, laeta fortunas suas devovet, et sese amoris, fidei pietatisque documentum exhibet.

Ad haec, vel quum Perusinae Dioecesi praesit, egregiam operam navat, ut sui sacrorum alumni alacriter in litteras latinas graecasque incumbant, et haud ignobilem locum inter studiosos obtineant. Eius itaque Ecclesia bonis artibus florescens in exemplum ceteris splendescit. Nunc ad supremum rerum sacrarum culmen evectus, eodem pulcri sensu afflatus, optimum factu reputavit, si opportunitatem nactus, in eodem pro Ecclesia certamine insistens puriorem doctrinae ordinem cum universo terrarum orbe liberrime communicaret.

Quamobrem, singularem diligentiam ac moderationem professus, ausu utique sublimi ac Pontifici Maximo in primis dignissimo, ad sanctam atque italicam Philosophiae disciplinam, a S. Thoma Aquinate illustratam, reducere viros a veritate devios enixe adlaboravit. Sic sapientiam ac dignitatem virtute cumulans, mirum in modum mortales ad rectum studiorum tramitem trahit; et Magister, divina rerum cognitione innixus, immortalia illa profitetur documenta, quae, eleganti quoque formae lenocinio perfusa, ad extremos terrarum fines perrumpunt, in aeternum duratura.

Quo factum est, ut omnes intelligentis iudicii viri, renatam quodammodo veterum Romanorum sapientiam per Pontificem Maximum reputaverint, et ipsum patriae quoque servatorem uno ore salutet, qui aliquando, praeter exspectationem, fessis hominum animis requiem curarum et laborum allaturum confidenter adfirmet.

Magna enim ac turbulenta tempestate tunc res christiana magis in dies afflictabatur, quaeque enim natio publice a Pontifice Maximo recesserat, sicque, per exemplum, omnes fere populi timore compulsi se gerebant. Omnia pro arbitratu durissime tenebantur, tum voluntatis tenacitate tum odio in Romanam religionem. Otho Bismarck, supremus Germanorum administer, eo spectare videbatur, ut, ita hominum potentiorum suae aetatis voluntate ferente, arcem catholici nominis funditus everteret, et caput Lutheranae secessionis in Urbem proferret.

Huic, postquam ad Sedan de Gallis immensum retulit triumphum, omnia arridebant; suoque ductu atque consilio cedebantur. Nulli unquam parcere consuescit, et victos praesertim elate et superbe tractare.

In tanta rerum perturbatione atque ingeniorum versutia unus nunc quoque

adest Pontifex Maximus, qui, suus semper et iuris et consilii, non hostes expavescit, et propositi tenax universam rem christianam aequo regit imperio.

Ad eum ipse Bismarck tandem humili se vultu convertit, quum repente fortuna saevire, eiusque consiliis coepit obluctari. A Pontifice enixe postulat, ut, pacis suasor inter Germanos atque Hispanos, atrox belli periculum avertat. Quod quidem, cunctis admirantibus populis, mirum in modum ex omnium consilio facile successit.

Paulo post, ipsa in Germanis potestas administri nuper impotentis excutitur, et magno equidem imperii periculo, novarum rerum compago divinitus ruere videtur. Tunc iterum Bismarck, maligno veluti fato vexatus, ne funditus imperium, quod immani opera prius composuerat, fractum in partes illaberetur, ad Pontificem confugit eiusque opem admodum exoptat. Quae magna rerum conversio! Sed, ut olim Magister aquis imperavit et ventis, et facta est tranquillitas magna; sic Eius Vicarius, divina opitulante gratia, pacem atque obedientiam mortalibus suadendo, in omnem late orbem terrarum est dominatus.

Omnia itaque circum, Deo adiuvante, in melius mutantur, et festino pede novus rerum renascitur ordo, et religio, quae modo captiva, catenis obruta incedebat, nunc tandem erigit caput animosque ad sidera tollit.

Iam singulae nationes ad Christianorum parentem adoraturae redeunt, antiqua foedera laetantes ineuut, et animos religioso vinculo simul adiungunt. Labente anno octingentesimo octavo et octogesimo supra millesimum, quum Pontifex sollemnibus caeremoniis Iubilaeum sacerdotale ageret, nationes universae tum privatis rationibus tum publice Romam contendunt, Pontifici innumera dona missitant, et in Vaticanas aedes profecturae, suam fidem et voluntatem, libero ore profitentur. Sic Deus Pontificem suum honorare voluit et improborum superbiam frangere! Omnium tamen exspectationem est facile supergressus proximi novi saeculi adventus.

Leo XIII, adpetente saeculo vigesimo, adclamantibus omnibus Civitatis ordinibus, sese novum annum sancte celebraturum esse proclamat, et profusis muneribus divinis ad Urbem populos sollicitat, ut, saeculi negotiis ablegatis, universam peccatorum veniam assequantur.

Incredibile dictu quam immensus peregrinorum fuerit concursus! Nova omnino exoritur devotio, quae per omnem late terrarum orbem diffusa, omnes hominum animos pervadit atque ignota rerum divinarum cognitione devincit.

Tunc enim primum, suffragante Pontifice Maximo, dedicatur Cordi Divino universa Ecclesia idque inter noctem qua saeculum incipit.

Ut tantae rei memoria ad posteros prorogaretur, praesertim in Italis, ponere signum Redemptoris Divini in montium verticibus placuit.

Quo facto Pontificis nomen longe lateque percrebrescit, et innumera, Anno Sancto labente, est ad Urbem populorum peregrinatio, adnitente Pontifice, qui in memoriam revocat primi Anni Sancti superioris saeculi magna solemnitas, cui florente aetate in pacata urbe intererat.

Hinc factum est, ut uno ore et ubique Pontifex carmine Horatii salutari posset, quo poëta Caesarem, parce detorta, ad astra ferebat:

Ferat hic magnos potius triumphos;
Hic ames diu Pater atque Princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

(Ad proximum numerum).

IUNIOR.

Fortuna usui dat multa; mancipio nihil.
Honeste parcas improbo ut non careas probo.

SYRUS.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Recurrere (*ad aliquem*) - Ad aliquem perfugere; Ad alicuius opem confugere; Alicuius opem (subsidium) implorare.

Redemptio - A servitute liberatio; Salus parta; Salutis (Libertatis, etc.), restitutio.

Redemptor - Servator.

Redivivus - Recidivus.

Reduplicare - Conduplicare; Congeminare.

Refectorium - Triclinium.

Reflexio - Accurata consideratio; Deliberatio.

Reformare - Emendare; Disciplinam revocare (renovare; instaurare); Novis legibus institutum aliquod vincire; et sim.

Refractio (*lucis*) - Repercussio lucis; Lux repercussa.

Refraenare - Infraenare; Compescere; Continere; Coercere; Cohibere; Comprimere; Reprimere; Domare; Frangere; Moderari; Ad obsequium adigere; Domitum habere aliquem.

Refrigerium - Refrigeratio.

Registrum - Tabulae; A commentariis.[2]

Regnicola - Regni incola.

Regulamentum, Regulae - Lex; Praecepta.

Regularis - Sodalis religiosus.

Relative - Comparate ad alios.

Religionem (*aliquam*) *ingredi* - Deo sese religiosam in sodalitatem (religiosam in servitutem) dicare; Totum se Deo consecrare; Sollemni voto religiosorum sodalium instituta profiteri; Alicui religiosae familiae (caelesti militiae) sese addicere (suum nomen profiteri); Piae militiae nomen dare; Religiosae vitae vinculis sese adstringere.[1]

Religiositas - Pietas [erga Deum].

Remittere (*aliquid alicui*) - Aliquid alicui committere (deferre; commendare); Aliquid alicuius arbitrio permittere (ad alicuius arbitrium referre).[2]

Remorsus (*conscientiae*) - Pungentes animi stimuli (morsus).

Renegare (*fidem*). - A fide desciscere (deficere); Fidem (Religionem; Deum) eiurare.

Renuntiare (*muneri; munus*) - Abdicare se munere; Munus abdicare.[3]

Repraesentare (*aliquem*) - Alicuius vicem (personam) gerere; sustinere; suscipere; sibi imponere. - *Repraesentare sibi aliquid menti, animo:* Aliquid animo intueri (sibi proponere; sibi ob oculos ponere; cogitatione depingere; menti obiicere); Aliquid ante oculos sibi versari. - *Repraesentare imaginem* (*figuram*) *alicuius:* Alicuius speciem exprimere (exhibere; referre). - *Dramaticam actionem repraesentare:* Aliquid in theatro (in scenis) edere (exhibere).

Reprehendere - Recipere; Repetere; Ad alicuius rei vicem redire (se revocare; se referre).

Repulsio - Repulsa.

Reputatio - Existimatio; Dignitas.

Res - *Res est in eo statu:* Res in eum adducta est locum. - *Res est ita* (*sic*): Res ita (sic) se habet.

Residentia - Sedes; Curia; Schola.

Respective - Comparate.

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] Ex. gr.: A commentariis operum publicorum; patrimonii, etc.

[1] Itaque: In religiosam sodalitatem (In religiosum collegium) cooptari; In religiosorum sodalium numerum adscisci (aggregari; adscribi); In religiosam familiam suscipi.

[2] *Hoc negotium tibi remitto* - Esto huius rei arbiter (iudex; disceptator); Hanc causam in tua fide ac religione pono (depono; repono); Huius rei tuum sit arbitrium.

[3] *Mundanis rebus renuntiatis* - Mortalibus rebus valere iussis.

Respectus - Reverentia; Veneratio; Cultus; Observantia; Honos.[1]

Resplendere - Splendere; Lucere; Nitere; Fulgere; Micare; Radios emittere; Solem praeferre.

Restaurare - Instaurare; Reficere; Renovare; Restituere.

Resultare - Pervenire.[2]

(*Ad proximum numerum*). I. F.

[1] Itaque *Respectu dignus:* Venerandus (Venerabilis); Colendus; Observandus; Honore dignus [cfr. *Reverendus*]. - *Nul ius respectum habere:* Nullius rationem ducere (habere) - *Debito respectu dicere:* Pace (Salva reverentia; Cum bona adstantium venia) dicere; et sim. Ex. gr.: Id mihi fas sit loqui, vestra, qui adestis, venia; Dicto sit venia; Honos sit auribus; Quod salvo vestrum, qui auditis, honore, dicere liceat. Et: Honorem auribus praemittere (pronunciare); Bona adstantium veniam prius precari. - *Respectu ad ...*: Habita ratione; Si collationem ineas (comparationem instituas) cum ... - Res rei collata. - *Respectosus:* Officiosus.

[2] Ex. gr.: Nihil hinc ad me neque commodi, neque incommodi pervenit.

COMMUNIA VITAE

Plautus vivit adhuc in Italorum sermone.

Ad Iosephum Nannium.

Vellem equidem ut per biennium, non uno tantum mense, atque id horis subsecivis, manu diurna et nocturna Plauti comoedias versares; a quibus tum germanam latinitatem, tum multa etiam ad quasdam vernaculas dictiones spectantia addisceres. Pauca tibi exempla adducam.

De re vel homine rudi nunquamne audisti: *Egli è fatto con l'ascé?* nempe *abbozzato*. Ecce autem Plautus in *Asinaria* (Act. II, sc. 2): *Iam hoc opus est exasciatum.*

Quoties tu ipse dixeris nummos a trapezita ad parentes deferens: *Eccoli caldi caldi?* quae pura puta dictio est in *Epidico* (Act. I, sc. 2): *Huic homini opus est quadraginta minis celeriter calidis.*

De nummis item si germani sint, neque adulterini, dicimus esse *buoni;* Plautus in *Bacchidum* actu IV, sc. 8 habet: *Ducentos nummos aureos philippos probos.*

Quum aedes inquilinis vacant, populus hoc exprimit dicens: *Non c'è anima nata.* Item Plautus in *Mostellaria* (Act. II, sc. 2): *Natus nemo in aedibus servat.*

Quum rem aliquam volumus demonstrare nos nihili facere, trita nostrum locutio est: *Non ti darei una noce bacata;* Plautus in *Milite glorioso* (Act. II, sc. 3): *Non ego nunc emam vitam tuam vitiosa nuce.*

Fit interdum, ut aliquis de te queratur, quia tu *abbia dato a lui un monte di dispiaceri;* sic Charinus in *Mercatore* (Act. III, sc. 4): *Montes tu quidem mali in me ardentes iamdudum iacis.*

Qui in καλλιγραφίαν peccat, nos gallinae scribenti aequiparare solemus; Plautus in *Pseudolo* (Act. I, sc. 1) habet de litteris: *Has quidem gallina scripsit.*

Verbo *dare* nos Itali utimur quum aliquem verberibus vel pugnis percutimus; quid dices si in *Pseudolo* (Act. I, sc. 2) tibi ostendam hominem, qui postquam unum ex iis, quos *plagigerula genera hominum* appellat, verberavit, ait: *Quid nunc? doletne? hem! sic datur, si quis herum servos spernit.*

De tempore illa vernacula dictio: *Non è tre mesi, che,* etc., tibi occurret in *Persa* (Act. I, sc. 3): *Nondum sex menses Megaribus huc est quum commigravit.*

Hîc claudo rivos, quamquam fortasse prata non satis biberint: si amplius cupis, uti supra te sum hortatus, Plautum tuis ipsis manibus versa. Crastinam diem, ut Plautina dictione utar, sume *prothyme,*[1] ac bene vale.

Ex scriptis MAURI RICCI.[2]

[1] *Pseud.*, Act. V, sc. I.

[2] Cfr. fasc. huius anni I, pag. 10.

COLLOQUIA LATINA

Studium rerum ediscendarum [1]

ARISTIDES, FLORINUS

ARISTIDES. Tenesne memoriter, Florine, rerum ediscendarum pensum imperatum?

FLORINUS. Num vides, huic rei me navare operam quam possum diligentissime?

ARIST. Quid? horae unius spatio, quaternas nequivisti lineolas memoriae tradere!

FLOR. Non potui equidem.

ARIST. Miseret me tui, profecto.

FLOR. En vero quantum tu temporis posuisti in illis ediscendis?

ARIST. Vix sesquiquadrantem posui.

FLOR. Ita ne tibi est tam felix memoria?

ARIST. Nequaquam mihi est quam tibi felicior.

FLOR. Id superat fidem.

ARIST. Sed huic, quam ago, rei trado me totum; tu, contra, assidue aberras et peregrinaris animo.

FLOR. Falsum dicis; qua enim in re aberro?

ARIST. Oculis in omnem partem circumferendis, muscis captandis, nugis agendis cum tuo illo passerculo.

FLOR. Nae, tu magnas me adegeris in angustias, si vel unum alium nactus fueris falsum testem similem tui.

ARIST. Rem ipsam dico; nec enim is sum qui auribus tuis serviam.

FLOR. Quanam igitur arte tam facile memoriae commendas quod cupis addiscere?

ARIST. Dicam libenter. Principio per signum sanctae crucis operam meam ac laborem Omnipotenti consecro, simulque eius opem flagito ad id retinendum, quod memoriae mandare volo.

FLOR. Praeclare factum.

ARIST. Deinde, ternas et quaternas sumo voces, tamdiuque revolvo atque repeto, donec impressas firmiter in animo habeam. Pari ratione condisco quae sequuntur. Secretum iam tenes meum et artem calles.

FLOR. Ah! non sic agebam.

ARIST. Atque sic deinceps agas; pro certoque habeas futurum, ut dimidio minuatur labor, quem cepisti hactenus.

FLOR. Tuo consilio parebo.

[1] Ex ANTONII VAN TORRE dialogis familiaribus. Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

ANNALES

Nationum societas.

Supremum Societatis Nationum Consilium, cui, ut in superiore fasciculo adnotavimus, mandatum fuerat conventum disponere, ubi cautiones firmari possent quibus armorum usus apud omnes populos circumscribi liceret, tam brevi munus absolvit, ut die XVI proxime elapsi mensis Octobris, Locarni, quo nationum supremi administri congregati fuerant, universo orbi nunciare potuerit, securitatis - quemadmodum vocata est - pactionem sollemniter subscriptam. Neque satis; nam cum ea totidem arbitratus foedera sancta sunt inter Galliam et Germaniam et Belgicam, inter Germaniam et Poloniam, inter Germaniam et Slavorum civitates. Praeterea Gallicus exterarum rerum administer Gallici gubernii et Slavici et Poloni proposita aperuit, ut supra memoratorum arbitratus foederum beneficiis et ipsi vicissim fruerentur.

Per huiusmodi pactiones et foedera plane decreti sunt Rheni fluminis fines et bene ad solutionem instituta difficilis illa quaestio est de finibus singularum civitatum ad occidentem spectantium. Inde Germania non amplius humili veste in Nationum Societate sedebit, ac Versaliense foedus nisi in re ipsa, retractatum saltem ab

animo illo est, qui periculum contra pacem perenne alebat.

Haec magna quidem historici eventus significatio, ita ut Mussolinius, Summus Italorum administer, non immerito dixerit: Si foedera haec viventem substantiam assumpserint, novum aevum inter populorum commercium inchoabit!

Quod felix, bonum faustumque sit.

***

Graecorum inter et Bulgaros discrimen.

Sed alter Nationum Societatis fortunatus successus est hodie recolendus. Propter nonnullas ad patriae fines decertationes, Graecorum acies Bulgarorum territorium violarunt, seque ulterius hostiliter processuras minabantur. Bulgarorum gubernium milites suos inde statim retraxit, atque ad Nationum Societatem appellavit; cuius supremum consilium a Briando, Gallorum administro, tunc temporis praeside, rapide est Lutetiae Parisiorum congregatum, auditisque hinc inde partibus, Graecos iussit in fines suos recedere et utramque partem ab armis abstinere. Paruerunt adversarii, collegiumque virorum neutri parti faventium creatum est, ut inquireret de discriminis causis, cui rerum suscipienda sit culpa, refectionesque in casu proponendae.

***

Bellum in Mauritania, in Syria.

In Mauritania, pluviarum tempore adveniente, belli actiones necessario intermissae sunt. Non vero videtur Abd-El-Krim ille Riffanorum princeps cum suarum copiarum reliquiis in stativis suis contineri; dicunt enim ad Hispanorum castra, quae non satis munita autumat, ipsum secreto tendere. De Syria autem nunciatum est, Serrail, Gallici exercitus ducem, ad rebellionem sedandam, in Damascum urbem ignivomis tormentis tam fere saevisse, ut late eam diruerit, intercessionesque aliarum nationum excitaverit, Anglorum praecipue et Americanorum, quarum potissimum causa imprudens ille vir, munere spoliatus, est revocatus in patriam a novo administratorum collegio, proximis diebus tum ob hosce eventus, tum maxime ob interna civitatis discrimina, oeconomicum praesertim, suffecto, cui tamen Painlevé iterum praeest.

***

Novus Persarum rex.

In Perside a regno est improviso depulsus, cum regia omni stirpe sua, Kajar Caesar, a factione Risae Khan, administrorum primo, favente, qui videbatur reipublicae regimen apud cives suos constituere velle; e contra, quum imperii summa est potitus, sese Caesarem edixit regiaque corona redimivit.

***

Nefaria caedes apud Italos fausto auspicio devitata.

Recentiorum eventuum recensionem hanc nostram absolveramus, quum fama manavit, coniurationem in Italicarum rerum summi consilii Praesidem, Musolinium, a perditis hominibus in occultis sectis viventibus initam, opitulante Deo, fuisse feliciter detectam et oppressam. Nullam moram interponere voluimus, quin vile nefariumque facinus et in hisce paginis exsecraremur, supremoque Numini grates ageremus, tum ob viri vitam servatam, tum quod detestabilem ignominiam ab Italis nobis prohibuerit.

POPLICOLA.

Monitum.

Socios omnes, qui nondum subnotationis pretium solverunt, iterum iterumque rogamus ut rationes suas nobiscum componere quamprimum velint.

VACUI TEMPORIS HORA

Veritas in primis et ante omnia.

Veridicum esse, primum liberalis viri officium est. Loquelam hominibus natura dedit, ut facile mutuo sibi possent animi sui sensus aperire, adeoque illam mendacio mancipare idem valet, atque contra naturae leges operari. Quanam in vitae curriculo fiducia ligari homines poterunt, praeclusa inter eos prorsus qualibet veritatis via? Et si hominis lingua, quae fidelis animi interpres esse deberet, nil aliud amplius ipsi praestet, quam fallax ad decipiendum instrumentum? Quanti est igitur in humanae vitae commercio facienda veritas! Unusquisque cum veraci tractando, opiniones, iudicia et actus suos conformare poterit, quum tamen fraudem nullam vel dolum timeat. Minime dubia, neque fallax eius est amicitia. Fons veritatis os eius, neque verbum mendacii eius foedat labium.

Veritas simplex est, et ingenua de caelo nascitur, indeque egreditur, pulcherrima forma, undequaque perfecta nobisque diligenda atque secernenda medias inter fraudes ac fabulas. Iuxta sapientis oraculum inter turpissima pone mendacium: « Mentientium vita sine honore vita est; undique eos confusio comitatur eosque in conspectu supremi Numinis abominabiles reddit ». A quolibet mendacio se non abstinet tantum honestus vir, vereque Christicola: sed etiam exsecratur; sciens quem adorat Deum ipsam natura sua veritatem esse et mentientium labia odio habere. Infulatus antistes, S. Firmus cui nomen, Tagestae in Africa urbis insontem quendam scelerisque purum domi suae absconderat hominem, quem rex ethnicus ad necem quaerebat. Quum iussu regis ad locum appropinquassent satellites, de misero superbe quaesierunt. Ast reposuit sanctus, neque se mentiri posse, neque quem petebant, ipsis posse revelare. Gravioribus quam quae excogitari possunt, illum tormentis subiecere; sed incredibili iis restitit firmate et in tantum, ut nil prorsus obtinuerint. Demum in conspectu principis est constitutus, qui praenobiles eiusdem animi dotes admiratus, veniam largitus est et salutem infelici, quem tali tantoque studio incolumem servaverat. Quibus laudibus, - exclamat facti narrator doctissimus Afer, - praedicandus praeclarissimus ille, qui veritatem dilexit eo usque, ut tot tantaque passus fuerit, ne mendacio macularetur?

Commentum cane peius et angue igitur fugiamus; sermonibus nostris, nolimus, ne comitatis quidem gratia, quidquid a veritate alienum est, adfirmare. Nil aliud mentiendo lucratur, praeter aliorum diffidentiam. Verum quidem est, mendacem hominem haud aeternum falsa proferre; sed amentiae notam minime effugeret, qui verbis eius confideret.

Ex Schol. Morum Blanchardi *latine reddidit*

HERMINIUS M. IACOBELLI.

***

Triginta et amplius iuvenum millia peregrinantes in Urbem.

Vidisti, Roma, Iuvenum tot millia,
Tuis venere longis qui provinciis,
Petro laturi servitutis munera!
Hi signa tollunt alacres per aërem;
Fertur non Vultur, Volucris nec Aquila,
Crucis vexillum sed splendescens radiis!
Olim cohortes excipiebas reduces
Ex orbe onustas peregrinis spoliis,
De victis populis triumphantes barbaris!
Hos amplexare, Roma, nam sunt liberi,
Ad matrem veniunt venerantes cernui:
Est una victrix gentium Relligio!
Non exaudiuntur gemitus hîc pectoris,
Nec vinculorum strepitus horribilis;
Aër formosam resonat sed Virginem,
Hymnis et canticis, fervidis et precibus:
Itur festive sed ad Petri Cathedram.
Sunt Subalpini, multi sunt et Insubres,
Veneti iuncti nuperis cum Raetiis,
Tusci et Aemilii, Samnites, Brutii,
Laeti Neapolis, Siciliae filii!
Omnis Italiae consecrati iuvenes
Ad pedes Patris provehuntur cupidi.
Id quis mortalium vidit prodigii?
Crescite iam, pueri, relligioni et patriae!
Suum si tolleret de sepulcro caput,
Finem praedixit qui christiano Nomini,
Non iam temporibus suis idoneum,
Quid videns diceret tale spectaculum?
Celer per iter semper it Ecclesia,
Et signa signis congerit per saecula,
Suosque involvens agmine adversarios,
In Petro regnat recens usque Domina!

SUBALPÌNUS.

***

Iocosa.

MAGISTER Tuccio: - Mentem huc intende. Si Esquimensem tollam eumque undecim aliis Esquimensibus addam, ecquid obtinebo?

TUCCIUS, post aliquam cogitationis moram:

— Esqui... annum!

Tuccius et Andreas eius condiscipulus scholam una petentes:

TUCCIUS: - Lectionem ne memoriae mandasti?

ANDREAS: - Ita quidem, sed pensum non absolvi.

TUCCIUS: - Ego, ex adverso, pensum absolvi, sed lectionem memoriae minime mandavi.

ANDREAS: - Eia, igitur, cede mihi pensum, ut statim ipsum transcribam.

TUCCIUS: - Faciam, dummodo tu vices rependas lectionem mihi cedens!

***

Aenigmata.

I

Sum verbum? Recte sic compellabis asellum,
Cui placet cautus edere voce sua.
Sum nomen? Gladiator do praemia summa
Saepe cui plausum spissa corona dedit.

II

Trames sum, per quem currus rota fervida fertur,
Sive vaporis vi, seu rapiatur equi.
Sigmate me dita: cui decessere parentes
Hunc maneo. Merito sors lacrimosa vocor.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Cor-pus*; 2) *L-e-o.*

Libri recens dono accepti.

Hymno Nacional Brasileiro. Versao latina por MENDES DE AGUIAR.

Lyra Parthepeia Novissima auctore IOSUE CACACE. - Neapoli, ex typ. Prete, anno Iub. MCMXXV.

Otiosa Neapolis. Saggio critico del Prof. Sac. Giosué Cacace (3ª edizione riveduta e corretta). - Neapoli, ex off. C. Contessa, 1925.

CARLO M. PEDICONI, *Poesie* (1900-1925). - Romae, edid. Angelus Signorelli. - Ven. lib. 14.

In memoria di Mons. Giuseppe Perin il Seminario di Padova nel trigesimo della sua santa morte XVII Agosto MDCCCCXXV. - Patavii, typis Seminarii, 1925.

N. R. D'ALFONSO. *Filosofi e Psicologi nell'Amleto.* Romae edid. « Nuova Antologia » comm., 1925.

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Sponsor.*

ROMAE. - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

PANCRATIUS [9

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

QUADR. Magno enimvero cum damno haec scripta relinqueremus integra.

PANCR. Quam mirabitur antistes! Res nobis adhuc prospere acta est. Vigiliis omnibus somno deditis incolumes transivimus. Quam stupebunt illi, primo mane edictum direptum quum viderint! Sed ne miselli vigiles daturi sint poenas, vereor. Id illos nolim.

QUADR. Quid id nostra, puer, interest? Tu huius rei metum reprime! Mitte scrupulos! Relinquere litteras religionis nostrae maledictis refertas, Christo contumeliae est, ignavum est nobis, impium. Et custodis curas abice! Aut enim is pulchre emerget molestia, aut, si fustem senserit, quod, ne fiat, mihi curae fuerit. Si vere vapulabit, centies meruerit. O praeclaros custodes, quos somno mersos inoffensi omnes praetereant! Sed anxietate posthabita in rem eamus, ne nobis tergiversatibus homo evigilet. Non successisse rem longo sit dolori!

PANCR. Agedum, ad boni viri accede latus. Si evigilarit, dicito nostram tesseram, cito sermones sere cum homine. Sin se deceptum animadverterit, ut tribunus militum circuiens elato capite procedito. Ego interim certe me in tuto collocavero. Si res succedet, dum pilam absolvero, maneto, quum edictum abstulero, custodi vale dicito!

HYPH. (*semisomnus*): Eho, quid rerum geritur? (PANCRATIUS *cito se post antam recipit*).

QUADR. (*imposita dextra in Hyphacis humero*): Suaviterne dormivisti, bone vir?

HYPH. (*exsiliens*): Quid sibi id velit, quaero. Cedodum tesseram!

QUADR. Nomen imperatorum.

HYPH. (*post aliquam moram*): Est!

QUADR. Quid enim agis, rerum dulcissime? Tibine iucundum esse censeam hîc stare?

HYPH. Non hercle voluptas est tantae exponi nebulae et frigori.

QUADR. Non id miror, quando tam frigidus per locum fertur ventus.

HYPH. Quam ego vellem hanc peractam esse noctem!

QUADR. Manedum paululum. Brevi dilucescet. Sed facio copiam hauriendi ex hac laguncula. Vinum Falernum est, bonum, vetustum, nisi forte lixa verba dedit. (*Dum hic bibit, Pancratius post pilam edictum solvit ita, ut cartae partes relinquantur*).

HYPH. Sive Falernum est, sive quid aliud; at hercle bonum est, et tale, ut in hoc frigore praecordia calefaciat! Utinam semper mecum portarem id genus!

QUADR. Tene igitur! Tenedum. Mihi propina salutem!

HYPH. (*tardus, circumspiciens*): Fiet. Sed, heus, nemone prope hac incedit via? (*anxius*) Nullum centurionem conspicis?

QUADR. Quem tu mihi centurionem memoras, qui hac circumeat?

HYPH. Tu non novisti? Quadratum non novisti?

QUADR. Quadratus cognitum habeo penitus. Is adeone horrendus est?


HYPH. Non quidem nimium. Quamquam nolim nunc nobis occurrere; utrumque pol! misere excipiat.

QUADR. Id ego haud crediderim. Nego Quadratum Centurionem esse strenuum.

HYPH. (*eum petens*): Quid dicere tu ausus es? Cave, tribuno optimo honorem detraxeris!

QUADR. Non esse dico...

(Ad proximum numerum).



SINGULIS MENSIBUS EDITUR **ROMAE,** *VIA DEL GOVERNO VECCHIO, 96*

Pro "ALMAE ROMAE„ Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur, pretio quod sequitur:

Iosephi Fornari **Communia vitae.** Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda:

Fasc. II: *Voces animalium, De officiis.* – Lib. 3,00.

Iosephi Fornari **Fridianus** et **Francisculi prandium,** Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulae lib. 2.

Herminii Iacobelli **In campo latinitatis novi flores.** – Si tegumento solut. lib. 5; si xylina structura aureoque titulo decorat., lib. 6.

I. B. Francesia **Euplius, Ad Romam,** Actiones dramaticae. – Singulae lib. 1,50.

(Iis vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus).

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE Collectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXV, paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libellarum 275 pro Italia; pretium duplicatum, libell. Italic. scilicet 550, pro gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, *recto tramite,* requirendae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est non sinit ut foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XII Romae, Mense Decembri MCMXXV Fasc. XII

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis ann. MCMXXVI est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicas lib. 30 exaequans; *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad IOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo Vecchio, 96.*

SOCIIS ET LECTORIBUS

COMMENTARII NOSTRI HUMANISSIMIS

Solent diaria et commentarii, sub anni exitum, sponsionibus et promissis abundare, imo dona offerre, ut lectorum animos sibi vincire magis valeant. Non ita nos, qui in incoeptis nostris assidue sedatoque corde perseverantes et ad finem illum unice tendentes, quem animo, opus ineuntes, conceptum habuimus unum praeconium quaerimus, non nobis quidem, sed universae humanitati profuturum, scilicet latinitatis.

Novo igitur anno expleto, in nobis ipsis nos colligimus, et viae obstaculis inspectis, quae feliciter superavimus, quaeque adhuc vincenda sint, inde operis partes decernimus in futurum aggrediendas easque fidelibus sociis aliisque qui sive per eos, sive sponte sua ad nos sint fidenter accessuri, quasi in prospectum primo novi anni fasciculo subponimus.

Tanta namque est fides in iisdem posita, ut a quovis lenocinio atque oblectamento abhorreamus; tantumque de eorum dilectione, animique erga hanc ALMAM ROMAM nostram adhaesione, est nobis persuasum, et ne dubitemus quidem ab iis aliquod, quum necesse sit, repetere sacrificium. Nonne ipsi viderunt, nonne considerarunt quot in assumenda et persequenda provincia nostra passi prius nos fuerimus sacrificia?...

Haec equidem maxime de re oeconomica non levia fuerunt, nonnullis praesertim abhinc annis, quum cuiusque generis et officii pretia ingentissima in

dies facta sunt, nos tamen in immutatis subnotationis conditionibus perstitimus. Atvero num nobis licebat ad incitas demum nos redigere, atque inde ad interitum adducere labores nostros, pro quibus annos duodecim non sine fructu sudavimus et alsimus?

Oportuit itaque, vel leniter, antiquum subnotationis pretium passim novare, quod, re considerate perpensa, denique constituimus prouti sequitur: Pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summam italicas libellas 30 exaequantem.

Neque abest spes fore, ut illi quibus potestas est, in *Patronorum* commentarii nostri numerum adscribi velint, summam libellas centum italicas exaequantem mittentes, vel socios novos quinque saltem adportantes.

Quamquam autem « ingravescens haec annona », cum conditionibus nunc vulgo in usu comparata, minima procul dubio est, peculiarem tamen favorem erga antiquos socios largiri voluimus, hac lege, ut iis qui subnotationis pretium mittant ante finem huius mensis Decembris, summa eadem sit atque superioris anni.

Denique et facultas omnibus data est ALMAM ROMAM *per integrum annum MCMXXVI gratuito habendi.*

Apud omnes notissima est officina illa libraria Taurinensis, quae ab eo qui ipsam iam ante saeculum condidit, Petri Marietti nomen retinuit, atque opera innumera a litteris ad artem, a sacris disciplinis ad ius universum, a philosophia ad historiam atque oratoriam edidit. Qui igitur ab eorum elencho, qui per diribitoriam chartulam duplicem Augustae Taurinorum (*Via Legnano, 23*) requisitus statim mittetur, intra currentem Decembris mensem et Ianuarii futurum selegerit atque acquisiverit volumina, cuius summa sit, iuxta locorum ordinem, quem supra descripsimus, libellarum 75, doll. 15, libellarum 150, ALMA ROMA *per integrum annum MCMXXVI gratuito fruetur.*

Restat ut bonae voluntati nostrae et vestra, quemadmodum pro certo habemus, respondeat, o socii et lectores; quibus interim imminentes Natalicios Domini dies et novi anni singulos, faustos, felices ex animo ominamur!

ALMA ROMA.

De latinarum litterarum historia praelectiones [1]

VII.

Litterarum reliquiae in vita privata priscorum Romanorum. I. *Proverbia rei rusticae - Carmina popularia.* - II. *Meditrinalium et Fescennini versus.* - III. *Carmina triumphalia.* - IV. *Naeniae - Laudationes funebres.* - V. *Carmina convivalia; num ex huiusmodi carminibus fabulae de Romanis illustribus viris manasse dicendae sint.*

I. Postquam in rerum religiosarum finibus indicia et reliquias litterarum collegimus, perpendimus, illustravimus, iuvat in alias quoque oras regionesve vitae communis introspicere, ut ibi etiam indicia et quasi semina humanarum artium deprehendere possimus. Et primum omnium si in vitam quotidianam agricolarum et artificum inspiciamus, carminula quaedam occurrent nobis, non indigna quae in memoriam revocentur. Nam Festus (p. 93 M. = 66 Te. D. P.) de pueris flaminum ministerio addictis loquens, memorat, *Flaminium Camillum* appellari puerum ingenuum patrimem, et matrimem, [2] qui Flamini Diali ad sacrificia praeministrat; subiungitque ex aliorum sententia, omnes pueros ab antiquis *Camillos* appellatos esse, sicut habetur in antiquo carmine, quum pater filio de agricultura praeciperet: *Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.* Idem canticum rusticum adfert Macrobius in *Saturn.* V, 20, 18, ubi librum memorat vetustissimorum carminum, qui ante omnia quae a Latinis scripta sunt compositus ferebatur; subiungitque inde Vergilium, veterum sibi ornamenta trahentem derivasse illud suum: *hiberno laetissima pulvere farra, laetus ager* (*Georg.*, 1, 101). [3] - Quod carmen qui secum aure sua quodammodo auscultet statim numerum deprehendet, quattuorque κῶλα facile distinguet, binis ictibus signata. Perperam profecto Baehrensius (*Fragm. poët. Rom.*) anapaesticum pedem audire sibi visus est, nec minus erravit Frid. Marxius (*Zeitsch. f. österr. Gymn.*, 1897, p. 63) senos ictus iambicos audiri adfirmans; ipse Leo (*D. Saturn. Vers.* in *Abhandl.* Göttingensibus, 1905) cola distinguens. *hiberno pulvere verno - luto grandia farra,* quae duo cola unum versum efficiant, non sat probabilem viam secutus videtur. Prudentius Norden in celebri opere, cui titulus *Röm. Kunstprosa* (p. 159) de soluta oratione non sine rhythmo loquitur, consentiente Haulero, *Zur ält. röm. Lit.-Gesch,* in *Festschrift für* GOMPERZ (Vindobonae, 1902, p. 389), qui ἀρχαϊκῶς scribendum coniecit hoc modo: *hibernod pulverid - vernod lutod - grandia fara - casmile metes.* Nos infra sermonem instituemus de prisco saturnio versu, et concludemus hîc non *rhythmicam prosam,* sed versus saturnios prioris formae generisque, agnoscendos esse.

Habes, hîc, lector suavissime, vetustissimi carminis rustici exemplum; unum exemplum, sed multa huiusmodi cantica vulgaria exstitisse, facile conici potest. Coniecturam firmabit Vergilius in Georgicis monens (2, 385):

Ausonii ... coloni
Versibus incomptis ludunt risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis,
Et te, Bacche, vocant per carmina laeta, tibique
Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu...
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis..,

Nec verbis discrepat, re concinens, Tibullus, II, 1, 51:

Agricola adsiduo primum satiatus aratro
Cantavit certo rustica verba pede.
Et, satur, arenti primum est modulatus avena
Carmen ut ornatos diceret ante Deos,
Agricola et minio suffusus, Bacche, rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.

[1] Cfr fasc. sup.
[2] Id est, cui pater et mater adhuc vivunt.
[3] Cfr. SERVIUM DANIELINUM, ad hunc Verg. locum.

En habes hîc quoque rustica verba versusque incomptos, at carmina laeta, in Bacchi aliorumque Deorum honorem, nec non simplicem avenam numeris concinentem; habes etiam personas horrendas cavatis corticibus sumptis, vel ora ipsa minio rubenti suffusa; habes cum cantu choreas et mollia oscilla ex alta pinu suspensa, qui mores iam antiquitus sane servabantur. Idem Tibullus in eadem elegia, post paucos versus, alia opera rusticorum memorat, et pueros verno de flore coronas facientes Laribus imponendas, et puellas laneis pensis coloque intentas, fuso opus adposito pollice versante, et textrices adsiduae, Minervae, ut ille ait, operatas; quarum aliqua *cantat* et adplauso latere tela sonat;[1] en igitur canticum textricis inter cetera vulgaria carmina adnumerandum.

Denique revocemus in memoriam Horatii iter Brundisinum (*Sat.*, 1, 5) et noctem a qua mali culices sanaeque palustres somnos avertunt, dum absentem amicam *cantat* nauta, multa vappa prolutus, et cum eo certatim *concinit* viator; et habebis etiam *cantiones amatorias*, ne ulla recentioris popularis musae exempla etiam vetustis temporibus desideres.

Quid plura? Non deest etiam cantilena nutricum infantes motu cunarum sopientium; nam Scholiasta ad Persii Satiram tertiam (v. 16), ubi vox occurrit « lallare » memorat voces nutricum: *lalla, lalla, lalla, aut dormi aut lacta.*[2] Manifestum est, vulgo omnia paene momenta vitae, tum laeta tum tristia, cantum quemdam suum nulla non aetate habuisse!

(Ad proximum nnmerum).

FELIX RAMORINUS.

[1] Cfr. NON., I, s. v. « Sarcinatricis »; non ut quidam volunt « Sarcitricis » quasi a sarciendo, sed magis a sarcinis, quod plurimum vestium sumant. Varro ὄνος λύρας: *homines rusticos in vindemia incondita cantare, Sarcinatricis in machinis.*

[2] *Lactare* proprie est italice « allattare »; contra *lac sugere* dicebatur *lactère* (*Romulus parvus atque lactens, uberibus lupinis inhians,* Cihatil., 8, 19). Sed ut apud Nonium locus Livii Andronici legitur: *Ego puerum interea ancillae subdam* LACTANTEM *meae ne fame perbitat,* ita vulgo *lacta* dici poterat pro *lacte.*

DE ANNIS SANCTIS

Annus sanctus vigesimi saeculi primus.

Et nos, dum annus festino pede ad finem labitur, ad pedes Pii XI Pont. Max. provoluti, Ei magnas gratias agere laetantes volumus, maioresque pro munera habere pollicemur, quas aliquando referre posse confidimus. Ei enim prae ceteris sunt plurimae agendae gratiae, eo potissimum nomine, quod divina prorsus confidentia annum sanctum inchoaverit et Christianarum missionum specimen sit ausus, rexerit atque ad finem usque feliciter conduxerit.

Omnes sane adhuc recordamur, qua animi anxietate primum Eius voluntatem accepimus, quum omnis generis difficultatibus tunc esset Petri Sedes circumdata, et molestis improbrum ventis vexata. At Ipse sui admodum securus, ad caelum respiciens, suoque fato confisus, ad suos alacer conversus, ut olim Caesar timenti nautae dixisse fertur, elatiore voce suos compellat: « Duc in altum! Quid times? Petrum vehis! ».

Namque Pius XI P. M. haud sui temporis nescius, quinimo in primis acrioris iudicii, hominum pietatem optime noverat; itaque omnibus fere obsistentibus, divino consilio unice fretus, Annum Sanctum, miro ausu, et Sancti Petri Portam, in tempore, aperire statuit atque adeo, etiamsi infernorum potestates horribiliter fremebant, et caelum terramque movere conabantur, earum vires se frangere posse confisus est. Eventus eius spem feliciter confirmavit. Populus enim, incredibili laetitia gestiens, pontificem Maximum, qui Annum Sanctum sollemiter auspicatur, adclamantibus omnibus Romae Ordinibus, accipit ineuntem in Petrianam aedem, pro christiano populo enixis precibus exoraturum.

Eum, a multis Cardinalibus circumdatum atque Episcopis, cives ovantes salutant et felicioris veluti temporis instauratorem terque quaterque extollunt. Haec ipsa universalis populi Romani exsultatio maior in dies crevit, et singulis diebus mirum in modum concorditer floruit.

Sic palam apparuit, falso alienae voluntatis Italos fuisse insimulatos, quibus alte est persuasum Pontificem Romanum et Italicae dignitatis adsertorem divina virtute coaluisse, nec convelli sine exitio convellentium posse. Nec quidquam profuit osoribus Anni Sancti, fusum per Italiam atque exteras nationes nuncium, ortas apud nos esse seditiones, motus undique civiles, vitam omnium in periculis versari. Omnia haec eo omnino contendebant, ut populi sic falso deterriti ab Urbe prohiberent. Itali vero mirabile patientiae signum ediderunt et magnum in patriam religionem amoris testimonium.

Hilari enim vultu primos hospites peregrinos exceperunt ac sincera voluntatis suae significatione, ubique gentium, amice salutabant. Nihil uspiam in Urbe securius, nihil alibi honestius nihilque magis decorum. Omnes sine periculo ac tutissime procedunt, et suam libere religionem publicis etiam caeremoniis profitentur. Per vicos turmatim deambulantes offenderes, per templa, et per hospitia grate incedentes invenires.

Tunc Italorum urbanitas et religio laudatur, et scriptis et voce sine invidia ultro diffunditur. Quo facto, qui mox erant adversarii, mutata vivendi ratione, rem prius taciti admirantur, et insigni rerum honestate ad veritatem compulsi, quidquid in Urbe fit maxime laudant, Pontificem Maximum, tanti consilii auctorem, ad sidera, tollunt, et simul immensam peregrinantium frequentiam, modestiam et pietatem in diariis suis effusis laudibus narrant.

Itali autem exterorum exemplo recreati, cum suis episcopis et praepositis, ad Urbem religiose peregrinantur, ibique publica solemnique pompa, non semel, sed iterum iterumque precibus et canticis singula templa ex ritu invisunt. Romani quoque, opportunitatem nacti, suam egregiam fidem, suumque in Pontificem Maximum obsequium aperte confitentur; et advenas, non modo propter urbanitatem, sed potius propter religionem, reverenter ubique habent et tractant, sed singulos rerum urbis ignaros dulciter erudiunt, monent suaviter et amice veluti per manus deducunt.

Quam res mira et laudibus dignissima!

Italia, quae abhinc paucos annos, formidulosa hostibus

inter toto laceratas pectore vestes,
Sanguineam tremula quatiebat lampade dextram,

et magno militum suorum impetu adversariorum cohortes impotentes evertit et supergressa est, nunc festivis vestibus induta omnes late populos accipit eisque monumenta sua citra invidiam ostendit!

Singuli enim populi ex composito vel e dissitis regionibus Romam omnes petunt, Basilicas sanctas ex ritu comiter invisunt, ad Vaticanas aedes veluti in paternam domum accedunt, ubi a Pontifice Maximo tenerrime excipiuntur. Quod caput est, unicum sane per tot saeculi exemplum, Pontifex omnes quotidie ore suo salutat, omnibus ad pedes suos provolutis cuncta fausta a Deo adprecatur. Quid dicendum de sollemnibus quae, diversis temporibus, praesertim a mense Aprili ad Septembrem fere, fuerunt decreta pro iis, qui inter beatos vel sanctos recepti sunt?

Quod mirabile fuit, et vix posteris credibile foret, nihil accidit infandum, nihil hospitibus ingratum aut improbandum.

Magna in Urbe libertas, magnum in religione obsequium!

Quam bonum est et iucundum vel per compita adspicere vel per vias pacifice peregrinos incedentes, qui non turbatim, sed ut milites per ordines compositi, nunc precibus intendunt, nunc canticis, quae Deo passim in templis solvere solent. Modo Hispani transeunt, modo Lusitani, nunc Galli, ex suis variis regionibus, nunc Germani, nunc Poloni, maiori laetitia gestientes, quod in unam iterum gentem coalescant, nunc demum et ipsi Americani qui regionem incolunt septentrionalem, et qui exterorum olim dominium passi, se se in libertatem vindicarunt. Hi omnes post sanctas aedes ad Vaticanum festinantes convolant, et Pontifici dona religionis et pietatis libenter offerunt, et diuturnam incolumitatem ex animo adprecantur.

Nunc denique Annus Sanctus, dum adhuc crescit in dies sacra populorum ad Urbem peregrinatio, fato suo, ut reliqua mortalia, ad terminum grandibus itineribus currit.

Quam vero bene clauditur hic annus, qui omnium sanctissimus merito a posteris vocabitur, qui exoriens, multis nigris nubibus circumdatus, gravibus nos tenuit in molestiis, temporum difficultatibus, hominumque improbitate! Sed pacatis divinitus ventis, quibus patria iactabatur, Pontifex suis in aedibus christianorum nationes securus amplexari potuit, eas undique evectas benigne alloqui et solari, atque identidem ad sancti Petri inter adclamationes Urbi et Orbi omnia fausta ominari.

Unum restat, ut Parens et Christianorum Magister, suffragante Augusta Dei Matre, diu vivat et felix populo christiano intersit, eiusque precibus, aequus admissorum vindex, Deus, requiem curarum et laborum fessis mortalibus adferat.

Ave Pontifex! Ave, Pater, diu fortunatusque vive! Et faxit Deus ut sis felix dignitatis nostrae defensor et incolumitatis adsertor!

IUNIOR.

IOACHIMUS BERTHIER

Superiore anno, mense Decembri, Ioachimus Berthier, Ordinis Praedicatorum alumnus, Friburgi Helvetiorum in « Convictu Albertino » naturae concedebat sex et septuaginta annos natus. Huius praeclarissimi viri dotes in nostro commentario prosequi inopportunum atque inutile prorsus non est, eoque magis quod probatissimum scriptorem in familia nostra diu eum habuerimus.

In montium Sabaudiae oppido, cui vulgo nomen *Saint Germain sur-Talloires,* lucem aspexit Ioachimus sub finem anni MDCCCXLVIII, nec bona animi indoles ei defuit, nec firmissima corporis constitutio. Adolescens adhuc, cum parentibus Genevam ditionis Helveticae contendit, atque Friburgi inter alumnos Maioris Seminarii est cooptatus studiorum causa; in quibus eius fuit diligentiae et assiduitatis, ut non semel eum Praeceptores fuerint admirati atque ceteris imitandum proposuerint. At eo discipulo non diu uti potuere, nam Ioachimus, Domino suadente, Lugdunum iter arripuit habitum Fratrum Praedicatorum suscepturus, quorum demum regulam anno MDCCCLXXII sollemniter professus est.

A Thoma Zigliara, Patre Purpurato e Dominiciana familia, Romam accersitus ut edendis sancti Thomae operibus adlaboraret, non modo in hoc negotium summa cum diligentia incubuit, sed et Religionis, artis, archaeologiae et litterarum studiis totum se dedidit, maximum Italicum poëtam nostrum, inter alia, doctis elucubrationibus exornando. Studiorum Universitate, suffragante Leone XIII Pontifice Maximo, anno MDCCCXC Friburgi Helvetiorum a fundamentis excitata, Ioachimus Berthier unus fuit ex doctoribus theologicae disciplinae; imo totius Universitatis acerrimus vindex exstitit et felix assertor.

Anno MCMV Romam remeavit, et in coenobium Sanctae Sabinae in Aventino monte se recepit, ubi vetustae illi Basilicae in pristinum statum restituendae assiduam validamque operam dedit, duobus ad hoc editis voluminibus, altero de templo, altero vero de coenobio, quibus in se ita omnium antiquitatis virorum peritissimorum admirationem concitavit, ut Aventiniani templi novum splendorem maxime ille provexerit atque perfecerit, « geniusque Sanctae Sabinae tutelaris » ab ipso summo Pontifice Pio XI appellari meruerit.

Labore demum senioque confectus, quum diem sibi supremum properare animadverteret, Friburgum repetiit, ibique deploratus occubuit, anno MCMXXIV ad finem vertente.

Longum sane est, at non parvi momenti, omnia Ioachimi merita enumerare, quae nobis tamen carptim tangere sufficiat, quum tot tantique viri summis eum extulerint laudibus.

Forti ingenio, nobilissimo animo ferreaque voluntate praeditus, varia studia, artis potissimum atque archaeologiae, excoluit, in eisque haud semel primas retulit. Dum Romae moratur, omnes bibliothecas, Vaticanam praesertim, perlustravit veterum documentorum, ethnici christianique aevi, scrutator acerrimus. Florentiae, quo etiam a Superioribus docendi causa missus fuerat, tenacem amorem concepit erga summum vatem Alighierium, qui in dies excrevit quum Dantem tamquam Angelici Praeceptoris Thomae Aquinatis vocem numerose repercussam considerare coepisset. Itaque commentarium in « Divinam Actionem » acutis notis pulchrisque imaginibus locupletatum edidit, et senex iam propeque moriturus integram Altissimi Vatis gallicam versionem publici iuris fecit; quo facinore ab ipso Italorum rege Italicae Coronae eques est salutatus. Cui quidem versioni addenda est sapiens illa in Beatricem Portinari elucubratio, aliaque scripta minoris molis, at non certe pretii.

Sed ut ad alia opera deveniamus, anno MDCCCXCV splendidum volumen edidit, quod Bononiense S. Dominici sepulchrum, artis italicae admirandum sane monumentum, illustrat; illudque alii libelli brevi temporis intervallo sunt subsecuti, uti « Critica illustratio de prima infernali saltatione » quae in monasterio quodam dominicano Basileae depicta conspicitur; et de « Triumpho S. Thomae », quem ad S. Mariae Novellae coloribus expressum admiramur, descriptio, theologico acumine artisque delicatissimo sensu concinnata.

Ad Minervitanum Urbis templum celebrandum magnum volumen anno MCMX exaravit, brevique post in lucem prodiere duo illa volumina de Templo eique adstructo coenobio Sanctae Sabinae, de quibus superius mentionem fecimus; et anno MCMXIX « Annales romani monasterii Sanct. Dominici et Xysti », duobus et ipsi voluminibus comprehensi.

Ad alia opera quod attinet clarissimi viri, ne longius ista enumeratio producatur, notatu prae ceteris digna cursim indicamus: « Tabulae synopticae totius Summae Theologicae S. Thomae Aquinatis » (MDCCCXCIII); « Tractatus de Locis Theologicis » (MCM); *Il Catechismo del B. Angelico* (MCMXV). Insignia quoque opera veterum quorumdam Fratrum Praedicatorum iterum imprimenda curavit Berthierus noster, uti sunt, prae aliis: « Summa de donis S. Ioseph » a P. Isidoro de Isolanis a. MDLII composita; « Mystica Theologia Divi Thomae » auctore P. Thoma a Vallgornera; « De Vita Regulari » opus egregium B. Humberti de Romanis, Quinti Praedicatorum Magistri, uno alteroque volumine constans.

Plura alia addenda forent de mira huius hominis industria in variis artium scien-

tiaeque disciplinis; sed hactenus dicta sufficiunt, ut quisque sine ulla dubitatione consentiat clarissimum virum impigro nec infoecundo labori totum se devovisse.

Fuit liberalis animi, excellentis ingenii, lepidi sermonis; statura procerus aspectuque pulcher admodum et venerabilis, dignus et ipse qui scalpro et penicillo memoriae commendaretur.

H. Degl'Innocenti, O. P.

In honorem Sancti Ioannis B. Vianney a Parochis Mediolanensibus celebrata sollemnia

Hoc erat in votis: Dominus pia vota secundans
Exaltat famulum sanctificatque suum.
Pectus adhuc suavi gestit dulcedine, mane hoc
Libata in templo gaudia nunc recolens.
Ars vici Parochus Sanctorum ascitus in album
Pontificis placito concelebrandus erat.
Principe quod Parochis constat Collegium in
[Urbe
Civit ab extremis finibus usque suos
Munere consocios in Martyris aede Fidelis,
Caelicolae oblatum thura precesque novo,
Namque Viannaeum exemplar validumque Pa-
[tronum
Undecimus Parochis nunc Pius ipse dedit.
En quot eorundem Ticini ac Abduae ab oris
Huc pia conveniunt urbis in aede cohors.
Spectaclum solemne! Viden' ut divite pompa,
Incessu et subeant atria sancta gravi.
Quisque gradus nacti sacris insignibus auctus
Serta Viannaeo texere honoris avet.
Evax! dum templum venerabile thure vaporat,
Cleri dumque hymnis harmoniisque sonat,
Et ruber Antistes Sacris operatur ad aram,
Patroni e summo splendet imago tholo,
Quam redimit circum lychnorum electricus
[orbis,
Nec non gemmarum fulgidus igniculis.
Oh quam pulcra Israel tua sunt tentoria!
[Cuique
Mira haec in caelum visio corda rapit.
Sed cum cessisses iampridem e limine vitae,
Orbe quî adhuc toto, o Curio Sancte, viges?
Curque tot ac tantis cumularis honoribus,
[una
Ut caeli et terrae Te super astra ferant?
Martia non virtus, populi non caede subacti
Heroem Superum Te peperere choris;
Mactati at suadela scatens e pectore Christi
Emollire potens aenea corda quoque.
Strenuus aggrederis Pastor pro mystico ovili
Nedum agere, adsidue fortia quaeque pati.
Mensa brevis famem, recubes quo nocte ti-
[gillus
Somnum abigit fesso, lympha aridoque si-
[tim.
Saevis oh! quoties aliena piacula flagris
Hostia virgineo in corpore munda luis.
Omnes hinc properant Ars vicum admissa
[fateri,
Quosque excepturus pervigil aede sedes.
Iudex atque pater, solamen dulce, magister
Aetereae sternens omnibus arcis iter.
Sic bene factorum series miranda tuorum
Nostri haud mortalis gloria coetus erit.
Te, o dive, aeterni vivax Pastoris imago,
Cui caeleste ambit nunc diadema caput.
Dum colit hac pompa, Parochorum suspicit
[ordo,
Afflet ut in nobis spiritus usque tuus.
Auspice Te, Parochis confidimus affore sem-
[per
Pro grege dulce pati, pro grege dulce mori!

Mediolani, Pridie Idus Novembris MCMXXV.

Caesar Mambretti.
Praep. Paroch. S. Mariae ad Portam.

COLLOQUIA LATINA

De monstruoso recentioris vestis genere.

Legebam forte gravissima illa Dantis admonita, quibus ipse mulieres aetatis suae molestabat, eo potissimum studio, ut pudore deterritae, in rectum tramitem aliquando revocarentur. In illo ipso temporis momento, me a legendo interrupit Anselmus, amicus meus acceptissimus, qui multa suspiria ab imo pectore ducens, miserrimam vitae suae sortem lamentaretur. – «Me, me, – aiebat, ingemiscens, – proxime ad sacculum redigent uxor et filiolae!

— At quomodo? – admiratus adiunxi.

Ans. Omnes istae, veluti de composito, illac recto contendunt, ut improbis impensis suis in calamitatem praecipitanter corruam.

Ego. Rem sane incredibilem narras. Namque moratas ipsas esse optime novi, et parvis admodum rebus contentas.

Ans. Fuerunt, et iam non sunt. Si vero de prudentia dicendum esset, tibi equidem assentirem, et de animi virtutibus; at nunquam si de corpore molliter ornando. Quin imo, unum saltem exoptant, miro simul foedere compositae, ut undique incedant

Arte laboratae vestes ostroque superbo!

Haud mihi sunt, ut nosti, attalicae divitiae; quum munera modesta obeam, rei familiaris tuendae studio, si parvo vivam, esset sic satis. Nunc vero, nisi me adiuvet Deus, mox ad pudendam inopiam deferar. Ad quem ego sic miseriis actus, confugere possum, qui me suis modo consiliis sublevet?

Ego Istis si tantum esset, plurima darem! Quid dicam? Ego te tuasque miserias maxime deploro. Haec tandem tristia tempora transibunt, et speramus, ut patres nostri dicebant, fore ut post nubila, redeat Phoebus. Nihil utique novi sub sole, nec tristia. Verum ausculta, quae Aligherius noster, severissimis equidem verbis, in carmine suo immortali, in mulieres suae aetatis invexit, quod plus aequo luxuriosibus vestibus uterentur.

Ans. Lege! Te enim vacivis auribus auscultabo. Haec forte olim animi causa, meminisse iuvabunt.

Ego.

... Iam cerno futurum
Ecce brevi tempus, quo prohibere iuvat
Ex cathedra Florentis effrontibus ire
Laxo ostentantes ubera nuda sinu.
Quae saracena unquam, quae barbara foemina
[adacta est
Censuris tegeret corpus ut ante mares?
Si scirent illae quod praesto sidera cogant,
Auribus acciperes nunc ululare suis![1]

Ans. Quam probe, et quam egregie noster est recentiorum commenta adgressus! Quam apte effrontibus mulierculis nostrae aetatis! At quae vestiendi ratio est unquam faetidior, et minus sane Italorum ingenio accomodata?

Ego. Quid causae est, diceret Horatius,

Merito quin illis Iuppiter ambas
Iratus buccas implet neque se fore posthac
Tam facilem dicat...

Ans. Et ego adderem... votis ut praebeat aurem?

Ego. Horatius est optime cum Aligherio componendus, qui eamdem causam actitando, mores corrigere nitebatur.

[1] Licet et rescribere ipsa Aligherii carmina. Loquitur Forense amicissimus poëtae:

Tempo futuro m'è già nel cospetto,
Cui non sarà quest'ora molto antica,
Nel qual sarà in pergamo interdetto
Alle sfacciate donne fiorentine,
L'andar mostrando con le poppe il petto.
Quai barbare fur mai, quai Saracine,
Cui bisognasser, per farle ir coperte,
O spirituali o altre discipline?
Ma se le svergoguate fosser certe,
Di quel che il ciel veloce loro ammanna,
Già per urlare avrian le bocche aperte.
. . . . . (*Purg.*, c. 23).

ANS. Optime tu loqueris. Quaestio enim nostra semper cordatioribus probatissima fuit. Cui bono? Et prudentiores ipsae foeminae hanc turpem vestiendi rationem indignantur, et saepe malis quoque verbis improbant; attamen, licet repugnantes, ambas semper auriculas apponunt.

EGO. Quid dicis?

ANS. Ita est! « At bona pars hominum decepta cupidine falso » ut scripsit Horatius, perverse incedit, atque alte praedicat, ut olim turpissimus ille vir, qui inclamat: Video bona proboque, deteriora sequor! Quo facto nulla est mulieribus praesertim regula, nullus est mos, et quotidie mutant perridicule vestem, modo si velit Parisiorum usus, « penes quem est ius et norma *vestiendi!* ».

EGO. Optime Horatii verba in rem intorques.

ANS. Quae perpetua vestium novitas! Quae prorsus stultitia et mentis perversitas! Mirum equidem, si eadem unum diem permanserit! Hinc rerum egestas, et omnia in mala praecipitant.

EGO. Quid dicam? Recte ais! Sed macte virtute, amice, et tristia atque improba tempora cadent atque confidimus et nos cum patribus, fore ut citius adsurgat felicissimum sidus.

ANS. Speras, sed inane!

EGO. Cur ita de hominum virtute tam ignominiose diffidis?

ANS. Scio enim quid dicam. Lege, si cupis, omnes veterum historias, lege potissimum poëtas, qui populorum mores graphice effingere consueverunt, et facile videbis, qua acrimonia, qua animi bili, suorum temporum luxum, hominumque perversa ingenia, hac in re, insectentur, et quot crebris quantisque reprehensionibus animum suum effundant. Satis erit, si hîc vel obiter ridiculam antiquorum levitatem delibaveris; quo facto, nulla mihi est iam sperandi potestas.

EGO. Verum, ni tibi erit molestum, velim et ego quaedam in medium proferre, quae forte novisse laetaberis. Haud ita pridem, in quadam Urbis ephemeride subridens legi I. Toaldum, saeculo christiano decimo octavo, clarissimum Patavini Archigymnasii doctorem, opus edidisse vulgo inscriptum: *Del conduttore elettrico sul campanale di s. Marco.* Lepide ipse reipublicae rectores admonet, ut prudenter caveant, ne quid respublica detrimenti patiatur, ob insignes easdemque enormes foeminarum comas! Quam acute atque subtiliter vanum Venetarum ornamentum scriptor inussit!

ANS. Si tu lepide immodica mulierum galericula incusas, quae ipsa de caelo fulmina in terras admoveant, animi causa et liceat mihi ad Aegyptiorum vetustissimorum tempora respicere, quando illi quoque prudentissimi viri galeris amplissimis ornarentur, uti quisque ex ipsorum monumentis eruere poterit, quae sunt nuperrime effossa. Et quod caput est ac in primis memorandum, viris praecesserunt mulieres, praesertim in capitibus falso tegendis, eosque longe sunt supergressae.

EGO. Ergo, quis talia audiendo temperet a cachinnis?

ANS. Maiora videbimus. Hector, Priami spes qui fuit fidissima Teucrum, apud Homerum (l. VIII) acerbe Paridem increpat, quod nimio studio caesariem exornet. Clearchus, acerrimi iudicii vir, idemque Aristotilis alumnus, ut quo fastidio galeros habeat in primis ostendat, eos prae ceteris Lapithes barbaros adhibere memorat. Ad hos, Caudeles, Mausoli Lyciorum regis procurator, capillamenta hominum gravi pressit tributo, et, ut poëtice loquar, eum, qui

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

EGO. Tu mihi in mentem revocas omnium gravissimum exemplum. Est enim acer teterrimusque Hannibal, qui a galero minime abhorrebat. Haud desunt qui dicant hoc eum fecisse, ne a mercenariis suis nosceretur.

ANS. In hoc gravi dicendi certamine, patere, amice, me aliquid quoque de Romanorum more addere. Scito enim et viros illos agrestres, victis Graecis, eorum vestigia secutos, et comam coluisse, et ignobile capillamentum adhibuisse; et mulieres ne inferiores ex hoc praelio cedere viderentur, corymbum gessisse. Hinc fortasse Phaedrus exclamavit: *Quanta species! cerebrum non habent!*

EGO. Verum dicis, amice, et tibi assentior « et cunctae simul assensere cohortes! » Et ipse populus Hebraeus, aliorum populorum vestigiis insistens, inter quos vivere consueverunt, et vestes adoptat profanumque galerum, eorumque studio ita fuit abreptus, ut Isaias nomine Dei eos concreparet, minaretur, furore sic quodam poëtico abreptus: Deus iratus crines capitis filiarum Sion ignobiles permutabit atque dissolvet; earumque capellamenta indignabundus nudabit.

ANS. At tandem nova rerum conditio ac saeculorum ordo nascitur...

EGO. Quid dicis? Parvo admodum tempore improba mortalium conditio in peius recessit. Quum primum nova est orbis series exorta, et divina Christi sapientia purioribus suis admonitis humana pectora informavit, perversum corporis ornamentum mutatur, pro re nata ab effusiore cultu recedit, et Christiani, veluti ex composito religiosorum modestiam et romanam dignitatem miscere consueverunt. At paulo post, sic se natura perversis iterum moribus corrumpi patitur, ut ipsa Christianorum severitas sensim sine sensu ad interitum redigi videretur.

ANS. Quam est deflenda mortalium debilitas et casibus obnoxia!

EGO. Recte. Quamobrem, si de comis tantummodo sermo esset, mulieres Christianae in eam se consuetudinem adduxerunt, ut nec vestis habitu neque alio insigni a ceteris matronis differrentur. Ad rem faciunt aculeata verba, quibus s. Paulus apostolus mulieres monuit, ne inverecunde in Angelorum obsequium ad templum accedere auderent.

Et Tertullianus, qui acerrimo ingenio valebat et vehementissimo odio in mores corrigendos Christianorum suae aetatis deperditos ferebatur, vividis adeo coloribus corruptam civium consuetudinem depinxit, atque in vitia aspere invectus est...

ANS. Quam vere, quam apte, si vel florente Christianorum gravitate, in pessimum ruitur, nos de virtute desperare debemus!

Una salus victis, nullam sperare salutem.

Et illo tempore inter Christianos multi aderant cinaedi et malaci, qui crines calamistro inurere consueverunt vultusque colorem fucu mentiri! Et Cyprianus, qui Tertullianum excepit, ex Africa profectus, acerrimum eius ingenium secutus, gravioribus quoque argumentis et Pontificali nisus auctoritate, totus in eo fuit ut Christianos, omni ornatu ad ostentationem comparato neglecto, a pessimo impudicorum virorum tramite deduceret.

EGO. Haec autem quaestio vires acquirit eundo. In mentem enim opportune occurrunt quae, severiori stylo ac presso, more suo, descripsit Hieronymus de Praetexta, quae Eustochiae virginis neptis, caput contra ordinem plus aequo exornavit. Secundum quietem Angelus ei minax adparuit, dicens: Gravi tu poena gravia commissa lues. Eius enim manus miserrime exaruerunt.

ANS. Dicam paucis quid fusius Ulericus Vitalis, magni iudicii historicus, narrat de Sartone, Suetiorum Episcopo: Henricus primus, Anglorum rex, anno Christi labente millesimo quarto, apud Carrington, cum aulicis omnique exercitu, sabato sancto, Episcopum in Aede maxima orationem de rebus divinis dicentem audire voluit.

Vir ille sanctissimus, hanc nactus opportunitatem, vehementius inania corporis ornamenta, et comas potissimum prolixiores easdemque calamistro studiosius inussas incusavit: Haec sunt, clamabat, improba nunc diabolica inventa, Deo maxime odiosa, atque a Conciliis saepe saepius apertissime et contemptissimis verbis condemnata.

Quibus auditis, commotus rex et galeri quasi pondus indigne ferens, sui peccati publice poenitere coepit, suamque comam humillime deponere cupiens, ad episcopum accessit, et: Caede, - inquit, - caede has improbas atque exsecrabiles sarcinas. Tunc Serton, veluti rei suae securus, ut eventus comprobavit, eductis ex vestibus forficulis, densissimos capillos praecisit, et

Crines vibratos calido ferro, myrraque madentes,
Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem
Spiravere ...

Tum et caesaries comitum cecidit, amicorum magistrorumque militum, ad ultimum universi exercitus.

Hoc vere fuit memorabile capillorum excidium, vera capitis clades, ut Romanorum ad Trasimenum. Quo facto, si multis est laudibus digna Episcopi eloquentia, nec eius quoque brachii fortitudo est minus laudibilis, quae uno eodemque tempore hoc longum onus improbumque in caedendo sustinere potuit!

EGO. Utinam et alii nobile Henrici regis exemplum sequantur!

ANS. Ne merito mihi dicas: *Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt!* Addam enim, Concilium Turonense anno millesimo quingentesimo tertio et vigesimo hanc comarum rationem improbandam sanxisse atque a sacris remotam, ut paulo antea Constantinopolitanum. Quin imo et Calvini sectatores ut viri mulieresque ita ipsi immodice comati a templis arcerentur, rigide statuerunt.

EGO. Quid de foeminis, quae e contra capillos viriliter gerunt?

ANS. Ipsas insanire, aio, et mox maritos ad insaniam adigere.

EGO. Faxit Deus ut tandem aliquando hae pervicaces ad saniora consilia revocentur.

ANS. In hoc uno est confidendum. Nulla est spes alia salutis. Vale.

EGO. Vale et tu, bonoque et fidenti sis animo.

I. B. F.

PRO IUNIORIBUS

Parvum antibarbarum.[1]

Resurgere - Denuo surgere; Revivi-scere; In vitam redire (reverti); Vitae reddi; Spiritum resumere; Ab inferis exsistere.[2]

Retractatio - Palinodia.

Revelare (*aliquid*). - Patefacere; Rei indicium facere.

Reverendus - Amplissimus.

Revisor - Censor.

Rigatterius - Propola.

Rigor - Asperitas; Morositas; Severitas.

Riones urbis - Regiones urbis.[3]

Robuste - Nervose.

Robustum esse - Firmum (A viribus) esse; Viribus valere; Virium firmitate (Nervorum robore) praestare.

Rogationes - *Rogationes maiores*: Sollemnis pompa et supplicatio uti segetes bene eveniant. - *Rogationes minores:* Snpplicationes trium dierum ad caeli intemperiem averruncandam; Supplicationes in triduum sollemnes ut Deus fruges, frumenta, vireta virgultaque grandire beneque evenire sinat.

Rolum - Album,[4] Numerus.

[1] Cfr. fasc. sup.

[2] *Resurrectio* - Anastasis.

[3] *Rionis incolae* - Regionarii vici.

[4] Itaque: In albo describere; In eodem numero profiteri se censeri velle. - *Rolum civium* (*populi*) *formare:* Populi aevitates, soboles, familias censere.

Rota (*Sacra Romana*) - Sacrum XII virorum consilium litibus iudicandis.[1]

Rubedo - Rubor.

Rumpere (*legem*) - Legi non obtemperare; Legem neglegere.

Ruptamina - Rudera.[2]

Sacristanus - Aedituus; Sacrarii curator (custos; tutor): Sacrae aedis custos.

Sacristia - Sacrarium; Vestiarium templi; Locus instrumenti sacri (supellectilis sacrae).

Saggiator (*auri argenti*...) - Exactor (auri, argenti...).

Sagittare (*aliquem*) - Aliquem sagittis conficere; Missilibus configere (figere; confodere); In aliquem sagittas vibrare.

Salutare (*aliquem*) Alicui salutem dicere (impertire).[3]

Salutifer - Salutaris.

Salvare - Servare.[4]

Sanctuarium - Sacrarium.

Sanctum esse - Spectatae pietatis virum esse; Sanctimonia morum excellere; Vita integerrima praestare; Incorrupta vitae norma uti; Sanctissimam vitam agere.

Sanguinem (*alicuius*) *effundere* - Hostilem sanguinem fundere; Occidere (Interficere) aliquem.

Sanpetrinus (Romae) - Faber Vaticanus; Ex collegio Fabrum Vaticanorum.

Sanus (*aër*) - Aër salubris.

Satisfactionem dare - Alicui satisfacere pro (de) aliqua iniuria.[5]

Scalpellinus - Qui coelum (scalprum) exercet (tractat); Marmorarius.

[1] *S. Romanae Rotae Decanus:* Sacri XII vir. cons. lit. ind. senior. - *S. Rom. Rotae Auditor:* Ex XII viris Sacr. cons. lit. iud.; Vir Urbanus sacr. cons. lit. ind.

[2] *Murus ruptaminibus confectus:* Murus caementicius.

[3] Dices tamen: « Saluta eum meis verbis (meo nomine) »; nunquam vero: « Saluta eum a me ».

[4] Itaque *Salvator:* Servator (Sospitator). - *Salvatrix:* Servatrix (Sospita).

[5] *Satisfactio* enim est « excusatio ».

Scandalum - Improbum (Malum; Pravum) exemplum.[1]

Scandere (*versum*) - Metiri versum; Versiculi pedes enumerare.

(Ad proximum numerum).

I. F.

ANNALES

Post Helveticum conventum.

Post Helveticum conventum ad Locarnum recens habitum, in quo ea foedera sancta sunt, quae firmam spem tandem afferrent futurum ut tandem verae pacis fundamentum positum fuerit, sequutae sunt pactiones inter Italiam Civitatesque Septentrionalis Americae foederatas de pecuniae restitutione mutuo datae; ex quibus, ab utraque parte bona cum voluntate actis, discrimina quaevis hinc etiam sopita sunt. Restat ut Gallia ab internis discordiis ob oeconomicas quaestiones agitata et ipsa res suas congruenter componere queat; quod ex animo ominamur.

Interea Germania novas easque sponsiones offert de armis in statutis limitibus continendis, ut exterarum copiarum proximam demigrationem ab Agrippina Colonia possibilem reddant.

***

Syriacum et Mauritanum bellum.

Inter vero haec pacis fausta indicia, quibus addi potest compositio, quae ex Societatis Nationum subsidio, Graecos inter atque Bulgaros feliciter intercessit, tum Syriacum tum Mauritanum bellum perdu-

[1] Itaque *Scandalizare:* Exemplo aliquem offendere; Improbitatis (Pravitatis) exemplum alicui praebere; Peccandi exemplum suppeditare; Offensioni esse alicui; Offensionem alicui afferre; Alicui malo exemplo esse. - *Scandalizari:* Offendi; Exemplo offendi; Offensionem accipere.

rant: illic rebellibus pressius Damasum urbem obsidentibus et contra Gallos omnium civium defectionem movere conantibus; hîc caeli tempestate militarem quamlibet decretoriam actionem impediente. Sorte interim sua utitur callidus ille Abd-El-Krim, qui dum ad deditionem se pro num de die in die simulat, revera nova arma novosque armatos comparat.

***

In Sinis.

Neque melior in Sinis rerum status videtur. Nunciarunt enim Fang, alterum ex supremis militum ducibus, Pekino urbe potitum fuisse, rei publicae praeside Tuan-Chi-Fui et bellicae rei administro in carcerem detrusis.

***

Regalia funera.

Londini cum Anglorum civium omnium luctu supremum diem obiit Alexandra regina, Eduardi VII regis vidua.

Kal. Decembr. MCMXXV.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Redit iam cum nataliciis Dominicis diebus anni tempus a pueris tamdiu exspectatum, in quo maxime crustulis, bellariis, nugis, crepundiisque omnis generis ii donantur. Quid si haec aliquantisper vobiscum hodie recolens, eorum nonnulla notem ad amussim iam apud antiquos maiores nostros Latinos inveniri, et in deliciis puerorum illorum fuisse?

Iamvero in rebus ipsis, quae **crepundiorum** universali nomine indicabantur, plura sunt, quae amuleti superstitiosa causa etiam nunc pueri decorantur. Neque tantum pueri: nonne in nostris nundinis, et ab ipsa Roma non longe, videmus alium alii offerre *lunulas, annulos, securiculas ancipites, situlas argenteolas, maniculas,* aliave huius generis, *corniculis suculisque* non exceptis, et *crepitaculis,* unde «a crepando» seu tinniendo, proprie crepundiorum nomen?

Pupa autem, quo verbo adhuc in nostro vernaculo ad infantulas significandas, ut prisci Latini, utimur, erat et illis temporibus puellarum in delectamentis, plerumque ex linteo insuta, tomento infarcta, fasciata vel vestibus amicta; et credendum est eam religiosius quam nunc servari, quod Romanae puellae ad pubertatem proxime tamquam virginitatis suae insignia Veneri offerrent, ut fauste futurum matrimonium ipsis cederet. Neque deerant pupae cera confectae, quae *plagunculae* dicebantur, quemadmodum videre est apud Ciceronem, *All. VI;* neque *cunariae,* quae singulari, pariter atque apud nos, nutricum genere vestiebantur. *Cunae* enim, sive *Cunulae* et *Cunabula,* inter puellarum nugas recensenda quoque sunt.

Ut de lusibus puerorum nonnulla attingamus, *neurospaston* imprimis nobis occurrit, de quo Apuleius: «Qui in ligneolis hominum figuris gestus movent, quando filum membri, quod agitari solet traxerit, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad omne ministerium praesto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere». Et Petronius: «Larvam argenteam attulit servus sic aptatam, ut articuli eius vertebraeque laxatae in omnem partem verterentur». Hinc Horatius (*Satyr.,* II, 7, 82):

Duceris ut nervis alienis mobile lignum.

Neurospaston itaque imaguncula erat tali artificio intus compacta, ut si occultum nervum seu fidicula traheretur, ad speciem hominis vivi movere membra et totum corpus videretur; uno verbo, quam Itali nos hodie *burattino, marionetta* nuncupamus.

Ut de *pilis* taceam, de *ocellatis* parvis scilicet lapillis rotundis, - ita fortasse dicti quasi parvos oculos referrent, - quibus tam frequenter pueruli et hodie ludunt, pariterque de *turbine,* de ligno illo forma metae inversae, ima sui parte in acutum desinente, scutica circumacto, quod nos *trottola, picchio* dicimus, *trochum* memorem, eo magis quod ad pristinum omnino redactum a pueris, nescio quo casu, nostris diebus fuerit, ad circulum nempe seu rotam ferream, ferreo manubrio, quae *clavis* nuncupabatur, adunca in capite, deflexa in collo, impulsum; atque *tabulam* in cuius figuris conspicere datur quod apud nos *bigliardino* nuncupatur: tum non tantum parvis pilis, sed nucibus per eam ludebant pueri Romani, quas per planum plus minusve inclinatum ita agebant, ut adversarii tangerent, suasque sic facerent.

Sed iam, ne longiores fieremus, claudendi rivi sunt; non tamen prius quam de *maniis* mentionem fecerimus, turpibus deformibusque personis ad infantum terriculamenta effictis. Nonne ex ipsis et *Befanam* nostram deducere licebit?

***

Ne autem hodie pedem quidem unum a proximis sollemnibus - quae singulis lectoribus meis bonorum omnium plena ominor ex animo - trahamus, **cantiunculae** concedamus locum, quam socius noster H. Degl'Innocenti **in honorem Iesu Christi infantuli** composuit et amico desideratissimo Augustino Frotzio dicavit:

Iesule care,
Scite puelle,
Quam bene vincis
Corda lepore!
Pulchrior Eos
Candidiorque
Vere tegenti
Prata ligustro,
Dulce tenellas
Porrigis ulnas,
Sicque videris
Ore profari: -
Eia venite;
Quem timor arcet?
Haud metuendus
Parvulus infans.
Cui, Superorum
Aede relicta,
Omnibus expers
Incubo foeno?
Cui mea mordet
Membrula frigus,
Cuique madescunt
Fletibus ora? -
Currite gentes
Undique adite
Atque venustis
Oscula labro
Figite plantis.
Ipse Theander,
Ipse Redemptor,
Ipse virorum
Dulcis amicus,
Omnibus Ipse
Vita salusque
Ipse Beatis
Gaudia complet.
Iesule care
Scite puelle,
Parvula divi
Victima amoris,
O mea vinci
Corda lepore!

***

Iocosa.

Tuccius medico:

— Hei mihi! Graviter laboro. Atque tamen edo ut lupus, bibo ut bos, dormio ut glis...

— Non itaque me consulas, sed veterinarium!

Tuccius in schola.

MAGISTER - Io, Tucci, analysin age periodi huius: Georgius aegrotavit die Iovis.

TUCCIUS - Georgius; argumentum.

MAGISTER - Bene!

TUCCIUS - Aegrotavit: tempus praeteritum verbi aegrotare.

MAGISTER - Recte!

TUCCIUS - Die Iovis: tempus...

MAGISTER - Tempus?!...

TUCCIUS - Ecquid non? Tempus feriatum!

Aenigmata.

I

Sex mihi litterulae: telum designo trisulcum,
Quod Iovis irati dextera saepe vibrat.
Binarum sedem commuta litterularum:
Misceri propero fluctibus Oceani.
Nunc mihi dona caput: pello caliginis umbras
Et spargo rerum cuncta nitore meo.

II

Sum verbum? Veto te discedere lector amice.
Sum nomen? Rutila vestio luce polum.

Aenigmata in superiore fasciculo proposita his respondent: 1) *Rudis;* 2) *Orbita-s.*

IOSFOR.

PANCRATIUS [10

Actio dramatica FRANCISCI WIELAND – (Latine reddidit *Andr. Haberl*)

HYPH. (*furens*): Nisi tam amice vinum dedisses, modis vapulares omnibus. Nostin' res quomodo se tibi habeat? (*Pancratius interim edictum abstulit*). Sed heus! Quidnam hoc loco tibi negotii est? Abi! Apage te! Nam tu mihi fodiendus es, et est mihi molestum interire te.

QUADR. Mihi sane, pol, non minus.

HYPH. Ohe! Tene! Alterum video. (*Pancratius cito se aufert. Hyphax promittit lanceam. Quadratus exceptam iactat post parietem et cito sequitur Pancratium. Hyphax currit usque ad parietem. Deinde anhelans*): Proh deum fidem! Istae sunt praestigiae! Nunquam occurri tantae virtuti antehac. Me, militem totius centuriae fortissimum, nullo iste superat negotio. Et una puer stetit. Quid illis, amabo, tam sero hic negotii? Sed integra pendente adhuc tabula nulla video opus esse sollicitudine. (*Paulisper eodem haerens vestigio oculis defixis humi*): Tantum me isti terruerint, nec scio an nemo prorsus huc accesserit, vino potus, ut fit, plus viderim, quam fuerit, omnia somniaverim. Sed tamen lanceam ubi esse dixerim? Ergo praestigiatores planissime arte magica eripuere lanceam. Quamquam quid refert? Corvinus alteram providerit. Summum est, quod pendet tabula; hoc illi gratum, hoc dignum laudi fuerit.

SCENA IV.

HYPHAX, CORVINUS, TORQUATUS, MILITES.

CORVINUS (*accedit; aspecta aliquamdiu tabula fertur in Hyphacem*): Ubi est, actutum cedo, furcifer!

HYPH. (*quietus*): Nam quam rem significas?

CORV. (*clamans*): Edictum Caesaris, stipes?

HYPH. Placide, placide Corvine: ecce, quod custodiendum dederas.

CORV. Ubinam, cerrite! Ipse rem examina!

HYPH. (*progressus mutus contuetur tabulam; tum*): Haec enimvero tabula est, quam heri sollicite suspenderas.

CORV. O vervecem! An pluris tu tabulam feceras, quam quae fixa scriptura erat? Ea ablata est!

HYPH. (*quietus*): Ad scripturam quod attinet, quum nunquam in ludo fuerim, rem haecce minus ego intellego. Sed spissa hac nocte erat nebula; nebula fortasse litterae deletae sunt.

CORV. (*furens*): Et quod nox intempesta erat, vento fortasse abrepta membrana est.

HYPH. Recte dixeris, Corvine.

CORV. O asinum! Sed age, amoto ludo dic, quis hac nocte huc venerit.

HYPH. Venerunt duo.

CORV. Quinam?

HYPH. Praestigiatores, vel etiam daemones.

CORV. Ineptias! Dic, quid fecerint.

HYPH. (*apertis oculis, diducto ore, graviter*): Circiter mediam noctem ad me accedit giganteum corpus. Primum comiter loquitur... Postremo mihi in mentem venit, quicumque propinquassent, transfigendos esse.

CORV. Cur non confecisti igitur?

(*Ad proximum numerum*).

Dr. IOSEPHUS FORNARI, *Moderator, Sponsor.*

ROMAE, – TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

INDEX RERUM VOL. XII

(AN. XII — FASC. I-XII)

PAG.

Alloquia sociis et lectoribus. . 1, 125, 146, 177, 181

Annales. 31, 33, 50, 68, 87, 102, 122, 141, 159, 176, 193

Archaeologica.
De basilicis quae Iubilari anno Romae visitantur (X) 8, 26
Defunctorum suffragia in priscis Christianorum sepulcris 55, 168
Vide etiam **Ars**

Ars.
De maximo Sacrarum Missionum concursu, Romae (*I. B. Francesia*) 43
De musica (*R. S.*) 93, 151
Sanctus Laurentius basilicis in Urbe aedificatis maxime exornatus (*Senior*) . . . 135
De magna romana Sacrarum rerum expositione (*I. B. Francesia*) 148
Vide etiam **Archaeologica.**

Carmina.
In « Annum Sanctum » MCMXXV (*I. Fratini*) 9
Pio XI P. M. Sacri Principatus an. IV auspicanti (*Fr. Xav. Reuss*) 19
Sacerdos senex annosi templi minister (*Fr. Xav. Reuss*) 39
In obitu Fr. Xav. Reuss epicedium (*C. Mambretti*) 40
In mortem Fr. Xav. Reuss (*Subalpinus*) . 59
Iesu Christi anastasis (*H. N.*) 63
P. Vergilius et A. Horatius de vicibus latinae linguae colloquentes (*Fr. Xav. Reuss*) . 73
Lepidum D. Antonini Episcopi miraculum (*H. Degl'Innocenti*) 87
In festo B. Petri, de Romanis Pontificibus (*M. Ricci*) 97
Dominicus Guzmanus (*I. Benelli*) . . . 116
In aes sacrum militibus bello interfectis Rovereti dicatum (*A. Nardis*) 117
Ethnicum fanum in templum Christianum conversum (*Fr. Xav. Reuss*) 134
In B. Virginem Matrem Orphanorum (*I. V. Ingolotti*) 152
Rusticana domus (*C. Mambretti*) 157
Faber ferrarius (*A. Nardis*) 170
In honorem S. Ioannis B. Vianney a Parochis Mediolanensibus celebrata sollemnia (*C. Mambretti*) 188
Vide etiam **Epistolare Sociorum commercium; Vacui temporis hora.**

PAG.

Colloquia latina.
Ex dialogis familiaribus *Antonii Van Torre;* passim retractavit hodiernisque moribus aptavit *I. F.:*
Petitur facultas ad varia 11
Facultas varia petitur egrediendi schola . 31
Obsequia scholastica invicem praestita . . 46
Coemptio rerum quae ad scholam . . . 64
Accusatio varia scholastica 158
Studium rerum ediscendarum 176
Deambulatio (*E. Jovè*) 139
Vide etiam **Communia vitae; Varia.**

Communia vitae.
De nonnullis ad mundum muliebrem spectantibus (*M. Ricci*) 10
Plautus vivit adhuc in Italorum sermone (*M. Ricci*) 175
De monstruoso recentioris vestis genere (*I. B. F.*) 189

Epistolare Sociorum commercium.
De valetudine sua - Iterum de *refrain* gallico - De *siccatorio, fulminivomis,* aliisque novis verbis latine redditis (*A. Avenarius*) 28
Nova verba in latinum sermonem inducenda (*E. Jovè*) 67
De novis vocabulis in latinum sermonem inducendis (*A. Avenarius*) 100
De quodam carmine in honorem B. Aloysii Gonzaga (*I. B. Francesia*) 140
De nuperis vocabulis in M. Tullii latinitatem reddendis (*H. Iacobelli*) 153

Geographia.
De sancto Petro « in Bosco » (*I. B. F.*) . 30
De coenobio, cui est nomen « La Sacra di S. Michele » (*Senior*) 98

Historica.
De annis sanctis (*Junior*):
De primo anno sancto 7
Annus sanctus secundus 26
Annus sanctus tertius 39
Annus sanctus quartus, quintus, sextus . . 40
Annus sanctus septimus 41
Annus sanctus octavus 41, 61
Annus sanctus nonus 62
Annus sanctus decimus 63
Annus sanctus undecimus, duodecimus, decimus tertius 83
Annus sanctus decimus quartus 94

PAG.

Annus sanctus quintus decimus, decimus sextus, decimus septimus 95
Annus sanctus decimus octavus, undevicesimus 96
Annus sanctus vicesimus 112
Pius IX P. M. et annus sanctus vigesimus primus 113
Leo XIII P. M. et annus sanctus vigesimus secundus 171
Annus sanctus vigesimi saeculi primus . . 184
Ludovicus Pastor historicus (*I. B. Francesia*) 59
Ticinensis athenaei centenaria commemoratio (**) 80
Iosephus Cafasso (*I. B. Francesia*) . . . 81
De Beata Michaëla a Ssmo Sacramento (*E. Jovè*) 118
Concilii Nicaeni I centenaria commemoratio (*H. Degl'Innocenti*) 132
Vide etiam **Archaeologica, Ars.**

Hygienica.

De morbo qui ab ictu solis vulgo nuncupatur (*R.S.*) 117

Libera a pittaciis responsa (*A Secretis*). 17, 53, 90, 107

Libri recens dono accepti . . 53, 71, 179

Litterae et Philologia.

De fontibus M. T. Ciceronis librorum qui manserunt de re publica et de legibus (*I. Galbiati*) 4
De Titi Livii recenti quadam larva (*A. Aureli*) 20
De latinarum litterarum historia praelectiones (*F. Ramorinus*):
IV. Quid Latinorum cultus et humanitas ex disciplina Etruscorum in rem suam derivaverint. De rebus divinis deque arte divinationis, praesertim de haruspicina - De rebus musicis et arte istrionica et Fescennina - De lingua Tusca apud Latinos, tum quod pertinet ad voces tuscas a Romanis usurpatas, tum quod ad vocabula graeca, quae Romani a tusco ore audita in patrimonium sermonis acceperunt - De arte et artificibus Etruscis apud Romanos. Nonnulla de vestibus 41, 55
V. Quae humanitatis et doctrinae vestigia apud priscos Romanos deprehendi possint quod ad deorum cultum pertinet - De Salis sacerdotibus et Carmina Saliaria - Fragmenta carminum Saliarium 78, 91, 111
VI. Sequitur de deorum cultu - Carmen Fratrum Arvalium - Oracula; carmina Marciana; verba auguralia - Preces variae - Incantamenta 129, 145, 163
VII. Litterarum reliquiae in vita privata priscorum Romanorum: I Proverbia rei rusticae - Carmina popularia. 183
Suavis Francisci Xav. Reuss memoria (*M. Galdi*) 58
De certamine poëtico Hoeufftiano anni MCMXXV. 86
De Mauritio Jókai, fabularum Romanensium scriptore (*V. Lakatos*) . . . 109, 127

PAG.

In honorem Aegidii Forcellini (*Senior*) . . 147
De scriptoribus Christianis et de lingua « universali » (*I. B. Francesia*) . . . 166

Necrologia.

Franciscus Xaverius Reuss (*I. F.*) 35
Franciscus Xaverius Reuss (*Alma Roma*) . 37
Ioachimus Berthier (*H. Degl'innocenti*) . 186

Philosophia ac Theologia.

Doctrinae de Indulgentiis brevis conspectus (*E. Hugon*) 24

Pro Iunioribus.

Parvum antibarbarum (*I. F.*) 12, 32, 48, 65, 84, 101, 120, 137, 155, 174, 192

Roma Sacra.

Petrus Canisius e S. I. inter Romanae Ecclesiae doctores relatus 103
Ex Suprema S. Congregatione S. Officii opera proscripta et damnata 142

Scenicae fabulae.

Pancratius. - Actio dramatica *Francisci Wieland.* (Latine reddidit *Andreas Haberl*) 18, 36, 54, 72, 108, 126, 144, 162, 179, 196

Sententiae.

Ex *P. Syrio* . . 6, 9, 82, 116, 117, 169, 173

Vacui temporis hora *(Iosfor).*

« Calceomantia » seu « Soleomantia » . . 15
Tormenti bellici ictus a terra ad lunam . 34
De incendiaria bolide P. Maffei 34
De abstinentia - De ieiunio. 51
Flores 88
« Scansorium » sive « Adscensorium » . . 105
De granadilla 106
Res casu repertae 123
Cordis substitutio 142
« Photophonum » 160
De crepundiis. 194
Exploratores scholastici (*Subalpinus*) . . 160
Triginta et amplius iuvenum millia peregrinantes in Urbem (*Subalpinus*) 178
Gallus Monens (*Subalpinus*) 16, 34, 52, 70, 90, 107, 124, 143
Cantiuncula in honorem Iesu Christi infantis (*H. Degl'Innocenti*) 195
Iocosa 17, 35, 53, 71, 90, 107, 125, 143, 160, 179, 195
Aenigmata 17, 35, 53, 71, 90, 107, 125, 143, 160, 179, 195

Varia.

De quodam avaro (Ex *Schola morum* Blancardi latine reddidit *H. Iacobelli*). . . 49
De benefico viro (*Id.*). 69
De mira quadam ad Urbem peregrinatione (*Fr.*) 140
Annus Carolinus (*I. Tasset*) 154
Veritas in primis et ante omnia (Ex *Schola Morum* Blancardi latine reddidit *H. Iacobelli*) 178